







3.75. nt



DE RE SACRAMENTARIA

PRÆLECTIONES

SCHOLASTICO-DOGMATICÆ

QUAS

IN COLLEGIO SS. CORDIS JESU AD WOODSTOCK

MAXIMA SOC. JESU STUDIORUM DOMO IN FŒD. AMERICÆ SEPT. STATIBUS

HABEBAT A. D. MDCCCLXXVII-VIII

ÆMILIUS M. DE AUGUSTINIS, S. J.

IN EODEM COLLEGIO THEOL. DOGMATICÆ PROFESSOR

LIBRI DUO PRIORES

De Sacramentis in Genere.
De Confirmatione.

De Baptismo.
De Eucharistia.

Book II



WOODSTOCK MARYLANDIÆ
EX OFFICINA TYPOGRAPHICA COLLEGII.

NEO-EBORACI, CINCINNATI, S. LUDOVICI: Benziger Fratres.
LONDINI: Burns & Oates—PARISIIS: Bloud & Barral.

1878.

AVGVSTINO · SANCTO

DOCTORI · ET · VINDICI · CATHOLICÆ · FIDEI

OPVS

PATROCINIO · EIVS · SVSCEPTVM

VT · SS · CORDIBVS · IESVS · ET · MARIÆ

AB · EO · OFFERATVR

DEDICAT

CLIENS · OBSEQVENTISSIMVS

PATRONO · CŒLESTI



ROBERTUS BRADY

PRÆPOSITUS PROVINCIÆ MARYLANDIÆ SOC. JESU.

Cum librum, cui titulus DE RE SACRAMENTARIA, PRÆLECTIONES etc., a P. ÆMILIO DE AUGUSTINIS nostræ Societatis Sacerdote conscriptum recognoverint et in lucem edi posse probaverint quatuor ejusdem Societatis theologi, quibus id commisimus; potestate ab A. R. P. N. PETRO BECKX Præposito Generali nobis facta, concedimus facultatem ut idem liber typis mandetur, si illis ad quos pertinet, ita videbitur.

In cujus rei fidem has litteras manu nostra subscriptas, et sigillo officii munitas dedimus.

ROBERTUS BRADY, S. J.

L. S.

PRÆPOSITUS PROV. MARYLAND.

Baltimoræ die 12 *Aprilis* 1878.

Imprimatur

✠ JACOBUS, *Archiep. Baltimorensis*

Baltimoræ die 27 Aprilis 1878.

PROŒMIUM

Æquam theologicarum rerum tractationem id vindicare sibi semper arbitratus sum, quod diligenti ac perspicua dogmatum, aliarumque veritatum, quæ cum eis intime connectuntur expositione, juxta doctrinam in verbo Dei scripto vel tradito contentam, atque ab Ecclesiæ magisterio sive definitione propositam, sive communi usu expressam, tota innitatur et consistat.

Etenim si theologiæ est quæ a Deo revelata sunt adserere et propugnare; si hujus scientiarum omnium dominæ proprium est, uti ab Angelico Doctore monemur, quod ab auctoritate principaliter argumenta sua desumat; nemo est profecto qui non videat theologicorum dogmatum expositoris primas et præcipuas partes esse in his dogmatibus proponendis, elucidandis, atque tuendis.—Id autem tuto, ac efficaciter nonnisi ille præstabit, qui Scripturarum oracula, Ecclesia dirigente, probe intelligat et declaret, quique in voluminibus Patrum sapientiam quærat, et eam sedulo conquisitam, fideliter tradat.

Tunc merito, postquam solidum fundamentum jecerit, nobile ædificium constituet; ac sana philosophia in auxilium vocata, veritates revelatas, quantum licuerit, illustrabit, earum nexum mutuumque habitum investigabit, deteget et ostendet; convenientias quoque et analogias rimabit quas revelata dogmata habent cum veritatibus naturali lumine

cognitis, et ea quæ ex revelatis pendent ac consequuntur, recte deducet. —Hæc dum præstabit, doctrina ex purissimis et suavissimis fontibus hausta auditorum aut lectorum suorum mentes imbuet, corda eorum nova caritatis flamma accendet, eosque tum ad fideles adhortandos tum ad contradicentes refutandos perfecte instruet.

Habes hic, amice lector, rationem hujus operis, et delineatam methodum, quam in his prælectionibus sequi sum conatus. Eas obedientia coactus prælo mandavi; et hoc unum desidero ut in Majorem Dei Gloriam, quantulæcumque eæ sint, cedant.

LIBER PRIMUS

De Sacramentis in Genere

De Baptismo

De Confirmatione.

DE SACRAMENTIS IN GENERE

NOTIO ET DIVISIO TRACTATUS.

Divinus Redemptor generis humani Christus Jesus, qui vere, condigne ac superabundanter pro peccatis omnium hominum satisfecit, promeruit eis tum auxilia actualia, quibus ad bonum salutariter operandum illuminarentur, excitarentur, atque adjuvarentur; tum sanctificantem gratiam, qua veram justitiam, ceu primam stolam, reciperent pro illa quam Adam sua inobedientia sibi et eis perdiderat,[1] Deique amici, filii et hæredes secundum spem fierent vitæ æternæ.[2] Hæc pretiosissima dona et maxima Dei beneficia homines accipiunt per visibilia quædam signa, nempe per Ecclesiæ Sacramenta, per quæ "omnis vera justitia," ut Concilium Tridentinum (sess. 7. decr. de sacram. proœmio) loquitur, "vel incipit, vel cœpta augetur, vel amissa reparatur."

Itaque sacramenta sunt media quibus Christus sanctificat Ecclesiam suam, eamque exhibet sibi gloriosam, "non habentem maculam aut rugam aut aliquid hujusmodi:"[3] ac per sacramenta ille qui est caput, Christus, "secundum operationem in mensuram uniuscujusque membri, augmentum corporis sui [mystici, seu Ecclesiæ] facit in charitate."[4]

Quamobrem, Patres, et post eos Theologi appellaverunt ea, *dominicæ Incarnationis reliquias,—vasa pretiosa in quibus Christi sanguis et merita continentur,—canales per quos innumera beneficia ad nos defluere Christus sancivit,—medicamenta sauciatæ naturæ humanæ,—fontes aquarum salien-*

1) Conc. Trid. sess. 6. c. 7.

2) Ad Tit. III. 7.

3) Ad Eph. v. 26. 27.

4) Ad Eph. IV. 15. 16.

tium in vitam æternam, per quos lapsi homines eriguntur, curantur et ad beatitudinem perducuntur.

De his sanctificationis nostræ mediis in universum spectatis tractatio præsens instituitur, cujus dignitas ex dictis apparet, cujus utilitas est manifesta cum versetur circa media salutis, quæ etiam contra inimicorum insectationes et subdolas fraudes defendere tenemur.

Tractatio dividitur in tres partes ; quarum prima spectat essentiam et existentiam, secunda causas, tertia efficaciam sacramentorum : in prima quæritur *quid sint, an sint, et quot sint Sacramenta ;* in secunda, *a quo instituta sint, quomodo perficiantur, cujus ministerio conficiantur ;* in tertia, *quid conferant, quomodo illud conferant, quibus adhibitis conditionibus.*

PARS PRIMA

DE ESSENTIA ET EXISTENTIA SACRAMENTORUM

ARTICULUS PRIMUS

De ratione generica Sacramenti sensu latiori.

Apud profanos auctores, *sacramenti* nomen, quod est a *sacro*, latissima acceptione, rem sacratam significat seu ad religionem spectantem quocumque modo. Sic priscis latinis *sacramentum* fuit pecunia a duobus contendentibus in loco sacro ea conditione deposita, ut qui judicio vinceret suam reciperet, victi ærario cederet.[1] Sic *sacramentum* etiam significabat juramentum quo milites sese obligabant ad fidem et obedientiam militarem præstandam. T. Livius, Julius Cæsar, Cicero, Tacitus et alii latini scriptores id frequenter commemorant: et Livius discrimen inter *sacramentum* et *jusjurandum* militare assignat, tradens illud jurationem fuisse ab ipsis militibus inter se sponte factam, hoc legitimam jurisjurandi adactionem singulorum militum coram tribunis suis.[2] Quandoque figurate pro ipsis militibus significandis *sacramenti* nomen usurpatum fuit, et hoc sensu Juvenalis (sat. 16. vers. 35.) ait:

> Præmia nunc alia, atque alia emolumenta notemus
> Sacramentorum,

idest militum, qui sacramento se obstrinxerint apud Imperatorem, bonam se Reipublicæ navaturos operam. Demum, ex juramento a

---

[1] "Ea pecunia quæ in judicium venit in litibus, *sacramentum* a sacro. Qui petebat et qui inficiabatur, de aliis rebus uterque quingentos æris ad Pontificem deponebant: de aliis rebus item certo alio legitimo numero assium. Qui judicio vicerat suum sacramentum a sacro auferebat: victi ad ærarium redibat." Varro (de ling. lat. l. 4.). Ex hoc more litigantium factum est ut *sacramentum* pro causa ipsa, seu controversia usurparetur. Cic. (pro Mil. c. 27.), habet: "Qui non calumnia litium, non injustis vindiciis, ac *sacramentis* alienos fundos, sed castris, exercitu, signis inferendis petebat."

[2] L. 22. c. 38: "Milites tunc, quod numquam antea factum erat, jure jurando ab tribunis militum adacti, jussu consulum conventuros, neque injussu abituros. Nam ad eam diem nihil præter *sacramentum* fuerat. . . . Id ex voluntario inter ipsos fœdere a tribunis ad legitimam juris jurandi adactionem translatum."

militibus facto, *sacramentum* extensum fuit ad significandum quidquid, jurisjurandi sanctione interposita, actum est. Apud Quintilianum (de Instit. Oratoria, l. 12. c. 2.), legimus: "Sed hæc inter ipsos, qui velut *sacramento* rogati (seu *jurejurando adacti*), vel etiam superstitione constricti, nefas ducunt a suscepta semel persuasione discedere."

Ex usu ecclesiastico, *sacramenti* vocabulum idem significat ac *Mysterium:* nam latini dixerunt *sacramentum*, quod græce est *μυστήριον*. Mysterium autem sive a verbo *μύω* deducatur, quod est oculos claudo, labia comprimo, quasi mysteria sint occulta, et silentio honoranda, sive a *μυέω*, quod est doceo quæ ad sacra pertinent aut in sacris instituo, significat id quod arcanum et secretum est, sive profanum sit, sive sacrum. Ita de re profana, in libro Tobiæ (XII. 7.), habetur "*sacramentum* regis (*μυστήριον*) abscondere bonum est;" et in Apocalypsi (XVII. 3–7.), de muliere scelesta legimus: "Et vidi mulierem sedentem super bestiam coccineam, plenam nominibus blasphemiæ, habentem capita septem et cornua decem. Et mulier erat circumdata purpura et coccino, et inaurata auro et lapide pretioso et margaritis, habens poculum aureum in manu sua, plenum abominatione et immunditia fornicationis ejus: et in fronte ejus nomen scriptum: *Mysterium*. . . . Et miratus sum, quum vidissem illam, admiratione magna. Et dixit mihi Angelus: Quare miraris? Ego dicam tibi *sacramentum* mulieris et bestiæ quæ portat eam, quæ habet capita septem et cornua decem." Similiter veritates fidei et divinæ bonitatis ineffabiles erga homines dispositiones sæpe in Scripturis Sanctis sacramenta vocantur. In Epistola ad Ephesios, (I. 9.), Apostolus ait: "Ut notum faceret nobis [Deus] *sacramentum* voluntatis suæ (*τὸ μυστήριον τοῦ θελήματος αὐτοῦ*) secundum beneplacitum ejus, quod proposuit in eo. In dispensatione plenitudinis temporum, instaurare omnia in Christo, quæ in cœlis et quæ in terra sunt, in ipso." In eadem Epistola (III. 3–6.) legitur: "Quoniam secundum revelationem notum mihi factum est *sacramentum* (*κατὰ ἀποκάλυψιν ἐγνωρίσθη μοι τὸ μυστήριον*) quod aliis generationibus non est agnitum filiis hominum, sicuti nunc revelatum est sanctis apostolis ejus et prophetis in Spiritu, Gentes esse cohæredes et concorporales et comparticipes promissionis ejus [Dei] in Christo Jesu per Evangelium." Et in Epistola ad Colossenses (I. 26–27.): "Mysterium quod absconditum fuit a sæculis et generationibus, nunc autem manifestatum est sanctis ejus, Quibus

voluit Deus notas facere divitias gloriæ *sacramenti* hujus (*τοῦ μυστηρίου τούτου*) in Gentibus, quod est Christus, in vobis spes gloriæ." Vide etiam I. Tim. (III. 16.); Sap. (II. 22. et VI. 24.).

In eadem significatione *sacramenti* nomen occurrit apud Patres, etiam vetustissimos. Tertullianus (de Præscript. cap. 20.) fidei regulam et omnem Christianam institutionem appellat *ejusdem sacramenti* traditionem:[1] S. Cyprianus, (epistola 51.), dum Maximo presbytero, Urbano, Sidonio atque Machario de eorum in Ecclesiam reditu, ex schismate, gratulatur, *unitatem* commemorat *evangelici sacramenti*,[2] ad illam unitatem significandam in Ecclesia Christi quæ evangelicæ fidei et apostolicæ traditioni respondeat.

Attamen ex hac latissima significatione vox *sacramentum* contracta est ad denotandum quodlibet rei sacræ signum. "Signa," ait S. Augustinus (epistola 138., ad Marcellinum, n. 7.), "cum ad res divinas pertinent, sacramenta appellantur." Et juxta hanc acceptionem, Tertullianus V. T. typos *figurarum sacramenta* vocat (contra Marcionem, l. 5. c. 1.), S. Ambrosius, (l. 1. de Sacram. c. 4.), transitum Judæorum per mare rubrum, manna et alias similes in V. T. figuras *sacramenta* dicit,[3] nec aliter loquitur S. Cyprianus, libro de Oratione Dominica, n. 34.: "In orationibus vero celebrandis," inquit "invenimus observasse cum Daniele tres pueros, in fide fortes et in captivitate victores, horam tertiam, sextam, nonam, *sacramenta scilicet Trinitatis*, quæ in novissimis temporibus manifestari habebat." Et n. 35. prosequitur: "Sed nobis, fratres dilectissimi, præter horas antiquitus observatas, orandi nunc et spatia et *sacramenta* creverunt. Nam et mane orandum est ut resurrectio Domini matutina oratione celebretur."

Eodem sensu sacrificia etiam appellari potuerunt sacramenta, nam

[1] "Itaque tot ac tantæ Ecclesiæ, una est illa ab Apostolis prima, ex qua omnes. Sic omnes prima, et apostolicæ, dum una omnes probant unitatem; dum est illis communicatio pacis, et appellatio fraternitatis, et contesseratio hospitalitatis: quæ jura non alia ratio regit, quam *ejusdem sacramenti* una traditio." Tertul. (de Præsc. c. 20. in fine.)

[2] "Nunc vero et vos congruentem fidei vestræ tenorem atque individuæ caritatis et concordiæ legem Dominica pace tenuistis, et exemplum ceteris dilectionis et pacis vestro itinere fecistis, ut Ecclesiæ veritas et *evangelici sacramenti* unitas, quæ a nobis tenebatur, vestro etiam consensu ac vinculo necteretur." S. Cyp. ep. 51. n. 1.—Confer etiam ep. 63. n. 3. et 14.

[3] Vide S. Aug. l. 2. contra adv. legis et proph. c. 9.—L. 8. de Genes. ad Litteram c. 4. et 5.—L. 2. de Pecc. Mer. et Rem. c. 26., et alibi passim, præsertim in libris contra Faustum Manichæum.

"sacrificium visibile invisibilis sacrificii sacramentum, idest sacrum signum, est;"[1] et eadem ratione omnes cæremoniæ cultus externi, S. Augustinus sacramenta nuncupavit, dicens: "In nullum autem nomen religionis, seu verum, seu falsum, coagulari homines possunt, nisi aliquo signaculorum vel *sacramentorum* visibilium consortio colligentur: quorum *sacramentorum* vis inenarrabiliter valet plurimum, et ideo contempta sacrilegos facit. Impie quippe contemnitur, sine qua non potest perfici pietas."[2]

ARTICULUS SECUNDUS

De ratione generica Sacramentorum strictiori sensu.

Sacramenti nomen, quod ex acceptione latissima contrahitur ad *signum sacrum* significandum, adhuc ad specialia quædam signa coarctatur usu ecclesiastico, ad ea nempe, quæ sanctitatem quamdam conferunt, seu aliquo modo sanctificant homines quibus applicantur. Ut autem id intelligi possit, nonnulla præmittenda sunt et declaranda.

"Signum," ait S. Augustinus,[3] "est res præter speciem, quam ingerit sensibus, aliud aliquid ex se faciens in cogitationem venire."

Dividitur in:

a) *Signum sensibile* et *signum spirituale*, prout percipi per se potest vel non potest sensu externo:

b) *Signum naturale*, quod natura sua ad rem significatam refertur, ut, ex. gr., fumus ad ignem; et *signum ad placitum* seu *arbitrarium*, quod nonnisi ex institutione significat:

c) *Signum symbolicum*, quod similitudinem quamdam habet cum re significata; et *signum purum*, quod nullam talem exhibet similitudinem:

d) *Signum rememorativum* significans rem præteritam, *demonstrativum* præsentem ostendens, et *prognosticum* futuram annuntians:

e) *Signum speculativum*, quod rem significat, sed non causat; et *practicum*, illam rem causans quam significat.

Cum in signo duo considerari possint, res significans et significatio

---

1) S. Aug. de Civ. Dei l. 10. c. 5.

2) Contra Faustum Manichæum, l. 19. c. 11. in fine.

3) De Doct. Christ. l. 2. c. 1.

ipsa, quæ est habitudo signi ad rem significatam, signum potest esse sacrum ex alterutro capite, nimirum: vel ex eo quod res significans, in se spectata, non sacra, sacrum significet;[1] vel ex eo quod res sacrum quid significans, sit etiam in se sacra, ad cultum Dei aliquo modo pertinens et ad animæ sanctitatem. At, quo sensu signa hæc, in se sacra, cultum Dei spectant et hominum sanctificationem?

Sanctitas, si consideratur in Deo, est divina essentia, quatenus est essentialis et necessaria norma omnis moralis rectitudinis, boni infiniti infinitus amor, atque in hoc infinito bono conquiescentia perfectissima et beatitudo.[2] In creatura, sanctitas est sanctitatis divinæ participatio quædam per specialem conjunctionem creaturæ cum ipso Deo: nam "in quantum creatura aliqua," ait S. Thomas,[3] "magis ad Deum accedit, in tantum de bonitate ejus magis participat." Hinc, amplissima divisione, duplex sanctitas in creaturis distingui debet, sicut et sanctificatio duplex, per quam sanctitas participatur. Una est *interior, spiritualis* et proprie dicta, quæ susceptione sanctificantis gratiæ et donorum perficitur, et supernaturalem transformationem ac deiformitatem efficit in creatura, eam reddit adoptivam Dei filiam, et summo bono conjungit, cognitione et amore proportionatis unioni illi ineffabili, quæ in cœlesti gloria per visionem et fruitionem Dei beatificam consummabitur. Alia est *sanctificatio externa, legalis* et secundum quid, quæ nonnisi imperfectissimam sanctitatem conferens, consistit vel in passiva quadam consecratione ad divinum cultum, et convenire potest etiam rebus inanimatis specialiter ad Dei servitium deputatis; vel in munditia legali, quæ juxta legem requiri potest ut aliquis idoneus fiat ad divinum cultum et ad ministerium sacrum peragendum.

His ergo præmissis, quæritur utrum quædam signa sacra instituta fuerint a Deo ad hominum sanctificationem; utrum hæc signa pro varietate temporum diversimode homines sanctificarent; utrum sub generica ratione omnia conveniant, et ideo recte sacramenta possint appellari; utrum specifica definitione distinguantur ea sacramenta quæ

---

1) Valeat ad exemplum transitus maris rubri, significans et præfigurans christianorum baptismum. Sicut enim mare rubrum transitum Hebræis præbens Ægyptiorum manibus eos eripuit, Ægyptios autem submersit et perdidit; ita baptismus nos salvos facit, demersis et extinctis hostibus nostris, id est peccatis. Confer S. Aug. Tract. 11. in Joan. n. 4.

2) Vid. Card. Franzelin, Tractatus de Deo Uno secundum naturam, thesim 29

3) Comp. Theol. c. 214.

ante institutionem a Christo factam extiterunt, ab iis quæ in nova lege a Christo Domino instituta sunt, et proprio ac strictissimo sensu sacramenta vocantur? Circa has quæstiones Decretum pro Armenis in Bulla Eugenii IV. "*Exultate Deo*" sic habet:

"Novæ legis . . . . sunt sacramenta . . . . quæ multum a sacramentis differunt antiquæ legis. Illa enim non causabant gratiam, sed eam solum per passionem Christi dandam esse figurabant: hæc vero nostra et continent gratiam, et ipsam digne suscipientibus conferunt."

In Decreto pro Jacobitis, sive Bulla Eugenii IV. "*Cantate Domino*" legitur:

"Sacrosancta Romana Ecclesia, Domini et Salvatoris nostri voce fundata . . . firmiter credit, profitetur et docet, legalia Veteris Testamenti, seu Mosaicæ Legis, quæ dividuntur in cæremonias, sacra, sacrificia, sacramenta, quia significandi alicujus futuri gratia fuerant instituta, licet divino cultui illa ætate congruerent, significato per illa Domino nostro Jesu Christo adveniente cessasse, et Novi Testamenti sacramenta cœpisse."

Et Concilium Tridentinum, sessione septima, postquam in canone primo definiverit omnia sacramenta novæ legis a Jesu Christo Domino nostro instituta fuisse, in canone secundo ait: "Si quis dixerit, ea ipsa novæ legis sacramenta a sacramentis antiquæ legis non differre, nisi quia cæremoniæ sunt aliæ, et alii ritus externi, anathema sit." In canone autem sexto: "Si quis dixerit non continere gratiam quam significant, aut gratiam ipsam non ponentibus obicem non conferre, quasi signa tantum externa sint acceptæ per fidem gratiæ vel justitiæ, et notæ quædam christianæ professionis, quibus apud homines discernuntur fideles ab infidelibus, anathema sit."

Igitur juxta doctrinam fidei constat:—1. fuisse ante legem evangelicam signa quædam sacra, non modo ratione rei significatæ, sed etiam in se et ratione rei significantis—2. Eadem signa, aliquo sensu et generica appellatione sacramenti, convenire cum signis in Novo Testamento institutis, quæ tamen *vere* et *proprie*[1] (stricto et specifico sensu) sacramenta vocantur—3. Hæc novæ legis sacramenta essentialibus et specificis notis a veteribus sacramentis distingui.

---

[1] "Si quis dixerit . . . . . aliquod horum septem [sacramentorum] non esse vere et proprie sacramentum, anathema sit."—Conc. Trid. sess. 7. c. 1.

Has veritates, sequentibus thesibus, vindicabimus, simulque ostendemus, quandonam vetera sacramenta instituta fuerint, quomodo cum sacramentis a Christo institutis generice definiri possint, quomodo novæ legis sacramenta specifice definiantur: circa quæ sententia Theologorum non semper est una. Cum autem tempus omne quod ab hominis creatione ad Christum defluxit quatuor epochas complectatur, nimirum: primam, protoparentum innocentium in paradiso; secundam, a lapsu Adami usque ad Abraham; tertiam, ab Abraham ad Moysen; quartam, a Moyse ad Christum; de his tractabimus singillatim.

THESIS I.

In statu naturæ innocentis nullum sacramentum extitit.

In hac thesi, quæ, duce Sancto Thoma, communiter defenditur a Theologis, non est sermo, ut patet, de sacramento latissima significatione sumpto, sed prout signum sacrum significat institutum a Deo ad sanctificationem hominum. Adversam sententiam tenent cum Fulgentio Bellelli,[1] nonnulli ex ordine Erem. S. Augustini; quibus non omnino repugnat Laurentius Berti.[2] Paucis probationem thesis absolvimus. Et in primis, hoc pacto ratiocinamur:

Nec in Scripturis, nec quidem in Traditione indicium aliquod est, ex quo deduci possit probabile saltem argumentum de existentia sacramentorum pro protoparentibus ante lapsum. Ergo nequit admitti existentia sacramentorum in statu naturæ innocentis.

Antecedens constat, nam ea quæ a theologis adversæ sententiæ afferuntur, eis nullo modo favent, ut inferius declarabitur.

Consequentia patet: etenim existentia eorum quæ pendent a solo Dei instituentis arbitrio, ut sunt signa sacramentalia, non potest admitti nisi nobis innotescat per revelationem, quæ continetur in Scripturis et in Traditione. Si ergo in his, nihil prorsus dicitur de sacramentis ante lapsum Adami, horum sacramentorum existentia non potest admitti.

Fatemur sane, argumentum, rigorosa deductione, probare tantum opinionem illam esse rejiciendam quæ asserit sacramenta quædam fuisse in innocentiæ statu; non autem valere per se ad positive demonstrandum

---

[1] L. 1. Mentis Aug. c. 20.

[2] De Theologicis disciplinis, l. 30. c. 2.

ea in tali statu non extitisse. Attamen si huic argumento, jam ex se gravissimo, additur: nullum inter Patres, non solum ut testes Traditionis sed ut doctores loquentes, putasse aliquod institutum fuisse pro statu naturæ innocentis sacramentum, sensu quo intelligitur in thesi; si ex alia parte attendantur maximi ponderis congruentiæ quæ pro illo tempore excludunt institutionem cujuslibet sacramenti: hoc ipsum argumentum ex verbo Dei scripto et tradito desumptum validius evadet, et thesis demonstratio certa erit, etiam prout absolute negat sacramenta extitisse ad sanctificationem hominis in paradiso. Deus enim, qui suaviter omnia disponit, pro singulis statibus suppeditat homini quæ ei sunt consentanea.

Congruentiæ porro, desumuntur tum ex tempore quo duravit status innocentiæ, tum ex illius status perfectione. Ex tempore, nam brevissimum fuit; et ideo frustra pro eo tempore institutum fuisset sacramentum a Deo, qui instantem lapsum hominis præsciverat, et subitam status illius amissionem.

Ex perfectione ejusdem status, nam ipsa postulabat ut homo non ex sensibilibus sanctificaretur. Etenim, in statu innocentiæ rectitudine omnimoda fruebatur homo, et superiora in eo inferioribus dominabantur. Sed huic omnimodæ rectitudini sacramenta non conveniebant. Ergo congruum erat non institui sacramenta in statu innocentiæ. Unde et certo etiam concludi potest sacramenta tunc temporis non extitisse.

Rectitudini autem status hominis ante peccatum adversari sacramenta probat S. Thomas, 3. p. q. 61. a. 2.; nam "contra hunc ordinem esset," ait, "si anima perficeretur, vel quantum ad scientiam, vel quantum ad gratiam, per aliquid corporale, quod fit in sacramentis." Quæ ratio manifesta est, si animadvertitur: 1. S. Thomam hic, dum loquitur de perfectione animæ quantum ad scientiam, non significare qualemcumque scientiam naturalium, sed scientiam supernaturalium quæ ad sanctificationem necessaria est; in nullo enim statu sanctificatur homo sine aliqua cognitione supernaturalium: 2. Sacramentum esse signum corporale ad sanctificationem, idcirco rectissime S. Doctorem dicere, animam per aliquid corporale perfici quantum ad scientiam supernaturalium et gratiam, quando ex usu sacramentorum sanctificatur: 3. merito concludere sacramenta ordini ac rectitudini status innocentiæ protoparentum non respondere imo adversari; nam ille status requirebat corporalia

subjici animæ, et per sacramenta anima corporalibus, a quibus perfici posset quoad sanctificationem, subjici debuisset.

Nec valet objectio, quam S. Thomas jam sibi proposuerat: "Homo in statu innocentiæ materialis erat, et ex sensibilibus cognitionem accipiens, propter quod etiam in paradiso dicitur positus ad operandum, ut naturales vires experiretur."

Etenim S. Doctor respondet: "In statu innocentiæ superiores partes hominis omnino inferioribus dominabantur: et ideo quamvis homo haberet sensus, et materialis esset, non tamen intellectus ex sensibilibus cognitionem accipiebat, sed ex influentia divini luminis habebat. Sed quia experientia etiam eorum quæ prius sciebamus delectabilis est, ideo operabatur ad experiendum naturæ vires, non ut ex hoc habitum scientiæ acciperet, sed ut ex visione experimentali eorum quæ sciebat delectaretur." [1]

Et hæc responsio illustrat aliud argumentum quod idem Angelicus Doctor proponit in solutione citata: "Utilitas sacramentorum est eruditio et curatio. Quantum autem ad curationem omnibus patet quod non erant necessaria sacramenta in statu innocentiæ, cum tunc morbus non esset. Sed quidam dicunt quod erant necessaria quantum ad eruditionem: quia homo in statu etiam illo sensibilibus utebatur, et ita ex sensibilibus spiritualia significari congruebat. Sed hoc non videtur conveniens: quia significatio est ad acquirendam cognitionem de eo quod significatur. Quamvis autem in primo statu sensibilia cognosceret, et in eis etiam spiritualium similitudines inspiceret, non tamen ex sensibilibus spiritualium cognitionem accepit, sed magis ex influentia divini luminis; et ideo sacramentis ad eruditionem non indigebat." [2]

Superest ut momenta quibus opinio adversa innititur perpendantur.

1. Auctoritas affertur S. Augustini in l. 19. contra Faustum, c. 11. Verba objecta superius citavimus et declaravimus.[3]

S. Augustinus ibi de sacramento latissimo sensu accepto loquitur, prout significat quodcumque signum sacrum, quinimo prout etiam falsi cultus cæremonias complectitur. "In nullum nomen religionis, seu verum, *seu falsum*," inquit, "coagulari homines possunt, nisi aliquo signaculorum vel sacramentorum visibilium consortio colligentur."

---

[1] In 4. Sent. dist. 1. q. 1. a. 2. solut. 2. ad 2.

[2] L. c. in corpore.

[3] Vid. pag. 14.

2. Citantur ejusdem S. Doctoris hæc alia verba (l. 8. de Gen. ad lit. c. 4. n. 8.): "Nec sine mysteriis rerum spiritualium corporaliter præsentatis voluit hominem Deus in paradiso vivere. Erat ei ergo in lignis ceteris alimentum, in illo autem [*ligno vitæ*] sacramentum." Et in eodem opere c. 5. n. 10., "potuisse per lignum, id est, per corpoream creaturam, tamquam sacramento quodam, significari sapientiam in paradiso corporali." Præterea, aiunt adversarii, S. Augustinus postquam affirmaverit lignum vitæ fuisse sapientiæ visibile symbolum, illo ipso capite 5. n. 11. addit: "Quamquam corporalem cibum, talem tamen illam arborem præstitisse, quo corpus hominis sanitate stabili firmaretur, non sicut ex alio cibo, sed nonnulla inspiratione salubritatis occulta."

Eadem responsione, dicimus hæc omnia loca nullam facessere difficultatem, cum sermo sit in eis de sacramento amplissime sumpto, quatenus rem arcanam designat, illamque sacram. Et revera docet S. Augustinus in locis illis objectis, significatum fuisse in ligno vitæ Christum, qui vera sapientia est, sicut et in petra de qua fluxerunt aquæ. "Erat ergo," ait, "et lignum vitæ, quemadmodum petra Christus, nec sine mysteriis rerum spiritualium," etc. Petra autem, quæ significavit Christum, non fuit sacramentum, significatione de qua in præsenti loquimur. Quod S. Doctor addit de *occulta salubritatis inspiratione* qua lignum vitæ conferebat stabilem sanitatem, non ostendit collatam animæ sanctificationem, sed firmitatem tributam corpori, occulta quadam et mirabili vi, sicut apparuit in subcinericio pane, cujus virtute sustentatus Elias quadraginta dierum itinere pervenit ad montem Horeb.[1] Hoc exemplum S. Augustinus refert loco citato.

3. Objicitur: In statu innocentiæ matrimonium fuit inter Adam et Evam. Sed matrimonium est sacramentum, juxta illud Pauli ad Eph. v. 32.: "Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo et in Ecclesia." Ergo etc.

Respondetur: Matrimonium in lege christiana vere et proprie est sacramentum. In statu innocentiæ, et post peccatum ante Christum, adumbrabat utique conjugium futurum inter Christum et Ecclesiam, sed erat institutum non ad hoc ut homines per illud sanctificarentur, verum ut multiplicarentur; idcirco erat in officium naturæ, non sacramentum, nisi sensu lato juxta quem omnia signa sacra sacramenta

[1] III. Reg. XIX. 8.

vocantur. Quapropter si Apostolus, in verbis citatis, dum ait *sacramentum hoc*, matrimonium significat in lege nova, tunc utique *sacramenti* nomen sumitur in sensu stricto, sed objectio cessat, quia non agitur amplius de sacramento quod extitit in lege naturæ. Si vero pronomen *hoc*, in sententia Apostoli, demonstrat matrimonium Adami et Evæ, vel potius matrimonii institutionem in connubio Adami et Evæ, vox *sacramentum* adhibetur a S. Paulo in sensu lato ad significandum hanc primam matrimonii institutionem, omneque deinceps matrimonium magnum esse typum rei sacræ, idest conjunctionis Christi cum Ecclesia. Uterque tamen sensus conjungi potest,[1] quasi dicat Apostolus: matrimonium Adæ et aliorum ante Christum fuisse sacramentum, id est, typum futuræ unionis Christi cum Ecclesia sua; matrimonium vero fidelium, in nova lege, sacramentum, id est, signum esse perfectissimum unionis jam factæ, ex opere operato conferens gratiam. Sed de hoc celeberrimo loco Apostoli ex professo agitur in tractatu de Matrimonio.[2]

[1] Vid. A Lapide, Comm. in ep. ad Ephesios c. v.

[2] Huic quæstioni, quæ spectat factum institutionis alicujus signi sacramentalis in statu innocentiæ, alia nectitur a Theologis, quæ respicit conditionatum futurum. Quærunt, si status innocentiæ durasset, futurane fuissent sacramenta in illo statu, annon; et in varias abeunt sententias. Quidam, cum Soto, sic repugnantiam propugnant sacramentorum cum innocentis naturæ perfectione, ut absolute negent illa fuisse futura. Gotti, Billuart et Thomistæ communiter dicunt sacramentorum institutionem "aliquam oppositionem habere cum statu innocentiæ, non secundum Dei potentiam absolutam, sed secundum suavem et connaturalem providentiam," quare et ipsi negant sacramenta, eo statu perdurante, instituta fore. Toleto et aliis probabile est fuisse tunc futura aliqua sacramenta gratiæ perfectionem conferentia. Suarez respondendum putat cum distinctione. "Si quis sentiat," ait (3. p. D. Thomæ q. 61. disp. 3. sect. 3.), "non existente peccato, Deum non fuisse futurum hominem, probabilius existimabit, nulla tunc fuisse futura sacramenta sensibilia. . . At vero si supponamus, homine non peccante, Christum fuisse venturum, dicendum ulterius est, credibilius esse, nullum tunc fuisse instituendum sacramentum, antequam ipse in carne veniret. . . . Ultimo, tamen probabiliter credi potest, post Christi incarnationem futurum fuisse tunc aliquod sacramentum, quod maxime videtur probabile de sacramento Eucharistiæ." Idem, aliqua probabilitate, affirmat de matrimonio et de sacramento Ordinis.

Quid in hac opinionum varietate nobis dicendum esse videtur?

1. Sacramentorum institutio, ut fere omnes fatentur, non habet *absolutam* repugnantiam cum perfectione status innocentiæ. Ratio quam ex S. Thoma in thesi declaravimus ad probandum non fuisse instituta sacramenta in statu innocentis naturæ, non arguit, ut per se patet, *omnimodam* impossibilitatem illius institutionis.

2. Non eodem modo dijudicandum est de statu innocentiæ qui brevissimo temporis intervallo duravit, ac de statu naturæ innocentis qui per longam ætatem esset perseveraturus. In hoc congruentiæ quædam inveniri possunt ad sacramentorum institutionem suadendam, quæ in illo desunt. Etenim, perdurante innocentiæ statu, sacramenta potuissent ut signa valere, ex. gr. ad excitandam rerum fidei memoriam et circa eas affectum, ad consensionem et unitatem hominum ejusdem religionis

THESIS II.

In statu legis naturæ, ante Circumcisionis mandatum, remedium aliquod contra peccatum originale pro salute infantium extitit, institutum a Deo; illudque probabilius sacramentum fuit.

Ab Adæ peccato usque ad Abraham patriarcham reliquit Deus homines sine lege externa qua determinatæ cultus cæremoniæ præciperentur. Regebantur naturali lege in mentibus omnium insculpta, atque divinis inspirationibus movebantur; et ideo fuisse tunc homines in statu legis naturæ communiter dicitur. Verum, hujus appellationis significatio non est, illam tantum, eo tempore, viguisse legem quæ, lumine naturali nota, ad naturalem finem homines ordinaret, et præceptis solummodo naturalibus eos obstringeret. Hujusmodi statum numquam humana natura habuit, utpote quæ ad supernaturalem finem ab initio elevata semper et præcepta et media accepit a Deo, quibus ad eumdem finem assequendum dirigeretur. Dum ergo agitur de statu legis naturæ, sub nomine legis hujus veniunt omnia præcepta quæ naturaliter sequuntur tum naturam rationalem, tum supernaturalem elevationem hominis; seu præcepta illa, quæ non tantum ex naturali lumine, sed etiam ex fide supernaturaliter revelata et sufficienter proposita (ut revera fuit Adami posteris per traditionem) intrinsece oriuntur, fidei nempe, spei, caritatis, atque similia.

Status legis naturæ pro Israelitis usque ad legem scriptam, per Moysen datam, perduravit: intervallum tamen temporis, quod a præcepto Circumcisionis facto Abrahæ usque ad Moysen fluxit, veluti præparatio fuit ad legem Mosaicam. Pro nationibus, quæ extra populum electum

---

in exteriori Dei cultu; ut sanctificationis instrumenta, potuissent præcipi propter utilitatem obedientiæ et humilis subjectionis ad Deum.

3. Nihil certi aut solidæ probabilitatis dici potest circa existentiam conditionate futuram sacramentorum in statu innocentiæ si hic status diutius permansisset. Ex voluntate divina sacramentorum institutio pendet; ideoque nobis quibus revelatum non est decretum aliquod divinæ voluntatis quod ostendat futuram fuisse, vel non fuisse, talem institutionem pro statu naturæ innocentis si hic status perdurasset, ignotum prorsus manet, futurane fuissent annon in illo statu. "Quis enim hominum poterit scire consilium Dei? aut quis poterit cogitare quid velit Deus." Sap. IX. 13.

ea lege non tenebantur, status legis naturæ perseveravit usque ad Christum et legis evangelicæ promulgationem.

Instituitne Deus, post lapsum Adæ, in statu legis naturæ, sacramentum aliquod antequam præciperet Circumcisionem? Huic quæstioni respondet proposita thesis, quæ duas habet partes. In prima dicitur, post lapsum, et ante Circumcisionem, remedium aliquod extitisse pro salute infantium, institutum a Deo. In secunda statuitur, remedium hoc, propter parvulos institutum, fuisse probabilius sacramentum.

Propositio quæ in prima parte thesis enunciatur, etsi a quibusdam theologis olim negata fuerit, quos indicat, sed non nominat Vasquesius,[1] certa tamen est omnino, et impugnari non posset absque temeritate. Etenim ex clarissimis Scripturæ testimoniis eruitur, et a Sanctis Patribus apertissime vindicatur.

Et re quidem vera, ex multis Sacrarum Litterarum locis, præsertim ex insigni testimonio Pauli in I. Ep. ad Timotheum, (II. 4.) constat, ut demonstratur proprio loco in tractatu de Deo Uno, voluntatem antecedentem veram, propriam et actuosam esse in Deo salvandi post lapsum Adæ omnes homines, nullo excepto; omnes, inquam, quos Deus ipse creavit, quorum naturam Dei Filius assumpsit in suæ personæ unitatem. Hæc igitur voluntas Dei seria et actuosa universalis reparationis, et salutis omnium hominum post peccatum primi parentis et totius humani generis lapsum, se extendit, in quacumque mundi ætate, etiam ad parvulos, qui absque dubio homines sunt, et illam naturam habent quam salvavit Christus. Jam vero, voluntas ista salvifica Dei ad parvulos omnes non se extenderet, si tempore legis naturæ, ante Circumcisionem, nullum eis fuisset remedium contra peccatum originis. Ergo admitti debet tunc temporis remedium aliquod institutum fuisse a Deo pro parvulis, quo a culpa originali liberari potuissent, et sic salvari.

Minor argumenti patet. Nam, voluntas Dei salvifica, vera et actuosa, profecto non se extendit ad illos quibus non datur medium absolute necessarium ut salvari possint. Sed si tempore legis naturæ, ante Circumcisionem, remedium non fuisset infantibus quo liberari potuissent a labe originis et salvari, Deus non dedisset eis medium absolute necessarium ad salutem. Ergo si hoc remedium illo tempore

---

[1] In 3. p. S. Th. disp. 165.

non adfuisset, voluntas Dei salvifica non se extenderet ad parvulos illa mundi ætate existentes, ac proinde non complecteretur omnes parvulos.

Huc facit celebre effatum Innocentii III. in Decreto adversus Petrobrussianos, Arnaldistas et Waldenses (l. 3. Dec. tit. 42. c. 3. Majores): "Absit," ait Pontifex, "ut universi parvuli pereant, quorum quotidie tanta multitudo moritur, quin et ipsis misericors Deus, qui neminem vult perire, aliquod remedium procuraverit ad salutem." Quæ verba, utpote generalia, omnes æque mundi ætates includunt, ac proinde optime respiciunt etiam infantes qui vixerunt ante Abraham et Circumcisionis præceptum.

Aliud argumentum ad eandem rem comprobandam, verbis Scripturarum innixum, sic procedit. Antecedenter et ex parte sua voluit Deus ut remedium contra peccatum originale haberent et salutem consequi possent omnes pro quibus Christus mortuus est. Sed Christus mortuus est etiam pro infantibus qui in lucem fuerant editi tempore legis naturæ, ante Circumcisionem institutam. Ergo Deus antecedenter et ex parte sua voluit ut illis infantibus remedium aliquod extiterit quo, si morte corriperentur ante usum rationis, liberarentur a peccato et salvarentur; ac proinde hoc remedium pro eis instituit.

Major est evidens: Christus enim mortuus est pro illis quorum Deus vult salutem. Minor ex verbis Apostoli evincitur, dicentis: "Si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt: et pro omnibus mortuus est Christus."[1] Mortuus est Christus, ait Apostolus, pro omnibus illis qui mortui sunt per peccatum originale. Sed certum est per peccatum originale mortuos fuisse omnes infantes natos post prævaricationem Adæ et ante epocham institutæ Circumcisionis. Ergo pro ipsis etiam omnibus Christus Dominus mortuus est.

Nec aliquid valet contra rationes allatas, argumentum desumptum ex conditione parvulorum decedentium in utero matris; quod sic proponitur. Deus qui salutem vult omnium hominum, pro his tamen parvulis nullum præbuit remedium, quo, justificati, vitam æternam consequi possent. Ergo cum voluntate salvifica Dei erga omnes homines componi facile potest nullum fuisse remedium institutum pro parvulis qui vixerant ante legem Circumcisionis. Etenim si ex voluntate salvifica, necessaria deductione, concludi deberet ad institutionem ali-

---

[1] II. ad Cor. v. 14. 15.

cujus remedii ad salutem infantium qui in lege naturæ e vita excedunt ante usum rationis, eadem conclusione statui deberet remedium adesse parvulis qui nondum ex utero editi moriuntur; quod remedium nec est, nec umquam fuit.

Objectio hæc evanescit, si attendatur falsam esse assumptionem in qua fundatur. Deus enim ex infinita benignitate sua, qua vult omnes homines salvos fieri, nullum hominum sine remedio ad salutem reliquit, sed omnibus et singulis providit, modo tamen cuique statui hominum accommodato. Parvulis ergo in utero existentibus Deus ex illa voluntate salvifica universali providit modo eis congruo, nempe ita ut cura et cooperatione aliorum, maxime parentum, tum naturali, tum supernaturali per merita atque pias impetrationes, conservarentur, a noxis omnibus averterentur, ad maturitatem perducerentur, et sic adjumenta haberent quibus a labe originali mundarentur et salvarentur. Quod autem de facto pueris qui in utero conclusi moriuntur non fuerit applicatum remedium quo salutem æternam consequerentur, id non ex defectu remedii procedit; sed quia non fuit conditio posita, cooperatio nempe parentum et aliorum qui illorum puerorum curam agere debebant; qua cooperatione, pro eorum status exigentia, accipere debebant, juxta piissimam Dei dispositionem, salutare remedium ad beatitudinem assequendam. Ceterum, de hac conditione puerorum decedentium in utero matris, plene agitur in tractatu de Deo Uno.—Nunc solum addimus, Deum, voluntate antecedenti, post prævisum peccatum originale, omnibus, quantum ex ipso est, remedium ad salutem præstitisse; attamen prævidisse in quibusdam adjunctis futurum esse impedimentum, quominus posset illis pueris salutis remedium applicari, et permisisse. Verum hæc permissio, seu voluntas Dei consequens, non repugnat voluntati Dei salvificæ universali pro omnibus omnino hominibus: repugnaret autem si reliquisset Deus in aliqua mundi ætate aliquam humani generis classem absque sufficienti remedio salutari eidem accommodo.

Sed jam Patres audiantur, qui sine ambiguitate testantur Deum remedium aliquod suffecisse in statu legis naturæ pro salute infantium. Citamus ad exemplum aliquos :

S. Augustinus hanc sententiam non ut novam, aut dubiam; sed ut certam, et apud omnes receptam tradit. In libris contra Julianum

(l. 5. c. 11. n. 45.) ait: "Nec ideo tamen credendum est, et ante datam Circumcisionem famulos Dei, quandoquidem eis inerat Mediatoris fides in carne venturi, nullo Sacramento ejus [ritu, nempe, protendente futurum Mediatorem] opitulatos fuisse parvulis suis; quamvis quid illud esset, aliqua necessaria causa Scriptura latere voluerit." Et in opere *de Nuptiis et Concupiscentia*, (l. 2. c. 11. n. 24.), similiter dicit: "Non quod ante Circumcisionem justitia fidei nulla erat; nam cum adhuc esset in præputio, ex fide justificatus est ipse Abraham; sed superioribus temporibus omni modo latuit sacramentum justificationis ex fide. Eadem tamen fides Mediatoris salvos justos faciebat antiquos, pusillos cum magnis."

Auctor librorum *de Vocatione Gentium*,[1] qui a Gelasio laudatur tamquam Magister Ecclesiæ sapientissimus, hæc habet (l. 2. c. 23.): "Et cum quærimus quomodo omnes homines salvos fieri velit [Deus] qui non omnibus illud tempus impertit, in quo per voluntariam fidem percipiendæ gratiæ sint capaces: non irreligiose arbitror credi, neque inconvenienter intelligi, quod isti paucorum dierum homines ad illam pertineant gratiæ partem, quæ semper universis est impensa nationibus, qua utique si bene eorum uterentur parentes, etiam ipsi per eosdem juvarentur. Omnium namque exordia parvulorum, totaque illa principia necdum rationalis infantiæ, sub arbitrio jacent voluntatis alienæ, nec ullo modo eis nisi per alios consuli potest. . . . Sicut enim ex aliena confessione credunt, ita ex aliena infidelitate aut dissimulatione non credunt. Et cum ipsi nec præsentis vitæ desiderium habuerint, nec futuræ; quam ipsorum factum est nasci, tam ipsorum efficitur non renasci."

S. Gregorius M. (Mor. l. 4. c. 3.) dicit: "Quod vero apud nos valet aqua baptismatis, hoc egit apud veteres vel pro parvulis sola fides, vel pro majoribus virtus sacrificii, vel pro his qui ex Abraham stirpe prodierant, mysterium Circumcisionis."

V. Beda (l. 1. in Ev. Lucæ c. 2.) inquit: "Qui vel ante tempora Circumcisionis, vel etiam post datam Circumcisionem de exteris gentibus extitere fideles, ut exemplar patientiæ Job et amici liberique illius, sive victimis hostiarum, se suosque ab originali peccato, seu certe sola fide salvabant." Et disertius in Hom. X. *in die festo Circumcisionis Domini*,

[1] Opus communiter tribuitur S. Prospero.

ait: "Utraque ergo purificatio, et Circumcisionis videlicet in lege, et in Evangelio baptismatis, tollendæ prævaricationis primæ gratia posita est. Et ne cui sæculi labentis ætati superni respectus munera deessent, illi quoque qui a mundi exordio usque ad tempora datæ Circumcisionis, vel post datam Circumcisionem, de aliis nationibus Deo placuerunt, vel hostiarum oblationibus, vel certe sola fidei virtute suas suarumque animas Creatori commendantes, a primi reatus vinculis absolvere curabant." [1]

Tandem, existentia hujus remedii in lege naturæ adeo certa est ut Suarez dicere non dubitaverit: "Omnino affirmandum est in ea lege fuisse aliquod remedium ad infantium salutem a Deo institutum. Ita docent omnes Theologi in 4.' dist. 1. et 2., absque ulla controversia aut opinionum varietate; quod est signum, dogma hoc certum ac indubitatum apud illos fuisse." [2] Et Vasquez testatur: "Patrum opinio usque adeo in schola jam diu inveteravit et invaluit ut nullus omnino asserere audeat parvulos eo tempore omni remedio suæ salutis caruisse." [3]

Sed quodnam fuerat hoc remedium? Quæ certa sunt apud omnes statuantur prius, ut deinde ad ea quæ in controversiam veniunt accedamus.

Constat ergo, 1. Hoc parvulorum remedium adhiberi non potuisse per propriam ipsorum actionem liberam: de parvulis enim agimus qui nondum pervenerant ad usum rationis, ac proinde incapaces erant cujuscumque actionis humanæ.

2. Applicari debuisse remedium illud per aliquam actionem humanam parentum, seu illorum qui in parvulorum curam incumberent. Nam, ut recte adnotat P. Suarez,[4] si, hominibus nihil agentibus, Deus justificasset parvulos, vel omnes, vel aliquos tantum arbitrio suo justificasset, vel certe cum dependentia a causis naturalibus necessariis gratiam communicasset, quæ omnia admitti non possunt. Præterea, Deus ut paulo antea adnotavimus, remedium dat hominibus ad salutem prout

[1] Vide S. Bernardi epist. 77.; Arnoldi Abbatis Bonæ Vallis, Tract. de operibus Christi Cardinalibus (inter opera S. Cypr. aliquando editum), ubi de Circumcisione; et illa PP. tum græcorum tum latinorum testimonia, quæ ostendunt Deum ex parte sua et omni tempore post lapsum Adæ, voluisse homines salvos fieri, absque exceptione ulla. Habes multa collecta apud P. Petav. Theol. dogm. tom. 1. l. 10. et tom. 4. l. 12.

[2] In 3. D. Th. q. 61. a. 3. disp. 4. sect. 1. n. 5.

[3] In 3. D. Th. disp. 165. c. 1. n. 7.

[4] Loco citato, sect. 2. n. 2.

statui eorum accommodatur; et optime congruit statui infantium, ut a parentibus vel ab aliis sub quorum cura sunt, regantur etiam in his quæ ad animam spectant, sicut similiter factum est in remediis parvulorum a Deo institutis in Veteri et Nova Lege.—Nec potest dici, remedium istud constitutum fuisse in sanctitate habituali parentum, aut in alia simili conditione, ob quam filii ex talibus parentibus orti justificarentur; nam sicut sanctitas, vel alia similis conditio quæ in parentibus inveniebatur, non poterat impedire quominus cum peccato originali et filii iræ nascerentur; ita certe non poterat illa conditio per se facere ut ipsi infantes ab hoc peccato liberarentur et justificarentur.

3. Actio sive parentum, sive aliorum qui parvulorum curam gerebant, ut eximeret hos parvulos e culpa originis, debebat esse aliqua protestatio fidei in futurum Reparatorem, Christum Dominum, et actus aliquis cultus quo parvulus dedicabatur Deo ex fide et intentione eorum per quos remedium istud adhibebatur. Etenim præter Jesu Christi nomen "non aliud nomen est sub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri;"[1] et Christus est "quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius . . . ut sit ipse justus et justificans eum qui est ex fide Jesu Christi."[2] Quare, parvuli in Adamo mortui resurgere ad vitam nequibant et salvari nisi, renati in eum qui secundus est Adam, ei tamquam membra capiti conjungerentur. Unde Patres, quos supra commemoravimus, de hac fide loquuntur tamquam de medio in lege naturæ concesso parvulis ad salutem; et S. Thomas Patrum in hac re doctrinam recolligens, ait: "Peccatum originale est peccatum naturæ: natura autem reparari non poterat nisi per Christum; et ideo numquam poterat remitti peccatum originale alicujus nisi facta relatione, et quadam continuatione illius qui curari debebat ad Christum, quod per fidem fiebat; et ideo fides Mediatoris semper fuit efficax ad curandum ab originali: in illis quidem qui usum liberi arbitrii habebant, propria; in aliis vero aliena, ut nec eis omnino deesset divinum remedium."[3]

Fides autem parentum vel aliorum non debebat necessario cum caritate conjungi ut posset prodesse parvulo, nam ad salutem fides illa

---

[1] Act. IV. 12.

[2] Ad Rom. III. 25. 26.

[3] In 4. sent. dist. 1. q. 2. art. 6. sol. 1.

operabatur non virtute actus eliciti, sed virtute objecti crediti, idest Christi, qui venturus erat in mundum:[1] requirebatur tamen non modo habitualis fides, sed actualis, videlicet illa qua Deo actu parvulus offerebatur.

At sufficiebatne illa fides, si sola erat et mere interna? consistebatne in ea sola remedium parvulis comparatum a Deo in lege naturæ ut peccato originis expertes fierent et salvarentur? an potius illa fides manifestari debebat per aliquod sensibile signum, quod valeret ad sanctificationem infantium, proindeque sacramentum esset?—Tres circa præsentem quæstionem præcipuas sententias invenio apud Theologos. Prima tenet non fuisse tunc temporis institutum a Deo pro parvulis sacramentum, sed eis contra originale peccatum valuisse, sine ulla actione externa, fidem internam parentum vel aliorum. Id docuit S. Bonaventura,[2] idque cum Soto et aliis defendit Vasquez.[3] Secunda sententia admittit quidem sacramentum pro infantibus institutum in lege naturæ; sed illud contendit fuisse devotionis non necessitatis. Hanc sententiam proposuit Hugo a S. Victore in opere *de Sacramentis christianæ fidei.*[4] Tertia sententia communior, quam S. Thomas docuit,

---

1) "Fides aliena non juvabat in quantum erat actus personæ, sed ex parte illa qua respiciebat objectum suum, scilicet Christum, quod erat medicina totius naturæ." S. Th. loc. cit. ad 2. "Formatio et informatio fidei sunt conditiones ejus ex parte operantis, non autem ex parte objecti; et ideo informitas fidei in parente non impediebat effectum salutis in filio: impediebat autem in ipso, quia informitas illa proveniebat ex aliquo quod erat contrarium saluti, scilicet ex peccato mortali." Ibidem, ad 3.

2) "Conclusio. Fidei professio, qualitercumque fieret sive signo, sive verbo, sive actu cordis, dum tamen fieret a parentibus, et haberetur respectus ad parvulum, sufficiebat ad remissionem originalis peccati puerorum." S. Bonav. sentent. l. 4. dist. 1. p. 2. a. 1. q. 2.

3) In 3. S. Th. disp. 130. c. 4. a. 3. n. 36.; et disp. 165.

4) "Sacramenta ab initio ad restaurationem et curationem hominis instituta sunt; alia sub lege naturali, alia sub lege scripta, alia sub gratia. Et in his semper quæ tempore posteriora fuerunt, effectu gratiæ spiritualis digniora inveniuntur... Si quis igitur sacramenta priora effectum sanctificationis habuisse negaverit, non mihi recte sentire videretur." Hugo a S. Victore, De sacram. l. 1. p. 11. c. 1. "Quæ sit differentia inter Sacramenta N. T., et illa quæ sub lege naturali, vel sub scripta lege sacramenta fuerunt attendenda consideremus. Prima igitur differentia quod sacramenta Novi Testamenti primo loco gratiæ spiritualis signa sunt et ad ipsam gratiam sanctificandis conferendam infusa sibi benedictione principaliter instituta. Illa vero signa horum tantum; et mediantibus his quorum signa fuerunt, ne sine salute essent, qui tempus redemptionis præcesserunt, gratiam in sustentationem contulerunt. . . . . Tertia differentia est quod sacramenta naturalis legis non ex præcepto indicta videntur, sed ex consilio ad votum proposita; sacramenta vero scriptæ legis et gratiæ necessitatem quamdam executionis inducere propterea quod non ex consilio tantum, sed ex præcepto esse instituta noscuntur." Ibid. c. 4. et 5. Lege totum c. 6. egregium.

quamque sequuntur Scotus, Cano, Suarez, de Lugo et alii, affirmat signum aliquod sacramentale fuisse tunc statutum a Deo ut infantes justificari ac morti æternæ subtrahi potuissent. Institutio autem hujus signi intelligitur facta a Deo primitus per internam saltem inspirationem, aliis deinde traditione manifestatam: signi non ab ipso Deo in specie determinati, sed in genere; ita ut cæremonia, seu actio sensibilis ad significandum imposita, ex hominum arbitrio ad certum actionis modum definiretur, et esset vel precatio quædam, vel benedictio, vel oblatio infantis facta Deo, vel aliquid id genus.

Hanc tertiam sententiam amplectimur, eamque asserimus in secunda parte thesis propositæ.

Probatur 1. *Auctoritate S. Augustini*, qui in locis jam citatis remedium quo in lege naturæ parvuli originis labem evadere poterant, sine dubio fuisse sacramentum adstruit.

2. *Rationibus theologicis.* Nam *a*) oportebat ut illud remedium pro parvulis quo cultui divino consecrari debebant, esset genus aliquod cultus debitum Deo, hominique magis accommodatum. Hoc autem non interior tantum cultus est, sed etiam exterior; quare oportuit consecrare parvulos Deo per sensibilem actionem, seu per externum signum sanctificans, idest per sacramentum. *b*) Hominibus non solum necessaria est ad salutem fides, sed etiam professio fidei: utrumque igitur eo modo cujus infantes erant capaces, ab ipsis requirebatur; quapropter utrumque pro ipsis et circa ipsos exerceri debebat, fides nempe et signum sensibile quo manifestaretur: et hoc signum, cum valeret eis ad remissionem originalis culpæ et ad sanctificationem, sacramentum erat pro tempore legis naturæ. *c*) Per illud remedium quod applicabatur infanti, hic populo Dei adjungebatur et Ecclesiæ visibili: remedium ergo quo illud novum membrum corpori visibili uniebatur, visibile debebat esse, seu sacramentum. Etenim constare debebat Ecclesiæ, unionem istam fuisse peractam, et remedium ad salutem parvuli certe fuisse adhibitum, ne semper inutiliter repeteretur; quod tamen constare non poterat si ad liberandum parvulum a culpa originis nullum signum externum, quod sacramentum esset, requirebatur.[1] His rationibus aliam addit, non minoris ponderis, Cardinalis de Lugo. "Me maxime movet," ipse ait, "quod si sufficeret fides interna, non video cur non

[1] Confer Suarez, in 3. p. q. 61. a. 3. disp. 4. sect. 2. n. 5.

posset illud remedium applicari parvulis absentibus, cum actio interna non indigeat propinquitate sui objecti, ut feratur in illud; unde posset unus homo quotidie applicare suam fidem omnibus parvulis totius orbis et eos omnes justificare, quia, ut postea videbimus, non soli parentes hoc remedium poterant valide adhibere, saltem in casu necessitatis; quare potuisset quilibet applicare suam fidem pro omnibus parvulis existentibus in casu necessitatis, et illos omnes liberare ab originali, ita ut nullus unquam periret ex defectu remedii: imo nec video cur non posset prodesse existentibus in utero, nam sicut distantia, vel interpositio parietis non impediret efficaciam illius remedii mere intentionalis; sic nec interpositio uteri materni. Hæc autem omnia videntur manifeste absurda, nec ab auctoribus contrariæ sententiæ conceduntur." [1]

3. *Ex doctrina Angelici.* Et certe S. Thomas in 3. p. q. 61. a. 3. cum quærat, "utrum post peccatum ante Christum sacramenta debuerint esse," respondet, nulla facta distinctione temporum: "Dicendum quod sacramenta necessaria sunt ad humanam salutem, in quantum sunt quædam sensibilia signa invisibilium rerum quibus homo sanctificatur. Nullus autem sanctificari potest post peccatum, nisi per Christum. . . . Et ideo oportebat ante Christi adventum esse quædam signa visibilia, quibus homo fidem suam protestaretur de futuro Salvatoris adventu. Et hujusmodi signa dicuntur sacramenta." Ibidem, in responsione ad 2., comparat sacramenta quæ fuerunt in lege veteri cum illis quæ fuerant ante legem, et ait: illa, idest legis scriptæ, "comparantur ad sacramenta quæ fuerunt ante legem, sicut determinatum ad indeterminatum, quia scilicet ante legem non fuit determinate præfixum homini quibus sacramentis uteretur, sicut fuit per legem." Et in q. 70. a. 2. ad 1. inquit: "Immediate post peccatum primi parentis, propter doctrinam ipsius Adæ, qui plene instructus fuerat de divinis, adhuc fides et ratio naturalis in tantum vigebat in homine, quod non oportebat determinari hominibus aliqua signa fidei et salutis; sed unusquisque pro suo libito fidem suam aliquibus signis protestabatur."

Nec objiciatur, S. Thomam in 4. sent. dist. 1. q. 2. a. 6. docuisse in statu legis naturæ interiorem parentum fidem, sine ullo signo externo, ad salutem parvulorum suffecisse.[2] Ibi non *signum quodcumque exter-*

---

[1] De Lugo, De sacramentis, disp. 3. sect. 2. n. 30.

[2] Hæc sunt ejus verba: "Alii probabilius dicunt, quod parvulis sufficiebat sola

num negat, sed *signum ab ipso Deo determinatum.* Profecto Sanctus Doctor in eodem libro, in eadem quæstione, a. 1. solutione 1., ait: "Circumcisio primo et principaliter necessaria fuit ad expressiorem significationem, quam sacramenta præcedentia fuissent." Eodem loco, in responsione ad 1. dicit: "Has utilitates habuit Circumcisio præ sacramentis legis naturæ; et ideo post illa institui debuit." Deinde, articulo 3., solutione 1. ad 1., prosequitur: "remedium quod præcessit Circumcisionem computatur simpliciter inter sacramenta legis naturæ, quæ non habebant tantam determinationem secundum Hugonem de Sancto Victore (l. 1. de sacram.), quantam habent sacramenta legis scriptæ, ad quam quodammodo pertinet Cicumcisio." Demum, ad excludendam omnem possibilem dubitationem, in articulo 2. quæstionis 1. quæstiuncula 3., ubi rem præsentem ex professo tractat, S. Thomas hanc sibi objectionem proposuerat, secundo loco: "Sacramenta, quando instituta sunt, necessaria sunt ad salutem, ut patet Joan. III. 5.: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.* Sed ea quæ ante legem scriptam videntur esse sacramenta erant voto celebrata, et non necessitate, ut Hugo de sancto Victore dicit (lib. de Sacr., part. 10. cap. 3. 4. 5.). Ergo non erant sacramenta, et per consequens nec necessaria." Et respondet: "Ad secundum dicendum, quod ante legem scriptam erant quædam sacramenta necessitatis, sicut illud fidei sacramentum quod ordinabatur ad deletionem originalis peccati; et similiter pœnitentia, quæ ordinabatur ad deletionem actualis; et similiter matrimonium, quod ordinabatur ad multiplicationem humani generis. Sed sacrificia et oblationes et hujusmodi erant necessitatis in communi, ut scilicet aliquid facerent in protestationem fidei suæ, qua Deo per latriæ religionem subjecti erant; sed in speciali erant voluntatis, utrum scilicet deberent sacrificia exhibere, vel oblationes, vel aliquid hujusmodi."[1]

Habes ex modo dictis unde solutionem petas alius præcipuæ difficultatis.

S. Gregorius Magnus, Beda, S. Bernardus dicunt parvulis profecisse

---

fides sine omni exteriori signo; non autem habitus fidei solum, sed motus ejus relatus ad salutem pueri in vi cujusdam professionis interioris fidei." In 4. sent. disp. 1. q. 2. a. 6. solut. 2.

[1] Similiter in q. 4. *de Malo*, a. 8. ad 12., ait: "Fides ergo antiquorum cum aliqua protestatione fidei valebat parvulis ad salutem."

et suffecisse solam parentum fidem aut aliorum: sed nomine fidei comprehendunt externam ejusdem fidei professionem. Cum distinguunt parvulos ab adultis, et aiunt illis *solam fidem* satis fuisse, hos autem sacrificiis fuisse mundatos, intelligunt ad salutem parvulorum tunc necessaria omnino non fuisse sacrificia, sed utique *fidei professionem,* factam per actum externum, qui significaret futurum Liberatorem, et ratione objecti crediti valeret ad sanctificationem.

Alia difficultas contra sententiam quam defendimus exurgit ex determinatione signi quam dicimus fuisse tunc factam in ultima specie secundum hominis placitum, non secundum præscriptum Dei. Etenim, remedium eo facilius et generalius est quo minorem habet determinationem: si ergo minus determinatum signum statuit Deus in lege naturæ, quo salvarentur parvuli, ac nunc in lege gratiæ; sequeretur meliorem fuisse parvulorum conditionem relate ad salutem, in lege naturæ, quam in lege gratiæ: id autem admitti nequit.

Solvitur objectio, negando remedium illud in lege naturæ majori facilitate, et universalitate applicari potuisse. Nam, etsi nunc ritus ad parvulorum regenerationem determinatus sit et omnino necessarius, tamen remedium istud rem requirit omnibus obviam; et cum notius sit omnibus, facilius applicari potest quam olim posset remedium legis naturæ.

Ad complementum doctrinæ dicimus, sacramentum quod fuit pro parvulis in lege naturæ ante Circumcisionis institutionem, perseverasse pro omnibus populis usque ad sufficientem promulgationem legis Christi. In gente Judaica similiter permansisse videtur usque ad legem Evangelicam, pro feminis quæ Circumcisionem non poterant accipere, et probabiliter pro pueris qui circumcidi non poterant et in mortis periculo versabantur.

Et hæc de parvulis. Quoad adultos, utrum etiam ad eorum utilitatem et salutem, tempore legis naturæ, sacramenta instituta fuerint ignotum est. Attamen S. Thomas videtur in affirmantem sententiam concessisse. In 4. sent. disp. 1. q. 1. a. 2. sol. 3. in corp. et ad 2., agnoscit signum aliquod pœnitentiæ quo uterentur adulti contra peccata actualia; et matrimonium inter sacramenta illius ætatis commemorat. Insuper in Summa Th. 3. p. q. 65. a. 1. ad 7., "oblationes," ait, "et decimæ

erant tam in lege naturæ, quam in lege Moysis ordinatæ . . . in figuram ; et ideo erant sacramenta."

THESIS III.

Veram sacramenti rationem habuit Circumcisio, quæ ex divina institutione descendentes ex Abrahamo consignabat Dei cultui, Christianorum baptisma præfigurabat, et remedium erat quo originale peccatum masculini sexus infantibus remittebatur. Præter Circumcisionem, extiterunt etiam alia sacramenta in Lege Veteri, scilicet esus agni paschalis et panum propositionum, figura Eucharistiæ,—purificationes et expiationes, figura Pœnitentiæ,—consecratio Sacerdotum, figura Ordinis sacri.

Duas partes prorsus distinctas complectitur thesis, sed quæ merito simul conjunguntur ; nam etsi Circumcisio instituta fuerit a Deo ante Legem Mosaicam et Abrahamo primitus data,[1] tamen in illa Lege perseveravit,[2] et, inter ritus V. T. sollicite custodita, signum fuit quo Judæi distinguerentur ab aliis gentibus.

Partes thesis seorsum probabimus ; et de prima, quæ spectat Circumcisionem, dicere exordientes, ostendimus tria—1. nempe, Circumcisionem fuisse signum fœderis inter Deum et Abraham cum posteris suis ; quibus Deus, tamquam populo specialiter electo ad verum cultum custodiendum, singularem promittebat benevolentiam et protectionem. —2. Significasse futurum baptisma, et spiritualem Circumcisionem per Christum venturum.—3. Remedium fuisse quo infantibus Hebræorum masculini sexus originale peccatum remissum erat.—Hæc cum probaverimus, nullo negotio concludendum erit, Circumcisionem veri sacramenti rationem habuisse, id est signi sacri a Deo ad sanctificationem instituti. Et bene notetur, ex tribus quæ demonstrare proposuimus, duo tantum priora satis esse ad hanc conclusionem stabiliendam ; nam, etsi illud tertium modo propositum non probaretur, nempe Circumcisionem remedium fuisse parvulis Hebræorum ad remissionem culpæ originalis ; semper tamen verum esset Circumcisionem institutam fuisse a Deo ut sacramentum, cum constaret eam et significasse rem sacram, seu futurum baptismum ac spiritalem Circumcisionem ; et quamdam

---

1) Gen. XVII. 10. 2) Levit. XII. 3..

saltem contulisse sanctitatem homines Dei cultui consecrando. Quare veteres doctores scholastici et theologi posteriores fatentur omnes Circumcisionem fuisse sacramentum, quamvis non omnes concordes sint in admittenda peccati originalis remissione in V. T. per infantis Circumcisionem.

Sit ergo probatio primi enunciati, ex ipsa Circumcisionis institutione. In Libro Genesis (XVII. 7. et seqq.) legimus: "Et statuam pactum meum inter me et te [dixit Deus ad Abraham], et inter semen tuum post te in generationibus suis, fœdere sempiterno, ut sim Deus tuus, et seminis tui post te. . . . Et tu ergo custodies pactum meum, et semen tuum post te in generationibus suis. Hoc est pactum meum quod observabitis inter me et vos, et semen tuum post te: Circumcidetur ex vobis omne masculinum: et circumcidetis carnem præputii vestri, ut sit in signum fœderis inter me et vos. Infans octo dierum circumcidetur in vobis, omne masculinum in generationibus vestris: tam vernaculus quam emptitius circumcidetur, et quicumque non fuerit de stirpe vestra: eritque pactum meum in carne vestra in fœdus æternum. Masculus, cujus præputii caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illa de populo suo: quia pactum meum irritum fecit."

Ex his verbis, manifeste apparet:—ritum Circumcisionis fuisse signum fœderis inter Deum et posteros Abrahæ,—*hoc est pactum meum inter me et te, et inter semen tuum post te in generationibus suis*:—Deum eis promisisse vi istius fœderis specialem benevolentiam et protectionem,—*ut sim Deus tuus, et seminis tui post te*:—et vicissim per Circumcisionem Israelitas in unum populum electum a Deo coaluisse, cultui veri Dei se mancipasse et fidem Abrahæ professos esse,—*et tu ergo custodies pactum meum, et semen tuum post te in generationibus suis.*[1]

Apostolus pluribus in locis veritatem hanc ut notissimam supponit, ita ut ex ea, tamquam ab omnibus admissa, ratiocinetur. Valeat ad exemplum sequens testimonium desumptum ex Ep. ad Romanos, c. II. a v. 25. ad finem: "Circumcisio quidem prodest," ait S. Paulus, "si legem observes: si autem prævaricator legis sis, Circumcisio tua præputium facta est. Si igitur præputium justitias legis custodiat, nonne præpu-

---

1) "Vos eritis mihi in regnum sacerdotale et gens sancta." Exodi XIX. 6.—"Populus sanctus es Domino Deo tuo. Te elegit Dominus Deus tuus, ut sis ei populus peculiaris de cunctis populis, qui sunt super terram." Deut. VII. 6.—Ad hunc populum nemo admittebatur, nisi per Circumcisionem.

tium illius in Circumcisionem reputabitur? Et judicabit id quod ex natura est præputium, legem consummans, te, qui per litteram et Circumcisionem prævaricator legis es? Non enim, qui in manifesto, Judæus est; neque quæ in manifesto, in carne, est Circumcisio: sed qui in abscondito, Judæus est; et Circumcisio cordis in spiritu, non littera; cujus laus non ex hominibus sed ex Deo est."—Reprimit hic Apostolus arrogantiam Judæorum qui de sua Circumcisione gloriabantur, et Gentiles, non circumcisos, quos *præputium* vocabant, detestabantur. Utique, ait, Circumcisio prodest, est enim signum distinctivum populi electi, qui verum Deum colit, et verum cultum observat;[1] sed eis tantum prodest qui legem custodiunt, quam observare tenentur ratione ejusdem signi:[2] ideoque, si circumcisus es Judæus, et tamen legem violas, perinde es ac si incircumcisus Gentilis esses. Et contra, si Gentilis legem observet, justa opera exercendo, apud Deum reputabitur ut circumcisus, quia nimirum rem Circumcisione significatam exhibet opere, et corde est circumcisus, licet non carne.

Stat igitur, ex Scripturis, primum illud quod probandum assumpsimus, nempe Circumcisionem fuisse signum religiosum, conferens posteris Abrahæ externam et legalem saltem sanctificationem.

Quod secundo loco probandum erat nobis, nempe Circumcisionem carnis apud Judæos præfigurasse baptismum, similiter eruitur ex Scripturis.

Etenim in Ep. ad Colossenses II. 11–12. legimus: "Circumcisi estis Circumcisione non manu facta in expoliatione corporis carnis, sed in Circumcisione Christi; consepulti ei in baptismo." Opponit igitur S. Paulus Circumcisionem spiritualem, quæ fit in N. T. per baptismum, Circumcisioni corporali quæ præcipiebatur in V. L. Age jam, oppositione ista ostendit, Circumcisionem se habuisse ad baptismum sicut figuram ad figuratum, et in carne repræsentasse (ut postulabat œconomia Legis, quæ *pædagogus* Judæorum erat in Christo[3]) Circumcisionem in anima per Christum futuram, quæ non carnem tantum demeret, instrumentum peccati, sed peccatum ipsum præcideret.

---

1) "Quorum adoptio est filiorum, et gloria et testamentum, et legislatio, et obsequium et promissa: quorum Patres, et ex quibus est Christus secundum carnem." Ad Rom. IX. 4–5.

2) "Testificor autem rursus omni homini circumcidenti se quoniam debitor est universæ legis faciendæ." Ad Gal. V. 3.

3) Ad Gal. III. 24.

Quæ figuralis repræsentatio baptismi facta in Circumcisione, clarescit etiam ex eo quod sicut nunc in baptismo profitemur fidem et adjungimur fidelium cœtui, tunc Circumcisione Hebræi confitebantur fidem, et ad populum Dei aggregabantur:—sicut nunc baptismus, qui est sacramentum fidei, signat in anima Christianos, tunc Circumcisio, signaculum fidei,[1] obsignabat Judæos in membro carnis.

Idipsum docemur auctoritate Patrum. Et quidem S. Augustinus, non uno in loco, uti rem certam declarat Circumcisionem fuisse signum baptismatis et regenerationis. "Circumcisio quippe," ait,[2] "fuit illius temporis sacramentum quod præfigurabat nostri temporis baptismum." Et adversus Julianum,[3] "sacramentum Circumcisionis," inquit, "in figura præcessisse baptismatis, quis vel mediocriter sacris litteris eruditus ignoret, cum apertissime de Christo dicat Apostolus, *Qui est caput principatus et potestatis, in quo etiam circumcisi estis Circumcisione non manufacta, in expoliatione corporis carnis*. . . . . Hujus ergo Circumcisionis non manufactæ, quæ nunc fit in Christo, similitudo præmissa est illa Circumcisio manufacta quæ data est Abrahæ."[4]

Hæc doctrina tam nota erat et sine dubitatione apud omnes admissa, ut S. Optatus Milevitanus, in controversiis cum Donatistis, ex repræsentatione baptismatis facta in Circumcisione eos revinceret. "De Circumcisione Judaica," scribit,[5] "quasi fundamentum jactare voluisti, quod baptisma Christianorum in Hebræorum Circumcisione fuerat adumbratum: defendisti Catholicam [veritatem] dum impugnas.... Circumcisio autem ante adventum baptismatis in figura præmissa est, et a te tractatum est apud Christianos duas esse aquas: ergo et apud Judæos duas Circumcisiones ostende, alteram meliorem, pejorem alteram. Hoc si quæras, non poteris invenire. Abrahæ prosapia, qua Judæi censentur, hoc sigillo se insigniri gloriantur: ergo talis debet veritas sequi, qualis ejus imago præmissa est. Nam et Deus, qui voluit ostendere rem singularem post esse debere insequente veritate, non de auricula, non de digito voluit aliquid tolli; sed ea pars corporis electa est, unde

---

1) Ad Rom. IV. 11.

2) L. 2. de anima, c. 11. n. 15.

3) Contra Julianum l. 6. c. 7. n. 18.

4) Confer S. Aug. de nupt. et concup. l. 2. c. 11. n. 24.—Contra Faustum l. 19. c. 9.—De peccato originali c. 30. n. 35.—De Civ. Dei, l. 16. c. 27.; et alia loca mox citanda.

5) De schismate Donatistarum, l. 5. c. 1.

peritomen semel ablatum salutare in illis faceret signum, quod non potest iterum fieri."

Jam duobus fere sæculis ante S. Augustinum, alterum Ecclesiæ Africanæ lumen, S. Cyprianus, nomine Patrum Concilii Carthaginensis tertii sub eo coacti, dixerat: "Quod in judaica Circumcisione carnali octavus dies observabatur, sacramentum est, in umbra atque in imagine ante præmissum, sed veniente Christo veritate completum. Nam qui octavus dies, idest post sabbatum primus dies, futurus erat quo Dominus resurgeret, et nos vivificaret et Circumcisionem nobis spiritalem daret; hic dies octavus, id est, post sabbatum primus et Dominicus præcessit in imagine." [1]

Cum jam citatis concinunt et alii Latini Patres.[2]

Ad Græcos quod attinet satis sit aliquos in exemplum subjicere.

Justinus, cum Tryphone disputans, inquit: "Præceptum illud Circumcisionis ut infantes octava die omnino circumcidantur, figura erat veræ Circumcisionis, qua ab errore et nequitia per eum qui a mortuis resurrexit una sabbatorum die Jesum Christum Dominum nostrum circumcisi sumus." [3]

Origenes præclara hæc habet: "Requirere volo si omnipotens Deus, qui cæli ac terræ dominatum tenet, volens testamentum ponere cum viro sancto, in hoc summam tanti negotii collocabat, ut præputium carnis ejus ac futuræ ex eo sobolis circumcideretur. *Erit enim,* inquit, *testamentum meum super carnem tuam.* Hoccine erat quod cæli ac terræ Dominus ei, quem e cunctis mortalibus solum delegerat, æterni testamenti munere conferebat? . . . Nos ergo imbuti per Apostolum Paulum dicimus quia sicut multa alia in figura et imagine futuræ veritatis fiebant, ita et Circumcisio illa carnalis Circumcisionis spiritualis formam gerebat. De qua et dignum erat, et decebat Deum Majestatis præcepta mortalibus dare." [4]

S. Epiphanius dicit: "Lex Christum nuntiabat idcirco venientem, ut legem libertatis afferret, et Circumcisio carnis non amplius tempore Christi locum haberet. Venit enim per Christum vera, cujus illa figu-

---

1) Ep. 59. ad Fidum, Migne P. L. t. 3. p. 1053.

2) V. S. Ambr. l. 2. in Luc. n. 56.—S. Zenonis Veronensis l. 1. tract. 13. c. 11.—Ven. Bedæ, in Gen. c. XVIII.

3) In dialogo cum Tryphone n. 41.

4) In Genesim hom. 3. n. 4.

ram expressit. . . . . Est igitur bona quidem lex, bonaque Circumcisio: per quas Christum Christique perfectiorem legem ac Circumcisionem cognovimus." [1]

Demum S. Cyrillus Alexandrinus Circumcisionis significationem sic declarat: "Quid autem hic lateat arcani, denuo dispiciamus. Beatus ait Paulus: *Circumcisio nihil est et præputium nihil est* (I. Cor. VII. 19.). Ergone rem, quæ nulla est observari omnium Deus per sapientissimum Moysen mandavit, pœna transgressoribus simul indicta? Aio enimvero. Nam Circumcisio, si rei ipsius natura spectetur, nihil omnino est; sed mysterii typum continet. Namque octava hebdomadæ die et resurrexit Christus a mortuis, et spiritualem nobis fecit Circumcisionem. Præcepit enim sanctis Apostolis, *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti* (Matth. XXVIII. 19.). Fieri vero dicimus spiritalem Circumcisionem tempore potissimum sancti baptismi, quo nimirum participes nos efficit Christus Sancti Spiritus." [2]

Gradum facimus ad probandum quod tertio loco proposuimus, scilicet Circumcisionem fuisse parvulis Judæorum masculini sexus medium quo ab originali labe mundari poterant et justificari. Adversarios habemus Vasquez, Bellarminum, Tournely, et alios: sed quam tuemur sententiam Scholastici doctores tali consensione secuti sunt, ut visum fuerit Suaresio eam non sine aliqua temeritate negari posse.

Profecto Sacrarum Scripturarum extant loca quæ, primo intuitu, difficultatem ingerere possent: at ea, ut patebit inferius, facile explicantur; cum peccatum originale remissum in Circumcisione fuisse non negent, sed solum id effectum fuisse propria Circumcisionis efficacitate et operis ipsius virtute. Ex alia vero parte, verba quibus Deus ejusdem Circumcisionis mandatum dederat aperte ostendunt fuisse eam in remedium etiam adversus peccatum originis institutam.

Etenim, legitur Gen. XVII. 14.: "Masculus, cujus præputii caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illa de populo suo: quia pactum meum irritum fecit."

---

[1] Adversus hæreses l. 1. tom. 3. Hæres. 42. refut. 8. Migne P. G. t. 40. p. 778.

[2] In Lucam II. 22.—V. etiam in Joan. Evangelium l. 4. c. 7.—et contra Julianum l. 10. (ed. Migne. P. G. t. 76. p. 1046.).

Confer S. Joan. Chrys. Hom. 39. in cap. 17. Gen. n. 5.—S. Irenæi, Contra hæreses l. 4. c. 16.—S. Andreæ Cretensis, in Circum. Domini, Orat. 6.—S. Joan. Damasceni, De fide orthodoxa l. 4. c. 25.

Ex quo loco, ita arguimus. Hæc verba docent tenellos Judæorum pueros in Circumcisione mundatos fuisse a culpa originis. Ergo Circumcisio instituta etiam fuit in remedium contra peccatum originale.

Consecutio patet, nam si in Circumcisione pueruli illi ab originali labe liberati fuerant,—de modo autem quo id factum fuerit hic non quærimus,—Circumcisio erat contra originalem culpam remedium quod pro ipsis Deus instituerat in salutem.

Antecedens constat, quia textus sacer *a*) parvulos respicit, *b*) eos, si mundati non fuerint Circumcisione, pronuntiat exclusos a beatitudine, *c*) hujus exclusionis causam dicit esse peccatum quod commiserant in Adamo. Hanc triplicem assumptionem probamus per partes.

1. Testimonium Genesis jam citatum illos parvulos spectat; nam verba universalia sunt: *masculus cujus, etc.*; et in contextu agitur etiam de pueris circumcidendis: v. 12. *Infans octo dierum circumcidetur in vobis.*—Et hic diligenter adnotari debet, sensum istum erui etiamsi lectio Vulgatæ teneatur, quæ invenitur in Codicibus Hebraicis, in versione tum Syriaca, tum Arabica, et in paraphrasi Chaldaica:[1] verum, si oculos vertimus ad versiones alias antiquissimas, idem sensus tam clarus evadet ut omnem prorsus excludat dubitationem. Græca LXX Interpretum expressim reddit: "Masculus qui non fuerit circumcisus *octavo die.*"[2] An voculæ illæ *octavo die* per errorem in versionem LXX Interpretum irrepsisse dicendæ sunt? Nonne appositæ fue-

---

[1] Gen. XVII. 14. *Textus Hebraicus:*

וערל זכר אשר לא־ימול את־בשר ערלתו
ונכרתה הנפש ההוא מעמיה את־בריתי הפר

Et præputiatus masculus, cum non circumcidetur caro præputii ejus, et excidetur anima illa de populis suis: fœdus meum fregit.

Versio Syriaca: Et præputiatus masculus cujus præputii caro minime circumcidetur, peribit anima illa de populo suo: fœdus *enim* meum irritum fecit.

Versio Arabica: Et si cujus præputium habentis ex masculis, non circumcisum fuerit præputium de corpore ipsius, abscindetur talis anima a gente sua, eo quod jam violaverit pactum meum.

Paraph. Chald. (Targum Onkelos): Et masculus habens præputium, qui non circumciderit carnem præputii sui, peribit homo ille de populo suo: quoniam pactum meum irritum fecit.

[2] *Καὶ ἀπερίτμητος ἄρσην, ὃς οὐ περιτμηθήσεται τὴν σάρκα τῆς ἀκροβυστίας αὐτοῦ τῇ ἡμέρᾳ τῇ ὀγδόῃ, ἐξολοθρευθήσεται ἡ ψυχὴ ἐκείνη ἐκ τοῦ γένους αὐτῆς· ὅτι τὴν διαθήκην μου διεσκέδασεν.*

Et qui non fuerit circumcisus, masculus qui non circumcidetur carnem præputii sui octavo die, interibit anima illa de genere suo; quia testamentum meum dissipavit.

runt ut referrent traditionalem citati testimonii intelligentiam apud Hebræos, et absque ulla ambiguitate exprimerent sensum Hebraici textus? De hac Græca versione, quam usu suo consecrarunt Apostoli, et Patres omnes laudaverunt, ipse Bellarminus aiebat: "Certissimum esse debet LXX Interpretes optime transtulisse, et peculiari modo Spiritum Sanctum assistentem habuisse, ne qua in re errarent, ut non tam interpretes, quam prophetæ fuisse videantur."[1] Insuper, in Pentateucho Samaritano, longe ante Christum natum exarato, simili, ne dicerem etiam clariori sententia, habemus: "cujus non circumcisa fuerit caro præputii sui in die octavo."[2] Demum, in Ecclesia occidentali eadem lectio, absque ulla controversia, obtinuit quarto et quinto sæculis, nam eam adhibuit S. Ambrosius,[3] eamdemque contra hostes versutissimos, Pelagianos nempe, quos impugnabat, inculcavit S. Au-

[1] Bellarm. de Controv. christ. fidei t. 1. l. 2. c. 6.

[2] Textus Hebræo-Samaritanus: "Præputium autem masculi, cujus non circumcisa fuerit caro præputii sui in die octavo, istius exterminabitur anima de populis suis: fœdus meum fregit."

[3] De Abraham, l. 2. n. 83.—Hic abs re non erit adnotasse, latinam versionem ab ipso fere ævo apostolico adornatam fuisse ex ea V. Testamenti a septuaginta interpretibus confecta, et ex græco textu N. Testamenti. Hæc latina versio, quam S. Hieronymus *communem* et *vulgatam* appellavit, S. Augustinus *Italam*, S. Gregorius M. aliique *veterem*, primatum semper obtinuit in Ecclesia, donec S. Hieronymus, ex hebraico fonte libris V. T. in latinum sermonem translatis, aliam versionem Bibliorum Ecclesiæ dederit; quæ primo *vulgatæ novæ* denominationem nacta est, habita comparatione *veteris vulgatæ*, nempe *Italæ*, deinde communiter latinæ Ecclesiæ in usu fuit et ipsa *vetus* evasit.

Editio vulgata latina, quam Concilium Tridentinum (sess. 4. Decreto de Canonicis Scripturis) approbavit, maxima ex parte constat versione Hieronymiana, et libris illis quos sanctus Hieronymus saltem recensuit et castigavit. Approbatio autem Tridentini hæc fuit: "Insuper eadem sacrosancta Synodus considerans non parum utilitatis accedere posse Ecclesiæ Dei, si ex omnibus latinis editionibus, quænam pro authentica habenda sit, innotescat; statuit, et declarat, ut hæc ipsa vetus et vulgata editio, quæ longo tot sæculorum usu in ipsa Ecclesia probata est, in publicis lectionibus, disputationibus, prædicationibus, et expositionibus pro authentica habeatur; et ut nemo illam rejicere quovis prætextu audeat, vel præsumat."

Tridentina ergo Synodus vulgatam editionem *ex omnibus latinis* editionibus quæ circumferebantur *authenticam* declaravit, ideoque sub anathematis pœna statuit, "libros integros cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia Catholica legi consueverunt et in veteri vulgata latina editione habentur, pro sacris et canonicis esse suscipiendos." Sed non fuit hæc mens Synodi ut vulgatam editionem super textus hebraicum et græcum efferret, aut alias antiquas versiones rejiceret, aut impediret quominus quæ in eis leguntur attendantur ad pleniorem sensus intelligentiam.—V. Pallavicini, Storia del Conc. di Trento. l. 6. c. 17.

Decretum Tridentini renovavit Concilium Vaticanum, Constit. dogm. de fide catholica, c. 2.

gustinus.[1] Imo, sæculo VIII., Ven. Beda verba Genesis, de quibus loquimur, eodem pene modo, citat: "Qui non circumcidetur octava die, peribit anima illa, quia pactum meum irritum fecit." [2]

Ceterum, (et id repetimus ne locus sit evasioni, qua defensores adversæ sententiæ utuntur ad enervandam S. Augustini auctoritatem in præsenti re[3]) interpretatio, juxta quam versus 14. cap. XVII. Genesis complectitur parvulos recenter natos, non innititur solo illo commate "*octavo die*," sed firma manet, etiamsi dematur, et textus ut in vulgata legitur retineatur.

2. In eodem textu, comminatio apposita, "*delebitur anima ejus de populo suo*" significat, parvulum non circumcisum ab æterna vita exclusum iri, ideoque significat eum per Circumcisionem, remedium afferentem peccato originis, quod unum ei cælorum aditum præcludebat, potuisse cælorum ingredi beatitatem. Aliis verbis, sensus illius comminationis est, qui non susceperit Circumcisionem, in originalis culpæ remedium institutam, evadere damnationem numquam poterit. Etenim, quicumque dicatur esse sensus immediatus hebraicæ phrasis "*perire de populo suo*," quæ usurpatur ad significandam vel mortem temporalem, vel excisionem a populo Dei; hic sensus, saltem mediatus, ejusdem phrasis est de morte spirituali animæ, in qua propter originalem culpam manet incircumcisus, ac de comminatione æternæ mortis a Deo facta incircumciso.

Et re quidem vera, sicut nuper demonstratum fuit, et admittitur ab adversariis, Circumcisio, data in signum, demonstrabat necessariam ad salutem consequendam fuisse expiationem peccati originalis meritis futuri Redemptoris; simulque circumcisum inserebat populo Dei, seu illis quibuscum Deus fœdus inierat, quibus divinas promissiones de futuro humani generis Reparatore custodiendas committebat, quique per illius merita liberari a peccato sperabant, et a morte æterna. Qui ergo, juxta Dei mandatum, ad hæc significanda, signum gestare debuissent Circumcisionis, et eo carebant, re ipsa ad populum a Deo electum pertinere non censebantur, sed existimandi erant quasi necessariam non

---

1) De nuptiis et concup. l. 2. c. 11.

2) In pentateuchum comm. Gen. XVII. ed. Migne P. L. t. 91. p. 237.

3) Bellarminus, de controv. fidei, t. 3. l. 2. c. 17. ait: "Ob illa duo verba, *in die octavo*, S. Augustinus coactus est hunc locum exponere de parvulis. . . . At si remo-

agnoscentes pro peccatis omnium hominum Redemptionem futuram, nec fidem in Christum habentes, nec multo minus in eo sperantes; ac proinde, dum in illo statu manebant, liberari ab originali labe non poterant et salvari. Paucis, incircumcisus puer morte æterna peribat, quia adhuc labe originis inquinabatur: hac autem inquinabatur adhuc, quia, ut ab ea mundaretur, Christo Salvatori conjungi debebat per Circumcisionem, et Circumcisione carebat. Constat ergo sensum comminationis "*delebitur anima ejus de populo suo*" esse puerum qui non susceperit Circumcisionem, in remedium peccati originalis institutam, damnationem evadere non potuisse.

3. Ultima pars textus rationem reddit comminationis ibidem denunciatæ de æterna ruina parvuli qui signaculo careret Circumcisionis. *Peribit, quia pactum meum irritum fecit;* et juxta textum hebraicum aut alias versiones, omnes eumdem omnino sensum transferentes, quia *fœdus meum, testamentum meum violavit.* Utique, illud minime violavit parvulus octo dierum incircumcisus *actione sua personali libera,* sed *actione aliorum* qui pro ipso servare pactum, et conditionem testamento appositam implere debebant, nempe Circumcisionem. Cum parvulum non circumciderint, *in eo incircumciso* verificata non fuit conditio requisita, et ideo parvulus ille partem non habebit in testamento Dei ad salutem posterorum Abrahæ. Obligatio fœderis cum eis a Deo initi violata fuit ex parte parvuli, in quo Deus non vidit signum Circumcisionis, quod statuerat; et ideo irritum factum est fœdus, et fœderis benedictiones super puerum incircumcisum non descendent. At, si incircumcisus parvulus a divino fœdere et a testamento Dei excludebatur, eo ipso manebat ut per naturalem generationem natus erat ex Adamo, peccato originali infectus, atque, hujus peccati causa, violator fiebat alterius fœderis quod Deus cum protoparente sanxerat initio mundi.

Ergo, *immediate et proxime violatum fuit in parvulo fœdus quod cum Abrahamo Deus inierat; mediate vero et remote illud aliud quod Deus statuerat cum Adamo: propter violationem pacti cum Abrahamo initi,*

---

veamus a textu duo illa verba '*in die octavo,*' ut vere removenda sunt, totum argumentum concidet."

parvulus incircumcisus a promissionibus Abrahæ factis; propter violationem pacti cum Adamo firmati, a regno cælorum excluditur, et sic peribit.[1]

Quod Circumcisionis sacramentum fuerit divinitus institutum ad delendum originale peccatum, et quod verba Geneseos quæ perpendimus id ostendant, probatur ulterius auctoritate Patrum.

Sæculo IV., S. Ambrosius (de Abraham l. 2. c. 11. n. 81) inquit: "Egregie autem infantiæ in primis vagitibus circumcidi mares lex jubet, etiam vernaculos: quia sicut ab infantia peccatum, ita ab infantia

---

[1] Præstat hic subjicere verba S. Augustini, qui dum intelligit *pactum*, de quo agimus, pro illo cum primo parente a Deo inito, non renuit interpretationem aliam quæ tenet nomine *pacti* fuisse *immediate* significatum fœdus quod Deus cum Abrahamo constituerat.

En textus S. Doctoris:

"Item potest movere, quomodo intelligi oporteat quod hic dictum est, *Masculus qui non circumcidetur carnem præputii sui octavo die, interibit anima illa de genere ejus, quia testamentum meum dissipavit:* cum hæc nulla culpa sit parvuli, cujus dixit animam perituram; nec ipse dissipaverit testamentum Dei, sed majores qui eum circumcidere non curarunt: nisi quia etiam parvuli, non secundum suæ vitæ proprietatem, sed secundum communem generis humani originem, omnes in illo uno testamentum Dei dissipaverunt, in quo omnes peccaverunt. Multa quippe appellantur testamenta Dei, exceptis illis duobus magnis, vetere et novo, quod licet cuique legendo cognoscere. Testamentum autem primum, quod factum est ad hominem primum, profecto illud est: *Qua die ederitis, morte moriemini.* Unde scriptum est in libro, qui Ecclesiasticus appellatur, *Omnis caro sicut vestis veterascit. Testamentum enim a sæculo, Morte morieris.* Cum enim lex evidentior postea data sit, et dicat Apostolus, *Ubi autem non est lex, nec prævaricatio,* quo pacto quod legitur in Psalmo verum est, *Prævaricatores æstimavi omnes peccatores terræ;* nisi quia omnes legis alicujus prævaricatæ sunt rei, qui aliquo peccato tenentur obstricti? Quamobrem si etiam parvuli, quod vera fides habet, nascuntur non proprie, sed originaliter peccatores, unde illis gratiam remissionis peccatorum necessariam confitemur; profecto eo modo quo sunt peccatores, etiam prævaricatores legis illius, quæ in paradiso data est, agnoscuntur; ut verum sit utrumque, quod scriptum est, et, *Prævaricatores æstimavi omnes peccatores terræ;* et, *Ubi lex non est, nec prævaricatio.* Ac per hoc, quia Circumcisio signum regenerationis fuit, et non immerito parvulum propter originale peccatum, quo primum Dei dissipatum est testamentum, generatio disperdet, nisi regeneratio liberet, sic intelligenda sunt hæc divina verba, tanquam dictum sit, Qui non fuerit regeneratus, interibit anima illa de populo ejus, quia testamentum Dei dissipavit, quando in Adam cum omnibus etiam ipse peccavit. Si enim dixisset, Quia hoc testamentum meum dissipavit; nonnisi de ista Circumcisione intelligi cogeret: nunc vero, quoniam non expressit cujusmodi testamentum parvulus dissipaverit, liberum est intelligere de illo testamento dictum, cujus dissipatio pertinere possit ad parvulum. Si autem quisquam hoc nonnisi de ista Circumcisione dictum esse contendit, quod in ea testamentum Dei, quoniam non est circumcisus, dissipaverit parvulus; quærat locutionis aliquem modum, quo non absurde possit intelligi, ideo dissipasse tastamentum, quia licet non ab illo, tamen in illo est dissipatum. Verum sic quoque animadvertendum est, nulla in se negligentia sua injuste interire incircumcisi animam parvuli, nisi originalis obligatione peccati." De Civ. Dei, l. 16. c. 27.

Circumcisio. Nullum tempus vacuum debet esse tutelæ, quia nullum est culpæ vacuum."

Sæculo V., S. Augustinus (de nuptiis et concup. l. 2. c. 11.) ait: "Ex quo instituta est Circumcisio in populo Dei, quæ erat tunc signaculum justitiæ fidei, ita ad significationem purgationis valebat et in parvulis originalis veterisque peccati, sicut et baptismus ex illo valere cœpit ad innovationem hominis, ex quo est institutus." Et in Ep. ad Dardanum (187. al. 57. c. 11.) scribit: "Circumcisio antiquis sanctis pro baptismo fuisse creditur."—Insuper, contra Julianum (l. 2. c. 6. n. 18.) affirmat: "Quod est octavo die non circumcidi, hoc est in Christo non baptizari; et quod est perire de populo suo, hoc est non intrare in regnum cælorum." In eodem opere (l. 6. c. 7. n. 19.), loquens de originali vitio, dicit: "Quod nisi esset in semine, ad parvulos, quibus Circumcisione illa corporis auferendum esset, nullatenus perveniret." Et contra litt. Petil. (l. 2. c. 72): "Certe antiquus populus Dei Circumcisionem pro baptismo habebat."

Sæculo VI., S. Fulgentius Ruspensis, in libro de Incarnatione et Gratia nomine suo et aliorum quindecim Episcoporum Africanorum dato Petro diacono et aliis qui ex oriente in causa fidei Romam missi fuerant, ait (Ep. 17. Migne P. L. t. 65. p. 470.): "Sancto quoque Abrahæ videat Circumcisionis sacramentum non sine tremenda parvuli comminatione mandatum. Ibi quippe Deus fidelis et justus, qui non infert iram ubi culpam non invenit, patri nostro Abrahæ sic loquitur: *Masculus qui non fuerit circumcisus carnem præputii sui octavo die, exterminabitur anima illa de populo suo; quia testamentum meum transgressus est* (Gen. XVII. 14.). Quisquis itaque negat in parvulis secundum carnem nascentibus originale peccatum, dicat in quo potuit infans octo dierum testamentum Dei transgredi, si non in illo transgressus est in quo omnes peccaverunt."

S. Gregorius Magnus (Moralium, l. 4. c. 3.) inquit: "Quisquis regenerationis unda non solvitur, reatu primi vinculi ligatus tenetur. Quod vero apud nos valet aqua baptismatis, hoc egit apud veteres . . . pro his qui ex Abrahæ stirpe prodierant, mysterium Circumcisionis."

Sæculo VII., S. Isidorus Hispalensis (Quæst. in V. T. in Gen. XIII.) quærit: "Illud autem quid sit, quod dictum est: *Masculus qui non circumcidetur octavo die, peribit anima illa de populo suo, quia pactum*

meum irritum fecit? Cur enim pereat anima parvuli incircumcisi, dum ipsa pactum Dei irritum non fecit, sed qui eum circumcidere neglexerunt? nisi ut significaret quod parvuli, non secundum opus, sed secundum originem, in primo homine pactum Dei dissipaverunt, in quo omnes peccaverunt. Nascitur enim omnis non proprie, sed originaliter peccator. Quem nisi regeneratio liberet, peribit anima ejus de populo suo, quia pactum Dei irritum fecit, quando in Adam originaliter etiam ipse peccavit."

Sæculo VIII., idem docuit Venerabilis Beda, in commentariis super Pentateuchum, Gen. XVII.; et copiose in Homilia X., die festo Circumcisionis Domini habita. "Scire enim debet vestra fraternitas," dicit, "quia idem salutiferæ curationis auxilium Circumcisio in Lege contra originalis peccati vulnus agebat, quod nunc baptismus agere revelatæ gratiæ tempore consuevit, excepto quod regni cælestis januam necdum intrare poterant, donec adveniens benedictionem daret qui legem dedit, ut videri possit Deus deorum in Sion, tantum in sinu Abrahæ post mortem beata requie consolati, supernæ pacis ingressum spe felici expectabant. Qui enim nunc per Evangelium suum terribiliter ac salubriter clamat: *nisi quis renatus fuerit ex aqua et spiritu, non potest introire in regnum Dei* (Joan. III.); ipse dudum per legem suam clamabat: *Masculus cujus præputii caro circumcisa non fuerit, peribit anima illa de populo suo, quia pactum meum irritum fecit* (Gen. XVII.), idest, quia pactum vitæ in paradiso hominibus mandatum Adam prævaricante transgressus est, in quo omnes peccaverunt: peribit de cœtu sanctorum, si non ei fuerit remedio salutari subventum. Utraque ergo purificatio, et Circumcisionis videlicet in lege, et in Evangelio baptismatis, tollendæ prævaricationis primæ gratia posita est."

Sæculo IX., Rabanus Maurus, Archiepiscopus Moguntinus, scribens commentaria in Genesim, l. 2. c. 19., ad illud "*Masculus, qui non circumciditur*, etc.," suam facit et ad verbum repetit sententiam S. Isidori mox citatam.

Nec aliter, sæculo X., S. Remigius Antissiodorensis intelligit comma illud Genesis, v. 14., *peribit de populo suo.* "Id est," ait, "de cœtu sanctorum. . . . Pactum scilicet illud quod Adæ in paradiso datum est, *in quo omnes peccaverunt* (Rom. III. 12.). Omnes enim causaliter in Adam fuimus, et ideo originalis peccati rei sumus." Et ibid. in v. 23.,

S. Remigius addit: "Quæri potest, si mares Circumcisione salvabantur, feminæ quomodo salvabantur, quæ non circumcidebantur? Utique fide et hostiarum oblatione, quomodo et per ante dictum præceptum Circumcisionis sancti homines mundabantur, juxta quod Paulus dicit: *fide purificans corda* (Act. x. 9.)."

Sæculo XI., Radulphus Ardens (hom. XV. in Circumc. Domini) cum ritus et effectus Circumcisionis explicat, ait: "Fiebat in virili membro, per quod genus humanum in concupiscentia propagatur, quia erat remedium contra originale peccatum, quod per carnalem concupiscentiam traducitur. . . . . . Utilitatem vero conferebat tempore suo Circumcisio, eamdem quam nunc confert baptismus." [1]

Demum, sæculo XII., ut finem faciam, Hugo a S. Victore (de Sacram. l. 1. p. 12. c. 2.), docet: "Ut ostenderetur igitur sacramentum Circumcisionis, non quemadmodum priora sacramenta ad voluntatem propositum, sed ex necessitate exequendum, præceptum comminatione firmatur cum dicitur: *Masculus, cujus præputii caro circumcisa non fuerit, peribit anima illa de populo suo* (Gen. XVII.). Causa quoque subinfertur, cum dicitur: *Quia pactum meum irritum fecit* (ibid.). Si ergo per pactum Dei irritum factum prævaricationem primorum parentum intelligimus, cum incircumcisus ob prævaricationem pacti periturus dicitur, manifeste datur intelligi sacramentum Circumcisionis ad hoc institutum ut per ipsum homo a debito primæ prævaricationis liberaretur."

Et eodem sæculo S. Bernardus (serm. 1. de cœna Domini, n. 2.) inquit: "Quæ est gratia, unde per baptismum investimur? Utique purgatio delictorum. . . . Hujus quidem gratiæ sacramentum prius erat Circumcisio, ut originalis rubiginem culpæ, quæ manaverat a parentibus primis, cultellus eraderet."

His omnibus constantis numquam interruptæ traditionis testimoniis accedit auctoritas Ep. Decretalis dogmaticæ Summi Pontif. Innocentii III.,[2] adversus Catharos qui necessitatem et effectum baptismi negabant in infantibus. "Cum Circumcisio tam adultis quam parvulis ex præcepto Domini conferretur, ne baptismi, *qui successit loco ipsius*, et generalior tamen existit, cum tam viri, quam feminæ baptizantur, minoris videatur effectus, tam adultis, quam parvulis est conferendus. Sicut enim sine distinctione qualibet Mosaica lex clamabat: *Anima*

---

[1] V. Migne P. L. t. 155. p. 1725.

[2] l. 3. Dec. tit. 42. c. 3. Majores.

cujus præputii caro circumcisa non fuerit, peribit de populo suo; ita nunc indistincte vox intonat Evangelica: *nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto non intrabit in regnum Dei:* ab hac generalitate nec sexum nec ætatem excludens. Caute tamen notandum est, quanto plus baptismus hodie conferat Christianis, quam quondam Judæis Circumcisio contulisset. Dictum est in fine prædictæ auctoritatis inductæ de veteri lege, *peribit de populo suo:* in Evangelica vero veritate subjunctum est: *non intrabit in regnum Dei;* quoniam etsi originalis culpa remittebatur per Circumcisionis mysterium, et damnationis periculum vitabatur, non tamen perveniebatur ad regnum cælorum, quod usque ad mortem Christi fuit omnibus obseratum; sed per sacramentum baptismi Christi sanguine rubricati culpa remittitur, vitatur periculum, et ad regnum cælorum etiam pervenitur, cujus januam Christi sanguis fidelibus suis misericorditer reseravit." Sane, Pontifex his verbis non definit esse fide tenendum, Circumcisionem in remissionem peccati originalis fuisse institutam, cum de ea solum indirecte et per comparationem cum effectu baptismi loquatur; sed profecto hac in re traditionem Ecclesiæ refert, atque suprema auctoritate sua confirmat.[1]

Quamobrem S. Thomas de eadem re tamquam de illa quæ extra omnem erat dubitationis aleam pronuntiat: "ab omnibus communiter ponitur quod in Circumcisione peccatum originale remittebatur;"[2] S. Bonaventura ait: "Circumcisio fuit etiam data in remedium contra originale peccatum; unde dicitur in Genesi (XVII. 14.): *Masculus, cujus caro præputii circumcisa non fuerit, peribit etc.;*"[3] Scotus dicit: "Supponendum tamquam certum, quod per Circumcisionem peccatum originale delebatur, quod patet per auctoritates Sanctorum;"[4] Durandus affirmat: "Circumcisio instituta fuit contra originale peccatum non solum ad effectum remissionis, sed in signum traductionis;" et addit

---

[1] His, quæ declaravimus, rite perpensis, quisque per se dicat quodnam judicium ferendum sit de illis qui opinione sua præoccupati atque abrepti, ausi sunt asserere Pontificem in hoc decreto infirmam rationem attulisse ad firmandam doctrinam fidei.

[2] 3. p. q. 70. a. 4.

[3] S. Bonaventura quoad istud testimonium notat: "Dicendum quod secundum translationem LXX habetur: *cujus præputii caro octavo die circumcisa non fuerit.* Et quamvis in nostra translatione non repetatur, tamen intelligitur repeti sub ea conditione, in qua fuit præceptum." In 4. sent. dist. 1. p. 2. a. 2. q. 2.

[4] In 4. sent. dist. 1. q. 6.

"Circumcisionem non contulisse gratiam, falsum est et contra dictum omnium Sanctorum et Doctorum." [1]

Maneat ergo Circumcisionem institutione divina peccato originali fuisse remedium. Illud signum quod in lege naturæ, ut superiori thesi probavimus, pro lubito usurpari poterat in protestationem fidei futuri Redemptoris ad salvandos parvulos, determinatum fuit a Deo pro Israelitis masculini sexus Circumcisione; adeoque ordinarie, seu seclusa speciali gratia, et extra periculum mortis,—quo instante, ante octavum diem a nativitate parvuli remedio legis naturæ perpetuæ damnationis ruinam evadere poterant,—per Circumcisionem, protestatio fidei, et ejusdem applicatio ad salutem debebat fieri. Omnis alius ritus fuisset tunc superstitiosus, et ad emundationem a peccato originis prorsus inutilis.

Quod si quis petat cur Deus ritum Circumcisionis nonnisi tempore Abrahæ, et pro posteris ejus determinare voluerit uti necessarium, cur cæremoniam statuerit pro maribus tantum, et non pro feminis cum uterque sexus originali noxa infectus fuerit peccato protoparentis, cur diem octavum indixerit ad Circumcisionem, cum remedium adversus peccatum originis debuerit esse tale quo potuissent uti homines quocumque tempore a nativitate ne decedentes perirent æterna morte: respondemus primo cum S. Thoma: "Circumcisio quoddam signum fidei est institutum a Deo, cujus sapientiæ non est numerus. Determinare autem convenientia signa, est sapientiæ opus. Et ideo concedendum est quod ritus Circumcisionis fuit conveniens." [1]—Deinde ex eodem Sancto Doctore, juxta Patrum doctrinam optimas congruentias adducimus ut propositis quæstionibus satis faciamus.

Quod ad primam attinet, "dicendum quod immediate post peccatum primi parentis, propter doctrinam ipsius Adæ, qui plene instructus fuerat de divinis, adhuc fides et ratio naturalis in tantum vigebat in homine, quod non oportebat determinari hominibus aliqua signa fidei et salutis; sed unusquisque pro suo libito fidem suam aliquibus signis protestabatur. Sed circa tempus Abrahæ diminuta erat fides, plurimis ad idololatriam declinantibus: obscurata etiam erat ratio naturalis per augmentum carnalis concupiscentiæ usque ad peccatum contra

---

[1] In 4. sent. dist. 1. qq. 5. et 6.

[2] 3. p. q. 70. a. 3.

naturam. Et ideo convenienter tunc, et non ante, fuit instituta Circumcisio ad profitendam fidem, et ad minuendam carnalem concupiscentiam."[1] "Habet autem Circumcisio expressam similitudinem ablationis originalis peccati quantum ad quatuor. Primo quantum ad membrum generationis, per quam originale transfunditur. Secundo quantum ad figuram circularem, in qua significatur circulus, qui est in processu originalis infectionis, secundum quod persona corrumpit naturam, et natura personam. Tertio quantum ad pœnam, quæ erat in Circumcisione contra delectationem concupiscentiæ, in qua præcipue viget fomitis virtus. Quarto quantum ad sanguinis effusionem, in quo significatur passio Christi, per quam pro originali satisfaciendum erat. Et quantum ad hanc utilitatem definitur Circumcisio, quod *est signaculum curationis ab originali.* Sed ex consequenti fuit alia utilitas Circumcisionis, scilicet distinctio fidelis populi ab infideli propter fidem ejus cui data fuit Circumcisio; et quantum ad hoc definit Damascenus (ubi supra) Circumcisionem sic: *Circumcisio est signum determinans Israel a gentibus, cum quibus conversabatur.* Habuit etiam mysticam significationem; et moralem, quia erat signum castitatis servandæ; et allegoricam, in quantum significabat purgationem per Christum futuram; et quasi anagogicam, in quantum significabat depositionem corruptibilitatis carnis et sanguinis in resurrectione."[2]

Quoad secundum, "dicendum quod Circumcisio instituta est ut signum fidei Abrahæ, qui credidit se patrem futurum Christi sibi repromissi; et ideo convenienter solis maribus competebat. Peccatum etiam originale, contra quod specialiter Circumcisio ordinabatur, a patre trahitur, non a matre, ut in secunda parte dictum est, 1. 2. q. 81. art. 5. in corp., et ad 2."[3]

Quoad tertium, "dicendum quod octavus dies determinabatur Circumcisioni tum propter mysterium, quia in octava ætate, quæ erit ætas resurgentium, quasi in octavo die perficietur per Christum spiritualis Circumcisio, quando auferet ab electis non solum culpam, sed etiam omnem pœnalitatem; tum etiam propter teneritudinem infantis ante octavum diem. . . . Non tamen erat de necessitate sacramenti, quia si aliqui omittebant octavum diem, postea poterant circumcidi."[4] "Po-

---

1) Ibid. a. 2. ad 1.

2) S. Th. in 4. dist. 1. q. 2. a. 1. solut. 1.

3) S. Th. 3. p. q. 70. a. 2. ad 4.

4) Ibid. a. 3. ad 3.

pulus in deserto prætermittens mandatum Circumcisionis excusabatur, tum quia nesciebant quando castra movenda erant, tum quia, ut Damascenus dicit, lib. 4. orth. Fid., cap. 26. in princ., non necesse erat eos aliquod signum distinctionis habere, cum seorsum ab aliis populis habitabant; et tamen, ut Augustinus dicit in lib. QQ. in Josue, q. 6., a med., inobedientiam incurrebant qui ex contemptu prætermittebant. Videtur tamen quod nulli incircumcisi mortui fuerint in deserto, quia, ut in psal. 104. dicitur, *non erat in tribubus eorum infirmus;* sed illi soli videntur mortui in deserto qui fuerant in Ægypto circumcisi; si tamen aliqui incircumcisi mortui sunt, eadem ratio est de his uti de illis qui moriebantur ante Circumcisionis institutionem, quod etiam intelligendum est de pueris qui moriebantur ante octavum diem tempore legis." [1]

Demum S. Thomas occurrit objectioni desumptæ ex conditione adultorum qui Circumcisionis remedium adhibebant, quæ sic se habet: "Peccatum originale non dimittitur sine actuali, quia *impium est a Deo dimidiam sperare veniam,* ut Augustinus dicit (alius Auctor, in lib. de vera et falsa pœnit. c. 9.). Sed nusquam legitur quod per Circumcisionem remitteretur actuale peccatum. Ergo etiam neque originale per eam dimittebatur."

Respondet: "Adulti, quando circumcidebantur, consequebantur remissionem non solum originalis, sed etiam actualium peccatorum; non tamen ita quod liberarentur ab omni reatu pœnæ, sicut in baptismo in quo confertur copiosior gratia." [2] Supponitur tamen adultos cum dispositione debita ad Circumcisionem accessisse.

Superest ut verbum dicamus de difficultatibus quas proponunt adversarii testimoniis S. Pauli innixi, in quibus non solum non indicatur, sed potius excluditur justificatio tamquam effectus Circumcisionis. Sint hæc ad exemplum: ad Rom. IV. 9–10.: "*Dicimus enim quia reputata est Abrahæ fides ad justitiam. Quomodo ergo reputata est? in Circumcisione, an in præputio? non in Circumcisione, sed in præputio.*" III. 30.: "*Unus est Deus qui justificat Circumcisionem ex fide, et præputium per fidem.*" III. 1.: "*Quid ergo amplius Judæo est? aut quæ utilitas Circumcisionis? Multum per omnem modum. Primum quidem quia credita sunt illis eloquia Dei.*"

---

[1] Ibid. a. 4. ad 3.

[2] Ibid. q. 4. ad 5.

Ut objectiones solvantur, sufficit habere præ oculis scopum et mentem Apostoli in locis citatis. Etenim iis unum ostendere vult, nimirum justitiam non haberi per Circumcisionem carnaliter consideratam, quasi abscissio illa carnis per se valeret ad justificationem, sed per fidem Christi, cujus carnale signum Judaicum erat professio.

In Ep. ad Gal. (v. 6.) dum dicit: "*In Christo Jesu neque Circumcisio aliquid valet, neque præputium,*" redarguit eos quorum doctrina erat Mosaicos ritus post promulgatam legem Evangelicam adhuc vigere et necessarios esse ad salutem. In Christo, ait, seu in Christiana Religione, nihil ad justitiam consequendam, sive Circumcisio sive præputium, valet, idest sive circumcisus sis, sive non; sed "*fides quæ per caritatem operatur.*"

Eodem pacto solvuntur objectiones ex Patribus. Locutiones quæ apud eos, maxime apud græcos, inveniuntur de inutilitate Circumcisionis ad salutem, prolatæ sunt tum contra Judæos qui gloriabantur signo illo corporali, et in eo fiduciam habebant quasi eo solo materialiter sumpto salvarentur, tum contra Judaizantes qui illud ipsum necessarium omnino dicebant, et non abolitum per legem Christi.

Decreta Eugenii IV. supra citata[1] docent Sacramenta V. L. figurasse et non dedisse gratiam quam conferunt Novæ Legis sacramenta; id autem differentiam inter utriusque fœderis sacramenta adstruit, et declarat antiqua sacramenta sanctificantis gratiæ causam non fuisse: sed nullo modo dicit homines in eorum susceptione hanc gratiam a Deo virtute fidei passionis Christi non obtinuisse.

Et hæc satis superque sint quoad primam partem theseos. Secundam breviter expediam.

Plures in Veteri Lege fuisse, præter Circumcisionem, cæremonias sacras, quæ sanctificationem quandam atque munditiam legalem conferebant, et gratiam quæ per Christum danda erat significabant, manifeste ostenditur Sacris Litteris.

Et quidem ritus Mosaicos a Deo institutos sanctificationem legalem contulisse passim legimus in Libris V. T. præsertim Exodi, Numerorum et Levitici:[2] et docemur ab Apostolo Paulo qui de purificationibus

---

[1] V. pag. 16.

[2] V. Exodi, XXIX. 1. et seq.: "Sed et hoc facies, ut mihi in sacerdotio consecrentur, etc."
Num. VIII. 6. et seq.: "Tolle Levitas de medio filiorum Israel, et purificabis eos juxta hunc ritum, etc."

legalibus ait: (Epist. ad Heb. IX. 13.) "Sanguis hircorum et taurorum, et cinis vitulæ aspersus, inquinatos sanctificat ad emundationem carnis." Eosdem ritus spiritualem sanctificationem per Christum futuram significasse constat *generaliter* ex Apostolo dicente (I. ad Cor. X. 11.) "Omnia in figura contingebant illis:" et (Heb. X. 1.) "Umbram enim habens lex futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum:"—*specialiter* vero quoad agnum paschalem, patet ex illo (I. ad Cor. V. 7.) "Pascha nostrum immolatus est Christus;" quoad sacerdotium et expiationes, ex Epistola ad Hebræos VIII. IX. X.[1]

Levit. IV. V. VI.—Exempli gratia, VI. 6–7.: "Pro peccato autem suo offeret arietem immaculatum de grege, et dabit eum sacerdoti, juxta æstimationem mensuramque delicti: qui rogabit pro eo coram Domino, et dimittetur illi pro singulis, quæ faciendo peccavit."

Exodi XII. 24–27.: "Custodi verbum istud legitimum tibi et filiis tuis usque in æternum. Cumque introieritis terram, quam Dominus daturus est vobis, ut pollicitus est, observabitis cærimonias istas. Et cum dixerint vobis filii vestri: Quæ est ista religio? dicetis eis: Victima transitus Domini est, quando transivit super domos filiorum Israel in Ægypto percutiens Ægyptios, et domos nostras liberans. Incurvatusque populus adoravit."

Lev. XXIV. 5–10.: "Accipies quoque similam, et coques ex ea duodecim panes, qui singuli habebunt duas decimas, quorum senos altrinsecus super mensam purissimam coram Domino statues: et pones super eos thus lucidissimum, ut sit panis in monimentum oblationis Domini. Per singula sabbata mutabuntur coram Domino suscepti a filiis Israel fœdere sempiterno: eruntque Aaron et filiorum ejus, ut comedant eos in loco sancto: quia Sanctum sanctorum est de sacrificiis Domini jure perpetuo."—Sanctificatus panis quædam adumbratio erat Sacramenti quod sub specie panis in N. L. participamus, et quamdam sanctificationem legalem conferebat illis qui ejusdem panis esu cibi sanctificati participes fiebant. "Legitimum ac sempiternum erit in generationibus vestris de sacrificiis Domini: omnis qui tetigerit illa sanctificabitur." Lev. VI. 18.

[1] Sint hæc ad exemplum: (VIII. 4–6.) "Si ergo esset [Christus] super terram, nec esset sacerdos, cum essent, qui offerrent secundum legem munera, qui exemplari et umbræ deserviunt cælestium. Sicut responsum est Moysi, cum consummaret tabernaculum: Vide (inquit), omnia facito secundum exemplar, quod tibi ostensum est in monte. (Exod. XXV. 40. Act. VII. 44.) Nunc autem melius sortitus est ministerium, quanto et melioris testamenti mediator est, quod in melioribus repromissionibus sancitum est." (IX. 6–12.) "In priori quidem tabernaculo semper introibant sacerdotes, sacrificiorum officia consummantes; in secundo autem semel in anno solus pontifex non sine sanguine, quem offert pro sua et populi ignorantia: (Lev. XVI. 2.) hoc significante Spiritu Sancto, nondum propalatam esse sanctorum viam, adhuc priore tabernaculo habente statum; quæ parabola est temporis instantis, juxta quam munera et hostiæ offeruntur, quæ non possunt juxta conscientiam perfectum facere servientem, solummodo in cibis et in potibus, et variis baptismatibus et justitiis carnis usque ad tempus correctionis impositis. Christus autem, assistens pontifex futurorum bonorum, per amplius et perfectius tabernaculum non manufactum, id est, non hujus creationis: neque per sanguinem hircorum aut vitulorum, sed per proprium sanguinem introivit semel in Sancta, æterna redemptione inventa."

Patres de sacramentis V. T., quæ cum nostris comparant, sæpe loquuntur; et ne testimonia pro re manifesta multiplicem, unum solum afferam, notissimum illud S. Augustini: "Prima sacramenta, quæ observabantur et celebrabantur ex lege, prænuntiativa erant Christi venturi: quæ cum suo adventu Christus implevisset, ablata sunt; et ideo ablata, quia impleta; non enim venit solvere legem, sed adimplere: et alia sunt instituta, virtute majora, utilitate meliora, actu faciliora, numero pauciora, tamquam justitia fidei revelata, et in libertatem vocatis filiis Dei, jugo servitutis ablato, quod duro et carni dedito populo congruebat." [1]

Sacramenta legis plura fuisse quam nostra S. Augustinus pronunciat, quia variæ purificationes ab immunditiis legalibus, nec non variæ expiationes a peccatis unum figurabant Pœnitentiæ Sacramentum: et similiter agni paschalis et panum propositionis esus Eucharistiæ mysterium adumbrabant. Sed ut ex citatis Scripturarum locis, juxta communem Doctorum sententiam, eruitur, sacramenta vetera, quæ nostra præfigurabant, hæc tantummodo enumerabantur, nempe, Circumcisio, figura baptismi; esus agni pascalis et panum propositionum, figura Eucharistiæ; purificationes et expiationes, figura Pœnitentiæ; consecratio sacerdotum, figura sacri Ordinis. Cur autem cetera sacramenta novæ legis correspondentia sibi in lege veteri sacramenta figurativa non habuerint, S. Thomas [2] his verbis declarat: "Sacramento confirmationis, quod est sacramentum plenitudinis gratiæ, non potest respondere in veteri lege aliquod sacramentum, quia nondum advenerat tempus plenitudinis, eo quod *neminem ad perfectum adduxit lex.* Hebr. VII. 19. Similiter autem et sacramento extremæ unctionis, quod est quædam immediata præparatio ad introitum gloriæ, cujus aditus nondum patebat in veteri lege, pretio nondum soluto. Matrimonium autem fuit quidem in veteri lege, prout erat in officium naturæ, non autem prout est sacramentum conjunctionis Christi et Ecclesiæ, quæ nondum erat facta. Unde et in veteri lege dabatur libellus repudii, quod est contra sacramenti rationem."

---

[1] Contra Faustum Manichæum, l. 19. c. 13.

[2] 1. 2. q. 102. a. 5. ad 3.—Lege totum articulum, in quo egregie causæ sacramentorum veterum tum litterales, secundum quod ordinabantur pro illo tempore ad Dei cultum, tum figurales, secundum quod ordinabantur ad figurandum Christum, exponuntur.

THESIS IV.

Sacramenta ante Legem Evangelicam instituta non habebant in se virtutem qua operarentur ad conferendam gratiam sanctificantem; sed significando Passionem Christi et effectus ejus, protestationes quædam fidei erant, quas cum in eorum susceptione homines exhiberent, internam ac spiritualem sanctificationem a Deo, propter futura merita Redemptoris, accipiebant.

Duabus præcedentibus thesibus demonstravimus sacramenta a Deo instituta fuisse tum in lege naturæ, tum in lege scripta; et parvulis remedium in sacramentis adfuisse contra peccatum originis: nunc ulterius procedentes quærimus utrum sacramenta illa vetera, præter externam et legalem sanctitatem, vim habuerint ad veram et internam sanctificationem efficiendam, ideoque ad conferendam sanctificantem gratiam; aut saltem, si non omnia, utrum hanc efficacitatem habuerint legis naturæ pro parvulis sacramentum, et Circumcisio, per quæ, peccato originali deleto, homines ante usum rationis vita decedentes justificari poterant et salvari.

Porro, de Mosaicæ legis sacramentis, Circumcisione exclusa, Magister Sententiarum tenuisse videtur nihil omnino ea ad salutem animæ profecisse; affirmat enim ex operibus legis neminem justificatum fuisse, etiamsi in fide et caritate fierent; et addit rationem: "Quare? quia imposuit ea Deus in servitutem non in justificationem, et ut figura futuri essent; volens sibi ipsi potius offerri ea quam idolis."[1]—Paludanus censuit in sacramentis illis gratiam fuisse collatam non modo ex merito operantis, sed etiam præter illud ex virtute operis.[2] Hugo a S. Victore, quem secutus est S. Bonaventura, docuit sacramenta V. L., excepta Circumcisione, instituta fuisse primo *ad significandum vel Passionem Christi Redemptoris, vel etiam nostra sacramenta, et ad efficiendum nonnisi exterius,* hoc est ad sanctitatem legalem conferendam; sed, addebat Hugo, "quia significant id quod fides credit, in eorum perceptione est professio fidei, non tantum verbo, sed et facto. Et quia talis fides disponebat ad justificationem, ideo sacramenta illa per acci-

[1] 4. sent. dist. 1. p. 1.

[2] In 4. dist. 1. q. 5.

dens justificabant."[1] Durandus distinguendum esse putavit inter sacramenta ad effectum ordinata qui sine gratia obtineri poterat, et alia ad effectum instituta qui gratiam requirebat: illa gratiam non contulisse, ista vero ex pactione et institutione divina eam dedisse. "Non enim," ait, "Deus deficit in necessariis; et talia videntur fuisse Circumcisio, quæ ordinabatur ad deletionem peccati originalis, quæ fieri non potest sine gratia, et Unctio sacerdotalis, quæ ordinabatur ad sacramentorum administrationem, quæ non poterat bene fieri sine gratia." [2]

At, horum Doctorum verbis explicatis, nullum vel certe minimum inter eos in re fuisse discrimen, animadvertit Berti.[3] Etenim singuli, dum dicunt sacramenta legis significasse dumtaxat, non contulisse salutem; vel e contra docent ea gratiam dedisse præter meritum operantis, ex virtute operis; dum affirmant sacramenta illa non contulisse gratiam per se propriaque virtute; aut tenent eadem justificasse ratione fidei adjunctæ; hoc unum, ut videtur, intendunt, gratiam non esse tribuendam antiquorum sacramentorum efficacitati, sed fidei, cujus confessio ad salutem fiebat usu ipso sacramentorum. Atque idipsum S. Thomas defendit, inquiens: "sacramenta V. L. non habebant in se aliquam virtutem qua operarentur ad conferendam gratiam justificantem; sed solum significabant fidem per quam [antiqui patres] justificabantur:" dixerat autem paulo antea: "sacramenta Veteris Legis erant quædam illius fidei protestationes, in quantum significabant passionem Christi et effectus ejus." [4] Et alibi ait: "Poterat autem mens fidelium tempore legis per fidem conjungi Christo incarnato et passo; et ita ex fide Christi justificabantur; cujus fidei quædam protestatio erat hujusmodi cæremoniarum observatio, in quantum erant figura Christi. Et ideo pro peccatis offerebantur sacrificia quædam in veteri lege, non quia ipsa sacrificia a peccato emundarent, sed quia erant quædam protestationes fidei, quæ a peccato mundabat. Et hoc etiam ipsa lex innuit ex modo loquendi. Dicitur enim (Lev. IV. et V.), quod *in oblatione hostiarum pro peccato orabit pro eo sacerdos, et dimittetur ei;* quasi peccatum dimittatur non vi sacrificiorum, sed ex fide et devotione offerentium.." [5]

---

1) S. Bonav. in 4. sent. dist. 1. p. 1. a. 1. q. 5.
2) In eamdem dist. 1. q. 5.
3) De theol. discip. l. 30. c. 19.
4) 3. p. q. 62. a. 6.
5) 1. 2. q. 103. a. 2.

Quod autem Circumcisionem spectat, S. Thomas in Summa Theologica plures refert sui temporis auctorum sententias, easque refutat: "Dicendum quod de Circumcisione multiplex fuit opinio. Quidam enim dixerunt quod per Circumcisionem non conferebatur gratia, sed solum auferebatur peccatum. Sed hoc non potest esse, quia homo non justificatur a peccato nisi per gratiam, secundum illud (Rom. III. 24.): *Justificati gratis per gratiam ipsius.* Et ideo alii dixerunt quod per Circumcisionem conferebatur gratia quantum ad effectus remotivos culpæ, sed non quantum ad effectus positivos gratiæ. Sed hoc etiam videtur esse falsum, quia per Circumcisionem dabatur pueris facultas perveniendi ad gloriam, quæ est ultimus effectus positivus gratiæ; et præterea, secundum ordinem causæ formalis, priores sunt naturaliter effectus positivi quam privativi, licet secundum ordinem causæ materialis sit e converso; forma enim non excludit privationem, nisi informando subjectum. Et ideo alii dicunt quod Circumcisio conferebat gratiam etiam quantum ad aliquem effectum positivum, qui est facere dignum vita æterna; non tamen quantum ad hoc quod est reprimere concupiscentiam impellentem ad peccandum, quod et aliquando mihi visum est, 4. dist. 1. q. 2. a. 4. q. 3." [1] Deinde, retractata priori opinione, quam tenuerat in Commentariis in libros sententiarum, contrariam quam, re melius perpensa, adoptat, his verbis aperit: "Sed diligentius consideranti apparet hoc etiam non esse verum, quia minima gratia potest resistere cuilibet concupiscentiæ, et mereri vitam æternam. Et ideo melius dicendum videtur quod Circumcisio, sicut et alia sacramenta veteris legis, erat solum signum fidei justificantis." Et postea, eamdem sententiam declarans atque confirmans, ait: "In Circumcisione conferebatur gratia quantum ad omnes gratiæ effectus; aliter tamen quam in baptismo. Nam in baptismo confertur gratia ex virtute ipsius baptismi, quam habet in quantum est instrumentum passionis Christi jam perfectæ; in Circumcisione autem conferebatur gratia non ex virtute Circumcisionis, sed ex virtute fidei passionis Christi, cujus signum erat Circumcisio; ita scilicet quod homo qui accipiebat Cir-

[1] 3. p. q. 62. a. 6. ad 3.—Hæc etiam fuit sententia S. Bonaventuræ. In 4. sent. dist. 1. p. 2. a. 2. q. 3., concludit: "Circumcisio conferebat gratiam habilitantem ad bonum, licet tam parvulam, quod solum merebatur dici deletiva culpæ, et non habilitativa potentiæ."

cumcisionem, profitebatur se suscipere talem fidem, vel adultus pro se, vel alius pro parvulis. Unde et Apostolus dicit (Rom. IV. 11.), quod *Abraham accepit signum Circumcisionis signaculum justitiæ fidei,* quia scilicet justitia erat ex fide significata, non ex Circumcisione significante." [1]

Hanc doctrinam, tamquam certam, defendimus in thesi. Eidem repugnare videntur inter antiquiores S. Bonaventura, et Scotus, inter recentiores Estius,[2] Circumcisioni virtutem ex divina institutione tribuentes ad collationem gratiæ.[3]—Cum autem dicimus sacramenta vetera fuisse protestationes quasdam fidei, quas in eorum susceptione exhibebant homines, quibusque positis, Deus ob futura Christi merita sanctificantem gratiam conferebat, omnia prorsus sacramenta quæ ante legem Evangelicam extiterant complectimur; sed non ideo significamus eodem semper modo in illis omnibus fuisse fidei testificationes exhibitas, gratiamque acceptam.

Nam, si de infantibus loquimur qui remedium legis naturæ ad delendam originis labem susceperant, aut de Judæorum infantibus masculini sexus qui Circumcisionis signaculo obsignati erant, manifestum est eos non per se ipsos, sed nomine suo per alios fecisse professionem aliquam fidei; hac autem ut necessaria conditione posita, Deus ex misericordi sua promissione infanti infudisse gratiam et remisisse peccatum.

Si vero adultos consideramus qui inter Israelitas suscipiebant Circumcisionem, ipsi propriis actibus supernaturalibus fidei tum explicitæ in verum Deum, tum saltem implicitæ in Christum futurum, spei, et dilectionis Dei perfectæ cum contritione peccatorum, disponere se debebant ad justificantem gratiam recipiendam; quæ, ut videtur probabilius, ultra meritum et dispositionem operantis non dabatur. Circumcisionem tamen recipere tenebantur, quæ ad remissionem peccati originalis obtinendam, ut conditio sine qua ille effectus non dabatur,

---

1) 3. p. q. 70. a. 4.

2) In 4. sent. dist. 1. sect. 30.

3) Billuart tenet Circumcisionem contulisse gratiam parvulis *ex opere operato passive:* sed, etsi verbis, re tamen a S. Thomæ sententia non recedit. "Gratiam conferri ex opere operato passive," ait, "est eam conferri ad positionem operis, eo tamen non concurrente effective, sed solo Deo operante ultra meritum recipientis et ministrantis. . . . . Non Circumcisio ipsa, solus Deus ad positionem Circumcisionis vi pacti et promissionis efficiebat gratiam, ultra meritum infantis recipientis, erat enim incapax, et ultra meritum ministrantis." T. 16. dissert. 3. a. 6. dico 2.

necessaria erat; quia hoc signo voluit Deus ut omnes, etiam adulti Israelitæ, suam fidem et devotionem internam profiterentur, adeoque sine tali signo sive re exhibito, sive saltem in voto concepto, non poterat peccatum originale remitti adulto.[1]

Quoad circumcisos adultos qui, adhuc in peccato existentes, aliis sacramentis utebantur, dicimus, eos gratiam nonnisi secundum dispositionem et meritum recepisse: nam, ut supra adnotavimus ex D. Thoma, "pro peccatis offerebantur sacrificia, non quia ipsa sacrificia a peccato emundarent, sed quia erant protestationes fidei, quæ a peccato mundabat." Id autem præstabat quia, si fides cum contritione conjuncta erat et cum dilectione Dei perfecta, adulti, de quibus loquimur, illam ultimam dispositionem habebant, qua posita, Deus infundebat eis gratiam sanctificantem. Denique homines justi sacramentis V. T. utentes, de condigno augmentum gratiæ merebantur, cum ex parte operantium vera justitia adesset, et ex parte operum bonitas, quandoquidem a Deo præcepta erant et ad ejus cultum pertinebant.

His autem declaratis, probatur thesis.

Relate ad sacramentum legis naturæ, quo parvuli ab originali labe mundari poterant, jam ex thesi secunda luculenter constat, eos non virtute propria sacramenti, sed fidei, cujus sacramento illo protestatio fiebat, sanctificari.

Ad sacramenta legis scriptæ quod attinet, id liquet,

I. *Ex Scripturis.* Etenim, diserte docent,—*a*) observationes, quæ opera legis vocantur ab Apostolo, non ex sese, sed ex fide, homines justificasse. Ad Rom. III. 20.: "Ex operibus legis non justificabitur omnis caro coram illo."—Ad Galat. III. 11.: "Quoniam autem in lege nemo justificatur apud Deum, manifestum est: quia justus ex fide vivit."—Ibid. 21–22.: "Si enim data esset lex quæ posset vivificare, vere ex lege esset justitia, sed conclusit Scriptura omnia sub peccato, ut promissio ex fide Jesu Christi daretur credentibus."

b) Legem præceptis suis onerasse homines, non juvisse; esse legem mortis, et ministrationem mortis. Ad Rom. IV. 15.: "Lex enim iram operatur."—Ad Galat. III. 19.: "Quid igitur lex? Propter transgressiones posita est."—Ad Rom. VII. 6.: "Nunc autem soluti sumus a lege mortis in qua detinebamur."—II. ad Cor. III. 7–8.: "Quod si

---

[1] V. Suarez, in 3. D. Thomæ, q. 62. a. 6. disp. 10. sect. 1. n. 18.

ministratio mortis litteris deformata in lapidibus fuit in gloria, ita ut non possent intendere filii Israel in faciem Moysis propter gloriam vultus ejus quæ evacuatur, quomodo non magis ministratio Spiritus erit in gloria?" Hæ autem locutiones veræ non essent si gratia sanctificationis spiritualis, propria efficacitate sacramentorum veteris legis, collata fuisset.

c) Legem fuisse infirmam et inutilem ad sanctificationem internam hominum coram Deo, et ideo abrogatam. Ad Heb. VII. 18.: "Reprobatio quidem fit præcedentis mandati, propter infirmitatem ejus et inutilitatem."—Ibid. IX. 9–10.: "Munera et hostiæ offeruntur quæ non possunt juxta conscientiam perfectum facere servientem, solummodo in cibis et in potibus, et variis baptismatibus, et justitiis carnis, usque ad tempus correctionis impositis."

d) Legem, instar pædagogi, Judæos tamquam parvulos præparasse et duxisse ad Christum, verum justitiæ auctorem, ut ex fide ejus justitiam consequerentur. Ad Galat. III. 23–24,: "Prius autem quam veniret fides, sub lege custodiebamur conclusi in eam fidem quæ revelanda erat. Itaque lex pædagogus noster fuit in Christo, ut ex fide justificemur."

e) Vetus Testamentum præfiguratum fuisse per Agar ancillam, quæ serva fuit et filios in servitutem generavit; novum vero per Saram liberam, quæ per repromissionem genuit Abrahæ hæredem. Ad Gal. IV. 21–28.: "Dicite mihi, qui sub lege vultis esse: legem non legistis? Scriptum est enim: Quoniam Abraham duos filios habuit, unum de ancilla, et unum de libera (Gen. XVI. 15.–XXI. 2.). Sed qui de ancilla, secundum carnem natus est; qui autem de libera, per repromissionem; quæ sunt per allegoriam dicta. Hæc enim sunt duo Testamenta. Unum quidem in monte Sina, in servitutem generans, quæ est Agar; Sina enim mons est in Arabia, qui conjunctus est ei, quæ nunc est Jerusalem, et servit cum filiis suis. Illa autem, quæ sursum est Jerusalem, libera est, quæ est mater nostra. Scriptum est enim: Lætare sterilis, quæ non paris: erumpe et clama, quæ non parturis, quia multi filii desertæ, magis quam ejus, quæ habet virum. (Isai. LIV. 1.). Nos autem fratres, secundum Isaac promissionis filii sumus."

Hæc autem loca, et similia quæ commemorari adhuc possent, Circumcisionem etiam respiciunt quia, quamvis ante legem Mosaicam

instituta fuerit, tamen in lege Moysis, ut adnotavimus, præcepta fuit;[1] imo et ipsa veluti professio legis extitit, ac aliorum V. L. sacramentorum quasi janua, cum nemo potuerit ad alia sacramenta accedere, nisi prius fuerit circumcisus. Ceterum, Apostolus locis mox citatis ex Epistolis ad Romanos et ad Galatas, in quibus de inefficacia veteris legis ad justificandum loquitur, potissimum spectat Circumcisionem.

II. *Ex Patribus.* Nam una voce omnes diserte docent, sacramenta V. L. non fuisse per se efficacia ad sanctificationem veram et internam; prænuntiasse Salvatorem, non contulisse gratiam salutis; fuisse tantummodo adumbrationes quasdam rerum spiritualium.

S. Justinus (Dialogi cum Tryphone, n. 44.) ait: "Ac vos quidem ipsi decipitis, qui eo quod semen Abrahæ sitis secundum carnem, omnino bonorum, de quibus nuntiatum est fore ut a Deo per Christum dentur, hæreditatem accepturos esse putetis. Nemo enim, ne ex illo quidem semine, quidquam accipere potest, præter eos qui animo assimilati fuerint Abrahæ fidei, et mysteria omnia agnoverint; id est, alia quædam præcepta ad Dei cultum et justitiæ observationem esse data, alia autem præcepta et opera vel ad Christi mysterium, vel ob duritiam cordis populi vestri similiter esse descripta." Et nn. 42. et 43. postquam de mysterio agni pascalis, de oblatione similæ, et de aliis legis ritibus disputaverit, dixerat: "Ac cetera quidem prorsus omnia, o viri, a Moyse instituta enumerans demonstrare possum, imagines et signa et prænuntiationes fuisse tum eorum quæ Christo eventura erant, tum eorum, qui in eum credituri prænoscebantur, tum eorum etiam similiter quæ Christus ipse facturus erat. . . . . Ac nos quidem qui per eum [Christum] ad Deum accessimus, non istam carnis Circumcisionem accepimus, sed spiritualem, quam Enoch ejusque similes custodierunt; atque hanc per baptismum, quia in peccatis fueramus, misericordia Dei consecuti sumus."

S. Irenæus (Contra hæreses, l. 4. c. 16.) inquit: "Quoniam autem et Circumcisionem non quasi consummatricem justitiæ, sed in signo eam dedit Deus, ut cognoscibile perseveret genus Abrahæ, ex ipsa Scriptura discimus. . . . . Et quia non per hæc justificabatur homo, sed in signo data sunt populo, ostendit quod ipse Abraham sine Circumcisione et

[1] Lev. XII. 3.—Joan. VII. 22.

sine observatione sabbatorum *credidit Deo, et reputatum est illi ad justitiam, et amicus Dei vocatus est.*"

S. Joannes Chrysostomus (in c. 8. Gen. Hom. 27.) dicit: "Attende quomodo postea tempore procedente, voluerit [Deus] Circumcisionem pro lege statui, non quod ad animæ salutem perficere hæc possit aliquid, sed ut grati animi indicium, quasi signum et sigillum circumferrent Judæi, et ne liceret eis commisceri gentium congressibus. Hinc beatus Paulus signum hoc vocat, dicens: *Et signum dedit Circumcisionis, sigillum* (Rom. IV. 11.). Nam quod ad justitiam nihil conducat, ecce et hic justus, nondum statuta Circumcisione, ad eamdem pervenit virtutem." Et alio in loco (in Ep. ad Heb. VII., Hom. 13. n. 2.): "Et recte vocavit illud mandatum carnale: omnia enim quæ statuebat carnalia erant. Nam dicere circumcide carnem, unge carnem, lava carnem, munda carnem, tonde carnem, alliga carnem, nutri carnem, otium da carni: hæc annon, quæso, carnalia sunt? . . . *Nihil enim ad perfectum adduxit lex.* Quid est, *nihil ad perfectum adduxit?* Neminem fecit perfectum cum ei non obediretur: quamquam nec si audita esset, perfectum reddidisset et virtute præditum. Interim autem non hoc dicit, sed quod vim non habuerit; et merito: ita enim sitæ erant litteræ: hoc fac, et illud non fac: solum proponentes, non etiam vim et potestatem afferentes. . . . Nihil ergo lex profuit? Profuit quidem, et valde profuit, sed ad reddendum perfectos nihil profuit. Lex enim nihil reddidit perfectum. Ideo dicit, *nihil lex profuit:* omnia enim erant typi, omnia umbra, Circumcisio, sacrificium, sabbatum, quæ non potuerunt ad animam pervadere: propterea cedunt et abscedunt." [1]

S. Basilius (lib. de Spiritu Sancto c. 14. n. 32.): "Quid confers," inquit, "lavacra cum lavacris, quæ solam nominis appellationem habent communem, rerum vero tanta est differentia, quanta est inter somnia et veritatem, inter umbras et imagines, et ea quæ revera sunt." [2]

Jam ex Latinis, Tertullianus (lib. adv. Judæos, c. 3.) ait: "Acceperat [Abraham] Circumcisionem, sed quæ esset in signum temporis illius, non in salutis prærogativam;" et deinde prosequitur (c. 6.): "Igitur cum

---

[1] V. etiam in eamdem Ep. c. 9., Hom. 16. n. 2.; c. 10., Hom. 17. n. 3., et Hom. 19. n. 1.—In Gen. XVII., Hom. 39.

[2] Idem docent Origenes, l. 2. contra Celsum; S. Cyr. Alex. contra Julianum l. 10.; S. Joan. Dam. l. 4. de fide cc. 10. 14. 26.; Theophylactus in c. 2. ad Rom.; et alii.

manifestum sit et Sabbatum temporale ostensum, et Sabbatum æternum prædictum, Circumcisionem carnalem prædictam, et Circumcisionem spiritalem præindicatam, legem quoque temporalem, et legem æternalem denuntiatam, sacrificia carnalia et sacrificia spiritalia præostensa; sequitur ut præcedenti tempore datis omnibus istis præceptis carnaliter populo Israel, superveniret tempus quo legis antiquæ et cæremoniarum veterum præcepta cessarent, et novæ legis promissio et spiritalium sacrificiorum agnitio, et Novi Testamenti pollicitatio superveniret, fulgente nobis *lumine ex alto, qui sedebamus in tenebris et in umbra mortis detinebamur* (Luc. II. 78–79.)."

S. Hilarius (Tract. de titulo Ps. 91. n. 1.—Migne P. L. t. 9. p. 494.): "Post legis tempora," dicit, "et cognitionem veritatis, convenit corpus ipsum potius, quam umbram corporis contueri. Lex enim eorum quæ in Domino nostro Jesu Christo implenda erant, speciem complectitur. Non ipsa veritas, sed in ea meditatio veritatis, utilis fide potius quam effectu, imitatione quam genere. Ea enim quæ observari præcepta sunt, non virtute efficientiæ ipsius utilia erant, sed observantium fide salutaria, ut sacrificiorum diversitates, et holocaustomatum religiones, et Circumcisionis cura, et sabbati otium. Hæc enim omnia et prætermissa culpam habebant, et gesta sub futurorum fide proderant, sicut ait beatus Apostolus: "*Prius autem quam veniret fides, sub lege conclusi custodiebamur in ea fide quæ incipiebat revelari.* ... Ergo quotiescumque aliquid ex lege relegitur in opere præsentium mandatorum, speculum futurorum est contuendum. Et erat quidem congruum de singulis superius comprehensis afferre rationem, ut secundum Apostoli doctrinam universa intelligerentur fide futurorum potius quam virtute ipsius efficientiæ profuisse."

S. Ambrosius (Ep. 75. ad Clementianum, nn. 3. 4. 5. 6.) postquam exposuerit Apostoli sententiam in Ep. ad Gal. III., magnifice prosequitur: "Sed occurrit adhuc ei, qui poterat etiam Judæus dicere: Et ego hæres sum: quoniam sub lege sum: Lex autem Vetus dicitur Testamentum: ubi autem Testamentum, ibi hæreditas. Et licet ad Hebræos ipse dixerit (Heb. IX. 16–17.), quia Testamentum non valet... quamdiu vivit testator, sed ejus morte firmatur; tamen quia in Jeremia Dominus locutus est de Judæis, et ait "*Facta est hæreditas mihi sicut leo* (Jerem. XII. 8.)" hæredes eos negare noluit. Sed sunt hæredes sine re, sunt et

cum re, et dicuntur hæredes testatore vivente, qui scripti sunt, sed sine re. Sunt etiam hæredes parvuli, qui nihil differunt a servulo, quoniam sub curatoribus sunt et actoribus.... Ergo dedit illis [Judæis] speciem hæreditatis [Rom. edit., dedit illis spem hæreditatis], possessionem negavit. Habent nomen hæredis, usum non habent; quia sicut parvuli hæredes nomen nudum hæreditatis, non auctoritatem usurpant, jubendi jus et utendi non habent; quia plenitudinem suæ ætatis expectant, ut a curatoribus liberentur: sicut ergo parvuli, ita et Judæi sub pædagogo sunt. Lex pædagogus est: pædagogus ad magistrum ducit; magister noster solus est Christus.... Pædagogus timetur, magister viam salutis ostendit. Timor ergo ad libertatem perducit, libertas ad fidem, fides ad caritatem, caritas acquirit adoptionem, adoptio hæreditatem.... Si igitur ubi fides, ibi libertas; ubi libertas, ibi gratia; ubi gratia, ibi hæreditas; Judæus autem littera, non Spiritu, in servitute est; qui non habet fidem, non habet spiritus libertatem. Ubi autem nulla libertas, nulla gratia; ubi nulla gratia, nulla adoptio; ubi nulla adoptio, nulla successio."

Cum Patribus hucusque citatis concordat omnino S. Augustinus. In Ps. LXXIII. n. 2., ait: "Sacramenta non eadem [in utroque Testamento] quia alia sunt dantia salutem, alia promittentia Salvatorem. Sacramenta Novi Testamenti dant salutem, sacramenta Veteris Testamenti promiserunt Salvatorem..... Mutata sunt sacramenta, facta sunt faciliora, pauciora, salubriora, feliciora." In lib. Num. q. 25., dicit: "Si per se attendantur [sacramenta vetera] nullo pacto possunt mederi: si autem res ipsæ, quarum hæc sacramenta sunt, inquirantur, in eis inveniri poterit purgatio peccatorum." Et in Ep. 82. ad S. Hieronymum, n. 14.: "Cur autem non dicam," inquit, "præcepta illa veterum sacramentorum nec bona esse, quia non eis homines justificantur, umbræ enim sunt prænuntiantes gratiam, qua justificamur; nec tamen mala, quia divinitus præcepta sunt, tempori personisque congruentia; cum me adjuvet etiam prophetica sententia, qua dicit Deus se illi populo dedisse præcepta non bona? (Ezech. XX. 25.) Forte enim propterea non dixit mala, sed tantum non bona, id est non talia ut illis homines boni fiant, aut sine illis boni non fiant." [1]

Huc etiam spectat illud quod S. Augustinus ait, et communiter Pa-

[1] Confer S. Aug. Ep. 196. ad Asellicum Episcopum, et Ep. 140. ad Honoratum.

tres repetunt: "eadem fides Mediatoris salvos justos faciebat antiquos, pusillos cum magnis; non Vetus Testamentum quod in servitutem generat, non lex quæ non sic est data quæ possit vivificare, sed gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum;"[1] et hoc aliud ejusdem S. Doctoris, nimirum antiquos Patres ratione legis, ejusque symbolorum pertinere ad *Vetus Testamentum,* ratione vero fidei ad *Testamentum Novum.*[2]

III. *Ex doctrina Concilii Florentini et Tridentini* inefficacia ostenditur omnium sacramentorum quæ ante nostra Novi Testamenti instituta fuerant. Etenim, Eugenius IV., in Decreto pro Armenis et in alio pro Jacobitis,[3] declarat sacramenta novæ legis multum a sacramentis antiquæ legis differre, quia nostra continent gratiam, eamque digne suscipientibus conferunt, illa vero non conferebant gratiam, sed eam solum per passionem Christi dandam esse figurabant. Concilium autem Tridentinum (sess. 7. can. 2.) dum definit sacramenta nostra non solo ritu externo differre a veteribus, implicite docet illa ab his virtute differre et efficacia, et consequenter sacramenta vetera non valuisse virtute sua propria ad sanctificandum, cum ad id valere nostra Concilium eadem sessione definiat, canone sexto.[4]

Nec dicatur, Decreta Eugenii IV., et definitiones Concilii Tridentini Circumcisionem et sacramentum legis naturæ non comprehendere, nam hæc jam instituta fuerant ante legem antiquam, seu Mosaicam, et de ea solum Decreta illa et Tridentini canones loquuntur: quinimo, etsi Circumcisio fuerit præscripta in lege Moysis, tamen sub duplici etiam respectu considerari potest, nempe ut sacramentum veteris legis, et ut convenientiam quamdam habebat cum sacramento legis naturæ; idem enim munus obtinebat, et loco illius pro masculis Judæorum instituta fuerat: verum, sub hoc secundo respectu non reputatur inter sacramenta legis, ideoque a declarationibus mox citatis minime attingitur.

Evasio hæc ingeniosa est, sed non solida. Status legis naturæ imperfectior fuit, secundum id quod ei proprium erat, statu legis scriptæ: si ergo sacramenta hujus legis non habebant virtutem qua operarentur ad conferendam gratiam sanctificantem, multo minus

[1] De nupt. et concup. l. 2. c. 11. n. 24.—V. etiam, l. 2. de pecc. origin. c. 32.

[2] V. Ep. cit. ad Honoratum.

[3] V. p. 16.

[4] V. p. cit.

talem virtutem sacramentum legis naturæ habebat. Præterea, scopus Concilii Florentini et Tridentini fuit excellentiam docere sacramentorum legis christianæ super sacramenta vetera; ergo non modo utrumque Concilium docet sacramenta christiana longe præstare virtute Mosaicis, sed etiam antiquioribus sacramentis.

IV. *Ex ratione theologica,* sacramenta quæ extiterunt ante legem Evangelicam, non poterant moraliter continere gratiam, eamque conferre, quia nondum erat ejusdem gratiæ pretium solutum per mortem Christi. Hæc autem ratio non inepte illustratur exemplo hominis qui ad obtinendam mercedem, chirographum exhibeat in quo promissio futurorum laborum scripta ac obsignata fuerit. Profecto illud chirographum de se non valet ad obtinendum pretium, quamvis ex benignitate et speciali concessione facta a domino pretium aliquando poterit anticipari. Similiter sacramenta vetera, dum futuram Christi passionem significabant, divinæ Majestati veluti ostendebant signa rei promissæ, quæ futurum pretium erat ad obtinendam totius humani generis liberationem a servitute peccati, et ad omnes gratias comparandas pro sanctificatione hominum. Exhibitio hæc signorum de se movere non poterat Deum ut sanctificationis gratias infunderet hominibus eadem signa proferentibus; pretium enim quod obtinere eas debebat solutum adhuc non erat: sed in exhibitione illorum signorum, ratione pretii, quod Christus erat daturus, Deo placuit ex benignissima liberalitate sua elargiri gratias:—sicque "Mediator etiam prius quam venisset in carne," ut loquitur S. Augustinus, "antiqua sua membra liberavit suæ Incarnationis fide." [1]

Ut difficultatibus occurramus, dicimus 1.—Cæremoniis Mosaicis annexa legitur promissio remissionis peccatorum, et peccata dicuntur expiari per sacrificium et orationem sacerdotis; sed promissio spectabat remissionem peccati externam seu legalem, et sacrificia vi sua sanctificabant sanctitate et munditia externa, non interna animæ. Id constat ex argumentis ex Scriptura desumptis, quibus probavimus thesim: et confirmatur etiam ex eo quod sacrificia ac expiationes non pro omnibus, sed pro quibusdam præcipiebantur peccatis et valebant. Certe si habuissent vim expiandi peccata quoad culpam, et pœnam æternam peccatis debitam, omnia simul peccata expiassent; nam peccatum unum sine

[1] L. 2. de pecc. orig. c. 32.

altero coram Deo remitti non potest, et gratia sanctificans, cujus infusione peccata remittuntur, stare nequit cum peccato aliquo. Remissio autem legalis a peccato erat illa, qua fiebat ut peccatum homini non imputaretur ad pœnam lege sancitam: quapropter illi qui præscriptis a lege cæremoniis et sacrificio se purgabant, exempti erant a pœna temporali et maledictionibus comminatis.[1] Peccatum etiam legale dicebatur immunditia quædam corporis, quæ etiamsi esset sine culpa, reddebat Judæos inhabiles ad colendum Deum cæremoniis legalibus, ac proinde species quædam erat irregularitatis: ab ea sanctificatio legalis Judæum liberabat, et eum reddebat cultui.—Præterea, sacrificia Mosaica, sicut antea declaravimus, homini nondum justificato valere poterant ad obtinendam remissionem peccatorum per modum impetrationis; ad quem finem, nempe ad impetrandum a Deo auxilium quo peccator se disponeret ad justificationem, multum juvare etiam poterat Sacerdotis oratio.

2.—Inane prorsus est argumentum quod, ut ostenderet parem fuisse efficaciam sacramentorum veteris ac novæ legis, Calvinus deducebat ex I. Cor. x. 3–4., et magni faciebat. Apostolus loquens de manna Hebræorum et de aqua scaturiente ex petra, ait: "Eamdem escam spiritalem manducaverunt et eumdem potum spiritalem biberunt." Et Calvinus concludebat: "Ergo primum in sacramentis pares nobis facit, nec ullam prærogativæ particulam nobis relinquit."[2]—Sed S. Paulus comparat ibi Hebræos inter se, qui omnes illud manna comederunt, et aquam biberunt ex eadem petra; non comparationem instituit inter nos et Hebræos, quasi diceret: Hebræos comedisse eamdem escam, et bibisse eumdem potum in deserto, quæ nos comedimus et bibimus in Eucharistia. Escam autem spiritalem et potum spiritalem appellat non ob vim causandi sanctitatem internam, sed ratione spiritalis significationis. Etenim manna de cælo datum Christum figurabat cælitus missum, et in Eucharistia præsentem ut alimentum vitæ æternæ præ-

[1] Deut. XXVIII. 15. et seq.: "Quod si audire nolueris vocem Domini Dei tui, ut custodias, et facias omnia mandata ejus et cæremonias quas ego præcipio tibi hodie, venient super te omnes maledictiones istæ, et apprehendent te. Maledictus eris in civitate, maledictus in agro. Maledictum horreum tuum, et maledictæ reliquiæ tuæ. . . . ."

[2] L. 4. Instit. c. 14.

beret fidelibus suis; rupes percussa adumbrabat Christum in cruce lancea vulneratum; aqua, baptismum.

3.—Patres qui Circumcisioni virtutem justificandi tribuere videntur, hoc unice sibi volunt, nempe Circumcisionem institutam fuisse ad remissionem peccati originalis pro masculis Judæorum. Si dicunt Circumcisionem justificasse,—et tamen, ut probavimus, iidem Patres, aliis in locis, hoc negant apertissime—id faciunt quia nos quandoque solemus etiam conditioni tribuere effectum, qui causæ suæ est proprius, quum causa in productione effectus alligata est conditioni sine qua non, sive huic conditioni causa se alligaverit sponte ac liberaliter, ut in præsenti re Deus, sive alligata aliunde fuerit.

THESIS V.

Vetera sacramenta divinitus instituta fuerunt ad homines divino cultui consecrandos, et ad significandam gratiam in nova lege conferendam per merita Christi. Sacramenta igitur sive nova, sive vetera, quatenus in generica ratione sacramenti, strictiori sensu accepti, conveniunt, apte definiuntur: signa sensibilia, sacra, a Deo permanenter instituta ad significandam gratiam, et ad homines, qui rite ea susciperent, sanctificandos.

Apertissime constat ex hucusque dictis, sacramenta vetera, seu quæ extiterant ante legem christianam, sacra signa fuisse, non solum ratione rei significatæ, sed etiam in se et ratione rei significantis: significabant enim futurum Liberatorem, gratiamque per ipsum conferendam in nova lege; et homines ea suscipientes sanctificabant sanctitate externa, ac consignabant divino cultui. Differebant ergo vetera a sacramentis institutis in lege nova, quia sanctificantem gratiam, ut ista, non conferebant; attamen cum istis, sub ratione sacramenti strictiori sensu accepti, conveniebant, quia, sicut ista, a Deo ad sanctificationem hominum instituta fuerant. Quamobrem sacramenti rationem prout convenit novis atque veteribus considerare possumus, atque sacramenti in genere sumpti tradere definitionem: et id præstamus in hac thesi.

Verum, prius quam definitio proponatur ac vindicetur, quædam dubia occurrunt, quæ solvi debent. Et primo, dubitatur utrum sacra-

mentum definiri possit necne: nam, sacramentum unum per se non est, sed aggregatum ex multis, et quidem tale ut significet et sanctificet; significare autem et sanctificare ad diversa prædicamenta pertinent, Relationis nempe et Actionis, ac proinde in unam eamdemque rationem sacramenti conjungi nequeunt.

Respondemus, sacramentum *physice* non esse unum, utpote constans ex rebus saltem et significatione; sed unum esse *moraliter et in genere signi.* Etenim si in sacramento spectamus significationem et rem significantem, hæc duo per modum actus et potentiæ conjuncta videmus; si vero rem ipsam consideramus ad significandum impositam, etsi hæc interdum non sit una tantum sed componatur ex multis, adhuc tamen in eis aliquam certam habitudinem, aliquem certum ordinem invenimus quo unum sacramentum componunt sub ratione signi. Ad eumdem fere modum unitas reperitur in exercitu, in civitate, in familia, in regno; et ratione unitatis ejusdem theologi definiunt Ecclesiam, Concilia et alia id genus, quæ si considerentur *physice* entia sunt per aggregationem.

Præterea ex duabus illis rationibus quæ in quolibet sacramento, strictiori sensu accepto, inveniuntur, sanctificationem nempe conferre, et significare; altera requiritur ex parte materiæ, seu rei ad significandum impositæ, altera ex parte rationis formalis: ac proinde conjungi possunt ad unum, quod definiri valeat, efficiendum. Etenim res quæ ad significandam gratiam assumitur, ait Suarez,[1] supponi, vel institui debet ut cæremonia sacra aliquam conferens sanctificationem: hæc autem res veluti materia habetur, cui significatio accedit tamquam ultima sacramenti constitutiva quædam forma.

Secundo loco, dubitatur utrum univoca definitio competat necne sacramentis utriusque legis, antiquæ et novæ; nam sacramenta vetera tantum distare videntur a ratione sacramenti, quæ invenitur in aliis legis Evangelicæ, quantum sanctitas externa et legalis quam illa conferebant distat a sanctitate interna et gratiæ habitualis, quæ istorum est effectus proprius. Porro legalis sanctitas non univoce, sed analogice tantum sanctitas est relate ad sanctitatem gratiæ habitualis: sicut ergo sacramenta antiquæ legis, non univocam, sed analogicam tantum afferebant sanctitatem, si hæc sanctitati comparetur quam nova sacramenta

---

[1] In 3. p. D. Thomæ q. 60. a. 3. disp. 1. sect. 2. n. 13.

efficiunt; ita non univoce, sed analogice videntur sacramenta vetera esse relate ad nova, atque utrisque definitio univoca competere non videtur.

Respondemus, quamvis sanctitas analogice dicatur de sanctitate gratiæ habitualis et sanctitate legali; possumus tamen a sacramentis utriusque legis conceptum univocum et communem abstrahere, quem declaramus nomine *sanctificationis*, prout valet, latiori significatione, specialem creaturæ cum Deo conjunctionem, et consecrationem alicujus rei factam Deo. Etenim sacramenta vetera, ut vidimus, vere homines Deo consecrabant ac peculiariter conjungebant; licet multo excellentior conjunctio hominis cum Deo fiat per gratiam sanctificantem ac proinde per sacramenta novæ legis, quæ eam conferunt. Nobilior atque perfectior cum Deo conjunctio profecto non impedit quominus alia inferior et imperfectior conjunctio vera fuerit, et cum ea communem rationem habeat sub conceptu generico et præcisivo conjunctionis cum ipso Deo.

Concilium Florentinum, in Decretis pro Armenis et Jacobitis sæpe citatis, et Concilium Tridentinum, sessione 7., sacramenta vetera supponunt *veri nominis* esse sacramenta et *generice* convenire cum nostris: quod etiam docuerunt Patres, ut evidenter apparet ex thesibus præcedentibus.—S. Thomas in 4. dist. (1. art. 1. quæst. 3. ad 5.), dixit: *Sacramentum non dividitur per sacramenta veteris et novæ legis, sicut genus per species, sed sicut analogum in suas partes;*[1] verum in Summa Theologica tradidit contrarium, ostendens sacramenta *proprie* dici illa quæ extiterant in veteri lege. In 1. 2. (q. 102. a. 5.), ait: "Respondeo dicendum quod, sicut supra dictum est, qu. 101. art. 4., sacramenta proprie dicuntur illa quæ adhibebantur a Dei cultoribus ad quamdam consecrationem, per quam scilicet deputabantur quodammodo ad cultum Dei. Cultus autem Dei generali quidem modo pertinebat ad

[1] Dom. Soto, Cabrera, Joannes a S. Th., Sylvius et alii fatentur Angelicum Doctorem hanc sententiam, re attentius inspecta, retractasse in Summa. Billuart vero conatur declarare verba S. Thomæ sequenti pacto:

"Sed absque eo quod recurramus ad retractationem, respondeo, secundo, S. Thomam ibi agere vices commentatoris, variasque sacramentorum definitiones explicare, quæ cum continerent nedum quod in sacramentis est formale, scilicet rationem signi, sed etiam id quod est materiale et adjunctum, scilicet rationem causæ; juxta illas dixit S. D. rationem sacramenti, nimirum quoad materiale et formale, compleri per rationem causæ et signi, et id quod significat tantum, non esse sacramentum nisi secundum quid, et analogice convenire cum sacramentis novæ legis. Hic autem partes magistri agens, et tradens definitionem sacramenti secundum id quod in eo formale est tantum, aliter locutus est." T. 16. dissert. 1. a. 1.

totum populum, sed speciali modo pertinebat ad sacerdotes et Levitas, qui erant ministri cultus divini. Et ideo in istis sacramentis veteris legis quædam pertinebant communiter ad totum populum, quædam autem specialiter ad ministros."—In 3. parte (q. 60. a. 2.), ubi de sacramenti definitione agit, respondet: "Proprie dicitur sacramentum quod est signum alicujus rei sacræ ad homines pertinentis, ut scilicet proprie dicatur sacramentum, secundum quod nunc de sacramentis loquimur, quod est *signum rei sacræ in quantum est sanctificans homines.*" Et in responsione ad 2. prosequitur: "Quædam ad Vetus Testamentum pertinentia significabant sanctitatem Christi, secundum quod in se sanctus est; quædam vero significabant sanctitatem ejus, in quantum per ea nos sanctificamur; sicut immolatio Agni Pascalis significabat immolationem Christi, qua sanctificati sumus: et talia dicuntur proprie veteris legis sacramenta."

Difficultatibus explanatis, sacramenti *generice* sumpti definitionem proponimus et declaramus. Itaque sacramentum in genere est signum sensibile, sacrum, a Deo permanenter institutum ad significandam gratiam, et ad homines qui illud rite suscipiunt, sanctificandos.

Dicimus

1.—*Signum*, nam omne sacramentum in cognitionem rei sacræ, quam significat, ducit: et quamvis omnibus sacramentis commune sit etiam aliquam conferre sanctificationem, sive perfectam, sive imperfectam, sacramentum tamen rectius in genere signi ponitur, quam causæ; quia omnia, tam antiqua quam nova eamdem gratiam significant, dum illam sanctificationem non efficiebant vetera, quam nova efficiunt.

2.—*Sensibile*, seu quod potest per se percipi sensu externo: et intelligitur, non modo de materiali substantia, sed etiam de actione sensibili.

3.—*Sacrum*, tum *objective* idest ex parte rei significatæ, tum *subjective*, idest ex parte rei significantis.

4.—*A Deo institutum*, nempe ex *libera institutione Dei:* nulla enim res sensibilis natura sua significare potest gratiam: et sicut est Dei solius, ut causa principalis, eam conferre; ita et ejusdem est solius, auctoritate propria, instituere signa quæ certo gratiam significent.

5.—*Permanenter*, hoc sensu, ut eousque lege stabili, similique semper ritu quoad substantiam conferatur, quousque durabit status et forma religionis pro qua institutum fuit. Sacramenta enim cæremoniæ præ-

cipuæ sunt, quibus homines in unam uniuntur religionem, in unitate fidei ac conformitate divini cultus continentur, et distinguuntur ab aliis qui verum cultum non observant: permanere igitur tamdiu debent, quamdiu permanebit religio pro qua instituta fuerant.

6.—*Ad significandam gratiam et ad homines qui rite illud suscipiunt sanctificandos;* nam sacramenta omnia ad significandam gratiam ordinata fuerunt, et ad aliquam sanctificationem ea rite suscipientibus conferendam.

Hæc autem definitio, quam exposuimus, omni ut patet sacramento convenit, et soli, quia illis quæ sacramenta strictiori sensu non sunt aptari nequit. Sic 1.—e sacramentorum censu in lege veteri excludendæ sunt res et actiones quæ gratiam Novi Testamenti præfigurabant, sed nec permanenter institutæ fuerant a Deo pro toto Mosaicæ legis statu, nec ad hominum sanctificationem; adhibitæ vero fuerunt ad alicujus emolumenti temporalis, ut curationis, refectionis, terrenæ felicitatis elargitionem. Talia fuerunt ex. gr., transitus per mare rubrum, serpens æneus in deserto erectus, aqua de petra manans, manna. 2.—Pariter, in lege nova recenseri non debent inter sacramenta descensus columbæ in baptismo Christi; verba Christi ad Magdalenam dicentis: *remittuntur tibi peccata;* lotio pedum in cœna Domini, de qua postea longior erit sermo; cum ritus religiosi non fuerint, qui lege stabili ex Christi institutione adhiberentur in Ecclesia ad sanctificandos homines. 3.—Ab albo sacramentorum excluduntur quævis cæremoniæ sacræ ab Ecclesia institutæ, ut benedictio abbatum, unctio regum, exorcismi, applicatio salis et salivæ, unctio cum chrismate et alii ritus in solemni administratione baptismi, professio religiosa; etc. 4.—Sacrificium etiam, *qua tale,* excluditur, cum ex se principaliter ad cultum Deo exhibendum referatur, sacramentum vero ad sanctificandos homines Dei cultores. Nihil tamen obstat quominus, sub ratione diversa, idem et sacrificium esse queat, et sacramentum.

ARTICULUS TERTIUS

De ratione specifica sacramentorum legis novæ.

Sacramenta novæ legis digne suscipientibus gratiam sanctificantem conferunt, quam significant. Hanc specificam sacramentorum nostrorum rationem negaverunt Protestantes, ea tantummodo esse dicentes vel actiones symbolicas quibus Christiani fidem confitentur, vel signa quæ fidem excitant roborantque, vel divinarum promissionum pignora atque sigilla. Etenim, Zwinglius sacramenta esse aiebat: "Signa vel cæremonias quibus se homo Ecclesiæ probat aut candidatum, aut militem esse Christi." [1]—Juxta Calvinum, "sacramentum est externum symbolum, quo benevolentiæ erga nos suæ promissiones conscientiis nostris Dominus obsignat, ad sustendandam fidei nostræ imbecillitatem : et nos vicissim pietatem erga eum nostram tam coram eo et Angelis, quam apud homines testamur." [2] Quapropter "hoc unicum esse sacramentorum officium," Calvinus docuit, "ut Dei promissiones oculis nostris spectandas subjiciant, et eorum nobis sint pignora." [3]—Lutherus dixit: "Sacramenta sunt signa quæ habent annexum verbum promissionis, quod fidem exigit. . . . . . Ideo sunt signa seu sacramenta justificationis, quia sunt *sacramenta justificantis fidei et non operis;* unde et tota eorum efficacia *est ipsa fides, non operatio.*[4]—Socinianis et Rationalistis sacramenta sunt unice ritus quibus Christiani a Judæis et Gentilibus distinguuntur, et solum paganorum ritibus ideo præstantiores, quia illis homines Christi doctrinæ initiantur et in ea profitenda confirmantur.

Hos omnes errores Concilium Tridentinum (sess. 7.), damnavit; his opposuit canones quos supra nos retulimus; [5] et definivit, (can. 8.): "Si quis dixerit per ipsa novæ legis sacramenta *ex opere operato* non

---

1) De ver. et fals. relig. Op. t. 2. f. 198. p. 2.

2) Instit. l. 4. c. 14.

3) Ibid. § 12.

4) De capt. Babyl. Opp. ed. c. t. 2. f. 75. p. 2.

5) V. p. 16.

conferri gratiam, sed solam fidem divinæ promissionis ad gratiam consequendam sufficere; anathema sit."

Quinam est sensus verus istius formulæ, in quam tam acriter invehunt adversarii nostri, ipsam etiam enunciationis formam carpentes, quasi Tridentina Synodus regulas verborum ignoraverit, quæ grammatici appellant *deponentia?*

Modus hic loquendi theologicus quo *opus operatum* ab *opere operantis* distinguitur, et ipsum opus quod efficitur designatur, jam in usu fuerat Doctoribus sæculo XII.[1] Cum autem esset aptissimus ad dogma revelatum de sacramentorum efficacitate brevissime exprimendum, Concilium Tridentinum illum sancivit et veluti Catholicæ veritatis tesseram fecit adversus Protestantium aberrationes, qui et dogma ipsum negabant et verba quibus exprimi solebat calumniabantur. In hac ergo Tridentini formula, "per sacramenta novæ legis *ex opere operato* confertur gratia," sine ullo dubio vox *operatum* passiva significatione adhibetur pro opere ipso, seu pro sacramentali signo effecto: at *operatum* passive accipitur a Lactantio (de Inst. div. VII. 27.), *inoperatum* idem est ac *non factum* apud S. Ambrosium (de Incarn. c. 9.); in Vulgata versione Scripturæ similiter passive usurpantur verba *promereri, exhortari, consolari, interpretari.*[2] Et si adhuc mussant grammatici, sciant passive Ennium apud Ciceronem usurpasse *dominor*,[3] et etiam passiva positione *ulciscor* Sallustium adhibuisse.[4]

Sed hæc hactenus. Ad rem quod attinet, *opus operatum* in sacramentis opponitur *operi operantis*, seu operationi meritoriæ, qua ipse operans sibi vel alteri aliquid meretur aut impetrat. "Quando igitur," ait P. Franzelin,[5] "sacramenta dicuntur valere *ex opere operato* ad conferendam gratiam; significatur *a*) *positive*, ipsum sensibile signum juxta Christi institutionem adhibitum valere ad gratiam conferendam; signi-

---

[1] Baptizatio dicitur actio illius [ministri] qua baptizat, quæ est aliud opus quam baptismus, quia est *opus operans*, sed baptismus est *opus operatum, ut ita liceat loqui.*" Petrus Pictaviensis, Sent. p. 5. c. 6.—Confer Innoc. III. de myst. Missæ, l. 3. c. 5.; S. Bonav. 4. dist. 1. p. 1. a. 1. q. 5.; S. Th. 4. dist. 1. a. 5.

[2] Ad Heb. XIII. 16.; II. ad Cor. I. 4. 6.; Joan. I. 42. IX. 7. etc.

[3] "O domus Anci, heu quam dispari domino dominaris!" de Off. I. 39.

[4] "Quidquid sine sanguine civium ulcisci nequitur, jure factum sit." In Jugurt. c. 31.

[5] De sacram. in genere, p. 65.

ficatur *b*) *negative*, hanc virtutem sacramenta habere, et gratiam sacramentalem conferri *non ex opere operantis*, quod sit sive ab administrante sive a suscipiente, h. e. non ex aliquo actu quatenus *meritorio*, quo ille ministrando, hic suscipiendo sacramentum gratiam mereatur. At *c*) illa formula non significatur excludi, sed immo significatur includi actus liberos ministrantis, quia sine his opus operatum nec esse nec intelligi potest; et adsignificantur liberi aliqui actus suscipientis adulti, partim ut ipsum opus operatum valide ponatur, partim ut removeantur impedimenta, quæ collationi gratiæ ac proinde actuali exsertioni valoris in opere operato ad conferendam gratiam obstarent. Quia igitur opus operatum valet quidem ad conferendam gratiam, actualis tamen exsertio hujus virtutis potest in adultis impediri indispositione repugnante infusioni gratiæ; ideo explicite additur in Concilio Tridentino: 'sacramenta conferre gratiam *non ponentibus obicem*' (sess. 7. can. 6.); vel ut habet (can. 7.): 'dari gratiam per sacramenta semper et omnibus, *quantum est ex parte Dei.*' "

Quod ut clarius appareat, et tergiversationibus præcludatur aditus, recolatur doctrina ejusdem Concilii de justificatione. Plures ad eam causas concurrere Concilium docet:[1] *finalem*, quæ est gloria Dei et Christi, ac vita æterna; *efficientem*, quæ est Deus misericors, qui gratuito abluit et sanctificat; *meritoriam*, nempe Unigenitum Dei Filium, qui pro peccatis nostris satisfecit divinæ justitiæ, et nobis promeruit justificationem; *instrumentalem*, scilicet sacramenta; *formalem*, nimirum justitiam Dei, non qua ipse est justus, sed qua nos justos facit. Præter has *causas*, Concilium *dispositiones* enumerat[2] quæ in adultis requiruntur ut justificari possint, videlicet: *fidei*, qua ipsi libere moventur in Deum, credentes vera esse revelata et promissa divinitus, "*atque illud imprimis, a Deo justificari impium per gratiam ejus, per redemptionem quæ est in Christo Jesu;*" *timoris*, quo peccatores se esse intelligentes, utiliter concutiuntur; *spei*, qua se ad Deum erigunt fidentes ipsum sibi propter Christum propitium fore; *amoris*, quo Deum tamquam omnis justitiæ fontem diligere incipiunt; *detestationis peccati* cum proposito inchoandi novam vitam, et suscipiendi baptismum seu Pœnitentiam.

---

[1] Sess. 6. c. 7.   [2] Ibid. c. 6.

Sacramenta itaque, juxta catholicam doctrinam, sunt *a*) *instrumenta Christi*, cujus merita sunt principalis et prima causa moralis omnis gratiæ: *b*) *instrumenta Dei* per quæ ipse nos justificat. Et in horum instrumentorum usu duo distinguimus, *actionem* nempe *externam*, qua sacramentale signum perficit minister probus aut improbus, eamque applicat subjecto sive rite disposito, sive non; et *internam atque ineffabilem actionem Dei*, qua ipse, *non intuitu probitatis ministrantis, aut dispositionis suscipientis, sed ob dignitatem illius signi sacramentalis exhibiti*, in quo divina misericordia et merita Christi relucent, elargitur gratiam, quæ, modo pravæ voluntatis obicem non inveniat—ut autem illum non inveniat faciunt dispositiones prædictæ,—suscipientes mundat, innovat, sanctificat.

Calumniantur ergo vel miserrime saltem decipiuntur Protestantes quando, formulam catholicam de efficacia sacramentorum *ex opere operato* perperam exponentes, sensus falsos et absurdos eidem affigunt, et dicunt Deum juxta nostram doctrinam "extrinsecis symbolis resignasse vices suas;" quasi faber serræ vices suas resignet dum serra secat: aut nos abstrahere homines a Christo et ab ejus passione, "mentesque hominum alligare rebus corporalibus, ita ut in eis potius acquiescant quam in ipso Deo;" quasi sacramenta dicere instrumenta Christi et Dei, et urgere homines ut a peccatis mundentur, ac per sacramenta sanctificentur a Deo et Christo, ab eis homines retrahat, et alliget terræ.—Mentiuntur pariter, aut certe falluntur quando dicunt "gratiam conferre *ex opere operato* idem esse ac eam conferre peccatori sine fide aut bono cordis motu;" vel asserunt nos illa formula significare gratiam dari "omnibus recipientibus solam sacramenti externi actionem, licet alioquin sint fide et pietate vacui, dummodo non ponant obicem peccati mortalis:" cum Concilium Tridentinum (sess. 6. cc. 6. et 7.) *de necessitate præparationis ad justificationem in adultis et de modo illius præparationis* egerit, et statuerit eos ad justitiam in primis disponi fide, quam excitati divina gratia et ab ea adjuti concipiunt.—Nec a veritate minus abscedunt adversarii dum affirmant nos ut dogma fidei tenere sacramenta novæ legis per virtutem sibimetipsis inhærentem *physice* conferre gratiam. Concilium dixit sacramenta esse *instrumenta Dei*, non declaravit quomodo sint talia: quæstio de modo quo ipsa causæ sint instrumentales ad conferendam gratiam, an, scilicet, *physice* attingendo effectum, an

moraliter tantum, ad fidem non spectat, libere inter Catholicos Doctores disputatur, et suo loco de ea loquemur. Unum quod modo contendimus, definitionem fidei a Concilio Tridentino latam vindicantes, est, sacramenta, sensu jam exposito, veras esse causas instrumentales justificationis.

Sit igitur

THESIS VI.

Sacramenta novæ legis non ponentibus obicem, ex opere operato, idest vi et efficacitate sua propria instrumentali, sanctificantem gratiam conferunt, quam significant.

Probatur *ex Scripturis.—a)* Joan. (III. 5.), legimus : "Respondit Jesus : Amen, amen dico tibi : nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei."—Unde sic argumentamur :

Hoc loco Christus loquitur de spirituali regeneratione hominis per gratiam sanctificantem. Atqui regeneratio ista tribuitur aquæ, seu baptismo, ut effectus causæ instrumentali. Ergo baptismus est causa instrumentalis ad spiritualem hominis regenerationem efficiendam, et ad collationem gratiæ sanctificantis.

Major ex sententia Salvatoris clara est : nativitatem enim spiritualem per sanctificantem gratiam ibi significatam fuisse, demonstrant verba *renatus ex Spiritu Sancto,* quæ nequeunt intelligi de nova nativitate secundum carnem ; et alia *non potest introire in regnum Dei,* quibus sicuti *non renatis* exclusio a regno Dei denuntiatur, ita *renatis* promittitur salus æterna, quam nonnisi justificati et sanctificati per gratiam consequi possunt.—Illustratur etiam Major ex contextu ; nam Jesus Nicodemo dixerat (v. 3.) : "Nisi quis renatus fuerit denuo non potest videre regnum Dei ;" et Nicodemus qui, adhuc carnalis, carnaliter intellexerat verba Magistri, interrogaverat (v. 4.) : "Quomodo potest homo nasci cum sit senex." Tunc, ut ostenderet spiritaliter esse intelligendum id quod a se dictum fuerat, et declararet quid esset, Jesus respondit : "Amen, amen dico tibi : nisi quis renatus fuerit," etc. : et in confirmationem, docens se nullo modo locutum fuisse de generatione carnali, in qua Nicodemus hærebat, cum hæc nihil valeat ad regnum Dei conse-

quendum, plurimum vero impediat, dixit (v. 6.): "Quod natum est ex carne, caro est; quod natum est ex spiritu, spiritus est:" et addidit (v. 7.): "Non mireris quia dixi tibi: oportet vos nasci denuo;" nimirum, de spirituali loquor generatione ex Spiritu, per gratiam sanctificantem; non, ut putas, de carnali, de qua si loquerer mirari posses.

Minor probatur, quia particula causalis *ex* certe designat Spiritum Sanctum ut causam regenerationis hujus spiritualis. Sed illa particula non refertur solum ad Spiritum Sanctum, sed ad complexum "ex aqua et Spiritu Sancto." Ergo et aqua etiam designatur ut causa ejusdem regenerationis; non utique aliter ac ut instrumentalis causa sub operatione Spiritus Sancti: quod per se patet.

Neque potest dici, locutionem hanc, *renasci ex aqua*, significare *renasci ex fide, quam excitat aqua.* Etenim, ut egregie adnotaverat Bellarminus:[1] primo, debuisset potius Christus dicere: nisi quis renatus fuerit ex verbo et Spiritu Sancto, quam ex aqua et Spiritu Sancto; cum principalior causa excitandæ fidei sit verbum, quam aqua. Secundo, sermo Christi fuisset omnino inintelligibilis: nihil enim dixerat antea de fide. Tertio, falsa esset propositio: *nisi quis renatus fuerit ex aqua:* nam si fides sola justificat, et nonnisi ad excitandam fidem valet aqua baptismi; prorsus impertinens ad salutem est unde fides excitetur, sive ex aqua, sive ex alia re: et constat multis modis eam excitari absque baptismo aquæ.

Unicum ergo effugium, ad eludendam vim argumenti pro re nostra desumpti ex verbis Christi mox citatis, est in interpretatione metaphorica vocis *aqua*, ita ut non agatur in textu de vero baptismo aquæ, sed figurate de interiori renovatione per Spiritum Sanctum; et significetur Spiritum Sanctum mundare instar aquæ, seu sicut aqua mundat corpus. Et hoc effugium novatores sæculi XVI. excogitaverunt, afferentes ut exemplum similis locutionis figuratæ illud Matt. (III. 11.): "Ipse vos baptizabit in Spiritu Sancto et igni."

Sed effugium est vanum. Etenim, præterquam quod huic interpretationi, vel melius Scripturarum perversioni, opponitur constans, universalis traditio Ecclesiæ, quæ ab initio semper hunc textum Evangelii Joannis intellexit de baptismo aquæ,[2] respondetur: 1.—Si textus iste

[1] Disput. de Controv. Christ. fidei, t. 3. l. 2. c. 3.

[2] V. S. Justin. Apol. 1. n. 61.; Tertull. L. de bapt. c. 12.; Origen. in Ep. ad Rom.

intelligi debet metaphorice, ideoque non de baptismo aquæ, sed de Spiritu Sancto; eodem modo poterunt omnes Scripturarum textus similes intelligi, et sic negari posset baptismum aquæ institutum fuisse in Ecclesia Christi. 2.—Certe locutio Christi, juxta sensum adversariorum, coacta prorsus esset et Scripturis inusitata; nam quod affertur exemplum ex Matt. (III. 11.), non valet,—tum quia per *ignem*, proprio sensu et ad litteram, *ignis ille externus et visibilis* intelligi potest, qui in die Pentecostes descendit super Apostolos, ut nonnulli Patres exponunt;—tum quia in textu S. Matthæi *ignis postponitur* Spiritui Sancto, sicque non absurde sumi potest sive pro ipso Spiritu Sancto, sive pro igne caritatis, cum absurdum non sit post unum vocabulum aliud poni, quo declaretur; at in textu S. Joannis *aqua præponitur* Spiritui Sancto, et declaratio non præponitur ei quod declarari debet:—tum quia verba Scripturæ intelligenda sunt obvio sensu si nihil obstet, et nullum profecto inconveniens erit si intelligatur baptismus aquæ conferendus: secus vero si baptismus ignis:—tum demum, quia Ecclesia baptizavit in aqua semper, numquam in igne, et hac praxi probavit verba Evan. Joan. (III. 5.) intelligenda esse litteraliter, et metaphorice ea quæ legimus apud Matt. (III. 11.). 3.—Si aqua in testimonio Joannis non poneretur nisi ad explicandum effectum Spiritus Sancti, recte conjungi non deberet cum verbo renascendi, et assumi ad significandam, metaphorice, spiritualem hominis regenerationem: aqua non gignit, et Christus dicere non debuisset: nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto.

b) Baptismo dicuntur *ablui* peccata: ergo baptismo ut causæ attribuitur effectus supernaturalis, qui nonnisi per infusionem gratiæ sanctificantis obtineri potest.—Antecedens constat ex libro Act. (XXII. 16.): "Baptizare et ablue peccata tua invocato nomine ipsius [Christi]." —Consequentia patet, nam illa locutione apertissime significatur, per aquam baptismi, tamquam per causam veram et propriam, quamvis instrumentalem, peccata supernaturaliter ablui, sicut per aquam tamquam per causam veram et propriam, in ordine naturali, abluuntur sordes corporis.

Calvinus dicit, abluere peccata baptismo nihil aliud esse nisi accipere

---

l. 5. n. 8.; S. Cyprian. l. 3. ad Quirinum c. 25.; Didym. Alex. de Trin. l. 2. c. 12.; S. Ambr. l. 3. de Spiritu Sancto, c. 10.; etc., etc.

testimonium acceptæ justificationis. Sed merito Bellarminus respondet: "Quis non miratur novum istum tropum. . . . . Inauditum est enim ut actio significata ponatur ad significandum signum: et quod actio futura ponatur ad significandam præteritam. . . . Si imperatori revertenti cum victoria diceretur: *vince hostes;* idque diceretur ad significandum: *accipe triumphum in signum præteritæ victoriæ,* absurdissima esset locutio. Non enim recte dicitur, vince hostes, ei qui jam pugnavit et vicit." [1]

c) Simile argumentum deducitur ex Epistolis S. Pauli. Ad Titum (III. 5.), ait: "Secundum suam misericordiam [Salvator noster Deus] salvos nos fecit *per lavacrum regenerationis et renovationis* Spiritus Sancti;" et ad Eph. (V. 26.): "Mundans [Christus] *lavacro aquæ* in verbo vitæ." His locis explicite relatio sacramenti ut causæ instrumentalis ad gratiam ut ejus effectum significatur: *per* illud enim lavacrum Deus nos salvat: *illo* suam Ecclesiam Christus mundat.

d) Optima ratio ad thesim nostram evincendam desumitur etiam ex Act. (II. 37. 38.): "His autem auditis, compuncti sunt corde, et dixerunt ad Petrum et ad reliquos Apostolos: quid faciemus, viri fratres? Petrus vero ad illos: Pœnitentiam (inquit) agite, et baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi, in remissionem peccatorum vestrorum." Hi, quos Petrus alloquitur, jam, compuncti corde, credebant et tamen per fidem non erant justificati, cum imposuerit eis Petrus pœnitentiam agere, nobis utique necessariam *non quia obtenta est peccatorum remissio, sed ut impetretur:* ipsi ergo, ut justificationem consequerentur *per baptismum,* baptizari debebant; et hoc patenter ostendunt verba Petri "*in remissionem peccatorum vestrorum.*" Sane si medicus ægro præscribat balneum in sanitatem, quis est qui non intelligat balneum esse medium ad sanitatem recuperandam, ægrum hujus balnei virtute curari posse?

e) Tandem, argumenta proposita confirmantur ex comparatione testimoniorum quæ in Scripturis habentur de baptismate Joannis cum aliis quæ respiciunt baptismum institutum a Christo. Baptismus Joannis dicitur *baptismus pœnitentiæ,* vel, quod idem sonat, "*pœnitentiæ in remissionem peccatorum,*" quia incisum "in remissionem peccatorum" immediate pendet a nomine *pœnitentiæ:* [2]—baptismus a Christo institutus

---

[1] L. c.

[2] "Fuit Joannes in deserto baptizans, et prædicans *baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum.*" Marc. I. 4.

est *in remissionem peccatorum.* Joannes baptizavit aqua,—Christus baptizat in Spiritu Sancto. Joan. (I. 26. 27.): "Ego baptizo in aqua: medius autem vestrum stetit, quem vos nescitis."—(Matt. III. 11.): "Ipse est, qui post me venturus est, qui ante me factus est, cujus ego non sum dignus, ut solvam ejus corrigiam calceamenti;" et (33.): "Qui misit me baptizare in aqua, ille mihi dixit: Super quem videris Spiritum descendentem et manentem super eum, hic est, qui baptizat in Spiritu Sancto."

f) Quod vero alia novæ legis sacramenta, præter baptismum, sanctificantem gratiam conferant *ex opere operato,* ostenditur etiam ex Scripturis. De *Confirmatione* enim dicitur, Act. (VIII. 17.): "Tunc imponebant manus super illos, et accipiebant Spiritum Sanctum;"—De *Eucharistia,* Joan. (VI. 57.): "Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in illo:" hæc autem mansio non fit nisi per gratiam sanctificantem, juxta illud Joan. (XIV. 23.): "Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus;"—De *Pœnitentia,* Joan. (XX. 22. 23.): "Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt;"—De *Extrema Unctione,* Jac. (V. 14. 15.): "Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros Ecclesiæ, et orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini; et oratio fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus; et si in peccatis sit, remittentur ei;"—De *Ordine,* II. ad Tim. (I. 6.): "Admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum;"—denique *Matrimonium* Christianorum esse sacramentum conferens *ex opere operato* gratiam demonstratur ex Ep. ad Eph. V., et ex Joan. II. 1–11., simul cum perpetua traditione Ecclesiæ. Sed de his suis locis.

II. Probatur thesis *ex Traditione,* cujus locupletissimos proferre testes in promptu est. Eos redigimus in quasdam classes, et eorum aliquos subjicimus ad exemplum.

"Et venit in omnem regionem Jordanis, prædicans *baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum.*" Luc. III. 3.

"Prædicante Joanne ante faciem adventus ejus *baptismum pœnitentiæ* omni populo Israel." Act. XIII. 24.

"Dixit autem Paulus: Joannes baptizavit *baptismo pœnitentiæ* populum dicens, in eum qui venturus esset post ipsum ut crederent, hoc est, in Jesum." Act. XIX. 4.

Patres docent *a*) Baptismum[1] esse admiratione dignissimum, quia *signum illud visibile producit stupendum effectum sanctificationis.*

Tertullianus (de baptismo, c. 2.) ait: "Nihil adeo est quod tam obduret mentes hominum quam simplicitas divinorum operum quæ in actu videntur, et magnificentia quæ in effectu repromittitur; ut hic quoque, quoniam tanta simplicitate, sine pompa, sine apparatu novo aliquo, denique sine sumptu, homo in aqua demissus, et inter pauca verba tinctus, non multo vel nihil mundior resurgit, eo incredibilis existimetur consecutio æternitatis. . . . Proh! misera incredulitas, quæ denegas Deo proprietates suas, simplicitatem et potestatem. Quid ergo? Nonne mirandum est lavacro dilui mortem? Atquin eo magis credendum, si, quia mirandum est, idcirco non creditur. Qualia enim decet esse opera divina, nisi super omnem admirationem? Nos quoque ipsi miramur, sed quia credimus."

S. Cyr. Hieros. (Catech. 20. Mystagogica 2. c. 4.) dicit: "Postea ad sanctam divini baptismatis piscinam deducti estis uti Christus a cruce ad positum coram sepulcrum. Et interrogatus est unusquisque utrum crederet in nomen Patris et Filii et Spiritus Sancti. Confessique estis salutarem confessionem, ac demersi estis tertio in aquam, rursumque emersistis, atque hic in imagine et symbolo triduanam Christi significastis sepulturam. Sicut enim Salvator noster tres dies et noctes tres in ventre terræ egit: sic et vos in prima emersione primam quam in terra Christus exegit diem, et immersione noctem, imitati estis . . . eodemque momento *et mortui et nati estis, illaque unda salutaris* et sepulchrum vobis et mater effecta est. . . . . O novum inauditumque rerum genus! Non sumus vere mortui nec vere sepulti, nec vere crucifixi resurreximus: verum earum rerum per imaginem *imitatio expressa est, at veritate parta hinc salus.*

b) Aquæ in sacramento baptismi vim inesse divinitus insitam ad homines sanctificandos.

Tertullianus (de baptismo c. 4.) habet: "Igitur omnes aquæ . . . sacramentum sanctificationis consequuntur, invocato Deo. Supervenit enim statim Spiritus de cœlis, et aquis superest, sanctificans eas de semetipso, et *ita sanctificatæ vim sanctificandi combibunt.* Quanquam ad sim-

[1] Quod de baptismo dicitur, de aliis sacramentis dicendum est; et suis locis testimonia quæ ad cetera sacramenta pertinent afferemus.

plicem actum competat similitudo, ut, quoniam vice sordium delictis inquinamur, aquis abluamur. Sed delicta, sicut non in carne comparent, quia nemo super cutem portat maculam idololatriæ, aut stupri, aut fraudis; ita ejusmodi in spiritu sordent, qui est auctor delicti. Spiritus enim dominatur, caro famulatur; tamen utrumque inter se communicant reatum, spiritus ob imperium, caro ob ministerium. Igitur medicatis quodammodo aquis per angeli interventum, et *spiritus in aquis corporaliter diluitur, et caro in eisdem spiritaliter mundatur.*"

S. Ambrosius (de sacramentis, l. 1. c. 3.) inquit: "Ingressus es, vidisti aquam, vidisti sacerdotem, vidisti Levitam. Ne forte aliquis dixerit: Hoc est totum? Imo est totum. Vere totum, ubi tota innocentia, tota pietas, tota gratia, tota sanctificatio. Vidisti quæ videre potuisti oculis tui corporis, et humanis conspectibus: non vidisti illa quæ operantur, quia non videntur. Illa multo majora sunt quæ non videntur, quam quæ videntur; quoniam quæ videntur, temporalia sunt: quæ non videntur æterna." Et (c. 4.): "Miramur mysteria Judæorum, quæ patribus nostris data sunt. . . . . . Illud promitto quod diviniora et priora sacramenta sunt Christianorum quam Judæorum. Quid præcipuum quam quod per mare transiit Judæorum populus? ut de baptismo interim loquamur. Attamen qui transierunt Judæi, mortui sunt omnes in deserto. Ceterum qui per hunc fontem transit, hoc est a terrenis ad cælestia; hic est enim transitus, ideo pascha, hoc est transitus ejus, transitus a peccato ad vitam, a culpa ad gratiam, ab inquinamento ad sanctificationem: qui per hunc fontem transit, non moritur, sed resurgit." Demum (c. 5.), in historia leprosi Naaman signatam esse aquam illam baptismi, quæ Christi gratiam habeat, docens, ait: "Tunc ille ivit in Jordanem, mersit, et surrexit sanus. Quid ergo significat? Vidisti aquam: sed non aqua omnis sanat: sed *aqua sanat, quæ habet gratiam Christi.* Aliud est elementum, aliud consecratio: aliud opus, aliud operatio. Aqua opus est, operatio Spiritus Sancti est. Non sanat aqua, nisi Spiritus descenderit et aquam illam consecraverit; sicut legisti quod cum Dominus noster Jesus Christus formam baptismatis daret, venit ad Joannem, et ait illi Joannes: 'Ego a te debeo baptizari, et tu venis ad me! Respondit illi Christus: Sine modo. Sic enim decet

nos implere omnem justitiam' (Matth. III. 14–15.). Vide quia omnis justitia in baptismo constituta est." [1]

c) Pari virtute renasci hominem spiritaliter per baptismum, qua carnaliter nascitur per naturam.

S. Gregorius Nyssenus (Orat. in bapt. Christi) habet: "Baptisma peccatorum expiatio est, remissio delictorum, renovationis et regenerationis causa . . . aqua cum nihil aliud sit quam aqua, superna gratia benedicente ei, in eam, quæ mente percipitur, hominem renovat, generationem. Quod si quis mihi dubitando et ambigendo negotium exhibeat, interrogans et sciscitans qua ratione *aqua, ea quæ per illam peragitur initiatione, regeneret,* dicam optimo jure ad eum: ostende mihi modum

---

[1] S. Cyprianus (Ep. 63. ad Cæcilium, de Sacramento Dominici calicis) baptismum appellat *aquam fidelem, aquam vitæ æternæ, aquam salutarem:* dicit *per baptismum accipi Spiritum Sanctum:* dicit Deum per Isaiam prophetam (XLIII. 18–21.) prænuntiasse "quod apud gentes, in locis quæ inaquosa prius fuissent, flumina postmodum redundarent, et electum genus Dei, id est, *per generationem baptismi filios Dei factos,* adaquarent."—In libro *De habitu virginum* (c. 22.) ait: "Omnis quidem qui ad divinum lavacrum baptismi sanctificatione perveniunt, *hominem illic veterem gratia lavacri salutaris exponunt*, et innovati Spiritu Sancto, a sordibus contagionis antiquæ iterata nativitate purgantur."—In Epistola ad Donatum (Ep. 1. nn. 3. 4.) gratiam Dei per baptismum collatam, commendat his verbis:

"Ego cum in tenebris atque in nocte cæca jacerem, cumque in salo jactantis sæculi nutabundus ac dubius vestigiis oberrantibus fluctuarem, vitæ meæ nescius, veritatis ac lucis alienus, difficile prorsus ac durum, pro illis tunc moribus, opinabar quod in salutem mihi divina indulgentia pollicebatur, ut quis renasci denuo posset, utque in novam vitam lavacro aquæ salutaris animatus, quod prius fuerat exponeret, et, corporis licet manente compage, hominem animo ac mente mutaret. Qui possibilis, aiebam, est tanta conversio, ut repente ac perniciter exuatur quod vel genuinum situ materiæ naturalis obduruit, vel usurpatum diu senio vetustatis inolevit? Alta hæc et profunda penitus radice sederunt. Quando parcimoniam discit qui epularibus cænis et largis dapibus assuevit? et qui pretiosa veste conspicuus in auro atque in purpura fulsit, ad plebeium se ac simplicem cultum quando deponit? Fascibus ille oblectatus et honoribus, esse privatus et inglorius non potest. Hic stipatus clientium cuneis, frequentiore comitatu officiosi agminis honestatus, pœnam putat esse cum solus est. Tenacibus semper illecebris necesse est, ut solebat, vinolentia invitet, inflet superbia, iracundia inflammet, rapacitas inquietet, crudelitas stimulet, ambitio delectet, libido præcipitet. Hæc egomet sæpe mecum. Nam, ut ipse quamplurimis vitæ prioris erroribus implicitus tenebar, quibus exui me posse non crederem, sic vitiis adhærentibus obsecundans eram, et desperatione meliorum, malis meis veluti jam propriis ac vernaculis offavebam. Sed, postquam, *undæ genitalis auxilio* superioris ævi labe detersa, in expiatum pectus serenum ac purum desuper se lumen infudit; postquam, cœlitus spiritu hausto, in novum me hominem nativitas secunda reparavit, mirum in modum protinus confirmare se dubia, patere clausa, lucere tenebrosa, facultatem dare quod prius difficile videbatur, geri posse quod impossibile putabatur, ut esset agnoscere terrenum fuisse quod prius carnaliter natum delictis obnoxium viveret, Dei esse cœpisse quod jam Spiritus Sanctus animaret."

nativitatis quæ sit secundum carnem, et ego tibi vim regenerationis quæ secundum animam fit, exponam. Dices fortasse, quasi quamdam rationem reddens: semen causa est effectrix hominis: audi igitur contra a nobis, quod *aqua, quæ benedicitur, purgat et illuminat hominem;* quod si mihi rursus subjicias, quomodo? Clamabo contra te vehementius: quomodo humida atque informis natura homo fit? Atque de omni creatura ita oratio progrediens, in unaquaque re exercebitur. Qui cœlum, qui terra, qui mare, qui res singulares? . . . Ubique divina vis et efficacitas incomprehensibilis est."

S. Joan. Chrysost. (In Joan. hom. 26. al. 25.) exclamat: "Jure dixit Paulus: 'O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei!' (Rom XI. 33.) Non ultra mater, non ultra partus, non somni, non concubitus et amplexus: sursum tandem naturæ nostræ texitur opificium ex Spiritu et aqua. Aqua autem assumpta est, partus genito facta. *Quod est matrix embryoni, hoc est aqua fideli:* in aqua enim fingitur et formatur. Primum dicebatur: 'Producant aquæ reptile animæ viventis' (Gen. I. 20.); ex quo autem Jordanis fluenta ingressus est Dominus, non amplius reptilia animarum viventium, sed *animas rationales Spiritum Sanctum ferentes aqua producit.* Ac quod de sole dictum est, 'Tamquam sponsus procedens de thalamo suo' (Psal. XVIII. 6.); id longe magis de fidelibus jam dici potest, qui splendidiores quam sol emittunt radios. Sed quod in vulva formatur, tempore opus habet; in aqua vero non sic, sed uno temporis momento fiunt omnia." [1]

---

[1] Omnino non possum præterire silentio magnificum aliud S. Chrysostomi in idem Evangelium testimonium (Hom. 25. al. 24.), quod sic se habet:

"De alia inquit [Christus] loquor generatione, O Nicodeme; cur sermonem ad terram detrahis? cur naturæ necessitati rem illam subjicis? Hic partus vulgari illo superior est, nec quid commune nobiscum habet. Hæc quoque generatio vocatur, sed nomine tantum communis, re differt. Abscede a vulgari more: alium induco partum in mundum: alio modo gigni homines volo: novum procreationis modum affero. Formavi ex terra et aqua; non utile figmentum fuit, sed vas deterius factum est. Non ultra ex terra et aqua efformare volo, sed ex aqua et Spiritu. Quod si quis interroget, quomodo ex aqua? interrogabo et ego illum, quomodo ex terra? quomodo lutum varias in partes distributum est? quomodo unius speciei erat illud quod subjectum est? Terra tantum erat; quæ autem ex illa facta sunt, diversæ sunt speciei. Unde ossa, nervi, arteriæ, venæ? unde membranæ, vasa organica, cartilagines, tunicæ, hepar, splen, cor? unde pellis, sanguis, pituita, bilis? unde tot operationes? unde varii colores? hæc enim non ex terra vel luto proficiscuntur. Quomodo terra accepto semine germinat, caro autem hæc accepta corrumpit? quomodo terra jacta semina nutrit, caro autem ab illis nutritur, non illa nutrit? Exempli causa,

d) Aquam baptismi a Spiritu Sancto virtutem habere ad sanctificandum hominem, sicut aqua in olla, si ignis supponatur, vim habet ad calefaciendum.

S. Cyrillus Alexandrinus (In Joan. l. 2., Migne P. G. t. 73. p. 243.), ait: "Cum enim homo sit compositum quid, non simplex natura, ex duobus attemperatus, corpore nimirum sensibili et anima intelligente, gemino quoque opus erit ei ad regenerationem remedio utrique quodammodo affini et amico. Spiritu namque sanctificatur hominis spiritus: aqua vero sanctificata, corpus. Quemadmodum enim infusa lebetibus aqua, si admoveatur igni vehementi, vim ejus concipit: ita Spiritus efficacitate, sensibilis aqua ad divinam quamdam et ineffabilem vim transformatur omnesque demum in quibus fuerit sanctificat."

e) Virtutem supernaturalem concessam aquæ, ad sanctificationem hominis efficiendam, similem esse illi qua fecunda fuit beatissima Virgo Maria ad pariendum hominum Salvatorem.

S. Leo (serm. 5. in nativ. Dom.) dicit: "Factus est [Filius Dei] homo nostri generis, ut nos divinæ naturæ possimus esse consortes. Originem quam sumpsit in utero virginis, posuit in fonte baptismatis; dedit aquæ, quod dedit matri; virtus enim Altissimi et obumbratio Spiritus Sancti quæ fecit ut Maria pareret Salvatorem, eadem facit ut regeneret unda credentem. Quid autem sanandis ægris, illuminandis cæcis, vivificandis mortuis aptius fuit, quam ut superbiæ vulnera humilitatis remediis curarentur."

f) Baptismum non ex meritis ministrantis vel suscipientis, sed propria virtute, propter Christi institutionem, sanctificare hominem.

S. Augustinus (tract. 80. in Joan. n. 3.) baptismi efficaciam admirans, interrogat: "Unde ista tanta *virtus aquæ*, ut corpus tangat et cor abluat?" Et docet (contra Cresconium, l. 4. c. 16. n. 19.): "Non eorum meritis a quibus ministratur, nec eorum quibus ministratur constat baptismus, sed propria sanctitate et veritate, propter eum a quo institutus est, male utentibus ad perniciem, bene utentibus ad salutem."

---

terra aquam excipiens, vinum fecit; caro sæpe vinum accipiens, in aquam convertit. Unde ergo liquet hæc ex terra esse, cum terra contrariam exhibeat operationem, ut dixi? Id ratiocinio assequi nequeo; sola fide accipio. Si ergo illa quæ quotidie fiunt et tanguntur, fide opus habent: multo magis illa admodum arcana et spiritualia. Quemadmodum enim terra inanimata, immota, Deo sic volente virtutem accepit, ut tam mirabilia ex illa prodirent: ita ex Spiritu et aqua simul hæc mirabilia et rationem superantia omnia facile parantur."

g) Demum simpliciter enuntiant Patres, finem et effectum signi sacramentalis esse gratiam sanctificantem in anima producendam.

Tertullianus (de bapt. c. 7.) inquit: "Carnaliter currit *unctio*, sed spiritualiter *proficit;* quomodo et ipsius baptismi *carnalis actus*, quod aqua mergimur, *spiritualis effectus*, quod delictis liberamur." Et alio in loco (de resurrect. carnis, c. 8.) dicit: "Caro abluitur ut anima emaculetur, caro ungitur ut anima consecretur, caro signatur ut anima Spiritu illuminetur, caro Corpore Christi et sanguine vescitur ut anima de Deo saginetur."

Præterea, fides Ecclesiæ de sacramentorum efficacitate elucet in Symbolis, et definitionibus Conciliorum quæ spectant baptismum infantium. Symbolo enim Constantinopolitano confitemur "unum baptisma in remissionem peccatorum:" et in Concilio Milevitano II. (can. 2.) legimus: "Parvuli in remissionem peccatorum veraciter baptizantur, ut in iis regeneratione mundetur quod generatione traxerunt."

Contra catholicum dogma quod modo vindicavimus, adversarii multa congerunt argumenta: principaliora proponemus et confutabimus.

a) Scripturæ fidei justificandi virtutem tribuunt, non autem baptismati, aut aliis sacramentis. Ita 1. S. Petrus ait, (I. Petr. I. 23–25.): "Renati non ex semine corruptibili, sed incorruptibili, *per verbum* Dei vivi et permanentis in æternum. . . . . . Verbum autem Domini manet in æternum: hoc est autem verbum quod evangelizatum est in vos."[1]—2. S. Jacobus dicit (I. 18.): "Voluntarie enim genuit nos [Deus] *verbo* veritatis."—3. S. Petrus iterum (Act. XV. 8. 9.) declarat: "Et qui novit corda Deus, testimonium perhibuit, dans illis [ad christianam professionem ex Gentilitate conversis] Spiritum Sanctum sicut et nobis, Et nihil discrevit inter nos et illos, *fide purificans corda eorum.*"—4. S. Paulus aperte pronuntiat (ad Rom. I. 17.): "Justitia enim Dei . . . . revelatur ex fide in fidem, sicut scriptum est: Justus autem *ex fide* vivit."—5. Similiter (V. 1.): "*Justificati* ergo *ex fide*, pacem habeamus ad Deum per Dominum nostrum Jesum Chris-

[1] Simile huic est illud Pauli testimonium (I. ad Cor. XV. 1–2.): "Notum autem vobis facio, fratres, Evangelium quod prædicavi vobis, quod et accepistis . . . . per quod et salvamini." Salus, aiunt adversarii nostri, adscribitur Evangelio prædicato, cui respondet fides.

tum."—6. Aliis locis generaliter fidei promittitur justificatio, ut (Joan. III. 14. 15.): "Exaltari oportet Filium hominis, ut *omnis qui credit* in ipsum non pereat, sed habeat vitam æternam;"—(Act. x. 43.): "Remissionem peccatorum accipere per nomen ejus *omnes qui credunt* in eum [Jesum];"—(Act. XIII. 38. 39.): "Per hunc [Jesum] vobis remissio peccatorum annuntiatur; et ab omnibus quibus non potuistis in lege Moysi justificari, In hoc *omnis qui credit, justificatur.*"—(Ad Rom. III. 22.): "*Justitia* autem Dei per fidem Jesu Christi in omnes et *super omnes qui credunt* in eum."

Respondemus distinguendo in primis inter *fidem objectivam* et *fidem subjectivam.* Nomine *fidei objectivæ,* Religio Christiana, vel Œconomia nova intelligitur; ac proinde dogmatum, præceptorum et institutorum divinorum est complexus, qui omnia salutis media, et sacramenta omnia comprehendit. Sane, hæc *fides objectiva* justificat, sanctificat et salvat; attamen justificationem *per sacramenta* tamquam per *instrumenta Dei et Christi* non excludit, sed omnino postulat et includit.

Fides subjectiva est actus vel habitus fidei: et hæc fides iterum considerari potest vel ut *informis,* vel ut *formata.* Informatur autem a caritate, non quasi fides in sua formali ratione fidei constituatur a caritate: sed ita ut fides sine caritate esse possit, et non sit ipsa justitia, nec ad eam ultima dispositio; caritas vero sine fide esse non possit, perficiat quod fides inchoat, impleat quod fides ostendit; ideoque sit forma non intrinseca fidei, sed extrinseca. Quamobrem *fides formata* spem etiam et caritatem complectitur: imo et cum ipsa gratia sanctificante intelligitur conjuncta; habitualis enim gratia infunditur, posita caritate actuali, et ab habitu caritatis, quem in justificatione accipit homo, perpetuo manet inseparata. *Fides* ergo *formata,* aliquo vero sensu, justificat et salvat, *non quia est fides,* sed quia, *ut formata,* cum caritate et sanctificante gratia conjuncta est. Hæc igitur fides, sicut alia quæ *objectiva* nuncupatur, nullo modo officit efficacitati instrumentali sacramentorum, per quæ sanctificantem gratiam et habitus virtutum supernaturalium infusarum accipimus; sed eam supponit.

Fides informis, seu nondum formata per caritatem, ea est qua ad justificationem per sacramenta obtinendam disponimur. Etenim fide salutariter cognoscitur Deus ultimus finis supernaturalis, fide Christus cognoscitur Salvator omnium; et nonnisi fide cognoscuntur media

salutis a Christo instituta, inter quæ maxime sacramenta :—idcirco fides est pariter quæ ad salutarem timorem disponit animam, fides quæ eam præparat ad orationem, ad pœnitentiam, ad emendationem vitæ, ad observationem mandatorum Dei, ad caritatem, et, ut Concilium Tridentinum loquitur, "fides est humanæ salutis initium, fundamentum et radix omnis justificationis." [1]

Justificatio ergo tribuitur fidei, non quia *formaliter* justificat et justificationem *per sacramenta* excludit, quam potius includit ; illam enim ut divinitus institutam ostendit, et ad eam obtinendam hominem præparat ; sed tribuitur fidei, quia *dispositive* est justificationis nostræ causa, cum justitia in fide habeat initium, innitatur fide, et ab ea continuo sustentetur.

Itaque quum ad negandam efficacitatem sacramentorum adversarii loca Scripturarum allegant in quibus causa justificationis, expressa per particulas causales *ex*, *per*, tribuitur fidei ;—præterquam quod argumentum merito contra eos retorqueri possit, quia neque pauciora sunt, neque minus clara, Sacrarum Litterarum testimonia in quibus justificatio nostra tribuitur sacramentis,—dicimus utique Scripturas docere *fidem esse causam justificationis nostræ*, et quidem multiformiter, ut declaravimus, si sermo sit *de fide objectiva*, aut *etiam de fide subjectiva formata :* si vero agatur de *fide subjectiva informi*, dicimus eam, juxta Scripturas, esse justificationis causam *non formaliter*, aut *efficienter*, sed *dispositive.* Particulæ illæ *ex*, *per*, retinent suam significationem *causalem* in utroque casu, nimirum cum agitur de fide et de sacramentis ; sed in locis quæ spectant sacramenta significant *causalitatem instrumentalem ex opere operato* ad producendam gratiam ; in aliis quæ *fidem subjectivam adhuc informem* respiciunt, *causam* indicant *dispositivam.*

Ex testimoniis supra citatis, duo priora spectant *fidem objectivam :*— tria sequentia, vel intelliguntur de *fide formata*, et tunc nullam difficultatem habent, quia fides hæc justificat et salvat ratione gratiæ sanctificantis cui conjungitur ; vel *de fide informi*, et tunc justificatio tribuitur ei ut causæ dispositivæ, non formali, aut efficienti :—cetera, affirmant credentes in Christum fide salvari, sed illa fide qua non modo revelatis à Christo assensum intellectus præbent, sed simul omnia quæ mandavit

[1] Conc. Trid. sess. 6. c. 8.

Christus faciunt, ac proinde sacramenta recipiunt quæ ipse instituit ad nostram sanctificationem.

b) Ex verbis Christi (Marc. XVI. 16.): "Qui crediderit et baptizatus fuerit salvus erit; qui vero non crediderit, condemnabitur," adversarii sic arguunt: Illi tantum adscribenda est salus, cujus contemptum æterna damnatio est secutura.—Atqui propter solius fidei contemptum Christus comminatur damnationem æternam; non enim dixit: "Qui non crediderit, et baptizatus non fuerit," sed: "qui non crediderit, condemnabitur." Ergo.—

Respondemus negando præmissas.—Major est falsa, nam quando ad unum finem plura necessario requiruntur, satis est quod ex illis unum omittatur, ut finis attingi nequeat. Ex eo igitur quod non credenti damnatio æterna denuntietur, non sequitur, peccatorum remissionem, justificationem, et salutem a sola fide pendere.—Certe si quis simili pacto ita concluderet: qui cucurrerit in stadio et modo præscripto attigerit metam, accipiet bravium, qui vero non cucurrerit in stadio, non accipiet bravium; ergo acceptio bravii tribuenda est soli cursui, non autem assecutioni metæ; nonne, notat P. Franzelin,[1] ridicula plane foret ejus argumentatio. Cursus est necessarius, quia sine eo meta debito modo attingi nequit; sed ratio cur bravium obtineatur, est debita assecutio metæ.

Minor argumenti ab adversariis propositi est etiam falsa. Falso enim supponit Christum non dixisse, eum qui baptizatus non fuerit, fore condemnandum, cum aperte jam id antea pronuntiaverit (Joan. III. 5.) illis verbis: "*Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei.*" Hic utique expresse non repetit eamdem comminationem, et non dicit: *qui non fuerit baptizatus, condemnabitur;* at necesse non erat, et ex verbis præcedentibus, *qui non crediderit, condemnabitur,* nexu necessario id sequebatur, nam qui non credit, non vult baptizari; et etiamsi vellet, baptismus, sine fide susceptus, nihil ei proficeret ad salutem.

c) In 1. Epistola Petri (III. 20. 21.) legitur: "In qua [arca Noe] pauci, id est, octo animæ, salvæ factæ sunt per aquam. Quod et vos nunc similis formæ salvos facit baptisma: non carnis depositio sordium,

---

[1] Op. cit. p. 88.

sed conscientiæ bonæ interrogatio in Deum per resurrectionem Jesu Christi." Ex hoc loco adversarii nostri contendunt, baptismum non salvare hominem per externam lotionem, sed ratione bonæ conscientiæ et interioris fidei.

Respondemus 1.—S. Petrus in illis verbis, "*vos similis formæ* [Græce: ἀντίτυπον, id est typo respondens, exemplar] *salvos facit baptisma,*" docet veritatem fidei, quam defendimus. Etenim sacramento attribuit quod salvos nos facit: et ait, quemadmodum illa aqua diluvii ab interitu corporali servabat eos, qui in arca erant; sic aqua, illo typo significata, nimirum antitypon ejus quod est baptisma, nunc salute spiritali salvos nos facit.[1]

2.—In sequentibus verbis sane id non negat quod mox docuerat; sed solum explicat unde baptismus habeat salutarem effectum, vel quibus dispositionibus suscipi debeat ut ille effectus obtineatur. Nam, quin de aliis hujus loci catholicis interpretationibus dicam, dupliciter hæc sententia "*non carnis depositio sordium, sed conscientiæ bonæ interrogatio in Deum,*" intelligi potest. *a*) Vel de dispositionibus hic loquitur Petrus ad baptismum necessariis, et sensus est iste: non sufficit ad sanctificationem per baptismum obtinendam, ut sola illa externa ablutio adhibeatur—quæ si *per se* spectetur, et non consideretur virtus eidem collata per institutionem sacramenti factam a Christo, valet tantum ad sordes corporis auferendas;—sed, ut quis *per illam salvetur*, necesse est ut nullum obicem gratiæ opponat, ac proinde habeat *conscientiæ bonæ interrogationem in Deum.*[2] Juxta hanc interpretationem, Apostolus alludit ad *interrogationem*, quæ fit in cæremoniis baptismi, dum interrogatus is, qui baptizari vult, an credat in Christum et

---

[1] Aquæ diluvii baptismum significabant; arca Ecclesiam, vel secundum alios crucem Christi: nam ut arca fabricata ex ligno fuit, ita crux ex ligno, et per utrumque salus. Rursus familia Noe arca inclusa significat eos, qui sunt in Ecclesia; qui extra arcam, eos qui extra Ecclesiam: et sicut extra arcam nemo salvatus fuit, ita nec salus est extra Ecclesiam. V. S. Aug. contra Faustum l. 12. c. 14. et seq.; de Civ. Dei, l. 15. cc. 26. 27.

[2] Ven. Beda, in hunc locum, (Migne P. L. t. 93. p. 60.) ait: "Hic apte subjungitur: *non carnis depositio sordium*, etc. Ubi enim est conscientia bona, nisi ubi est et fides non ficta. Docet namque Paulus quia *finis præcepti est caritas de corde puro, et conscientia bona et fide non ficta* (I. Tim. I.). Quod ergo aqua diluvii non salvavit extra arcam positos, sed occidit, sine dubio præfigurabat omnem hæreticum, sicut habentem baptismatis sacramentum, non aliis, sed ipsis aquis ad inferna mergendum, quibus arca sublevatur ad cœlum."

abrenuntiet Satanæ et pompis ejus; bona conscientia, id est ex animo, respondet, se credere et abrenuntiare. Additur autem: *in Deum*, sive quia res agitur coram Deo, sive quia conscientiam respondentis, an bona sit et sincera, solus videt Deus. β) Vel de ipso effectu salutari Apostolus loquitur, et tunc citata phrasis hunc exprimit sensum: baptismus salvat, non quatenus abluit corpus, et corporales maculas lavat, sed quatenus remittendo peccata, nihil relinquit quo quis conscientia torqueri debeat. Hæc expositio respondet versioni Syriacæ, quæ sic habet: "Et vos servamini per baptismum, non abluentes corpus a sordibus, sed gratias agentes Deo cum pura conscientia:" et Arabicæ, quæ legit: "Cujus rei typus nunc est baptisma, salvans nos non amovendo sordes carnis tantum, sed exhilarando conscientiam bonam erga Deum."

3.—Quod in testimonio allato additur: "*per resurrectionem Jesu Christi*," exhibet Christum ut causam exemplarem justificationis nostræ et resurrectionis a morte peccati, ut S. Paulus docet (ad Rom. VI. 4.): "Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem; ut quomodo Christus surrexit a mortuis per gloriam Patris, ita et nos in novitate vitæ ambulemus."

d) Objiciuntur quædam sententiæ Patrum, in quibus homines justificari *sola* fide dicuntur: sed in illis nunquam, absolute aut in comparatione cum aliis causis aut dispositionibus, *soli fidei* tribuitur justificatio, ut causæ; sed tantum in comparatione cum actibus, qui vel generatim, vel in aliquo speciali casu non concurrunt ad justificationem. Sic Origenes (in Ep. ad Rom. III. 28.), opera mere naturalia et opera legis antiquæ cæremonialis excludebat et commendabat solam fidem ad justificationem:—S. Basil. eadem ratione aiebat (hom. 20. de hum. n. 3.): "Hæc est perfecta ac integra in Deo gloriatio, cum quis non *propter justitiam suam effertur*, sed novit destitui se quidem vera justitia, verum sola in Christum fide justificatum esse:"—et S. Bernardus dicebat (Tract. de baptismo ad Hugonem de S. Victore, c. 2. n. 8.): "*Solam interdum fidem sufficere ad salutem;*" sed opponebat solam fidem sacramento actu suscepto, cum, urgente necessitate, illud suscipi non potuerit. In eodem enim numero Epistolæ citatæ, immediate ante illam phrasim, legitur: "Ab his ergo duabus columnis, Augustinum loquor et Ambrosium, . . . difficile avellor. Cum his, inquam, me aut errare, aut sapere

fateor: credens etiam ipse *sola fide* hominem posse salvari, *cum desiderio percipiendi sacramentum: si tamen pio adimplendi desiderio mors anticipans, seu alia quæcumque vis invincibilis obviarit.*"

e) Sancti Patres sacramenta quandoque appellant *signacula, sigilla* et *pignora gratiæ*; sed hi longe alia significatione locutiones istas usurpant, quam Protestantes. Sacramenta enim dicunt esse signacula, vel quia obsignant fideles ac separant ab iis qui non sunt de grege aut de exercitu Domini:[1] vel quia claudunt inter se rem sacram, idest invisibilem gratiam:[2] vel quia, si sermo sit de baptismo, is qui baptizatur, eo signo, et se credere testificatur, et veluti publicam approbationem accipit fidei, quam profitetur.[3]

S. Augustinus ait (in Joan. tract. 26. n. 12.), sacramenta Judæorum "*in signis a nostris diversa quidem sunt, at in re quæ significatur, paria*;" verum sacramenta illa vetera nostris paria fuisse intelligit in re quam significant, non in modo significandi et operandi. Et S. Bernardus (serm. de cœna Dom. n. 2.): "Sicut," inquit, "investitur canonicus per librum, abbas per baculum, episcopus per annulum . . . sic et divisiones gratiarum diversis sunt traditæ sacramentis:" at S. Doctor hæc exempla non proponit ut cum eis comparet modum agendi sacramentorum; sed ut ostendat varias esse in sacramentis gratiarum divisiones, sicut varii sunt in Ecclesia dignitatum gradus, quarum insignia quædam sunt liber, baculus, annulus, etc. Imo commendans ibi (n. 3.) efficaciam sacramenti, ait, post baptismum adhuc motus exurgere concupiscentiæ, sed "confidite quia in hoc gratia subvenit, et ut securi sitis, sacramenti Dominici corporis, et sanguinis pretiosi investituram habetis." Et addit, si quis motus concupiscentiæ tam acerbos, ut ante, non sentit "gratias agat Corpori et sanguini Domini, quoniam *virtus sacramenti* operatur in eo."

f) Tandem, ex adversariis recentioribus, aliqui contendunt sensum genuinum doctrinæ catholicæ de efficacitate sacramentorum *ex opere operato* a Scoto primum fuisse propositum, eum ipsum quem Protestantes Catholicis tribuunt, et quo necessitas omnis boni motus ad justifica-

---

[1] S. Hieronym. in c. 4. ad Eph.; S. Aug. contra Faustum, lib. 18. c. 11.; S. Greg. Naz. Orat. 40. de baptismo. n. 4.

[2] S. Aug. De catechiz. rudibus, c. 26.

[3] V. Tertull. l. de pœnit. c. 6.; S. Basil. contra Eunom. l. 3. n. 5.; de Sp. S. c. 12. n. 28.

tionis gratiam consequendam excludatur: eumque sensum fuisse a theologis catholicis deinceps retentum, et sancitum a Tridentino. Id probant verbis Scoti dicentis (4. dist. 1. q. 6. n. 10.): "Sacramentum ex virtute operis operati confert gratiam; non requiritur bonus motus qui mereatur gratiam:" et citant etiam sententiam similem Gabrielis Biel (4. dist. 1. q. 3.): "Præter exhibitionem signi foris exhibiti, non requiritur bonus motus interior in suscipiente."

Sed in primis sensum, quo Concilium Tridentinum intellexerit collationem gratiæ *ex opere operato* sacramentorum, nihil opus est ex Scoto colligere cum declarationes Concilii ipsius, quas retulimus,[1] sint manifestissimæ. Ex theologis autem qui floruerunt ante Concilium Tridentinum, possunt quidem aliqui citari qui videantur exegisse dispositionem tam perfectam, ut jam per se sufficeret ad justificationem consequendam, etiam extra sacramentum; nullus vero unquam catholicus theologus, sive ante sive post Concilium, docuit, peccatorem adultum sine ullo bono motu, sine fide, aversione a peccato et conversione ad Deum, per sacramentum posse justificari.

Quoad testimonium Gabrielis Biel, dicimus, post illa citata verba sequi, quæ mentem auctoris clarissime patefaciunt. Hæc sunt: "non requiritur bonus motus, *quo de condigno, vel de congruo gratiam mereatur; sed sufficit, quod suscipiens non ponat obicem.*"[2] Ad Scotum quod attinet, negat is quidem, ut negant Doctores omnes Catholici, ad effectum gratiæ, quæ confertur per sacramenta, requiri opus operantis *tamquam meritum,* cui gratia retribuatur; sed simul docet, requiri bonum motum *tamquam dispositionem,* qua obex gratiæ removeatur.

Loco objecto ab adversariis, Doctor subtilis, ut accurate animadvertit P. Franzelin,[3] comparat collationem gratiæ in sacramentis Veteris Testamenti *ex opere operantis* et ex merito suscipientis, cum sanctificatione per sacramenta Novi Testamenti *ex opere operato,* dummodo obex non ponatur: "Sacramentum novæ legis ex virtute operis operati confert gratiam, ita quod non requiritur ibi bonus motus interior, *qui mereatur gratiam;* sed sufficit quod suscipiens *non ponat obicem.* Sed

---

1) V. supra p. 75.

2) V. Bellarm. de Controv. chr. fidei, t. 3. l. 2. c. 1.—Ibi locutiones quorumdam aliorum veterum Theologorum contra calumnias Kemnitii vindicat.

3) Op. cit. p. 69.

in illis actibus (in sacrificiis et sacramentis veteris legis) non conferebatur ex hoc solo, quod offerens non poneret obicem, sed *tantum conferebatur ex virtute boni motus interioris tamquam meriti.*" (Scot. l. c.) Qui bonus motus interior tamquam meritum non requiratur, et qui requiratur tamquam dispositio ac remotio obicis ad justificationem, nominatim per sacramentum pœnitentiæ, declarat Scotus, 4. dist. 14. q. 4. nn. 6–9. Distinguit ibi duplicem viam justificationis, unam extra actualem susceptionem perfectam tamquam "dispositionem completivam" et tamquam "per virtutem meriti de congruo;" alteram deinde viam esse docet, quando peccator habet solum "dispositionem prævianı" per attritionem, et peccatum remittitur per absolutionem "non quidem ex merito, quia *dispositio interior non erat sufficiens per modum meriti,* sed ex pacto Dei assistentis sacramento suo ad effectum illum, ad quem instituit sacramentum." Unde ad objectionem, quod Lazarus primum a Christo suscitatus est a mortuis et postea eductus e monumento; videri ergo necessariam vitam gratiæ jam ante confessionem et susceptionem sacramenti, respondet subtilis: "Concedo, quod ante perceptionem dignam Pœnitentiæ opórtet suscitari vel simpliciter, et tunc per Pœnitentiæ sacramentum non deletur peccatum sed gratia, quæ infuit, augetur; vel *suscitari secundum quid,* scilicet ut habeat aliqualem displicentiam de peccatis (h. e. attritionem) et propositum cavendi de cetero, et velit suscipere sacramentum Pœnitentiæ, in quo *attritio fit contritio* [quoad effectum per habitum caritatis infusum], et tunc suscitatur simpliciter per sacramentum." Apparet ergo, quam falsum sit, a Scoto doceri justificationem per sacramentum ex opere operato sine bono motu interno; quamvis sit verissimum, gratiam sacramentalem conferri per ipsum opus operatum sacramenti, et non obtineri per opus operantis tamquam ex merito; nam opus operantis tantum constituit dispositionem necessariam, atque hæc dispositio est *conditio, sine qua non* confertur, non autem meritum, *propter quod* confertur illa gratia.

Scholion.—Cum sacramenta novæ legis *signa practica* sint, utpote quæ efficiunt gratiam quam significant, signa sunt etiam *demonstrativa, commemorativa, prognostica:* [1] significant enim gratiam præsentem

[1] V. Supra p. 14.

quam efficiunt, merita Christi, quæ nobis applicantur per sacramenta, et futuram gloriam, cujus pignus habemus in collatione gratiæ sanctificantis. "Sacramentum," ait S. Thomas,[2] "proprie dicitur quod ordinatur ad significandam nostram sanctificationem, in qua tria possunt considerari; videlicet ipsa causa sanctificationis nostræ, quæ est passio Christi; et forma nostræ sanctificationis, quæ consistit in gratia et virtutibus, et ultimus finis sanctificationis nostræ, qui est vita æterna. Et hæc omnia per sacramenta significantur. Unde sacramentum est et signum rememorativum ejus quod præcessit, scilicet passionis Christi; et demonstrativum ejus quod in nobis efficitur per Christi passionem, scilicet gratiæ; et prognosticum, id est, prænuntiativum futuræ gloriæ."

Triplicem hanc significationem in baptismo inesse docet Apostolus (Rom. VI. 4. 5.): "Consepulti sumus cum illo per baptismum in mortem [veteris hominis]. . . . . . Si enim complantati facti sumus similitudini mortis ejus, simul et resurrectionis erimus," et (v. 22.): "Nunc vero, liberati a peccato, servi autem facti Deo, habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem vero vitam æternam." Eamdem significationem S. Augustinus pulchre illustrat (serm. 363. Migne P. L. t. 39. p. 1635), simul declarans fuisse impletum in nova lege quod Vetus Testamentum præfiguraverat: "Hinc itaque, dilectissimi, nullus fidelium dubitaverit, transitum illius populi per mare Rubrum figuram fuisse Baptismi nostri: ut a diabolo et angelis ejus, qui nos, tanquam Pharao et Ægyptii, luto carnis obnoxios velut laterum operibus atterebant, duce Domino nostro Jesu Christo, cujus tunc figuram Moyses gerebat, per baptismum liberati, *Cantemus Domino: gloriose enim magnificatus est; equum et equitem projecit, in mare.* Nobis enim mortui sunt, qui nobis jam dominari non possunt: quoniam ipsa delicta nostra, quæ nos illis subditos fecerant, lavacro gratiæ sanctæ liberatis nobis, tamquam in mari submersa atque deleta sunt." Deinde ostendit in baptismo significatam esse mortem Domini: "Hæc omnia submersa sunt in Rubro mari, quia illi consepulti sumus per baptismum in mortem (Rom. VI. 4.), qui pro nobis flagellatus, exhonoratus, et occisus est. Ita Rubro pelago omnes hostes operuit, qui cruenta morte, qua nostra peccata consumerentur,

---

1) 3. p. q. 60. a. 3.

baptismum consecravit." Demum demonstrat nos futuræ gloriæ pignus in baptismo accipere: "Neque intelligit inimicus vim dominici sacramenti, quæ est in baptismo salutari, eis qui credunt et sperant in eum: et adhuc putat etiam dominari baptizatis posse peccata, quoniam carnis fragilitate tentantur; nesciens ubi, et quando, et quomodo perficiatur plena totius hominis renovatio, quæ in baptismo inchoatur, et præsignatur, et spe certissima jam tenetur. Tunc enim et mortale hoc induet immortalitatem, et evacuato penitus omni principatu et potestate, erit Deus omnia in omnibus."

Apertissima est triplex significatio de qua loquimur in sacramento Eucharistiæ, quod Ecclesia vocat, "sacrum convivium, in quo Christus sumitur, recolitur memoria passionis ejus, mens impletur gratia et futuræ gloriæ nobis pignus datur." [1] Scripturæ hanc significationem revelant; nam Apostolus (I. ad Cor. XI. 26.) declarat: "Quotiescumque manducabitis panem hunc et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis donec veniat;" et Christus ipse (Joan. VI. 57–59.): "Qui manducat," inquit, "meam carnem, et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in illo . . . et qui manducat me, et ipse vivet propter me . . . . . Qui manducat hunc panem vivet in æternum." De hac autem promissione loquens S. Cyrillus Alex. (In Joan. l. 4., Migne P. G. t. 73. p. 582.), dicit: "Fieri enim prorsus nequit ut qui, secundum naturam, vita est, incorruptionem non superet, ac vincat mortem. Proinde licet mors, quæ per prævaricationem nos invasit, humanum corpus corruptionis necessitati subjiciat; tamen quia Christus per suam ipsius carnem in nobis est, omnino resurgemus: incredibile enim est, imo vero impossibile, ut vita eos in quibus fuerit non vivificet. Quemadmodum enim scintillam multis paleis inserimus ut semen ignis servemus, sic etiam Dominus noster Jesus Christus per carnem suam in nobis vitam integit, ac veluti quoddam semen immortalitatis inserit, quod totam, quæ in nobis est, corruptionem abolet. . . . . Cibus enim manna, ad breve admodum temporis spatium, necessitate corporis delinita, et damno famis amoto, factus est rursus invalidus, cum vitam æternam non infunderet manducantibus. Non erat igitur cibus verus: . . . . sanctum autem Christi corpus ad immortalitatem et vitam æternam nutriens, cibus

[1] In 2. vesp. fest. Corp. Christi, ad Magnif. Ant.

profecto verus erit. Sed illi quoque de petra biberunt aquam. Quid autem inde consecutum est? . . mortui enim sunt. Illud igitur non erat verus potus; sed verus, ut vere loquamur, potus esse comperitur pretiosus sanguis Christi, qui totam radicitus extirpat corruptionem, et mortem, in humana carne inhabitantem, subvertit."

Cetera etiam sacramenta suo modo sunt signa præsentis gratiæ demonstrativa, meritorum Christi commemorativa, et prænuntiativa gloriæ: quamobrem sacramenta novæ legis sunt media inter vetera, quæ fuerunt meræ promissiones gratiæ ac futurorum bonorum; et ipsa futura bona cœlestia, quorum pignora sunt et præparationes. Idque œconomiæ respondet Novi Testamenti, quod exhibet promissa veteri, et in cœlestem hæreditatem homines introducit. Quare S. Dionysius Areopagita, triplici hierarchia distincta, *legali, cœlesti et ecclesiastica,*[1] de nostra, seu ecclesiastica, ait: "Perfectiorem vero mysteriorum disciplinam Sacra Scriptura nostram vocat hierarchiam, cum hanc illius [legalis] consummationem, sacrumque finem nominat. Est autem eadem [nostra] etiam cœlestis et legalis, communione quadam mediæ conditionis suæ, qua communicat extremis; cum illa nimirum in spiritalibus contemplationibus [in rebus quæ subsunt visibilibus signis], cum hac vero sensibilium varietate signorum, per quæ etiam ad divinum Numen adducitur."

ARTICULUS QUARTUS

De numero sacramentorum.

Concilium Tridentinum (sess. 7. can. 1.) statuit: "Si quis dixerit, sacramenta novæ legis non fuisse omnia a Jesu Christo Domino nostro instituta; aut esse plura vel pauciora quam septem, videlicet, Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam Unctionem, Ordinem et Matrimonium; aut etiam aliquod horum septem non esse vere et proprie sacramentum; anathema sit."

Hac definitione Concilium damnavit novatores sæculi XVI., qui sicut

---

[1] De Eccl. hierarch. c. 5. § 2.

alia dogmata pervertere, sic etiam numerum sacramentorum, quæ Christus instituit, coarctare ausi fuerant. Hi autem, concordes ad impugnationem veritatis, tam discordes variique fuerunt in placitis suis de illo numero; ut neque inter se, neque singuli secum ipsis consenserint: hoc vel uno argumento ostendentes se a regula fidei esse alienos, quæ *una omnino est, sola immobilis et irreformabilis.*[1]

Lutherus initio libri (de cap. Babyl.) scripsit: "Principio neganda mihi sunt septem sacramenta, et tantum tria pro tempore ponenda, baptismus, pœnitentia, panis:" et in fine ejusdem libri: "Si rigide loqui volumus, tantum duo sunt in Ecclesia Dei sacramenta, baptismus et panis." Postea in alio opere (de Missa privata), et in assertionibus contra Lovanienses, dixit: "Pœnitentiam, cum virtute clavium absolventium, sacramentum libenter confitemur; habet enim promissionem et fidem remissionis peccatorum propter Christum."—Melanchton in *locis communibus* (anno 1522.) duo tantum agnovit sacramenta, baptismum et Eucharistiam; in *Apologia Confessionis Augustanæ* anno 1530., adjungit tertium, pœnitentiam; in *locis* iterum editis ann. 1536. et 1559. admisit quatuor: "Mihi maxime placet," inquiit, "etiam addi ordinationem, ut vocant, id est, vocationem ad ministerium Evangelii, quia hæc etiam evangelico mandato præcipitur, et addita est promissio."—Zwinglius duo statuit esse sacramenta, baptismum et Cœnam; similiter Calvinus his etiam solis contentum se esse voluit; nam *manuum impositionem* sacramentum esse testatus est, sed noluit *tertium* sacramentum dici, quia "non ordinarium, nec commune apud omnes fideles."—Posteriores Protestantes modo plura, modo pauciora sacramenta admiserunt, usque dum in binario numero tandem, in *baptismo* scilicet et *S. Cœna*, communiter conquieverint.[2]

Catholicam fidem, juxta Concilii Tridentini definitionem, vindicandam suscipimus thesi insequenti.

---

[1] Tertull. de velandis virg. c. 1.

[2] If the word sacrament be taken in the wide sense in which it was used in the early Church for any significant religious rite, it is obvious that no definite limit can be set to their number. If the word be confined to such divine ordinances as answer the conditions which characterize baptism and the Lord's Supper, then it is evident that they are the only sacraments under the Christian dispensation; and such is the view taken by all Protestants. It is true that in the Apology for the Augsburg Confession it is said: "Vere sunt sacramenta, baptismus, Cœna Domini, absolutio, quæ est sacramentum pœnitentiæ. Nam hi ritus habent mandatum Dei et promissionem

THESIS VII.

Sacramenta novæ legis, a Jesu Christo Domino nostro instituta, nec plura sunt, nec pauciora quam septem, videlicet: Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Pœnitentia, Extrema Unctio, Ordo et Matrimonium.

Septenarius numerus sacramentorum dupliciter demonstrari potest: *directe* testimoniis divinæ revelationis in verbo Dei scripto vel tradito contentis, quæ unumquodque sacramentum seorsim spectant; et *indirecte* præscriptionis argumento, quod omnibus sacramentis commune est. Directa demonstratio fiet cum sermo erit de singulis in specie sacramentis: modo indirectam damus, quæ hujus tractatus est propria, brevior, ac sicut alia, evidens ad rem conficiendam.

Argumentum est hujusmodi:—

Eo tempore, quo Novatores sæculi XVI. negare cœperunt septem sacramenta Christum in Ecclesia sua instituisse ad sanctificationem hominum et salutem; dogma hoc ita per omnes Ecclesias pervulgatum erat, ut evidenter constaret ipsum semper et ubique fuisse creditum. Ergo dogma hoc est revelatum, et nec plura nec pauciora sunt sacramenta quam septem in Ecclesia Christi.

Consequentia certissima est ex Tractatu de Traditione. Hic tantum referre juvat regulam quam Tertullianus dederat, et omnes Patres ab initio constanter tenuerunt ad dignoscendas veritates fidei: "Quod

gratiæ, quæ est propria Novi Testamenti." The last was soon dropped out of the list of sacraments, although the Lutherans retained confession as a distinct Church institution. The confession however was to be general, an enumeration of sins not being required, and the absolution wich followed was simply declarative, and not judicial, as among the Romanists. The Reformed symbols required private confession to be made to God, and general confession in the congregation of people; and recommended in extraordinary cases, where the conscience is burdened or the mind perplexed, private confession to the pastor or spiritual adviser. The Romanists have seven sacraments, adding to baptism and the Lord's Supper, matrimony, orders, penance, confirmation, and extreme unction. Matrimony, however, although a divine institution, was not ordained for signifying, sealing, and applying to believers the benefits of redemption, and therefore, is not a sacrament. The same may be said of orders. And as to confirmation, penance, extreme unction, in the sense in which Romanists use those terms, they are not divine institutions at all." Hodge, Systematic theol. Vol. 3. p. 492.

apud multos unum invenitur; non est erratum, sed traditum."[1] Eamdem regulam explicans Vincentius Lirinensis, aiebat: "In ipsa autem Catholica Ecclesia, magnopere curandum est, ut id teneamus quod ubique, quod semper, quod ab omnibus creditum est; hoc etenim vere, proprieque catholicum, quod ipsa vis nominis, ratioque declarat, quæ omnia fere universaliter comprehendit. Sed hoc ita demum fiet si sequamur universitatem, antiquitatem, consensionem: sequemur autem universitatem hoc modo, si hanc unam fidem veram esse fateamur, quam tota per orbem terrarum confitetur Ecclesia; antiquitatem vero ita, si ab his nullatenus sensibus recedamus, quos sanctos majores et patres nostros celebrasse manifestum est; consensionem quoque itidem, si in ipsa vetustate, omnium, vel certe pene omnium sacerdotum pariter et magistrorum, definitiones sententiasque sectemur." [2]

Antecedens probatur.—Quod Ecclesia Catholica definivit in Concilio Tridentino, id in Decreto pro Armenis Florentina Synodus, sæculo XIV., docuit dicens: "Novæ legis septem sunt sacramenta: videlicet Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Pœnitentia, Extrema Unctio, Ordo et Matrimonium:" et, eodem sæculo, Concilium Constantiense septenarium numerum agnovit, ut eruitur ex damnatione Articuli 8. Joannis Hus, et ex articulis (16–25.) de quibus interrogandi erant suspecti hæreseos.[3]

Sæculo XIII. (anno 1274.), in Concilio Œcumenico Lugdunensi II., Michael Paleologus Gregorio X. confessionem fidei obtulit, in qua legimus: "Tenet etiam et docet eadem sancta Romana Ecclesia, septem esse ecclesiastica sacramenta, unum scilicet baptisma, de quo dictum est supra, aliud est sacramentum confirmationis, quod per manuum impositionem Episcopi conferunt, chrismando renatos; aliud est pœnitentia, aliud eucharistia, aliud sacramentum ordinis, aliud est matrimonium, aliud extrema unctio, quæ secundum doctrinam beati Jacobi infirmantibus adhibetur."—Ejusdem sæculi anno 37., celebratum fuit Concilium Londinense, quod eamdem fidem expressit, dicens: "Sacramenta principalia,[4] quæ sunt et quot, propter simpliciores duximus exprimenda:

---

[1] L. De prascript. c. 28.

[2] Common. c. 2.

[3] V. Denzinger, Enchirid. symb. et definit. pp. 190. 195.

[4] *Principalia* sacramenta appellat ea quæ nos nominamus *sacramenta vere, proprie et specifice dicta.*

sunt enim Baptismus, Confirmatio, Pœnitentia, Eucharistia, Extrema Unctio, Matrimonium et Ordo."—Huc spectat quod in Constitutionibus suis ex Concil. Britanniæ recitat Spelmannus apud Labbeum (t. 13. Conc. ad annum 1217.). Fuerunt autem Constitutiones istæ editæ a Richardo Poore Episcopo Sarum; et Constitutione 13. totidem enumerat sacramenta, quot nos ex Concilio Tridentino profitemur.—Aliud gravissimum pro re nostra documentum exhibet professio fidei quæ præscripta fuit, anno 1210, Waldensibus ad Ecclesiam reducibus ab Innocentio III., et sic se habet: "Corde credimus et ore confitemur unam Ecclesiam non hæreticorum, sed sanctam, Romanam, catholicam et apostolicam, extra quam neminem salvari credimus. Sacramenta quoque, quæ in ea celebrantur, inæstimabili atque invisibili virtute Spiritus Sancti cooperante.... Approbamus ergo baptisma infantium," etc. Septem quæ confitemur sacramenta singillatim ibi commemorantur.

Enumeratio eorumdem sacramentorum pariter invenitur, sæculo XII., in "Synodicis Constitutionibus" Odonis Episcopi Parisiensis:[1] et præclare in catechesi habita circa annum 1127. a S. Brunone Bambergensi, Apostolo Pomeranorum, prout refertur a teste synchrono et apostolici viri socio. S. Episcopus jam discessurus fidelibus a se institutis, inter cetera, sic loquitur:

"Discessurus a vobis trado vobis, quæ tradita sunt nobis a Domino, arrham fidei sanctæ inter vos et Deum, septem scilicet sacramenta Ecclesiæ, quasi septem significativa dona Spiritus Sancti. .... Videte ergo et tenete, ut sciatis diligenter enumerare, quæ tradimus vobis discedentes a vobis. Primum ergo sacramentum est, quo jam imbuti estis, sacrosanctus Baptismus. ... Secundum sacramentum est Confirmatio, id est unctio chrismatis in fronte. Hoc sacramentum victuris est necessarium, videlicet ut Spiritus Sancti corroboratione muniantur et armentur. .... Tertium sacramentum est Unctio infirmorum, quod ideo morituris est necessarium, quia in illa unctione per virtutem Spiritus Sancti remissio datur peccatorum, et ipse qui moriturus est, contra spirituales nequitias i. e. contra malignos spiritus in exitu vitæ animabus insidiantes eadem Spiritus Sancti virtute pugnaturus arma-

[1] V. Mansi, t. 22. p. 677. et seq.

tur. . . . . . Quartum sacramentum est Eucharistia, id est corpus et sanguis Domini. . . . Quod si non potestis, quia carnales estis, huic tam sanctissimæ rei per vos ad omnes Missas participari, saltem per mediatorem vestrum, scilicet sacerdotem, qui pro vobis communicat, fideliter, reverenter ac devote Missas audiendo communicate. Oportet tamen et vos ipsos ter vel quater in anno, si amplius fieri non potest, et confessionem facere atque ipsi sacramento communicare. . . . Quintum sacramentum est per pœnitentiam Reconciliatio lapsorum. . . . . Sextum sacramentum est Conjugium. . . Septimum sacramentum est Ordinatio sive consecratio Clericorum. . . Ita ergo septem sacramenta quæ iterum vestri causa enumerare libet, Baptismum, Confirmationem, infirmorum Unctionem, Eucharistiam, lapsorum Reconciliationem, Conjugium et Ordines, per nos humiles suos paranymphos, sponsus cœlestis in arrham veræ dilectionis vobis Ecclesiæ suæ transmittere dignatus est . . . docete ea filios vestros, ut memoriter teneant et diligenter observent in omnes generationes." [1)]

Aliud argumentum in re presenti exhibent Theologi veteres, qui a primis Scholæ exordiis de septem sacramentis tractant quasi de illis quæ vulgatissima erant in Ecclesia, in communi usu et ab auctore accepta ipsius Ecclesiæ. Ita Hugo a S. Victore, initio sæculi XII., et paulo post Petrus Lombardus, Petrus Pictaviensis et ceteri.

Quæ omnia evidentem demonstrationem absolvunt fidei Ecclesiæ Catholicæ circa septenarium numerum sacramentorum, non solum eo tempore quo primum Novatores apparuerunt, sæculo XVI.; sed etiam longe ante eos, multis sæculis præcedentibus.—Sed et eamdem veritatem confirmant vetustissima Latinorum sacramentalia, Græcorum euchologia a Jacobo Goario, Isaaco Habert, et Leone Allatio collata; quæ dum septem sacramentorum ritus exponunt, et in eis differentias aliquas ostendunt non essentiales, sed non omnino leves, a nostris ritibus; magis magisque demonstrant sacramenta illa quæ numeramus, ad nos, ex apostolica, juxta institutum Christi, traditione, descendisse.

Insuper, quoties actum est de extinctione schismatis, quo Ecclesia Græca divulsa est ab Ecclesia Romana, omnium matre, numquam de sacramentorum numero disputatum fuisse legimus. Pertinacissimi

---

1) In vita S. Ottonis, 2. Julii apud Boll. t. 1. mensis Julii.

et vaferrimi schismatis defensores omnia, etiam minima, dissentionum capita exposuerunt; at ne vestigium quidem accusationis invenire est apud eos circa numerum sacramentorum, quæ in Ecclesia Romana frequentabantur. Theologi græci schismatici de sacramentis scripserunt, et omnes, sine controversia, de solemni sacramentorum numero in sua Ecclesia plane consentiunt. Inter eos eminet Simon Tessalonicensis, ante Concilium Florentinum, mense Septembris 1429., defunctus.[1]

Huic demonstrationi de fide Græcorum circa septem sacramenta Ecclesiæ robur accrescunt solemnia quædam facta quæ sæculis XVI. et XVII., contigerunt. Cum enim Protestantes Tubigenges Patriarchæ Constantinopolitano schismatico Jeremiæ Confessionem Augustanam misissent, ut Græcos pertraherent in suas partes; Patriarcha, acceptam hæreticam Confessionem, omni argumentorum genere, anno 1576. et iterum 1578. et 1581. refutavit, fidemque Ecclesiæ suæ de sacramentis his verbis confessus est: "Dicimus . . . . *septem divina sacramenta esse:* Baptismum scilicet, sacri Chrismatis unctionem, sacram Communionem, Ordinem, Matrimonium, Pœnitentiam et Extremæ Unctionis oleum. Nam cum dona Spiritus Sancti, teste Isaia, septem sint, septem item sacramenta, quæ ab eodem Spiritu Sancto vim efficiendi habent, sicut oportet; *non plura nec pauciora esse.* . . . Et hæc quidem omnia salutis nostræ remedia *ipse Jesus Christus Deus et Dominus noster tradidit et sancti ejus Apostoli.*" [2]

Jeremiæ, quoad vixit, Græcorum nemo qui contradixerit est repertus, nemo qui hanc ab eo expressam doctrinam non probaverit: at, non multo post, sæculo XVII., Cyrillus Lucaris Jeremiæ successor, calviniana lue imbutus, calvinianam fidei professionem promulgavit, in qua (art. 15.) asseruit: "Græcorum perpetuam et constantem esse doctrinam duo tantum esse sacramenta, baptismum et Eucharistiam, a supremo legistatore Christo sancita." Verum, huic doctrinæ, statim, tamquam hæreticæ pravitati restiterunt Episcopi orientales et universus clerus; eamque damnarunt in Synodis Constantinopolitana 1638. sub Cyrillo Contaru antea Berrhoensi Metropolita et tum Lucaris successore in Sede Constantinopolitana, in altera Constantinopolitana 1642. sub Parthenio, in Hierosolymitana 1672. sub Dositheo.

[1] V. Arcudium, l. 1. de Concordia Orient. et Occid. Eccles. c. 2.

[2] Perp. fid. t. 5. l. 1. c. 3.

In Synodo Constantinopoli habita, anno 1638., quæ fuit trium Patriarcharum, Constantinopolitani nempe, Alexandrini et Hierosolymitani, unius supra viginti Episcoporum et Metropolitarum, et viginti trium magnæ Ecclesiæ officialium, editus est canon qui sequitur: "Anathema Cyrillo nova dogmata fabricanti et credenti non esse ex institutione Jesu Christi, neque ex Apostolorum traditione, praxique perpetua septem Ecclesiæ sacramenta, Baptismum, scilicet, Chrisma, Pœnitentiam, Eucharistiam, Sacerdotium, Extremam Unctionem et Matrimonium: sed falso asserenti duo tantum a Christo in Evangelio data esse aut instituta, Baptismum et Eucharistiam."—In Synodo sub Parthenio, cui præter Patriarcham et Petrum Mogilam, Metropolitam Kioviensem totius Russiæ, subscripserunt Metropolitæ et Episcopi 22., Archimandritæ et præsules alii 21., quoad rem præsentem dicitur: "In decimo quinto capitulo (Lucaris in sua Professione) negat Ecclesiæ sacramenta quinque, Sacerdotium, sacram Unctionem, sacrum Oleum (τὸ εὐχέλαιον, extremam Unctionem), Confessionem cum pœnitentia, et honorabiles Nuptias, quæ omnia ut sacra et divinam gratiam conferentia (θειας χαριτος μεταδοτικα) nobis antiqua reliquit traditio. Duo vero alia sacramenta admittens, duobus deinde capitibus eorum virtutem non recte exponit. Nam baptismo ita justificari putat baptizatum, ut perire in nullo modo possit. . . . . Divinam autem Eucharistiam ita convellit, ut nihil ipse aliud nisi nudam figuram ei relinquat, quasi adhuc in umbra veteris legis serviremus. Negat enim eum, qui videtur et comeditur, panem jam sanctificatum esse verum Christi corpus, sed spiritualiter tantum intellectum, aut potius imaginando fictum; quod omni impietate plenum est. . . . Quapropter et hæc capitula et interrogationes (quatuor subnexas a Lucari capitulis) communi suffragio plene subvertimus . . . . . omnibus declarantes, eorum scriptorem falso nos criminari, dum ait, privatam suam fidem esse orientalem christianæ fidei Græcorum professionem, cum sit calvinica, non nostra." [1]

Demum extat "Confessio orthodoxæ fidei" adversus Confessionem calvinianam Cyrilli Lucaris scripta a Metropolita totius Russiæ Kioviensi Petro Mogila, et, an. 1643., a quatuor Patriarchis Parthenio Constantinopolitano, Joannicio Alexandrino, Macario Antiocheno, Paisio Hieroso-

[1] V. Labbei Conc. t. 15. p. 1716. et seq.

8

lymitano, ab aliis Metropolitis, Episcopis et Clericis græcis approbata, atque iterum in Synodo Hierosolym. 1672. confirmata velut genuina expressio fidei totius Ecclesiæ orientalis (schismaticæ). Agitur ibi de sacramentis a quæstione 98. usque ad q. 119. et singulorum usus, natura, sanctitas et efficacia declaratur. Ad 10. fidei articulum: "Confiteor unum baptisma in remissionem peccatorum," subdit Confessio statim in ingressu tractationis q. 98.: "Quoniam [hic fidei articulus] baptismatis mentionem facit, locum nobis opportunum præbet, ut explicemus *septem sacramenta Ecclesiæ,* quæ sunt hæc: Baptisma, Unguentum Chrismatis, Eucharistia, Pœnitentia, Sacerdotium, honorabile Conjugium, et sacrum Oleum (το εὐχέλαιον). Hæc septem sacramenta respondent septem donis Spiritus Sancti, quoniam per ea Spiritus Sanctus dona sua et gratiam suam infundit animis eorum, qui sicut oportet ea suscipiunt." [1]

Nestoriani et Monophysitæ, jam a sæculo V. extra Ecclesiam rejecti, nostram de septenario sacramentorum numero fidem retinent ac profitentur: [2]—et P. Joan. Bapt. Sollerii S. J., dissertatio egregia [3] demonstrat eadem apud Coptos in Ægypto, specie ac numero, sacramenta recenseri quæ a Catholicis numerantur. Hæc sunt: 1.—Sacramentum *Baptismi,* qui Coptis est *Tansir.* 2.—*Confirmatio,* quam dicunt *Tetbit* vel *Meirun,* quod est *Chrisma.* 3.—*Confessio,* quam *Eteraf* appellant. 4.—*Missa,* quæ non unum sortitur nomen, nam pro oblatione audit *il Korban,* pro sanctificatione *Koddas,* pro sacrificio *Seeide.* 5.—*Matrimonium,* quod vocatur *Zauage.* 6.—*Ordo,* qui dicitur *Kahanut.* 7.—Denique *Extrema Unctio,* quæ vel appellatur Oleum lampadis *Zeit—il—Kandil,* vel Oleum ægrorum sub nomine *Zeit—il—marade.* [4] Animadversione dignum est id quod addit P. Sollerius. "Neminem unum, etiam inter Sacerdotes, reperias, qui septem sacramenta ordine enumeret. . . . Itaque si ea mysteria ab eis percuncteris, unum, alterum et forte tria edisserent aliqui, alii hærebunt ferme ad singula. Si quæras ulterius, utrum quæ ab eis omissa sunt, v. g. Confirmatio aut Matrimonium, sacramenta sint; mox respondebunt affirmative, tandemque fatebuntur

---

1) Ed. Lipsiæ, 1695. p. 154.

2) Perp. fid. t. 3.

3) V. Act. Sanct. pro mens. Junii, t. 7. ed. Palmé, 1867.

4) V. t. cit. p. 117.

septem esse numero. Coptorum, ut alias dixi, infortunium est, quod catechismis careant, seu brevibus Christianorum dogmatum compendiis, qualia nobis abunde suppetunt. Quod autem alicubi me legere memini, Coptos non credere sacramenta esse institutionis divinæ, ab Europæis gratis fingitur: quæstionis terminos certe non intelligunt: verum si de Auctore sacramentorum distinctius sciscitеris, incunctanter reponent, non alium quam Christum Dominum eorum esse institutorem." [1]

Colligentes ergo in unum quæ diximus, concludamus:—quando, sæculo XVI., Protestantes septenarium numerum sacramentorum negaverunt, ut ab ipso Auctore et consummatore fidei nostræ constitutum; illum numerum, non tantum Ecclesia Catholica per universum orbem diffusa, jam multis ante sæculis confitebatur; sed et Græci schismatici et hæretici orientales omnes admittebant; illum ab antiquo per traditionem accepisse dicebant; illum consequenter in universa Ecclesia fuisse etiam tum creditum attestabantur quum primum a centro veri tatis, a Petri sede, divulsi fuerant.—Proinde stat antecedens argumenti quod ad vindicandam thesim proposuimus; simulque ejusdem argumenti conclusio manet, scilicet, nec plura, nec pauciora sacramenta esse quam septem in Ecclesia Christi.

Ut solvantur difficultates quæ moveri possent ab adversariis, hæc sequentia præ oculis habenda sunt.

---

[1] Paucos quosdam mediæ ætatis orientales scriptores e sectis Monophysitarum et Nestorianorum in assignandis singulis sacramentis errasse, non infitior. Sic Vartanus Armenus Monophysita confundit sacrum oleum cum pœnitentia, et ut expleat numerum septenarium, ponit septimum sacramentum "funus super defunctos." Ebed-Jesu Nestorianus non commemorat Extremam Unctionem et Matrimonium, sed eorum loco numerat "sacrum fermentum et signum vivificæ crucis." Similiter enumerationem sacramentorum erroneam, duo Græci monachi, Job et Damascenus Thessalonicensis, exhibent, conjungentes oleum infirmorum cum Pœnitentia, et assignando habitum sacrum, seu monasticum, ut sacramentum sextum.

At errores hujusmodi particulares infirmare nequeunt demonstrationem factam de Orientalium, qui a catholica communione separati sunt, fide circa numerum sacramentorum. Hunc numerum, ita certum atque ex Traditione solemnem habebant omnes, ut illi iidem memorati scriptores pro quibusdam sacramentis veris, quæ in eorum enumeratione omittebant, alia supposuerint ad septenarium numerum custodiendum. Quod autem inter se dissentientes, in diversas abeant sententias, et modo, ut sacramentum, assignent habitum monasticum, modo cæremonias funebres, modo fermentum, aut signum crucis; id nullo pacto communem traditionem illarum Ecclesiarum ostendit, sed individuales aberrationes a vero. V. Franzelin. de sacram. in genere, th. 20.

1.—Frustra petunt Protestantes ut ostendamus in Scripturis nomen septenarii numeri sacramentorum: nam nec ipsi ostendere possunt nomen binarii, vel ternarii, vel quaternarii. Id autem, non est proprium sacramentis, sed commune aliis rebus, cum Scripturæ doctrinam, præcepta, miracula Christi tradant, non catechismum.—Præterea, etiamsi supponeretur ex Scripturis nihil erui quod numerum spectet sacramentorum, nullum argumentum ex hoc contra thesim nostram deduci posset; nam credere tenemur multa ex verbo Dei tradito, cujus eadem auctoritas est, quæ scripti. Attamen, in re præsenti, Scripturæ septenarium numerum conceptis verbis non commemorant; sed signa quædam sensibilia, sacra, divinitus instituta, conferentia gratiam sanctificantem digne suscipientibus indicant, quæ certissime ut, septem numero, vere et proprie N. L. sacramenta dignosci debent. Illis signis utique Scripturæ non tribuunt *sacramenti* nomen; sed neque hoc nomen tribuunt Baptismo, aut Eucharistiæ, quæ ex adversariorum consensu sacramenta sunt; et solum Matrimonium hoc insignitur nomine, quod e censu sacramentorum adversarii omnes expungunt. Nomen sacramenti, ut plenissime articulis præcedentibus demonstravimus, juxta varias acceptiones usurpatum est in Scripturis, et per se non sufficit ad indicandum signum divinitus institutum in nova lege ad conferendam rite dispositis gratiam sanctificantem: nos autem, in præsentiarum, non de nomine horum signorum disputamus, sed de signis ipsis.

2.—Patres antiqui licet septenarium numerum diserte non adstruant, et sejunctim singuli de omnibus non loquantur; tamen nullum est ex septem sacramentis, quod verum sacramentum esse non testentur.—Porro veteres illi Patres aliqua sacramenta ideo recensere solebant non omnia, quia vel tunc eorum scopus particularis id non exigebat; vel sacramenta in duas veluti classes dividebant, et de una tantum loqui volebant; vel occultiora quædam palam facere vetabat *disciplina arcani*.—Sed hæc paulo fusius sunt explicanda.

Et primo quidem dicimus, Patres aliqua, non omnia, quandoque sacramenta commemorasse, quia id ferebat eorum scopus. Ita Tertullianus[1] unitatem naturæ humanæ et resurrectionem carnis evincit ex sanctificatione per sacramenta sensibilia, ut videre est in testi-

[1] De resurrect. carnis, c. 8.

monio, quod supra citavimus. Etenim postquam (c. 7.) dixerit: "Ita caro, dum ministra et famula animæ deputatur, consors et cohæres invenitur. Si temporalium, cur non et æternorum?" prosequitur (c. 8.): "Et hæc quidem, velut de publica forma humanæ conditionis in suffragium carni procuraverim. Videamus nunc de propria etiam Christiani nominis forma, quanta huic substantiæ, frivolæ ac sordidæ, apud Deum prærogativa sit: et si sufficeret illi, quod nulla omnino anima salutem possit adipisci, nisi dum est in carne crediderit: adeo caro salutis est cardo. Denique cum anima Deo allegitur, ipsa est quæ efficit ut anima allegi possit. Scilicet caro abluitur, ut anima emaculetur; caro ungitur, ut anima consecretur; caro signatur, ut et anima muniatur; caro manus impositione adumbratur, ut et anima spiritu illuminetur; caro Corpore et sanguine Christi vescitur, ut et anima de Deo saginetur. Non possunt ergo separari in mercede, quas opera conjungit."—S. Justinus[1] ideo duorum solummodo meminit, quia, ut de singulis tractaret, nec scribendi, nec temporis ferebat ratio. Respondebat enim gentilibus, qui duo objecerant Christianis: 1. eos esse atheos, quod Deos non colerent: 2. in conventibus suis eos vesci pueruli alicujus carnibus, ideoque neminem eos, præter suos, suam ad synaxin admittere. Cujus calumniæ in Christianos conjectæ etiam Tertul. in Apologet., Athenagoras in Apol., Minutius in Octavio testes sunt. Ad primum Justinus respondet, eos atheos non esse, cum tres divinas personas colant. Deinde de Christianorum synaxi agit, ac veluti cursim Baptismi meminit, ut doceat, nonnisi baptizatis permissum esse synaxi accumbere; tum, quid Christiani in synaxi agant, rationem reddit, ubi de Eucharistia necessum habebat disserere, utpote synaxeos mysterio præcipuo, ob quod, scilicet corpus Christi, putabantur carnibus vesci mactati pueruli. Igitur de sacramentis aliis ut scriberet, nec necessum fuit, cum hæc ignota essent adhuc gentilibus; nec proinde consultum, ne ex his divulgatis ampliorem causam sumerent adversus Christianos.—S. Irenæus[2] ex professo de sacramentis non tractat, sed pro data occasione nunc Eucharistiæ, nunc Baptismi meminit. De priore (lib. 4. cap. 18.) disputat, ut Marci cujusdam errores refellat circa eamdem; de Baptismo, autem (l. 1. c. 21.) ut rursus hæreticorum aliorum circa eumdem ineptias

---

1) Apol. 1.

2) Contra hæreses, l. 1. et 4.

confutet.—S. Basilius ut demonstret non omnem christianam disciplinam in Scripturis contineri, sed multa per traditionem haberi, in exemplum adducit ritus aliquot sacramentorum, et ait: "Invocationis verba, cum conficitur panis Eucharistiæ et poculum benedictionis, quis Sanctorum in Scripturis nobis reliquit? neque enim his contenti sumus quæ commemorat Apostolus aut Evangelium. . . Benedicimus et aquam baptismi, et oleum unctionis, et insuper ipsum baptizatum; ex quibus Scripturis?"[1]—S. Augustinus, sæpe ut validitatem sacramentorum quæ ministrantur ab hæretico ostendat, aliqua commemorat, ad hominem arguens contra adversarios: "Si ad hoc valet," ait, "quod dictum est in Evangelio, Deus peccatorem non audit, ut per peccatorem sacramenta non celebrentur; quomodo exaudit homicidam deprecantem vel super aquam baptismi, vel super oleum, vel super Eucharistiam, vel super capita eorum, quibus manus imponitur? Quæ omnia tamen et fiunt et valent etiam per homicidas, id est per eos, qui oderunt fratres, etiam in ipsa intus Ecclesia."[2]—Demum S. Isidorus de etymologia nominis *sacramenti* agit, et ut definitionem sacramenti illustret, affert tria sacramenta, quæ ad scopum suum sufficerent: "Sunt autem sacramenta Baptisma, et Chrisma, Corpus et Sanguis, quæ ob id sacramenta dicuntur, quia sub tegumento corporalium rerum virtus divina secretius salutem eorumdem sacramentorum operatur; unde et a secretis virtutibus vel a sacris sacramenta dicuntur."[3]—S. Cyrill. Hieros. et S. Ambrosius[4] de sacramentis institutionem suppeditant, sed pro catechumenis et recenter baptizatis, quibus tria sacramenta simul tradi solebant, baptismus nempe, Confirmatio et Eucharistia; ac proinde de his tribus tantum loquuntur, in operibus quæ adversarii nobis objiciunt: nec aliter intelligenda sunt hæc verba auctoris librorum de sacramentis, qui Ambrosio tribuuntur: "Ergo accepisti de sacramentis, plenissime cognovisti omnia."[5]—Si quando Patres dicunt, "sacramenta Ecclesiæ e latere Christi manasse pendentis in cruce,"[6] et ideo Baptismum

---

[1] De Spiritu Sancto c. 27.

[2] De baptismo, l. 5. c. 20.

[3] Etymolog. l. 6. c. 19.

[4] S. Cyril. Hier. in catechesibus Mystagogicis, et S. Amb. l. de Mysteriis, et l. 6. de sacramentis.

[5] De Sacram. l. 6. c. 2.

[6] S. Aug. Tract. 120. in Joan.

solum numerant et Eucharistiam ; id faciunt tum quia de ædificatione Ecclesiæ loquuntur, ad quam concurrunt *Sanguis* quo redempti sumus, et *baptismus,* per quem Ecclesiam Christi ingredimur :—tum etiam quia *baptismus* primum sacramentum est quo regeneramur et per eum ad cetera sacramenta accedere possumus, *Eucharistia* vero *finis* et *consummatio est omnium sacramentorum,* ut ait S. Dionysius (de Eccles. hierarch. c. 3.).

Secundo loco, animadvertimus Patres veteres interdum sacramenta quædam peculiariter commemorasse, quia mysteria nostra in duplicem veluti classem dividebant, in ea nempe quæ *consecrantia* aut *perficientia* dicuntur et in *medicinalia.* "Sacramenta novæ legis," ait S. Thomas,[1] "ad duo ordinantur, scilicet in remedium peccati et ad cultum divinum. Est autem omnibus sacramentis commune quod per ea exhibetur aliquod remedium contra peccatum, per hoc quod gratiam conferunt. Non autem omnia sacramenta ordinantur directe ad divinum cultum, sicut patet de pœnitentia, per quam homo liberatur a peccato ; non autem per hoc sacramentum exhibetur homini aliquid de novo pertinens ad divinum cultum, sed restituitur in statum pristinum. Pertinet autem aliquod sacramentum ad divinum cultum tripliciter : uno modo per modum ipsius actionis ; alio modo per modum agentis ; tertio modo per modum recipientis. Per modum quidem ipsius actionis pertinet ad divinum cultum Eucharistia, in qua principaliter divinus cultus consistit. . . . . Sed ad agens in sacramentis pertinet sacramentum Ordinis, quia per hoc sacramentum deputantur homines ad sacramenta aliis tradenda. Sed ad recipientes pertinet sacramentum Baptismi, quia per ipsum homo accipit potestatem recipiendi alia Ecclesiæ sacramenta . . . ad idem etiam ordinatur quodammodo Confirmatio."—Hinc Patres frequentissime quatuor hæc sacramenta per excellentiam *consecratoria* simul commemorant ; nec solent eis adjungere alia, quæ potius sunt *medicinalia.* Et hæc etiam ratio est cur S. Dionysius, in opere *de ecclesiastica hierarchia,* cum tractatum scriberet de hierarchicis consecrationibus et initiationibus, sacramenta illa solum explicet, nempe Baptismum, Chrisma, Eucharistiam et Ordinem. His autem pro scopo suo addit consecrationem altarium, solemnem dedicationem monacho-

---

[1] 3. p. q. 63. a. 6.

rum, benedictionem et ritus funebres super corpora fidelium defunctorum. De professione vero monastica cum aliis Ecclesiæ sacramentis specialiter locuti sunt Patres, eamque mysterium et sacramentum appellavere, non proprio, sed lato sensu; quia ex opere operantis, propter fervorem caritatis ejus qui mundo renuntiat, peccata remittit, et sic aliquo modo assimilatur baptismo. "Rationabiliter, autem" inquit S. Thomas,[1] dici potest quod etiam per ingressum religionis aliquis consequatur remissionem omnium peccatorum. Si enim aliquibus eleemosynis factis, homo potest statim satisfacere de peccatis suis, secundum illud Daniel. 4. 24.: 'Peccata tua eleemosynis redime,' multo magis in satisfactionem pro omnibus peccatis sufficit quod aliquis se totaliter divinis obsequiis mancipet per religionis ingressum, quæ excedit omne genus satisfactionis, etiam publicæ pœnitentiæ, ut habetur in Decret. 33. quæst. 1. art. *Admonere;* sicut etiam holocaustum, excedit sacrificium, ut Gregorius dicit super Ezech., hom. 20. a med. Unde legitur in Vitis Patrum, l. 6. libello 1. n. 9., quod eamdem gratiam consequuntur religionem intrantes quam consequuntur baptizati."

Tertio loco causam cur aliqui Patres antiquiores de sacramentis quasi obiter tractarent, et singuli de omnibus non loquerentur, fuisse diximus *legem arcani*, seu religiosi silentii de mysteriis fidei: quod tam graviter inculcatum erat primis Ecclesiæ sæculis, et tam fideliter servabatur, ut Patres in publicis concionibus, et in scriptis libris, potius quædam innuerent de sacramentis nostris, quam explicarent. Sub finem sæculi IV., S. Joannes Chrys. (hom. 40. in I. Ep. ad Cor. n. 1.), de baptismo loquens, ait: "Volo quidem aperte hoc dicere, verum non audeo propter eos qui non sunt initiati: ii enim expositionem nobis faciunt difficiliorem, ut qui nos cogant vel non aperte dicere, vel eis arcana enuntiare."—Quapropter apud eum frequentissime illa formula occurrit "norunt initiati;" quæ similiter sæpe repetita est in operibus S. Augustini, et aliorum Patrum: quinimo S. Augustinus sacramenta dixit, appellata fuisse mysteria, idest occulta, secreta, quia solis communicanda erant initiatis, efferre vero in publicum nefas esset.[2] Sæculo V., Innocentius I. (Ep. 25.) Decentio Episc. Eugubino consulenti quædam respondet de sacramento Chrismatis, sed formam verborum

---

[1] 2. 2. q. 189. a. 3. ad 3.

[2] V. l. de catechiz. rudib. c. 9.

non audet consignare litteris: "verba vero," inquit, "dicere non possum, ne magis prodere videar, quam ad consultationem respondere." [1]

3.—Lotio pedum Apostolorum, quam refert S. Joannes in Evangelio (XIII. 5.), et verba Christi (v. 14.): "Si ergo lavi pedes vestros Dominus et Magister, et vos debetis alter alterius lavare pedes: exemplum enim dedi vobis, ut quemadmodum ego feci, ita et vos faciatis;" non spectant institutionem sacramenti proprie et stricte accepti. Id manifestum fit ex eo quod lotio neque *præcepta a Domino* fuerit *ut perpetuo*, sicut veri nominis sacramentum, *in Ecclesia maneret;* neque *promissionem*, tamquam *signum practicum*, habuerit *gratiæ sanctificantis.*

Etenim, *non fuit a Domino præcepta ut perpetuo in Ecclesia maneret;* nam, etsi ablutio pedum in quibusdam Ecclesiis particularibus, ut e. g. in Mediolanensi, adhibita fuerit, dum conferretur baptismus; nec semper tamen, nec ubique locorum, nec in ipsa Romana Ecclesia obtinuit: et ubicumque viguit, habita fuit ut cæremonia quæ mutabilem respiceret disciplinam. Extat can. 48. Concilii Illiberitani qui statuit: "Neque pedes eorum [qui baptizantur] lavandi sunt a sacerdotibus, vel clericis." S. Augustinus ait, "sed ne ad ipsum sacramentum baptismi videretur pertinere [lotio pedum] multi hoc in consuetudine recipere noluerunt. Nonnulli etiam de consuetudine auferri non dubitaverunt. Aliqui autem, ut et hoc sacratiori tempore commendarent, et a baptismi sacramento distinguerent, vel diem tertium octavarum . . . . . vel etiam ipsum octavum, ut hoc facere elegerunt." [2] Et ipse S. Ambrosius fatetur: "Non ignoramus quod Ecclesia Romana hanc consuetudinem non habeat, cujus typum in omnibus sequimur, et formam: hanc tamen consuetudinem non habet, ut pedes lavet." [3] Postea inquit se, in lotione pedum adhibenda, a Romana Ecclesia recedere, scribens: "In omnibus cupio sequi Ecclesiam Romanam; sed tamen et nos homines sensum habemus, ideo quod alibi rectius servatur, et nos rectius custodimus:" et his, aperte dicit, praxim illam disciplinam spectare, non dogmata, cæremoniam quamdam, non sacramentum: nam in iis solum quæ non dogmata, sed meram disciplinam respiciunt, non violata, imo

---

1) Denzinger, Enchiridion, p. 22.

2) Ep. 55. ad Januarium n. 33.

3) L. 3. de sacram. c. 1. n. 5.

agnita, Romanæ Ecclesiæ auctoritate suprema, possunt Episcopi Ecclesiarum suarum tenere consuetudinem.

Quod *lotio pedum non habuerit, tamquam signum practicum, promissionem gratiæ sanctificantis,* jam patet ex dictis: signum enim gratiæ practicum a Christo Domino institutum, non adhibetur ut cæremonia accidentalis in ritibus Ecclesiæ, nec mutatur, secundum disciplinam variam et temporarias Ecclesiarum particularium consuetudines. Sed et verba ipsa Salvatoris docent lotionem pedum discipulorum ad exemplum et exercitationem humilitatis, non ut efficax symbolum esset gratiæ, fuisse peractam. "Si ergo ego lavi pedes vestros Dominus et Magister; et vos debetis alter alterius lavare pedes."[1]—Quum autem dicit: "Nisi lavero te, non habebis partem mecum," non promittit Christus *omnibus* gratiam, sed minatur *Petro* pœnam ob inobedientiam: quare longe differt sententia hæc ab alia (Joan. 3.): *Nisi quis renatus fuerit* etc.: ista universalis omnino est, respiciens omnes, absque ulla conditione; illa particularis, reluctantiam Petri spectat, cui, nisi obediat, comminatur pœnam. Verbis (v. 10.): "Qui lotus est, non indiget nisi ut pedes lavet," Christus ostendit, lotionem pedum figuram esse lotionis internæ, qua etiam *loti,* idest justi, indigent ut levioribus maculis, seu peccatis venialibus se mundent: quæ interna lotio, per externam figurata, contritione, Pœnitentiæ sacramento, humilitate, aliisque virtutum actibus peragitur. Hac itaque ratione ablutio pedum dicitur *sacramentum,* quatenus nempe remissionem peccatorum venialium significat; quæ quotidie humilitate, caritate, aliisque remediis ipsa lotione pedum expressis, lavari debent.

Hinc facile solvitur difficultas, quæ oritur ex S. Bernardo.[2] Affirmat

---

[1] "De lavandis vero pedibus," ait S. Augustinus, "cum Dominus hoc propter formam humilitatis, propter quam docendam venerat, commendaverit, sicut ipse consequenter exposuit, quæsitum est. . . ."—Ep. 55. ad Januarium, c. 18. n. 33.

[2] "Nam ut de remissione quotidianorum minime dubitemus, habemus ejus *sacramentum,* pedum ablutionem. . . . Vis autem nosse, quia *pro sacramento illud est,* non pro solo exemplo factum? Illud attende quod Petro dictum est: 'Si non lavero te non habebis partem mecum.' Aliquid igitur latet, quod necessarium est ad salutem, quando sine eo nec ipse Petrus partem haberet in regno Christi et Dei. . . . . Et unde scimus quia *ad diluenda peccata, quæ non sunt ad mortem,* et a quibus plene cavere non possumus ante mortem, *ablutio ista pertineat?* Ex eo plane quod offerenti manus et caput pariter ad abluendum, responsum est: 'qui lotus est, non indiget nisi ut pedes lavet.' Lotus enim est qui gravia peccata non habet." S. Bernardus, serm. de Cœna Dom. n. 4.

utique mellifluus Doctor (serm. de Cœna Domini) pedum lotionem esse *sacramentum* pro remissione peccatorum venialium; sed de sacramento loquitur sub *generica ratione* accepto, non autem sub *specifica*, quæ septem solummodo competit signis practicis gratiæ in nova lege. Hanc certe fuisse mentem S. Doctoris ex citati sermonis contextu et scopo agnosci potest.

Etenim, quo sensu sacramentum ibi accipiat, declarat initio cum *multa sacramenta* dicat esse recolenda ultimis diebus majoris hebdomadæ in quadragesima, et *de tribus* tantum *illorum* verba faciat: "Hi sunt dies quos observare debemus, dies pleni pietate et gratia, quibus etiam sceleratorum hominum mentes ad pœnitentiam provocantur. Tanta siquidem est vis *sacramentorum* eorum quæ diebus istis recoluntur, ut possint ipsa quoque lapidea scindere corda, et pectus omne, licet ferreum, emollire sufficiant. . . . . At vero quoniam sic est in spiritualibus cibis, sicut et in corporalibus, ut in quibusdam statim præsto sit sapor, in aliquibus oporteat laborare: quæ manifesta sunt, nostro non indigent ministerio; quæ vero clausa sunt, diligentem volunt habere considerationem [*alias* consideratorem]. Neque enim tradit mater parvulo nucem integram, sed frangit eam, et nucleum porrigit. Sic et ego vobis, fratres charissimi, si possem, *sacramenta quæ clausa sunt*, aperire debueram; sed, quia minus possum, rogemus ut vobis pariter et mihi mater sapientia frangat nuces istas. . . . *Multa* quidem sunt *sacramenta*, et scrutandis omnibus hora non sufficit. Fortassis etiam aliqui vestrum imbecilles sunt ad tanta simul capienda. *De tribus itaque sacramentis, quæ satis congrua sunt huic tempori*, dicendum erit quod Dominus ipse donaverit."—Et ad excludendam omnem dubitationem circa sensum juxta quem in illa concione vocem sacramenti accipere vult, idem S. Doctor declarat (n. 2.): "Sacramentum dicitur sacrum signum, sive sacrum secretum. Multa siquidem fiunt propter se tantum; alia vero propter alia designanda, et ipsa dicuntur signa, et sunt. Ut enim de usualibus sumamus exemplum, datur annulus absolute propter annulum, et nulla est significatio: datur ad investiendum de hæreditate aliqua, et signum est, ita ut jam dicere possit qui accipit: Annulus non valet quidquam, sed hæreditas est quam quærebam. In hunc itaque modum appropinquans passioni Dominus, de gratia sua investire curavit suos, ut invisibilis gratia signo aliquo visibili præstaretur. Ad hoc

instituta sunt omnia sacramenta, ad hoc Eucharistiæ participatio, ad hoc pedum ablutio, ad hoc denique ipse baptismus." Demum, postquam declaraverit ablutionem pedum fuisse sacramentum [generica hujus vocis acceptione] ad significandam internam ablutionem a venialibus, concludit: "Verumtamen hæc nemo contemnet, aut parvipendat. . . . . Nemo inquam, perniciosa securitate dormitet. . . . Nec ideo tamen pro eis necesse est nimis esse sollicitos; ignoscit facile, imo et libenter, si modo nos agnoscamus. . . Hinc est quod in oratione quam ipse instituit, quotidie pro peccatis illis voluit nos orare."

S. Ambrosii verba quædam obscura sunt et difficilia, quæ indigent declaratione. Etenim scribit (l. de Myst. c. 6. n. 32.): "Mundus erat Petrus, sed plantam lavare debebat; habebat enim primi hominis de successione peccatum: quando eum supplantavit serpens, et persuasit errorem. *Ideo planta ejus abluitur, ut hæreditaria peccata tollantur;* nostra enim propria per baptismum relaxantur." Et (l. 3. de Sacram. c. 1. n. 5.) refellens eos, qui asserebant, non in mysterio lavari pedes baptizatorum, sed in signum humilitatis, veluti dum hospites excipiuntur, ait: "Aliud est humilitatis, aliud sanctificationis. Denique audi quia mysterium est, et sanctificatio: Nisi lavero tibi pedes, non habebis mecum partem." In fine ejusdem capitis (n. 7.): "Lavas ergo pedes, ut laves venena serpentis."—At S. Ambrosius per baptismum omnia peccata dimitti docuit non solum lib. 3. de off. c. 18.; Ps. 36. n. 63. et l. 2. in Luc. n. 79.; verum etiam in libro *de mysteriis*[1] et in ipso loco objecto ex l. 3. *de sacramentis,* inquiens "omnis culpa diluitur in baptismo."[2] Quomodo ergo juxta Ambrosium in lotione pedum est mysterium sanctificationis, quomodo abluitur planta pedis ut tollantur hæreditaria peccata, quomodo lavantur pedes, ut laventur venena serpentis? Profecto non alio sensu, nisi quatenus concupiscentia, serpentis fraude ingenerata, per quam quotidie in plura peccata prolabimur, lotione pedum, et exercitatione humilitatis frænatur; atque ita ablutio pedum aliquod sanctificationis subsidium nobis tribuit. Explicat enim seipsum Ambrosius scribens in Ps. 48. n. 9.: "Lavemus et pedes, ut calcanei lubricum possimus auferre, quo fida statio possit esse virtutum, et ne paterno quis errore labatur, qui suo paratus est stare

---

1) c. 4.   2) c. 1. n. 7.

proposito: et non metuat lubricum hæreditatis, qui cupit vestigium tenere virtutis." Atque eodem libro 3. de Sacram. n. 7.: "In baptismate omnis culpa diluitur. Recedit ergo culpa; sed quia Adam supplantatus a diabolo est, et venenum ei effusum super pedes, ideo lavas pedes, ut in ea parte, in qua insidiatus est serpens, majus subsidium sanctificationis accedat, quo postea te supplantare non possit. Lavas ergo pedes, ut laves venena serpentis. Ad humilitatem quoque proficit ut in mysterio non erubescamus, quod dedignamur in obsequio." Ob eandem rationem, nimirum ex eo quod lotio pedum significet auferendum calcanei lubricum, et corroborandam exercitatione virtutum hæreditariam infirmitatem; scripserat Ambrosius (n. 5.) in lotione pedum latere mysterium sanctificationis, nec esse illam eodem loco tenendam, quo habetur ablutio hospitum facta ad honestatem hospitii.

ARTICULUS QUINTUS

De convenientia sacramentorum.

Quum sacramentorum institutor sit ipse Deus, qui "attingit a fine usque ad finem fortiter et disponit omnia suaviter," [1] sacramenta convenienter ad hominum salutem instituta esse patenter constat. Verum, ut Dei sapientia, benignitas ac providentia, in sacramentis instituendis, splendidiore luce nobis appareant; juvat, ex doctrina Majorum, quasdam hujus institutionis congruentias hic exponere, quæ tum naturam, tum numerum spectant sacramentorum: ideoque proponimus sequentem thesim.

---

[1] Sap. VIII. 1.

THESIS VIII.

Aptissimæ in sacramentorum institutione, pro sanctificatione hominum et salute, convenientiæ splendere cernuntur, sive eorumdem sacramentorum natura spectetur, sive numerus.

I. Convenientia sacramentorum, *spectata eorum natura*, quatenus sensibilia signa sunt pro hominum sanctificatione, tripliciter, ad mentem Angelici,[1] ostendi potest: *a*)—Ex conditione naturæ humanæ: nam ejus proprium est ut per corporalia et sensibilia ad spiritualia et intelligibilia capienda deveniat; sed divinæ providentiæ magnopere congruit ut unicuique rei provideat secundum modum suæ naturæ accomodatum: ergo magnopere divinæ providentiæ congruit homini auxilia salutis conferre sub corporalibus et sensibilibus quibusdam signis, quæ sunt sacramenta. "Si incorporeus esses," aiebat S. Joan. Chrysostomus,[2] "nuda tibi illa et incorporea dona tribuisset; sed quia corpori conjuncta est anima, in sensibilibus, spiritualia tibi largitur."

b) Ex statu hominis lapsi. Etenim corporalibus rebus homo peccando adhæsit; sapiens autem medicus in illis ægroto convenienter exhibet medicinam, quibus ægrotus adhæret, ut libentius ab eo sumatur: ergo, aptissima congruentia, Deus per corporalia signa, idest per sacramenta, homini spiritualem medicinam præbuit contra peccatum. "Quæ tamen medicina," recte adnotabat Hugo a S. Victore,[3] "quantum ad suam naturam spectat [nimirum, si corporea res, ut naturaliter est, consideretur] augere morbum habuit, non curare, quia terrena omnia (quantum ad illorum qualitatem, et nostram infirmitatem pertinet) corruptionem animarum operari solent potius quam curationem. Per quæ tamen Deus cum nostram sanitatem perficit, quid aliud quam suæ virtutis potentiam evidenter ostendit: cum in eodem nostrum procurat remedium a quo infirmitatis et corruptionis traximus morbum?"

---

1) S. Th. 3. p. q. 61. a. 1.

2) Hom. 82. alius 83. in Matth. n. 5.

3) De sacram. lib. 1. p. 9. c. 5.

c) Ex studio actionis humanæ, "quæ præcipue," ait S. Thomas[1] "circa corporalia versatur; ne ergo esset homini durum, si totaliter a corporalibus actibus abstraheretur, proposita sunt ei corporalia exercitia in sacramentis, quibus salubriter exerceatur ad evitanda superstitiosa exercitia, quæ consistunt in cultu dæmonum, vel qualitercumque noxia, quæ consistunt in actibus peccatorum." — Quapropter "per sacramentorum institutionem homo convenienter . . . eruditur per sensibilia; humiliatur se corporalibus subjectum cognoscens, dum sibi per corporalia subvenitur; præservatur etiam a noxiis actionibus per salubria exercitia sacramentorum."

Præterea, convenienter sacramenta instituta sunt ut notæ quædam et symbola essent, quibus christianæ fidei cultores inter se noscerentur et ab infidelibus dignoscerentur;— ut signa essent quibus christiani fidem in conspectu hominum profiterentur, simulque bonorum cœlestium spem, quam nutriunt, firmissimam manifestarent;—et ut media essent efficacia quibus fideles ad servandam unionem inter se arctissimam, et ad mutuam dilectionem provocarentur, dum unius corporis membra se esse agnoscerent, ex sacrorum eorumdem mysteriorum participatione.

II. Rationes, seu congruentias propter quas *septem*, nec plura, nec pauciora, *nobis data sunt sacramenta*, Doctores catholici declaraverunt.

Prima et vulgatissima est illa, quam S. Thomas proposuit, et est ex similitudine deducta inter corporalem vitam et spiritualem.—

"Sacramenta Ecclesiæ, ait S. Doctor,[2] "ordinantur ad duo, scilicet ad perficiendum hominem in his quæ pertinent ad cultum Dei secundum religionem christianæ vitæ, et etiam in remedium contra defectum peccati. Utroque autem modo convenienter ponuntur septem sacramenta. Vita enim spiritualis conformitatem aliquam habet ad vitam corporalem, sicut et cetera corporalia conformitatem quamdam spiritualium habent."

"In vita autem corporali dupliciter aliquis perficitur: uno modo quantum ad personam propriam; alio modo per respectum ad totam communitatem societatis in qua vivit, quia homo naturaliter est animal sociale.—Respectu autem sui ipsius perficitur homo in vita

---

[1] Loco citato. [2] 3. p. q. 65. a. 1.

corporali dupliciter: uno modo per se, acquirendo scilicet aliquam vitæ perfectionem; alio modo per accidens, scilicet removendo impedimenta vitæ, puta ægritudinis, vel aliquid hujusmodi. Per se autem perficitur corporalis vita tripliciter:—primo quidem per generationem, per quam homo incipit esse et vivere; et loco hujus in spirituali vita est *baptismus*, qui est spiritualis regeneratio, secundum illud (Tit. III. 5.): 'Per lavacrum regenerationis,' etc.—Secundo, per augmentum quo aliquis perducitur ad perfectam quantitatem et virtutem; et loco hujus in spirituali vita est *confirmatio*, in qua datur Spiritus Sanctus ad robur. Unde dicitur discipulis jam baptizatis (Luc. ult., 49.): 'Sedete in civitate, quoadusque induamini virtute ex alto.'—Tertio per nutritionem, qua conservatur in homine vita et virtus; et loco hujus in vita spirituali est *Eucharistia*. Unde dicitur (Joan. VI. 54.): 'Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.'—Et hoc quidem sufficeret homini, si haberet et corporaliter et spiritualiter impassibilem vitam. Sed quia homo incurrit interdum et corporalem infirmitatem, et spiritualem, scilicet peccatum, ideo necessaria est homini curatio ab infirmitate; quæ quidem est duplex:—una quidem est sanatio, quæ sanitatem restituit; et loco hujus in spirituali vita est *pœnitentia*, secundum illud (Ps. XL. 5.): 'Sana animam meam, quia peccavi tibi;'—alia autem est restitutio veletudinis pristinæ per convenientem diætam et exercitium, et loco hujus in spirituali vita est *extrema unctio*, quæ removet peccatorum reliquias, et hominem paratum reddit ad finalem gloriam. Unde dicitur (Jacob. V. 15.): 'Et si in peccatis sit, dimittentur ei.'"

"Perficitur autem homo in ordine ad totam communitatem dupliciter:—uno modo per hoc quod accipit potestatem regendi multitudinem, et exercendi actus publicos; et loco hujus in spirituali vita est sacramentum *ordinis*, secundum illud (Hebr. 7.) quod sacerdotes hostias offerunt non solum pro se, sed etiam pro populo.—Secundo quantum ad naturalem propagationem; quod fit per *matrimonium* tam in corporali quam in spirituali vita, eo quod est non solum sacramentum, sed naturæ officium."

"Ex his etiam patet sacramentorum numerus, secundum quod ordinantur contra defectum peccati. Nam *baptismus* ordinatur contra carentiam vitæ spiritualis; *confirmatio* contra infirmitatem animi, quæ

in nuper natis invenitur; *Eucharistia* contra labilitatem animi ad peccandum; *pœnitentia* contra actuale peccatum post baptismum commissum; *extrema unctio* contra reliquias peccatorum, quæ scilicet non sunt sufficienter per pœnitentiam sublatæ, aut ex negligentia, aut ex ignorantia; *ordo* contra dissolutionem multitudinis; *matrimonium* in remedium contra concupiscentiam personalem, et contra defectum multitudinis, qui per mortem accidit." [1]

---

[1] Quam apte sacramenta humanæ vitæ conditionibus respondeant, eloquenter Gœthe ita demonstrat:

"Voici un jeune couple qui se donne la main. . . Le prêtre prononce sa bénédiction sur lui et le lien est indissoluble. Après un temps qui n'est pas long, nos deux époux reviennent au pied de l'autel et y apportent une image d'eux-mêmes. Le petit enfant est purifié avec l'eau sainte et incorporé à l'Eglise, grand bienfait qu'il ne perdra qu'à force d'étourderies et d'égarements. Il se forme de lui-même dans la vie aux choses de la terre; quant aux choses du ciel, il a besoin qu'on les lui enseigne. A peine, soumis à un examen, a-t-il fait preuve d'une instruction suffisante, qu'aussitôt il est admis désormais dans le sein de l'Eglise comme citoyen actif, comme confesseur véritable et volontaire, non sans un signe extérieur qui marque le prix de la dignité reçue. Dès lors il est définitivement chrétien, il connait maintenant les avantages et les devoirs d'un chrétien. Dans l'intervalle il a rencontré sur son chemin mainte chose digne d'admiration. L'instruction et la correction lui ont ouvert les yeux sur les mystéres de son cœur. Il sera encore question pour lui de leçons et de transgressions, mais non de châtiment. Cepedant il se trouve engagé dans cette mêlée terrible où les exigences opposées de la nature et de la religion se combattent; comment s'en tirera-t-il? Un moyen, un secours admirable lui a été donné: il confiera ses actions, ses fautes, ses crimes et ses doutes à un homme digne de recevoir cette confidence et établi exprès pour cela; et cet homme le tranquillisera, l'avertira, le fortifiera, et, lui imposant une peine symbolique, il lui rendra la paix par l'effacement complet de sa faute; enfin, cet homme après l'avoir reçu avec une conscience noircie, souillée, tourmentée, le renverra avec une conscience entièrement calme, candide et pure. Ainsi préparé et purifié par plusieurs actions sacramentelles, qui vues de plus près se ramifient en plusieurs pratiques plus petites, le chrétien vient s'agenouiller pour recevoir l'hostie; et afin que le mystère de cette action si haute soit encore relevé, il n'aperçoit le calice que dans le lointain. Ce n'est point ici un manger et un boir vulgaire qui rassasient, c'est un aliment du ciel qui ne fait qu'augmenter la soif du breuvage céleste.

"Ce n'est pas tout. Nous finissons par nous familiariser avec les affaires de ce monde, et par marcher seuls dans cette voie, bien que nos connaissances, notre intelligence et notre caractère n'y suffisent pas toujours; dans les choses célestes, nous n'avons jamais fini de nous instruire. Notre jugement, qui n'est pas toujours droit par lui-même, est encore si souvent faussé par des influences extérieures, que nous ne pouvons guère trouver dans notre propre fonds ce dont nous avons besoin en fait de conseil, de consolation et de secours. Dieu y a pourvu; voici un homme sage et pieux dont la vocation et l'ordre consiste à remettre les égarés dans le droit chemin, à soulager ceux qui souffrent. Ces moyens de consolation dont il a éprouvé tant de fois durant sa vie l'efficacité salutaire, le chrétien, arrivé aux portes de la mort, les retrouvera dix fois plus efficaces encore. Avec une confiance entière et que lui procure une habitude qui date de sa jeunesse, le chrétien, près de quitter cette vie, reçoit

Convenientias etiam alias, quoad septenarium numerum sacramentorum, prosequitur S. Bonaventura.[1]—"Principium nostrum," ait, "reparativum, et curativum nostrorum morborum, Christus Dominus, Verbum incarnatum, cum sit Dei virtus, et sapientia, et misericordia nostra, sic potenter, sic sapienter, sic clementer, sic decenter sua debet instituere sacramenta in lege gratiæ, ut nihil prorsus desit curationi nostræ, quantum competit statui vitæ præsentis. Ad perfectam autem curationem ægritudinis concurrunt hæc tria, scilicet expulsio ægritudinis, introductio sanitatis, et conservatio introductæ salutis. Primum igitur, quoniam ad perfectam curationem perfecta et universalis requiritur morbi expulsio; et morbus est septiformis; triplex culpabilis,

---

avec ferveur des gages simboliques et significatifs qui le rassurent pour son avenir. Au moment même où toute garantie terrestre s'évanouit, voici qu'une garantie céleste l'assure pour l'éternité d'une existence de bonheur. Il se sent décidément convaincu qu'aucun élément ennemi, aucun esprit malveillant ne pourra l'empêcher de se revêtir d'un corps glorifié, pour jouir, en union immédiate avec la divinité, des délices inénarrables dont elle est la source. Pour conclusion, afin que l'homme soit tout entier sanctifié, les pieds eux-mêmes reçoivent l'onction sainte. Ils doivent eux-mêmes, en cas de guérison, fouler à regret de nouveau ce sol de la terre si dur, si inhospitalier. Il faut qu'ils soient animés de la vive impatience de repousser loin d'eux la motte de terre qui les a jusque-là portés. Ainsi le berceau et la tombe, si éloignés qu'ils puissent être, se trovent renfermés dans le cercle radieux des saintes et religieuses pratiques dont nous venons de signaler l'admirable beauté.

"Mais ces merveilles spirituelles ne naissent pas comme les autres fruits sur le sol de la nature, ils ne sauraient y être ni semés, ni plantés, ni cultivés. Il faut les demander à une autre région qui n'est pas accessible pour tout chacun ni toujours. Ici la tradition nous prête le secours de la foi. Nous entendons dire qu'un homme peut être favorisé d'en haut, béni, sanctifié plutôt qu'un autre. Afin qu'elle ne paraisse pas être un don de la nature, il faut que cette grande faveur, liée à un devoir pénible, passe d'un privilégié à un autre, et que le plus grand bien qu'un homme puisse desirer, sans pouvoir l'acquérir par lui-même, se perpétue sur la terre par un héritage spirituel. Oui, la consécration du prêtre comprend tout ce qui est nécessaire pour accomplir efficacement ces opérations saintes qui comblent tous les hommes des faveurs d'en haut, sans qu'ils aient besoin d'autre disposition que de croire et d'avoir confiance. Ainsi représentant de Celui qui est par excellence l'auteur de la bénédiction, le prêtre dans la série de ses devanciers et de ses successeurs et dans le cercle de ceux qui partagent son onction sainte se montre avec d'autant plus d'éclat, que ce n'est pas lui que nous honorons, mais son ministère; que ce n'est pas devant son commandement que nous fléchissons le genou, mais devant la bénédiction qu'il dispense, bénédiction qui parait d'autant plus sainte et plus immédiatement venir du ciel, que celui qui en est l'instrument ne saurait l'affaiblir ni l'énerver par une conduite coupable ou même criminelle.

"Combien cet ensemble admirable par son hamonie n'a-t-il pas été mutilé par le protestantisme qui n'en conserve que la moindre partie et rejette le reste comme apocryphe!" Oeuvres, t. 18. p. 262.

[1] Beviloquii. p. 6. c. 3.

scilicet culpa originalis, mortalis, et venialis; et quadruplex pœnalis, scilicet ignorantia, malitia, infirmitas et concupiscentia; et non sanat oculum, quod sanat calcaneum, sicut dicit Hieronymus: hinc est, quod oportuit adhiberi contra hæc septenarium medicamentorum ad hunc septiformem morbum plenius expellendum, scilicet contra originalem, baptismum; contra mortalem, pœnitentiam; contra venialem, unctionem extremam; contra ignorantiam, ordinem; contra malitiam, Eucharistiam; contra infirmitatem, confirmationem; et contra concupiscentiam, matrimonium, quod eam temperat et excusat.

Rursus, quia perfecta curatio non potest esse sine restitutione integræ sanitatis, et sanitas animæ integra consistit in usu septem virtutum, trium scilicet theologicarum, et quatuor cardinalium; hinc est, quod ad harum usum sanum restituendum, institui oportuit septiforme sacramentum. Nam baptismus sanando disponit ad fidem, confirmatio ad spem, Eucharistia ad caritatem, pœnitentia ad justitiam, unctio extrema ad perseverantiam, quæ est fortitudinis complementum et summa, ordo ad prudentiam, matrimonium ad temperantiam conservandam, quam maxime persequitur infirmitas carnis, sed honestas remediat nuptiarum.

Postremo, quoniam perfecta curatio esse non potest sine conservatione salutis introductæ, et salus introducta conservari non potest in conflictu certaminis, nisi in acie Ecclesiæ, quæ est 'terribilis ut castrorum acies ordinata,' et hoc quidem fit per septiformis gratiæ armaturam; hinc est, quod necesse est septem esse sacramenta. Nam ut hæc acies sit perfecte et continue communita, cum constet ex partibus corruptibilibus, indiget sacramentis munientibus, relevantibus et renovantibus; munientibus pugnantes, relevantibus cadentes, et renovantibus morientes. Sacramentum autem muniens, aut munit ingredientes, et sic est baptismus; aut stantes, et sic est confirmatio; aut exeuntes, et sic est extrema unctio. Sacramentum autem relevans, aut relevat a casu veniali, et sic est Eucharistia; aut a mortali, et sic est pœnitentia. Sacramentum autem renovans, aut renovat in esse spirituali, et sic est ordo, cujus est administrare sacramenta, aut in esse naturali, et sic est matrimonium. . . . Unde, quia baptismus est ingredientium, confirmatio pugnantium, Eucharistia vires resumentium, pœnitentia resurgentium, extrema unctio exeuntium, ordo novos milites introducentium, matri-

monium novos milites præparantium, patet ex his sufficientia et ordo medicamentorum sacramentalium, et armorum."

ARTICULUS SEXTUS

De ordine sacramentorum ad invicem.

Duplex ordo attenditur in sacramentis, numerationis, et dignitatis: considerari enim possunt vel quatenus unum in serie præcedit numero aliud, vel quatenus unum aliud, aut cetera omnia dignitate præcellit.— Si numeralis præcedentia spectetur, non omnes eodem modo semper sacramenta recensuerunt, ut apparet ex documentis ecclesiasticis quæ ante retulimus;[1] sed ordo quem legimus in Decreto Eugenii IV. pro Armenis, et Concilium Tridentinum[2] adoptavit videtur optimus. Si vero dignitatis ordo consideretur, unum esse altero dignius Tridentina Synodus (canone 3. sess. 7.), his verbis definivit: "Si quis dixerit, hæc septem sacramenta ita esse inter se paria, ut nulla ratione aliud sit alio dignius; anathema sit:" et (sess. 13. cap. 3.) excellentiam sanctissimæ Eucharistiæ super sacramenta reliqua declaravit. Sed quamvis Eucharistia longe omnibus excellat, nullum tamen est sacramentum quod alicui alteri secundum specialem quandam rationem non præstet.

Thesis sequens brevissime hæc omnia dilucidabit.

---

[1] p. 101. et seq.

[2] V. supra, p. 98.

THESIS IX.

Sacramenta recte numerantur ordine quem Tridentina Synodus probavit, Sessionis septimae canone primo. Inter sacramenta vero Eucharistia longe, dignitate, ceteris antecellit: licet, secundum rationes alias uniuscujusque sacramenti proprias, nullum sacramentorum sit quod non præstet alicui alteri.

Tres partes sunt in thesi: prima respicit ordinem secundum quem sacramenta numerantur a Tridentino; secunda, excellentiam Eucharistiæ super sacramenta reliqua; tertia, rationes alias juxta quas unum sacramentorum alteri præstat.

Probatur 1ª *pars.*— Sacramenta, quæ ordinantur ad perfectionem unius personæ, recte in numeratione præcedunt ea quæ ordinantur ad perfectionem multitudinis: unum enim prius est quam multitudo. Sed quinque priora, prout a Tridentino, canone primo sessionis septimæ, recensentur, ad perfectionem unius personæ ordinata sunt, duo ultima ad perfectionem multitudinis. Ergo recte hæc duo, Ordo nempe et Matrimonium, ultimo loco veniunt in numeratione: Matrimonium autem post Ordinem collocatur, "eo quod minus," ait S. Thomas,[1] "participat de ratione spiritualis vitæ, ad quam ordinantur sacramenta." Inter ea vero quæ ad unius personæ perfectionem ordinantur, recte numerantur prius quæ *per se* ordinantur ad perfectionem vitæ spiritualis, quam illa quæ ad eamdem perfectionem ordinantur *per accidens.* Sed hujusmodi sunt Pœnitentia et Extrema Unctio, utpote quæ ordinantur ad remotionem peccati post baptismum supervenientis. Ergo recte Pœnitentia et Extrema Unctio post tria priora ponuntur in serie sacramentorum: et quia Extrema Unctio perficit quod Pœnitentia fecit, ante illam hæc quarto loco ponitur.—Demum, si tria priora sacramenta ad invicem comparentur, manifestum erit, Baptismum præcedere alia, quia est spiritalis regeneratio hominis; et Confirmationem præcedere Eucharistiam, quia per Confirmationem divina gratia augemur et

[1] 3. p. q. 65. a. 2.

roboramur, Eucharistia vero, tamquam cœlesti cibo animæ nostræ alimur et sustentamur. Quod si dicatur, Confirmationem potius numerandam esse post Eucharistiam, quia Eucharistia nutrimentum præbet, Confirmatio dat augmentum, et istud post illud intelligitur; respondet S. Thomas,[1] "quod nutrimentum et præcedit augmentum, sicut causa ejus; et subsequitur augmentum, sicut conservans hominem in perfecta quantitate et virtute. Et ideo potest Eucharistia præmitti Confirmationi, ut Dionysius facit (de Eccl. Hierarch. cc. 3. 4.), et potest postponi, sicut Magister facit in 4. sent. (dist. 7. et 8.)." Magistrum secuti sunt Scholastici, eorumque ordinem in his duobus sacramentis numerandis merito approbaverunt Eugenius IV., Decreto ad Armenos, et Tridentinum; quia Eucharistia videtur cibus esse perfectorum, et quasi virorum, quos effectu suo proprio Confirmatio facit.

Probatur 2ª pars thesis.—*a*) In Eucharistia, ut S. Thomas hac in re arguit, substantialiter continetur Christus; in aliis vero sacramentis efficacitas quædam est instrumentalis participata a Christo. Semper autem quod est per essentiam, potius est eo quod est per participationem. Ergo.

b) Illud est inter sacramenta dignissimum ad quod cetera ordinantur tamquam ad finem: sed alia sacramenta ad Eucharistiam ordinantur ut ad finem. Ergo.—Minor probatur, quia per sacramentum baptismi homo ordinatur ad Eucharistiæ susceptionem: sacramento Confirmationis christianus perficitur ac roboratur, et ita optime disponitur ad Eucharistiam: per Pœnitentiam et Extremam unctionem homo præparatur ad dignam Eucharistiæ sumptionem; sacramentum Ordinis confertur ad Eucharistiæ consecrationem et ministrationem: Matrimonium etiam, saltem significatione sua, ait S. Thomas,[2] hoc sacramentum attingit, "in quantum significat conjunctionem Christi et Ecclesiæ, cujus unitas per sacramentum Eucharistiæ figuratur." Quod si aliqua difficultas circa hanc ordinationem sacramentorum ad Eucharistiam, tamquam ad finem, ex sacramento Extremæ unctionis oriatur, ultimum enim est sacramentorum, et post cetera omnia in extremo vitæ periculo accipitur; difficultati occurrit Cajetanus, dicens Extremam unctionem ordinari etiam quodammodo ad Eucharistiam, ratione effec-

---

[1] Art. cit. ad 3.

[2] Loco citato.

tus; nam tollit reliquias peccatorum, et perfecte mundans animam, optime disponit ad unionem cum Christo, quæ sacramento Eucharistiæ efficitur.

Probatur 3ª *pars thesis.*—Baptismus excellit omnibus sacramentis quoad effectum, remittendo peccata: nam remittit peccatum originale, quod nullo sacramento alio remittitur; et etiam peccata omnia actualia remittit, et omnem pœnam eis debitam, quod non faciunt sacramenta cetera. Confirmatio excellit omnibus, ait Bellarminus,[1] quoad effectum gratiæ ad bene operandum: nam hoc sacramento confertur plenitudo gratiæ Spiritus Sancti, per quam in christiana professione perficimur et roboramur. Pœnitentia, necessitate, ceteris sacramentis præstat, Baptismo excepto, cum quo prærogativam hanc habet communem. Extrema unctio aliquo modo Pœnitentiæ excellit, nam præsupponit Pœnitentiæ effectum, et abundantiorem addit gratiam; delet enim peccata si adhuc adsint, aufert reliquias peccatorum, et proxime animam disponit ut assequi valeat beatitudinem. Ordo ceteris præstat quia ad sublimiorem gradum in Ecclesia Christi elevat eos, qui hoc sacramentum suscipiunt. Demum, Matrimonium omnibus excellit ratione significationis, quæ est Christi unio cum Ecclesia quam ipse sibi desponsavit.

---

1) De controv. christ. fidei, t. 3. l. 2. c. 28.

PARS SECUNDA

DE CAUSIS SACRAMENTORUM

ARTICULUS PRIMUS

De Auctore sacramentorum.

Ex causa efficiente sacramentorum secundæ Tractatus partis initium ducimus: et e vestigio declaramus quænam sit causa efficiens, de qua loquimur in hoc articulo. Etenim sacramenta, utpote signa quæ non ex natura sua, sed ex institutione significant et efficiunt gratiam, duplicem requirunt causam: unam primam et quasi remotam, quæ significationem imponat rebus sensibilibus assumptis ut signa sint sacramentalia, eisque virtutem conferat ad sanctificationem efficiendam; alteram ministerialem, quæ proxime sacramentale signum, jam institutum, efficiat et applicet.

De hac posteriori postea acturi, priorem modo inquirimus, quæ est causa sacramenta instituens. Sed hæc est etiam duplex, *principalis* nempe, cui potestas competit *auctoritatis*, et alia in qua potestas est *excellentiæ*. Potestas *auctoritatis* ex sese esse intelligitur, quæ non subsit alteri, omnino independens, et cui omnis alia potestas, quæ ad efficientiam sacramentorum concurrat, subjecta sit ac maneat. Potestas *excellentiæ* est potestas *principalis ministerii*.

Jam vero *auctoritatis* potestate sacramenta instituere, quæ conferant gratiam, solius Dei est: solus enim Deus impertire potest homini gratiam, quæ ineffabilis participatio est naturæ divinæ; solus auctoritate sua propria et independenti rebus corporalibus tribuere valet vim sanctitatis significandæ et efficiendæ, ita ut homo ex injusto justus, ex inimico amicus, ex servo filius per adoptionem ac cœlestis beatitudinis hæres fiat secundum spem. "Gratiam et gloriam dabit Dominus" (Ps. 83. v. 12.).—Patet ergo, Deum *auctoritatis* potestate auctorem esse et institutorem nostrorum omnium sacramentorum.

Potestas autem *excellentiæ*, seu *principalis ministerii* in sacramentis instituendis competit Christo homini. Etenim "Mediator Dei et hominum homo Christus Jesus, qui dedit semetipsum redemptionem pro omnibus,"[1] caput est Ecclesiæ,[2] et Salvator corporis sui [mystici], ita ut nulla sit gratia, nullum supernaturale donum, quod ab ipso ejusque meritis non pendeat. Ab hoc capite originem et consistentiam habent omnis potestas, omne ministerium, omnia media salutis in Ecclesia, sicut ab eo pendent passionis suæ meritorum applicatio, institutio mediorum quibus merita sua applicantur hominibus in salutem, et perpetua horum mediorum in Ecclesia ministratio ac dispensatio, juxta illud Apostoli "crescamus in illo per omnia, qui est caput Christus: ex quo totum corpus compactum et connexum per omnem juncturam subministrationis, secundum operationem in mensuram uniuscujusque membri, augmentum corporis facit in ædificationem sui in caritate."[3]

Quapropter S. Thomas, loquens de præcellenti auctoritate quam habuit Christus in institutione sacramentorum, ait:[4] "Interiorem sacramentorum effectum operatur Christus, et secundum quod est Deus, et secundum quod est homo; aliter tamen et aliter. Nam secundum quod est Deus, operatur in sacramentis per auctoritatem: secundum autem quod est homo, operatur ad interiores effectus sacramentorum meritorie et efficienter, sed instrumentaliter. Dictum est enim (q. 48. et 49.) quod passio Christi, quæ competit ei secundum humanam naturam, causa est nostræ justificationis et meritorie et effective; non quidem per modum principalis agentis, sive per auctoritatem, sed per modum instrumenti, in quantum humanitas est instrumentum divinitatis ejus, ut supra dictum est (q. 13. a. 1. et 3.). Sed tamen quia est instrumentum conjunctum divinitati in persona, habet quamdam principalitatem et causalitatem respectu instrumentorum extrinsecorum, qui sunt ministri Ecclesiæ, ut ex supra dictis patet (a. 1. huj. q.). Et ideo sicut Christus, in quantum Deus, habet potestatem auctoritatis in sacramentis, ita in quantum homo habet potestatem ministerii principalis, sive potestatem *excellentiæ*."

---

1) I. ad Tim. II. 5. 6.

2) Ad Eph. V. 23.

3) Ad Eph. IV. 15. 16.

4) 3. p. q. 64. a. 3.

Hæc autem potestas excellentiæ, ut S. Thomas docet,[1] consistit in quatuor:

Primum est, quod meritum et virtus Passionis Christi operetur in sacramentis: nam, "sacramentum," ait S. Thomas, "operatur ad gratiam causandam per modum instrumenti. Est autem duplex instrumentum: unum quidem separatum, ut baculus; aliud autem conjunctum, ut manus. Per instrumentum autem conjunctum movetur instrumentum separatum, sicut baculus per manum. Principalis autem causa efficiens gratiæ est ipse Deus, ad quem comparatur humanitas Christi sicut instrumentum conjunctum; sacramentum autem sicut instrumentum separatum. Et ideo oportet quod virtus salutifera a divinitate Christi per ejus humanitatem in ipsa sacramenta derivetur. Gratia autem sacramentalis ad duo præcipue ordinari videtur: videlicet ad tollendos defectus præteritorum peccatorum, in quantum transeunt actu, et remanent reatu; et iterum ad perficiendam animam in his quæ pertinent ad cultum Dei secundum religionem vitæ christianæ. Manifestum est autem ex his quæ supra dicta sunt, (q. 48. et 49.) quod Christus liberavit nos a peccatis nostris præcipue per suam passionem, non solum sufficienter et meritorie, sed etiam satisfactorie. Similiter etiam per suam passionem initiavit ritum christianæ religionis, 'offerens seipsum oblationem et hostiam Deo,' ut dicitur (Eph. 5.). Unde manifestum est quod sacramenta Ecclesiæ specialiter habent virtutem ex passione Christi, cujus virtus quodammodo nobis copulatur per susceptionem sacramentorum; in cujus signum de latere Christi pendentis in cruce fluxerunt aqua et sanguis, quorum unum pertinet ad baptismum, aliud ad Eucharistiam, quæ sunt potissima sacramenta."

Secundum est, quod sacramenta in nomine Christi sanctificentur et per invocationem nominis ejus conferri debeant. Huc pertinet illud Joannis Baptistæ:[2] "Qui misit me baptizare in aqua, ille mihi dixit: Super quem videris Spiritum descendentem, et manentem super eum, hic est qui baptizat in Spiritu Sancto;" Itemque hoc alterum Pauli:[3] "Unusquisque vestrum dicit: Ego quidem sum Pauli; ego autem Apollo: ego vero Cephæ: ego autem Christi. Divisus est Christus?

---

1) 3. p. q. 62. a. 5.

2) Joan. I. 33.

3) I. ad Cor. I, 12. 13.

Numquid Paulus crucifixus est pro vobis? aut in nomine Pauli baptizati estis?"[1]

Tertium est, quod Christus sacramenta instituerit; ita ut nulla sint quæ instituta non fuerint dependenter a voluntate ejus humana: utrum immediate an mediate, mox declarabitur.

Quartum demum est, quod potuerit etiam sine sacramentis, effectum sacramentorum conferre, idest remittere peccata et largiri gratiam. Sic solo motu voluntatis suæ paralyticum Deo reconciliavit, ut legimus apud Matth. (IX. 2–7.): "Et videns Jesus fidem illorum, dixit paralytico: Confide fili: remittuntur tibi peccata tua. Et ecce, quidam de Scribis dixerunt intra se; Hic blasphemat. Et quum vidisset Jesus cogitationes eorum dixit: Ut quid cogitatis mala in cordibus vestris? Quid est facilius, dicere: Dimittuntur tibi peccata tua; an dicere: Surge et ambula? Ut autem sciatis quia Filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata, tunc ait paralytico: Surge, tolle lectum tuum, et vade in domum tuam. Et surrexit et abiit in domum suam."

Quæritur a theologis, utrum hæc potestas excellentiæ, quæ propria Christi est, potuerit Apostolis, aut aliis Ecclesiæ ministris communicari; et communius, contra Scotum, Vasquez, paucosque alios,—qui tamen potius in verbis, quam in re a communiori sententia differre videntur,—respondetur affirmative. At intelligitur responsio prout eam potestatem spectat quæ totam quam, ut homo, Christus habet in sacramentis instituendis, potestatis plenitudinem non adæquet. Hæc enim, qua gaudet, quia humanitas ejus est instrumentum divinitati conjunctum, et "virtus salutifera," ut loquitur S. Thomas, "a divinitate per humanitatem in sacramento derivatur," nemini communicari potuit. Potestas vero excellentiæ, quæ eminentem potestatem Christi hominis non attingit, potuisset puro homini communicari; ideoque potuisset Christus ministris suis dare potestatem, qua rem aut actionem aliquam sensibilem tamquam certum et infallibile signum practicum gratiæ instituere possent, seu sacramentum. "Christus in sacramentis," ait S. Thomas,[2]

---

[1] "Baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi in remissionem peccatorum." Act. II. 38.—"Quum vero credidissent Philippo evangelizanti de regno Dei, in nomine Jesu Christi baptizabantur viri ac mulieres." Ibid. VIII. 12.

[2] 3. p. q. 64. a. 4.

"habuit duplicem potestatem: unam auctoritatis, quæ competit ei secundum quod Deus, et talis potestas nulli creaturæ potuit communicari, sicut nec divina essentia; aliam potestatem habuit excellentiæ, quæ competit ei secundum quod homo, et talem potestatem potuit ministris communicare; dando scilicet eis tantam gratiæ plenitudinem, ut eorum meritum operaretur ad sacramentorum effectus, ut ad invocationem nominum ipsorum sanctificarentur sacramenta, et ut ipsi possent sacramenta instituere, et sine ritu sacramentorum effectum sacramentorum conferre solo imperio. Potest enim instrumentum conjunctum, quando fuerit fortius, tanto magis virtutem suam instrumento separato tribuere, sicut manus baculo." Eam vero potestatem, si Christo placuisset illam alicui communicare, plenitudine potestatis excellentiæ, quam ut homo habuit, inferiorem futuram, in eodem articulo S. Thomas declarat in responsione ad 3., his verbis; "si tamen communicasset, ipse [Christus] esset caput [Ecclesiæ] *principaliter*, alii vero *secundario*."

Sed possibilitatem relinquentes, inquiramus factum. Communicata ne fuit, an non, potestas instituendi sacramenta, Apostolis, aut Ecclesiæ; fuit ne Christus sacramentorum nostrorum immediatus auctor et institutor, an mediatus tantum eorum, saltem aliquorum? Ut autem omnem vitemus æquivocationem, notamus Christum omnium sacramentorum immediatum institutorem esse dicendum, si per se ipsum gratiam unicuique sacramento propriam decreverit, eamque signo cuidam sensibili, saltem in genere determinato, alligaverit; mediatum vero dumtaxat esse sacramentorum institutorem, si hæc minime statuens per se ipsum, Apostolis aut Ecclesiæ potestatem reliquerit, gratiam singulorum, vel aliquorum saltem sacramentorum signis quibusdam sensibilibus, pro lubito suo eligendis, annectendam: ita ut inter signa sacra legis evangelicæ, quæ significant et efficiunt gratiam sanctificantem, saltem quædam instituta fuerint quoad substantiam, seu quoad ipsam rationem signi practici conferentis omnibus rite dispositis gratiam sanctificantem, ab Apostolis, vel post ætatem apostolicam, ab Ecclesia.

Non defuerunt ante Concilium Tridentinum theologi qui aliqua sacramenta instituta fuisse assererent ab Apostolis. Ita de Extrema

unctione docuisse videntur Hugo a S. Victore,[1] et Petrus Lombardus.[2] Alexander Alensis dixit[3] sacramentum Confirmationis, post Apostolos, "institutum fuisse Spiritus Sancti instinctu in Concilio Meldensi, quantum ad formam verborum et materiam elementarem, cui etiam Spiritus Sanctus contulit virtutem sanctificandi."[4] S. Bonaventura censuit sacramentum Extremæ unctionis per Apostolos, Confirmationis vero post mortem Apostolorum, per Ecclesiam Spiritum Sanctum instituisse. De Confirmatione ait:[5] "Potest dici, et melius (ut credo) quod illud sacramentum Christus nec dispensavit, nec instituit; quia post ascensionem suam decebat Apostolos confirmari, et Spiritum eis ad robur dari. Unde 'Spiritus Sanctus nondum erat datus, quia Jesus nondum erat glorificatus.' Non, inquam, datus in plenitudine, vel ad robur; sed hoc

---

1) De sacram. l. 2. p. 15. c. 2.

2) Lib. 4. dist. 23. "Hoc sacramentum unctionis infirmorum ab Apostolis institutum legitur. Ait enim Jacobus, cap. ult.: 'Infirmatur quis in vobis? Inducat presbyteros Ecclesiæ,' etc."

3) p. 4. q. 9. m. 1.

4) Concilium Meldense celebratum fuit anno 845, 15. Kalendas Julias, indictione 7. In Capitulis hujus Synodi 44. 45. 46. de Confirmatione agitur, et in eis Concilium ad auctoritatem Summi Pontificis Innocentii I. appellat, qui, sæculo V. ineunte, de Confirmationis sacramento responsum dederat Decentio Episcopo Eugubino, sicut diximus, p. 112.

Ecce Capitula, quæ legi possunt apud Labbé, Conc. t. 7. p. 1833.

Cap. 44.—"Ut chorepiscopus modum suum, juxta canonicam institutionem teneat, et nec sanctum Chrisma, nec Sanctum paraclitum Spiritum, solis Episcopis, juxta Decreta Innocentii tribuere debitum, tradere tentet, nec ecclesias consecret, neque ecclesiasticos, qui per impositionem manus tribuuntur, id est nonnisi usque ad Subdiaconatum, et hoc jubente Episcopo, et in locis quibus canones designant, agere præsumant. Impositioni autem pœnitentiæ, aut pœnitentium reconciliationi, per parochiam secundum mandatum Episcopi sui inserviat. Si vero civitatis Episcopus obierit, nihil ex episcopali ministerio specialiter episcopis debito attentet: quia ex hoc magnum scandalum, et divisionem rerum ecclesiasticarum, atque dilationem in canonice ordinandis Episcopis, Dei ecclesiis accidisse conspeximus. Nam si Episcopus civitatis propter desidiam, aut sæcularem pervagationem, vel propter infirmitatem, modum suum chorepiscopis transcendere consenserit, sententiam canonicam debet attendere, qua decretum est, ut qui contra dicta canonum fecerit, gradus sui periculo sine retractatione subjaceat."

Cap. 45.—"Ut nemo Episcoporum, vel quilibet minister ecclesiasticus, propter sacrum Chrisma aliquid muneris accipiat, neque denarios, vel quælibet munuscula, quæ per ministros Episcoporum, a presbyteris inordinabiliter exiguntur. Decet tamen presbyteros, cum voluntariis eulogiis, tempore congruo, visitare et venerari suos Episcopos."

Cap. 46.—"Ut nemo sacrum Chrisma, nisi in quinta feria Majoris septimanæ, id est in Cœna, quæ specialiter appellatur Dominica, conficere præsumat."

5) L. 4. dist. 7. a. 1. q. 1.

quidem fuit in die Pentecostes. Unde confirmati sunt a Spiritu Sancto immediate sine ministerio et sacramento: et ideo ipsi alios confirmabant etiam sine verbo. Sed postquam bases Ecclesiæ, Apostoli scilicet, qui a Deo, non per homines erant ordinati, prælati et confirmati, defecerunt, instituit Spiritus Sanctus hujus sacramenti formam, cui etiam virtutem sanctificandi dedit." Et de Extrema Unctione loquens,[1] "aliqui dicere voluerunt," inquit, "omnia sacramenta instituta fuisse a Christo, quoniam ipse fuit legislator. Unde, quamvis non expresse legatur de Confirmatione et Extrema unctione, tamen credendum est ipsum instituisse. Et hoc aliquo modo innuitur de Confirmatione, cum manus pueris imposuerit; de Extrema unctione, cum discipulos ad prædicandum misit, qui 'oleo ungebant infirmos, et curabantur,' sicut dicitur, Marc. (VI. 13.): nec dubium est, quin per mandatum ipsius hoc fecerint. Si autem Apostoli dicuntur aliqua instituisse, hoc est quia institutionem promulgaverunt, sicut beatus Jacobus confessionis et unctionis. Sed tamen cum in Evangelio sufficienter lex evangelica exprimatur, et evangelica lex contineat Christi statuta et facta, et magis statuta quam facta; quomodo probabile est, ut omnes evangelistæ sic sub silentio tam nobilia sacramenta pertransissent, si Christus instituisset, cum ex his nostræ salutis adminiculum eliciatur? Et ideo probabilius alii dicunt, et Magister videtur hoc sentire, imo aperte dicit, quod Spiritus Sanctus per Apostolos hoc sacramentum instituit, sicut supra dictum est de sacramento Confirmationis."

Postquam vero Tridentina Synodus (sess. 7. can. 1.) definivit *sacramenta novæ legis fuisse omnia a Jesu Christo Domino nostro instituta*,[2] nemo est inter catholicos theologos qui fas esse putet negare institutionem omnium sacramentorum immediate factam fuisse a Christo Domino. Verum an *immediata hæc institutio* definita fuerit a Tridentino ut veritas quæ *fide catholica* credi debeat, non consentiunt Doctores. Affirmant quippe Bellarminus,[3] Vasquez,[4] Becanus,[5] Gonet,[6] Isambertus,[7] et alii: at non minoris auctoritatis ex alia parte sunt theologi

---

1) Dist. 23. a. 1. q. 2., v. etiam Breviloq. p. 6. c. 4.

2) V. supra p. 98.

3) t. 3. l. 1. c. 23.

4) In 3. p. S. Thomæ, disp. 135. c. 1.

5) De sacram. in com. c. 5.

6) disp. 5. a. 1.

7) q. 64. disp. 1. a. 1.

qui id negant, ut, ex. gr. Dominicus Soto,[1] Suarez,[2] Gotti,[3] Tournely,[4] Berti,[5] Billuart.[6]

Primo loco ergo demonstranda est immediata institutio facta a Christo omnium novæ legis sacramentorum; deinde determinari debet qua certitudine hæc veritas tenenda sit. Thesis sequens, duplicem complectens partem, præstabit utrumque.

THESIS X.

Omnia novæ legis sacramenta instituta fuerunt immediate a Christo Domino: hæc veritas, etsi definita adhuc non sit ut dogma fidei; certo tamen tenenda est, et nonnisi magna temeritate impugnari posset.

Demonstratio primæ partis thesis haud difficulter *ex ipsis Sacris Litteris* colligi potest.—Profecto, si potestas instituendi aliquod sacramentum in Ecclesia Christi supponeretur alicui ex ministris Christi et Ecclesiæ communicata, eam datam fuisse Apostolis existimari deberet. Sed Scripturæ dicunt Apostolos esse sacramentorum dispensatores, non institutores. Ergo nemini in Ecclesia, præter Christum, potestas fuit instituendi sacramentum aliquod, ac proinde Christus immediate per seipsum omnia sacramenta instituit.—Major videtur aperta ex locis in quibus Apostoli sub Christo angulari lapide et primario fundamento, dicuntur fundamenta Ecclesiæ. In Epistola ad Ephesios (II. 19. 20.) legitur "estis cives sanctorum et domestici Dei, superædificati super fundamentum Apostolorum et Prophetarum ipso summo angulari lapide Christo Jesu." Et in Apocalypsi (XXI. 14.) ubi describitur nova civitas Jerusalem a Deo descendens, dicitur: "Et murus civitatis habens fundamenta duodecim, et in ipsis duodecim nomina duodecim Apostolorum Agni."—Minor probatur ex verbis Pauli Apostoli (I. Cor. IV. 1.): "Sic nos existimet homo ut ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei."

---

1) In 4. sent. dist. 1. q. 5. a. 2. conc. 3.

2) In 3. p. q. 64. disp. 12. s. 1. n. 3.

3) q. 6. dub. unic. § 2.

4) De sacram. in genere q. 5. a. 1.

5) De theol. discipl. l. 30. c. 8. p. 2.

6) De sac. in com. dissert. 5. a. 1.

Præterea, in Scripturis clare institutio traditur immediate facta a Christo duorum sacramentorum, Baptismi scilicet et Eucharistiæ (Matt. XXVI. XXVIII.). De duobus aliis non adeo aperte, sed indubie institutio similiter significatur, de Pœnitentia, nempe, illis verbis (Joan. XX. 23.): "Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; et quorum retinueritis, retenta sunt;" et de Ordine dum dixerat (Luc. XXVI. 19.): "Hoc facite in meam commemorationem." Ergo ex paritate concludi licet, alia sacramenta omnia eodem modo, seu immediate instituta fuisse a Christo Domino. Quæ conclusio legitima omnino videtur, cum ex una parte non possit ostendi institutio aliquorum sacramentorum facta ab Apostolis, et multo minus ab Ecclesia post Apostolorum ætatem; et ex alia parte constet omnia novæ legis sacramenta in hoc esse æqualia quod gratiam ex opere operato conferant, et tamquam media salutis præcipua pertineant ad Ecclesiæ fundamenta, quæ immutabilia esse oportuit.

Nec præteriri debet illud quod in Actibus Apostolorum legimus (I. 3.), nimirum discipulis post resurrectionem suam Christum apparuisse, et cum eis locutum fuisse de regno Dei, idest de Ecclesia ædificanda et administranda. Porro ad ædificationem et administrationem Ecclesiæ maxime pertinent sacramenta. Ergo valde credibile est Christum, si prius id non fecerat, tunc, illo temporis intervallo, sacramenta reliqua instituisse, et dedisse Ecclesiæ. Apposite S. Leo,[1] "non ii dies," inquit, "dilectissimi, qui inter resurrectionem Domini, Ascensionemque fluxerunt, otioso transiere decursu; sed magna in his confirmata sacramenta, magna sunt revelata mysteria."

Secundo, thesis probatur *ex Traditione.* Etenim, inaudita prorsus apud Patres fuit illa distinctio inter immediatam et mediatam institutionem sacramentorum factam a Christo; sed semper ac de sacramentis loquuntur, sine discrimine ea omnia divina appellant, et tradita Ecclesiæ suæ a Christo: quare S. Ambrosius[2] absolute pronuntiat: "Auctor sacramentorum quis est, nisi Dominus Jesus? De cœlo ista sacramenta venerunt."

Sed est insigne testimonium S. Augustini, quoad rem nostram, in Ep. 54. ad Januarium, cap. 1.; quod sic se habet: "Primo itaque tenere te volo .... Dominum nostrum Jesum Christum .... levi jugo suo nos

[1] Serm. 1. de Ascens. n. 2.

[2] De sacram. l. 4. c. 4.

subdidisse, et sarcinæ levi. Unde sacramentis numero paucissimis, observatione facillimis, significatione præstantissimis, societatem novi populi colligavit, sicuti est Baptismus Trinitatis nomine consecratus, communicatio Corporis et sanguinis ipsius, et si quid aliud in Scripturis Canonicis commendatur; exceptis iis, quæ servitutem populi veteris pro congruentia cordis illorum, et prophetici temporis onerabant, quæ et in quinque libris Moysis leguntur. Illa autem quæ non scripta [nempe in Sacris Litteris], sed tradita custodimus, quæ quidem toto terrarum orbe servantur, datur intelligi, vel ab ipsis Apostolis, vel plenariis Conciliis, quorum est in Ecclesia saluberrima auctoritas, commendata atque instituta retineri."

Quæ verba nullo pacto significant, duo tantum sacramenta, Baptismum et Eucharistiam, fuisse a Christo immediate instituta; cetera vero instituta postea ab Apostolis, vel a Conciliis generalibus: sed, si recte intelligantur, evidenter probant, ut merito animadvertit P. Vasquez,[1] Christum proxime, seu immediate omnia Ecclesiæ sacramenta instituisse, neque ullum illorum ab Ecclesiæ institutione duxisse exordium. Etenim S. Augustinus duo sacramenta, Baptismum et Eucharistiam, nominat ad exemplum, cetera vero indicat dum ait "et si quid aliud in Scripturis canonicis commendatur:" ita ut sensus sit, sacramenta, quorum sarcinæ levi et jugo suavi Christus nos subjicere voluit, esse Baptismum et Eucharistiam, et alia quæ in Scripturis commemorantur; non esse verum et proprie dictum novæ legis sacramentum, quod in Scripturis aliquo modo non indicetur; et ea quæ in Scripturis commemorata sunt, ab ipso Ecclesiæ Capite immediate esse instituta, absque ullo ministrorum Ecclesiæ præcepto et auctoritate. Quod autem nullum sit ex septem novæ legis sacramentis quod in Scripturis, aliqua mentione, non commendetur, patet ex iis quæ diximus in prima parte, thesi 6.[2]

Addidit S. Doctor: "illa quæ non scripta [nempe in Sacris Litteris], sed tradita custodimus . . . vel ab ipsis Apostolis, vel plenariis Conciliis . . . commendata atque instituta retineri," ut ab iis, quæ Christus per se ipsum instituit, distingueret ea quæ auctoritate solum Apostolorum, aut Ecclesiæ constant; et non dixit ea omnia quæ in Scripturis scripta non sunt, esse ecclesiastica tantum, non revelata divinitus, neque præcepta; sed docere voluit quasdam alias cæremonias, quas Scriptura non refert

[1] Disp. cit. c. 1. n. 9.

[2] V. p. 81.

nec præcipit, universa vero servat Ecclesia, ut sunt celebratio Paschalis et aliæ similes, quarum ad exemplum commemoratio fit in loco citato, ab hominibus immediate institutas esse et non a Christo.

Duo alia loca S. Augustini idem testimonium reddunt. In libro 3. *de doctrina christiana* (c. 9.) loquens de sacramentis novæ legis, ait: "Quædam pauca pro multis, eademque factu facillima, et intellectu augustissima, et observatione castissima, ipse Dominus, et Apostolica tradidit disciplina." Nimirum ipse Dominus auctor eorum fuit, Apostoli tradiderunt ea ut promulgatores.—Et in libro *de vera religione* (c. 17. n. 33.) inquit: "Populus timore constrictus tempore servitutis in veteri lege multis sacramentis onerabatur. Hoc enim talibus utile erat ad desiderandam gratiam Dei, quæ per Prophetas ventura canebatur. Quæ ubi venit, *ab ipsa Dei sapientia homine assumpto*, a quo in libertatem vocati sumus, *pauca sacramenta saluberrima constituta sunt*, quæ societatem christiani populi, hoc est sub uno Deo liberæ multitudinis, continerent." Quæ verba clara sunt, sensu locutionis obvio, ad significandam institutionem sacramentorum immediate factam a Christo; et clariora evadunt in contextu: nam de iis S. Augustinus ibi loquitur, quæ Verbum incarnatum egerat quando "in terris visus est et cum hominibus conversatus est." In ultimo capitis præcedentis numero (cap. 16. n. 32.) ait: "Tota itaque vita ejus in terris per hominem quem suscipere dignatus est, disciplina morum fuit:" et post hæc, initio capitis 17. (n. 33.) prosequitur: "Jamvero ipse totius doctrinæ modus, partim apertissimus, partim similitudinibus, in dictis, in factis, in sacramentis, ad omnem animæ instructionem exercitationemque accomodatus, quid aliud quam rationalis disciplinæ regulam implevit?"

Concilium Tridentinum gravissima momenta ad probationem hujus primæ partis thesis adjicit. Equidem verba canonis, quo definivit *sacramenta novæ legis omnia fuisse a Jesu Christo Domino nostro instituta*, de immediata institutione intelligi debent. Nam—*a*) communi usu loquendi, ille institutor dicitur qui per se ipsum quidquam statuit, et auctor ejus est immediatus: quapropter si alicujus sacramenti institutio immediate fuisset ab auctoritate humana, hæc ejusdem sacramenti institutrix appellari posset, imo deberet; Concilium vero nonnisi Christo tribuit nomen institutoris omnium sacramentorum.—Quod argumentum summe clarescit ex consideratione eorum, quibus universitas institutio-

num generalium in Ecclesia vigentium plene absolvitur: complectitur enim tria, videlicet, ea quæ sunt ex personali institutione et mandato Christi, cum visibilis in terra fundaret Ecclesiam; et insuper ea quæ ab Apostolis statuta sunt secundum potestatem a Christo habitam; et ea tandem, quæ Ecclesia post mortem Apostolorum per seipsam constituit ex auctoritate similiter a Christo accepta. Jam vero quum agitur de his, quæ ultimo loco commemoravimus; instituta et præcepta hæc dicuntur non juris divini, sed ecclesiastici, ab Ecclesia esse dicuntur, et non a Christo: instituta vero quæ tradita fuerunt Ecclesiæ ab Apostolis post Ascensionem Domini,—sive in iis meri promulgatores fuerint legis divinæ acceptæ per revelationem, sive fuerint ipsi, potestate apostolica, legislatores sub directione Spiritus Sancti,—non tribuuntur Jesu Christo, qua homo est, sed Spiritui Sancto, illis exceptis tantum, in quibus Christus homo se præsentem sistebat, ut in vocatione Pauli ad Apostolatum. Quum ergo Concilium Tridentinum docet omnia sacramenta instituta fuisse a Jesu Christo Domino nostro, eum declarat auctorem et institutorem immediatum omnium sacramentorum fuisse dum visibilis erat in terris, et cum Apostolis suis loquebatur de regno Dei.

b) Concilium agens de sacramentis in specie, et loquens de institutione Pœnitentiæ ac de Sacerdotio collato Apostolis, hæc tribuit Christo; et quamvis expresse non addat clausulam, quæ immediatam institutionem exprimat, clausula illa subintelligitur:—ergo cum in primo canone de sacramentis in genere Concilium Christo tribuat institutionem omnium sacramentorum, hanc institutionem intelligamus oportet fuisse immediatam. Consecutio legitima videtur ex similitudine locutionis a Concilio adhibitæ sine ullo addito quod declararet diversam significationem in alterutro casu.—Antecedens patet ex verbis ejusdem Concilii. In sessione 14. capite primo, quoad Pœnitentiam ait: "Dominus autem sacramentum pœnitentiæ tunc præcipue instituit, cum a mortuis excitatus, insufflavit in discipulos suos, dicens: accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; et quorum retinueritis, retenta sunt." In sessione 22., loquens de sacrosanto Missæ sacrificio, capite primo, hæc habet: "Corpus et sanguinem suum sub speciebus panis et vini Deo Patri [Christus] obtulit: ac sub earumdem rerum symbolis, Apostolis, *quos tunc Novi Testamenti Sacerdotes constituebat*, ut sumerent, tradidit;" et canone secundo: "Si quis dixerit, illis verbis,

'Hoc facite in meam commemorationem,' *Christum non instituisse* Apostolos Sacerdotes: aut non ordinasse, ut ipsi, aliique sacerdotes, offerrent corpus et sanguinem suum ; anathema sit."

c) Idem Concilium, sessione 14., canone primo, definit Extremam unctionem,—de qua maxime oriri potuisset dubitatio—"esse vere et proprie sacramentum, *a Christo Domino nostro institutum, et a beato Jacobo Apostolo promulgatum.*" Sed Concilium dum distinguit institutionem a promulgatione, et hanc solam tribuit Jacobo Apostolo, institutionem autem Christo; aperte docet Dominum nostrum fuisse illius sacramenti immediatum institutorem, et excludit mediatam institutionem factam a Jacobo; alioquin hic non solum Extremæ unctionis sacramentum *promulgasset*, sed etiam *instituisset.* Ergo Concilium docet Christum Dominum immediate instituisse hoc sacramentum: et consequenter idem de aliis sacramentis, ex doctrina Concilii, tenendum est.

d) Denique Tridentina Synodus, sess. 21. capite secundo, declarat: "Hanc potestatem perpetuo in Ecclesia fuisse, ut *in sacramentorum dispensatione, salva illorum substantia*, ea statueret, vel mutaret, quæ suscipientium utilitati, seu pro ipsorum sacramentorum veneratione, pro rerum, temporum et locorum varietate, magis expedire judicaret." Ergo Concilium diserte affirmat Ecclesiam accepisse potestatem ad instituendos aut mutandos ritus sacramentorum accidentales, nullam vero potestatem ei traditam fuisse circa *substantiam sacramentorum.* At hanc potestatem traditam a Christo Ecclesiæ supponi sane debuisset, si Ecclesia instituere potuisset, et de facto instituisset quodcumque sacramentum. Ergo in verbis citatis Concilium Tridentinum affirmat nullum sacramentum institutum ab Ecclesia fuisse, sed omnia eam accepisse a Christo Domino immediate instituta et immutabilia.

Tandem duas his subjungo *rationes*, quas suggerit S. Thomas. Prima desumitur ex utilitate fidelium. "Christus," ait S. Thomas,[1] "non ex invidia prætermisit potestatem excellentiæ Ecclesiæ ministris communicare, sed propter fidelium utilitatem, ne in homine spem ponerent, et ne essent diversa sacramenta, ex quibus divisio in Ecclesia oriretur; sicut apud illos qui dicebant: 'Ego sum Pauli, ego autem Apollo, ego vero Cephæ,' ut dicitur I. ad Cor. (I. 12.)."

---

[1] 3. p. q. 64. a. 4. ad 1.

Quam rationem Angelicus Doctor acceperat a S. Augustino[1] dicente: "Potuit autem Dominus Jesus Christus, si vellet, dare potestatem alicui servo suo, ut daret baptismum suum tanquam vice sua, et transferre a se baptizandi potestatem, et constituere in aliquo servo suo; et tantam vim dare baptismo translato in servum, quantam vim haberet baptismus datus a Domino. Hoc noluit ideo, ut in illo spes esset baptizatorum, a quo se baptizatos agnoscerent. Noluit ergo servum ponere spem in servo. Ideoque clamabat Apostolus, cum videret homines volentes ponere spem in seipso: 'Numquid Paulus pro vobis crucifixus est? aut in nomine Pauli baptizati estis? (I. Cor. I. 13.) Baptizavit ego Paulus tamquam minister, non tanquam ipsa potestas: baptizavit autem Dominus tanquam potestas. Intendite. Et potuit hanc potestatem servis dare, et noluit. Si enim daret hanc potestatem servis, id est, ut ipsorum esset quod Domini erat, tot essent baptismi quot essent servi. . . . Ergo ne tot baptismata dicerentur, quot essent servi qui baptizarent accepta potestate a Domino; sibi tenuit Dominus baptizandi potestatem, servis ministerium dedit."

Secunda ratio desumitur ex ipsa œconomia Christianæ Religionis; nam Christus in terra visibilis suam visibilem Ecclesiam fundavit, et in hac fundatione ipsemet instituit et ordinavit quæ essent essentialia elementa Christiani cultus. Cum igitur ad hæc sacramenta pertineant, per semetipsum, immediate, Christus sacramenta instituit. "Apostoli et eorum successores," inquit S. Thomas,[2] "sunt vicarii Dei quantum ad regimen Ecclesiæ constitutæ per fidem et fidei sacramenta. Unde sicut non licet eis constituere aliam Ecclesiam; ita non licet eis tradere aliam fidem, neque instituere alia sacramenta: sed per sacramenta, quæ de latere Christi pendentis in cruce fluxerunt, dicitur esse fabricata Ecclesia Christi."

In secunda parte thesis defendimus institutionem immediatam omnium et singulorum sacramentorum factam a Christo esse omnino tenendam, sed non adhuc esse definitam ut dogma fidei. Et sane definitionem hanc Tridentinam Synodum tulisse affirmare non possumus, cum hoc ipsum pronuntiare ausi non sint doctissimi ac sapientissimi viri, imo contrarium docuerint. Ut ex illis, quos supra commemoravimus, citemus

[1] Tract. 5. in Joan. n. 7.

[2] 3. p. q. cit. a. 2. ad 3.

unum: "Christus Dominus," ait Suarez,[1] "immediate ac per se ipsum instituit omnia sacramenta novæ legis. Conclusio est omnino certa ex definitione Concilii Tridentini (sess. 7. can. 1.). . . . Prætermisit Concilium illam particulam *immediate, et per se ipsum*, et ideo non dixi absolute conclusionem esse de fide; tamen hanc fuisse Concilii mentem vix potest dubitari."—Ratio autem quæ hic indicatur a Suarez magni ponderis est: nam omissio illius vocis declarativæ, cum supponi nequeat ex inadvertentia processisse, sufficienter ostendit Concilium noluisse fidelibus sub anathemate institutionem sacramentorum immediate factam a Christo proponere *de fide* credendam. Quod manifestius adhuc apparebit, si scopus Concilii spectetur in definitione hac condenda; et praxis, quam constanter secutum fuerat, attendatur. Scopus erat, damnare Novatorum errorem, qui sacramenta quædam rejiciebant, eaque dicebant humanam habuisse originem, imo, diabolicam, ac impetebant scommis atque dicteriis. Adversus hujusmodi blasphemias definitum fuit omnia sacramenta a Christo Domino esse instituta: ac proinde nullum esse *inutile figmentum*, aut *imposturam*, aut *superstitiosam cæremoniam;* sed omnia sanctissima, et augustissima. Praxis vero Concilii fuerat infestantes Pseudoreformatorum hæreses damnare; non catholicorum quorumdam opiniones expressa definitione pronuntiare hæreticas. Quis credibile esse putabit, Concilium ab hac regula, quam constanter secutum fuerat, tum deflectere voluisse cum tamquam hæresis damnanda esset opinio S. Bonaventuræ, doctoris gravissimi, in cujus sacra familia multi ex Patribus et theologis ejusdem Concilii educati fuerant? —Sed, et testimonium positivum habemus hac in re duorum magni nominis theologorum, Ioduci Ravestein, et Ruardi Tapper,[2] qui Concilio interfuerunt, et post canones de sacramentis a Concilio editos scripserunt Sacrosanctam Synodum nullam fidei definitionem tulisse circa immediatam institutionem sacramentorum.

Verum enimvero cum mens Concilii, quamvis non expressa definitione manifestata, clara tamen sit; et institutio a Christo immediate facta omnium sacramentorum indubitanter demonstretur, ut constat ex præcedentibus; et jam theologi hanc institutionem fateantur unanimes; evidens est, eam revocari in dubium non posse absque temeritate.

[1] In 3. p. q. 64. disp. 12. § 1. n. 3.

[2] V. Berti, l. c. n. 10.

ARTICULUS SECUNDUS

De materia et forma sacramentorum.

Ordo ac perspicuitas tractationis postulant ut, postquam de Auctore sacramentorum locuti sumus, de iis, ex quibus sacramenta componuntur et constant statim dicamus.

Et in primis animadvertimus sermonem non esse de compositione quæ in omni signo inest, prout ex re sensibili significante, *quæ* est signum, et significatione *per quam* res illa est signum, constituitur; de hac compositione egimus in prima parte:[1] modo compositionem alteram spectamus quasi physicam in sacramentis, considerando signum ipsum sensibile, prout constat partibus sensibilibus. Hæ partes essentiales duæ sunt, materia nempe et forma. Quamvis enim sacramentum non sit unum compositum physicum, partibus constans inter se physice unitis, sed compositum morale, constans rebus et verbis, morali unione sibi cohærentibus; quandam tamen similitudinem habet cum composito physico; et juxta hanc similitudinem, materia et forma constare dicitur. Nam quemadmodum in composito physico materia, ex sese indeterminata et indifferens, ad certam speciem determinatur a forma; similiter in sacramento res aliqua in ratione significandi indeterminata adhuc et indifferens, quippe quæ assumi potest ad diversas significationes, determinatur per verba, seu per ea quæ "inter homines, ut S. Augustinus loquitur,"[2] "obtinuerunt principatum significandi:" sicut in composito physico materiæ imperfectæ accedit forma quæ eam perficit, dans esse rei; ita in sacramento rei materiali accedit verbum, quod eam perficit et determinat ad *esse sacramentale*. Exemplum habes in baptismo. Res ut materia remota est aqua, ut materia proxima est ablutio: forma sunt verba, quæ dum ablutio externa fit baptizantis, pronuntiantur a ministro: "ego te baptizo in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti." Si adest intentio debita in ministro, quæ omnino requiritur, ut inferius declarabitur, illa duo, res et verba, tamquam materia

[1] V. p. 69.

[2] De doctrina Christ. l. 2. c. 3.

et forma, concurrunt ad sacramentum baptismi a Christo institutum perficiendum; ita ut signum sacramentale exurgat ex utriusque unione, et ablutio per aquam indeterminata ad significandam ablutionem, quæ mundat animam a peccato originis, determinationem suam ad eam solum significandam accipiat a verbis, et sic efficere valeat quod significat. Unio autem quæ in sacramentis habetur inter rem et verba, ut materiam et formam, cum sit moralis, ad unum morale compositum constituendum, nimirum ad unum signum practicum gratiæ pro sanctificatione hominum; talis procul dubio requiritur et sufficit qualis *secundum hominum æstimationem* adesse debet ut intelligatur pars utraque *ad unam concurrere significationem et unum, in ratione signi, efficere quod significet.*

Quum vero dicitur sacramentum constare re tamquam materia, et verbis tamquam forma, nomine rei venit etiam actio minus determinatæ significationis; et verba intelliguntur sive proprie et formaliter, sive virtualiter et æquivalenter, quæ valeant significationem rei adhuc indeterminatam ad *esse* sacramenti determinare. "Ut sacramenta constare dicantur rebus et verbis, non est necesse," ait Bellarminus,[1] "ut res non sint verba, et verba non sint res; sed sat est si aliquid fungatur vice rei, aliud vice verbi." Certe in sacramento pœnitentiæ potest fieri, ut nulla sint alia signa præter verba. Ex communi enim consensu theologorum, in hoc sacramento, forma est absolutio; materia remota sunt peccata; materia proxima sunt actus pœnitentis, idest, contritio, confessio et satisfactio, quatenus signo externo produntur. Potest autem fieri, ut quis non habeat nisi peccata verbo commissa; et tunc materia remota erunt sola verba: potest etiam fieri, ut non ostendat signa contritionis, confessionis et satisfactionis, nisi verbis; cum de essentia sacramenti non sit ut pœnitens ploret, suspiret, flectat genua etc., sed si tantum verbo dicat sua peccata, et dicat se esse contritum, et velle satisfacere, posset absolvi et tunc materia etiam proxima non erunt, nisi verba. Vere tamen dicuntur esse in eo sacramento res et verba, quia peccatum verbo commissum, non ut verbum, sed ut peccatum est materia confessionis: peccatum autem formaliter non est verbum, sed res a verbi ratione valde distincta. Sic etiam confessio non est proprie

[1] De controv. christ. fid. t. 3. l. 1. c. 18.

materia sacramenti, ut oratio quædam, sed ut actio pœnitentis. Nam ut eleganter docet S. Thomas (in 4. dist. 13. q. 1. a. 1.), singulare est in hoc sacramento, ut actio suscipiendi sit sacramenti pars essentialis. Ut enim, ait, inter corporalia medicamenta, quædam sunt omnino extrinseca, ut emplastra, quæ applicantur ægrotis, et non requirunt ejus actionem ut partem medicamenti; quædam alia partim sunt extrinseca, ut quædam potiones, quæ requirunt ut partem medicamenti, ambulationem; sic etiam quædam sacramenta omni ex parte applicantur et conferuntur a ministro, ut Baptismus, Eucharistia etc., sed sacramentum Pœnitentiæ partim applicatur a ministro per absolutionem, partim requirit ipsius ægroti actionem, nimirum confessionem etc. Idem jam de forma ostendi potest; nam in sacramento Matrimonii, loco verborum sufficiunt nutus, aut litteræ: modo sufficienter per hæc exprimatur consensus utriusque partis.

Ad modum loquendi quod attinet, notandum est veteres Ecclesiæ scriptores, sacramentorum partes, quas nos materiam et formam dicimus, *sacramentorum res* nuncupasse. "Diaboli partes sunt," ait Tertullianus,[1] intervertendi veritatem, qui ipsas quoque *res sacramentorum divinorum* idolorum mysteriis æmulatur. Tingit et ipse quosdam, utique credentes et fideles suos: expositionem delictorum de lavacro repromittit." . . .—Inveniuntur utique apud Patres testimonia in quibus de *forma* sacramentorum loquuntur, sed vocem istam latiori sensu fuisse tum usurpatam ad significandum totum ritum observari solitum in sacramenti administratione, liquido discere possumus ab Augustino. Etenim S. Doctor contra Pelagianos probans dari in parvulis nondum per baptismum renatis peccatum originale, id deducit ex cæremoniis quæ ante baptismum parvulorum adhibentur, et aperte ostendunt in iis pueris, ante salutaris lavacri ablutionem, inhabitare diabolum per peccatum. "Quid," inquit,[2] "de ipsa *forma* sacramenti loquar? Vellem aliquis istorum qui contraria sapiunt, mihi baptizandum puerum afferret. Quid in illo agit exorcismus meus, si in familia diaboli non tenetur? Ipse certe mihi fuerat responsurus pro eodem parvulo quem gestaret, quia pro se ille respondere non posset. Quomodo ergo dicturus erat, eum renuntiare diabolo, cujus in eo nihil esset? Quomodo converti ad

[1] L. de præscript. c. 40.

[2] L. 1. de peccat. merit. et remis. c. 34.

Deum, a quo non esset aversus, credere inter cetera remissionem peccatorum, quæ illi nulla tribueretur?"—Juxta hanc significationem vox *forma* adhibita fuit a Patribus Concilii Milevitani (can. 2.), quorum hæc sunt verba: "Placuit ut quicumque parvulos recentes ab uteris matrum baptizandos negat, aut dicit in remissionem quidem peccatorum baptizari, sed nihil ex Adam trahere originalis peccati, quod regenerationis lavacro expietur; unde sit consequens, ut in eis *forma* baptismatis in remissionem peccatorum non vera, sed falsa intelligatur, anathema sit."[1] Hæc verba, recte Cardinalis de Lugo animadvertit,[2] cum ab Augustino ibi præsente, et eo argumento sæpe utente, desumpta fuerint, non est dubium, quin in eodem sensu fuerint usurpata sumendo *formam* pro *formula*, seu ritu baptismi. Unde etiam constat eadem verba quæ ex Canone transcripta sunt et usurpata a Patribus in Conc. Trid. sess. 5. (Decreto de peccato originali), debere etiam in eodem sensu intelligi; nam licet tempore Concilii Tridentini apud Scholasticos jam nomine *formæ* intelligerentur verba essentialiter requisita ad valorem sacramenti, cum tamen Patres ibi transcripserint canonem integrum Concilii Milevitani, retentis eis verbis, non expediebat illa verba in alia diversa significatione accipere, sed in illa eadem, qua a Patribus Milevitanis usurpata fuerant. Et hunc loquendi modum usurpavit etiam Innocentius IV. in commentariis super cap. *Presbyter*, de sacramentis non iterandis: ait enim, tempore Apostolorum *formam*, qua ordinabantur ministri, fuisse manuum impositionem, nec aliam formam fuisse tunc servatam; ubi per formam intelligit modum ordinationis, non id, quod nunc intelligimus: nam, ut patet, impositio manuum magis erat materia, quam forma.

Primus qui ad explicandas partes intrinsece et essentialiter sacramentum constituentes appellationem *materiæ* et *formæ* usurpaverit, communiori consensu auctorum, citatur Gulielmus Antissiodorensis circa annum 1215., si tamen ipse est auctor Summæ Theologiæ quæ ei tribuitur.[3] Juxta paucos tamen, hoc loquendi modo primum usus fuisse vide-

1) V. Denzinger, Enchirid. p. 24.

2) De sacram. disp. 2. sect. 2. n. 26.

3) Libro IV. fol. 283. col. 4. de Extrema unctione agens, ita loquitur: "Dicimus, quod sicut de essentia baptismi dicuntur esse tria, scilicet *materia* et *forma verborum* et intentio baptizandi; similiter de essentia Eucharistiæ dicuntur esse tria, scilicet ordo sacerdotalis et *forma verborum* et *materia*, scilicet panis et vinum; eodem modo

tur B. Alanus Magnus, qui in Regulis de sacra Theologia[1] panem, Eucharistiæ *materiam;* verba, *formam* diserte appellat. Ab illa vero ætate, constanti theologorum approbatione, usu Conciliorum Generalium firmata, modus hic loquendi communis evasit: nec ab eo, qui breviter ac optime relationem exprimit inter sacramenti partes, res nempe et verba, recedere licet.

His itaque prænotatis, in sequenti thesi ostendimus, omnia novæ legis sacramenta confici et constare rebus tamquam materia, et verbis tamquam forma.

THESIS XI.

Sacramenta novæ legis conficiuntur et essentialiter constant duplici parte signi sacramentalis, una quæ est res vel actio minus determinatæ significationis, altera quæ est vel proprie et vocaliter, vel saltem virtualiter et æquivalenter verbum, determinans significationem: unde merito confici et constare sacramenta dicuntur rebus tamquam materia et verbis tamquam forma.

Prima pars thesis innuitur in Scripturis, clarius et quasi expressis verbis traditur a Patribus, sancitur in Conciliis, et rationibus theologicis confirmatur.

Etenim, ex Script. habemus Christum Apostolis præcepisse ut baptismum aquæ conferrent *in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti* (Joan. III. 3.;—Matth. XXVIII. 19.). Hinc Apostolus Paulus utrumque elementum conjungit dum loquitur de baptismo: "Mundans [Ecclesiam] lavacro aquæ in verbo vitæ" (ad Eph. V. 26.).—Pro sacramento Eucharistiæ legimus Christum panem et vinum, verbis additis, consecrasse; et Apostolis mandatum dedisse ut eumdem ritum servarent, quem ipse observaverat (Matth. XXVI. 26.; Luc. XXII. 19.; I. ad Cor. XI. 23–25.).—De Confirmatione refertur: "Qui [Petrus et Joannes] quum venissent, oraverunt pro ipsis ut acciperent Spiritum Sanctum: nondum enim in

de essentia hujus sacramenti (Extremæ unctionis) dicuntur esse tria, scilicet ordo sacerdotalis et oratio fidei et *materia*, scilicet oleum consecratum ab Episcopo; non est autem ipsa oratio, ipsa unctio vel pars ejus, sed hoc modo dicitur esse de essentia, quia per ipsam habet unctio, quod sit sacramentum, h. e. quod similitudinem ejus gerat, quod figurat."

[1] V. Tournely de sacram. in gen. a. 4. in not. 1. edit. Ven. 1790.

quemquam illorum venerat, sed baptizati tantum erant in nomine Domini Jesu. Tunc imponebant manus super illos, et accipiebant Spiritum Sanctum" (Act. VIII. 15–17.).—Quoad Pœnitentiæ sacramentum, Christus Dominus dixit Apostolis: *Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; et quorum retinueritis, retenta sunt* (Joan. XX. 22. 23.); et ex his verbis semper intellexit Ecclesia, datam fuisse a Christo Sacerdotibus auctoritatem dimittendi peccata post baptismum commissa, vero et proprie dicto sacramento: hanc autem auctoritatem exerceri non posse nisi ex prævia pœnitentis confessione, et subsequente absolutione sacerdotis suo loco probabitur.—De sacramento Extremæ unctionis loquens S. Jacobus utrumque elementum verborum et olei commemorat: *Et orent* [presbyteri Ecclesiæ] *super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini* (Jac. V. 14.).—Ad Ordinem quod attinet, in actibus Apostolorum dicitur: "Et cum constituissent illis per singulas Ecclesias presbyteros, et orassent cum jejunationibus, commendaverunt eos Domino in quem crediderunt" (XIV. 22.): et ibidem, cum ordinatio refertur diaconorum: "Hos statuerunt ante conspectum Apostolorum; et orantes imposuerunt eis manus" (VI. 6.). —Demum in Matrimonio rem et verba sive vocalia, sive virtualiter talia, adesse ad signum sacramentale constituendum, patet ex ipsa natura contractus matrimonialis a Christo elevati ad rationem sacramenti, et ex Traditione Ecclesiæ.

Patres idem docent: quædam eorum testimonia afferam selecta ex multis.

Tertullianus, locis jam superius citatis,[1] hæc pro thesi, quam vindicamus, habet: "Nihil adeo est quod tam obduret mentes hominum, quam simplicitas divinorum operum quæ in actu videntur, et magnificentia quæ in effectu repromittitur; ut hic quoque, quoniam . . . homo *in aqua demissus et inter pauca verba tinctus* . . . . . non multo vel nihil mundior resurgit, eo incredibilis existimetur consecutio æternitatis." Et hæc alia: "Igitur omnes aquæ . . . . . sacramentum sanctificationis consequuntur, *invocato Deo*."

S. Cyrillus Hierosolymitanus,[2] de sacro Chrismate loquens, ait; "Ceterum vide ne nudum et vile suspiceris unguentum hoc esse. Nam

[1] V. p. 82. [2] Catech. myst. 3. n. 3.

sicut panis Eucharistiæ, post invocationem Sancti Spiritus, non est communis panis, sed corpus Christi: ita et sanctum istud unguentum, non amplius nudum, neque si quis ita appellare malit, commune unguentum est post invocationem: sed Christi donarium et Spiritus Sancti, præsentia divinitatis ejus, efficiens factum. Quod quidem symbolice fronti aliisque sensibus tuis illinitur. Ac dum unguento visibili inungitur corpus, sancto et vivifico Spiritu anima sanctificatur."

S. Ambrosius,[1] de augustissimo sacramento Eucharistiæ verba faciens et plurimis exemplis ostendens victam atque mutatam naturam fuisse virtute benedictionis, inquit: "Forte dicas: Aliud video, quomodo tu mihi asseris quod Christi corpus accipiam? Et hoc nobis adhuc superest ut probemus. Quantis igitur utimur exemplis? Probemus non hoc esse quod natura formavit, sed quod benedictio consecravit: majoremque vim esse benedictionis quam naturæ; quia benedictione etiam natura ipsa mutatur." Et adductis ex Moyse et Eliseo propheta exemplis, prosequitur: "Advertimus igitur majoris esse virtutis gratiam quam naturam, et adhuc tamen propheticæ benedictionis numeramus gratiam. Quod si tantum valuit humana benedictio, ut naturam converteret; quid dicimus de ipsa consecratione divina, ubi verba ipsa Domini Salvatoris operantur? Nam sacramentum istud quod accipis Christi sermone conficitur. Quod si tamen valuit sermo Eliæ, ut ignem de cœlo deponeret: non valebit Christi sermo, ut species mutet elementorum? De totius mundi operibus legisti: 'Quia ipse dixit, et facta sunt: ipse mandavit, et creata sunt' (Psal. CXLVIII. 5.): sermo ergo Christi qui potuit ex nihilo facere quod non erat, non potest ea quæ sunt, in id mutare, quod non erant? Non enim minus est novas rebus dare, quam mutare naturas."

Innocentius I. ad Decentium scribens, circa pœnitentiæ sacramentum, dicit:[2] "De pondere æstimando delictorum sacerdotis est judicare, ut attendat ad confessionem pœnitentis et ad fletus et lacrymas corrigentis, et tunc jubere dimitti cum viderit congruam satisfactionem."—In celeberrimo apud græcos libello pœnitentiali Joannis Jejunatoris patriarchæ Constantinopolitani[3] injungitur sacerdoti, ut ita peccatorem alloquatur:

---

[1] L. de mysteriis c. 9. n. 50–52.

[2] Ep. 25. c. 7.

[3] Ap. Morin. antiq. pœnit. p. 77. s.

"Spiritualis fili ego confessionem tuam primario et præcipue non recipio, nec tibi absolutionem concedo, sed per me Deus (illius enim est opus hujusmodi) peccatorum tuorum confessionem suscipit et per nostram vocem horum remissionem dispensat et largitur. . . . . Revela igitur et declara coram sanctis angelis, nihilque me cela eorum, quæ a te clam facta sunt, velut si Deo occulta cordium cognoscenti confitereris" etc.—Similis exhortatio reperitur in pœnitentiali Andegavensi sec. XI: "Cum dixeris sacerdoti peccata tua, non sacerdoti sed Christo, qui est verus sacerdos. Ideo debes, carissime frater vel carissima soror, compunctione et gemitu cordis peccata tua Deo confiteri et sacerdoti tuo, qui vice Christi officium gerit, et non debes quidquam celare de infirmitate animæ tuæ, ut possis sanari."

S. Augustinus,[1] inquit: "Quare non ait, mundi estis propter Baptismum quo loti estis; sed ait, *propter verbum quod locutus sum vobis;* nisi quia et *in aqua verbum* mundat? Detrahe verbum, et quid est aqua, nisi aqua? *Accedit verbum ad elementum, et fit sacramentum,* etiam ipsum tamquam visibile verbum. . . . . Unde tanta virtus aquæ, ut corpus tangat et cor abluat, nisi faciente verbo? . . . . Mundatio igitur nequaquam fluxo et labili tribueretur elemento, nisi adderetur *in verbo.*"

S. Gregorius Nyssenus[2] eleganter et aperte veritatem, quam defendimus, confirmat dicens: "Compositus est homo et non simplex, ut certo scimus. Atque idcirco duplici conjunctoque cognata similiaque medicamenta ad curationem destinata atque attributa sunt; corpori quidem quod apparet, aqua quæ sub sensum cadit; animæ vero, quæ visum effugit, Spiritus, qui non apparet, *qui fide vocatur,* qui ineffabiliter accedit. *Spiritus,* enim, *ubi vult, spirat; et vocem ejus audis, sed nescis unde veniat, et quo vadat:* corpus quod baptizatur, et aquam quæ baptizat benedicit. . . . Panis item, panis est initio communis; sed ubi eum mysterium sacrificaverit, corpus Christi fit et dicitur. Sic mysticum oleum, sic vinum, *cum sint res exigui pretii ante benedictionem,* post sanctificationem, quæ a Spiritu procedit, utrumque eorum excellenter operatur. Eadem item *verbi vis* etiam sacerdotem augustum et honorandum facit, *novitate benedictionis* a communitate vulgi segregatum. Cum enim heri ac tempore superiori unus e multitudine ac plebe esset, repente

[1] Tract. 80. in Joan. n. 3.

[2] In baptismum Christi Orat.—Migne, P. G. t. 46. p. 582.

redditur præceptor, præses, doctor pietatis, mysteriorum latentium præsul: eaque contingunt ei, cum nihil vel corpore, vel forma mutatus; sed quod ad speciem externam attinet ille sit qui erat, invisibili quadam vi ac gratia invisibilem animam in melius tranformatam gerens."

Nec minus diserte, hanc unanimem doctrinam Patrum et universalis Ecclesiæ fidem[1] profitetur Algerus,[2] dum respondet quæstioni utrum sacramenta rite fiant, si solemnibus verbis aliqua vel incuria vel hæresi interserantur: "Quæritur autem," ait, "cum solemnia verba et invocatio divini nominis tantæ virtutis sint, *ut omnia Ecclesiæ sacramenta perficiant*, si in ipsis ex industria vel negligentia proferentis aliquod erroris vitium sonet, utrum etiam tunc sacramenta rite perficiant? Unde sciendum est, quia qui tacendo vel male proferendo quod debent in solemnibus verbis perfide peccant, eorum sacramenta ita damnat Ecclesia, ut ea vel pro nullis reputando iteret, vel pro imperfectis consummet."

Concilia, quæ statuerunt sacramenta novæ legis constare rebus et verbis, mox citabimus, cum ad demonstrandam etiam secundam partem thesis proferri debeant.

Ratio cur novæ legis sacramenta constent rebus et verbis sane posita est in voluntate Christi sacramenta instituentis; verum pro hac institutione congruentias optimas S. Thomas attulit,[3] quas desumpserat tum ex parte Christi, tum ex parte hominis, tum ex parte significationis. Ex parte Christi, quia sacramentum aliquo modo repræsentare decebat suum institutorem; hic autem est Christus, Verbum Patris sensibili carni unitum: ergo sacramentum ut eum repræsentaret confici decuit ex verbo sensibili rei conjuncto.—Ex parte hominis, quia compositus cum sit ex anima spiritali corpori unita sensibili, conveniens erat ut sanctificaretur per medium quod ex invisibili verbo constaret sensibili rei unito.—Ex parte significationis, quia sacramenta novæ legis perfecta signa esse debebant rerum quas significabant: sed per verba distinctius et perfectius significamus quod mente conce-

---

[1] "Fidei esse Catholicæ," observat Dominicus Soto (in 4. dist. 1. q. 1. a. 6.), "sacramenta constare rebus et verbis; quod sine manifesta hæresi negari non posset."

[2] De sacram. Corporis et Sanguinis Dominici, l. 3. c. 13.

[3] 3. p. q. 60. a. 6.

pimus: ergo ad perfectionem signorum in nova lege necesse fuit ut significatio rerum sensibilium per aliqua verba determinaretur.

Secunda pars thesis nullo negotio ex probatione evincitur primæ partis.—Etenim in omni composito illud habet rationem materiæ quod de se indeterminatum et imperfectum determinari ac perfici per aliud debet; illud vero rationem formæ quod est determinans atque perficiens: sed in omnibus sacramentis res de se indifferentes ad plura significanda, per verba determinantur ad unum. Ergo res in sacramentis se habent ut materiam, verba ut formam.

Atque idipsum, non conceptis utique verbis, sed re docetur a Patribus, testimoniis quæ dedimus pro prima parte thesis; quum dicunt, ex. gr., *aquam sacramentum sanctificationis consequi, invocato Deo;* aut tradunt *sacramentum Eucharistiæ confici sermone Christi;* aut ostendunt *mysticum oleum, ac vinum res esse exigui pretii, ante benedictionem; at post eam, utrumque eorum excellenter operari;* aut similiter declarant *vim verbi facere sacerdotem augustum et honorandum, novitate benedictionis a communitate vulgi segregatum;* aut demum generaliter pronuntiant *verbum quum accedit ad elementum, fieri sacramentum;* et *solemnia verba tantæ virtutis esse ut perficiant omnia sacramenta Ecclesiæ.*

Quam doctrinam Concilium Florentinum in Decreto pro Armenis statuit dicens: "Hæc omnia sacramenta tribus perficiuntur, videlicet rebus tamquam materia, verbis tamquam forma, et persona ministri conferentis sacramentum cum intentione faciendi quod facit Ecclesia: quorum si aliquod desit, non perficitur sacramentum."—Et Concilium Tridentinum eamdem supponit doctrinam, imo aperte confirmat, dum in sessione 14. differentiam docens (cap. 2.) inter Baptismum et Pœnitentiam ait, hoc sacramentum multis rationibus ab alio differre, a quo "*materia et forma, quibus sacramenti essentia perficitur*, longissime dissidet." Postea (cap. 3.) Pœnitentiæ materiam et formam assignat his verbis: "Docet præterea sancta Synodus, sacramenti Pœnitentiæ formam, in qua præcipue ipsius vis sita est, in illis ministri verbis positam esse: Ego te absolvo, etc. . . . . Sunt autem quasi materia hujus sacramenti ipsius pœnitentis actus." Et, canone quarto, definit: "Si quis negaverit, ad integram et perfectam peccatorum remissionem requiri tres actus in pœnitente quasi materiam sacramenti Pœnitentiæ, videlicet, contritionem, confessionem et satisfactionem, quæ tres Pœnitentiæ partes dicuntur . . . anathema sit."

Particula "*quasi* materia," quam post Concilium Florentinum,[1] Tridentina Synodus adhibuit cum de sacramento pœnitentiæ ageret, non negat vere pœnitentis actus, nempe contritionem, confessionem et satisfactionem, veluti partem, pertinere intrinsece ad sacramentum constituendum; sed solum declarat in hoc sacramento materiam non eodem modo se habere ut in aliis. In Catechismo Concilii Tridentini,[2] jussu S. Pii V. Pontificis Maximi promulgato, legitur: "Jam quoniam nihil fideli populo notius esse debet quam *hujus sacramenti materia;* docendum est, in eo maxime hoc sacramentum ab aliis differre, quod aliorum sacramentorum materia est res aliqua naturalis, vel arte effecta: sacramenti vero pœnitentiæ *quasi materia* sunt actus pœnitentis, nempe contritio, confessio et satisfactio, ut a Tridentina Synodo declaratum est. . . . . . Neque vero hi actus *quasi materia* a Sancta Synodo appellantur, quia vere materiæ rationem non habeant; sed quia *ejus generis materia non sint, quæ extrinsecus adhibeatur,* ut aqua in Baptismo et chrisma in Confirmatione." Et hanc certo certius fuisse mentem Concilii Tridentini ex eo etiam constat quod eodem prorsus modo "*quasi* materiam" dixerat actus pœnitentis, ac Florentina Synodus in Decreto pro Armenis; hanc autem particulam, cum his quæ de pœnitentiæ sacramento in Decreto Concilii Florentini habentur, fere ad verbum legimus in opusculo Sancti Thomæ *de articulis fidei et septem sacramentis Ecclesiæ ad Archiepiscopum Panormitanum.*[3] Jam vero S. Thomas apertissime declarat[4] significationem particulæ "quasi materiam" dum agit de materia sacramenti pœnitentiæ. Ad difficultatem quam sibi proposuerat: "Videtur quod pœnitentia non sit

---

1) "Quartum sacramentum est Pœnitentia, cujus *quasi materia* sunt actus pœnitentis, qui in tres distinguuntur partes." . . . Conc. Flor. in Decreto pro Armenis.

2) p. 2. de Pœnitentiæ sacramento, c. 17.

3) Hæc sunt verba S. Thomæ. "Quartum sacramentum est Pœnitentia, cujus *quasi materia* sunt actus pœnitentis, qui dicuntur tres pœnitentiæ partes: quarum prima est cordis contritio, ad quam pertinet, quod homo doleat de peccato commisso et proponat se de cetero non peccaturum. Secunda pars est oris confessio, ad quam pertinet ut peccator omnia peccata, quorum memoriam habet, suo sacerdoti confiteatur integraliter non dividens ea diversis sacerdotibus. Tertia pars est satisfactio pro peccatis secundum arbitrium sacerdotis, quæ quidem præcipue fit per jejunium et orationem et eleemosynam. Forma autem hujus sacramenti sunt verba absolutionis, quæ sacerdos profert, cum dicit, Ego te absolvo. Minister hujus sacramenti est sacerdos habens auctoritatem absolvendi vel ordinariam, vel ex commissione Superioris. Effectus hujus sacramenti est absolutio a peccato." Opusc. 4. p. 2.

4) 4. dist. 14. q. 1. a. 1.

sacramentum. In omni enim sacramento novæ legis est aliquod materiale quod est causa gratiæ. . . . Sed nihil tale est in pœnitentia. Ergo etc.; respondet: "In illis sacramentis quæ sine actu nostro complentur est materia quæ constat et significat, quasi medicina externe apposita. In illis autem sacramentis quæ actum nostrum requirunt, non est *talis materia;* sed ipsi actus externi apparentes *hoc idem faciunt quod materia in aliis sacramentis.*"

Et alibi [1] idem S. Doctor: "In sacramento pœnitentiæ actus humani se habent *per modum materiæ.* Et ideo cum plures actus humani requirantur ad pœnitentiæ perfectionem, scilicet contritio, confessio et satisfactio, ut infra patebit (art. seq.); consequens est quod sacramentum pœnitentiæ habeat partes." Declarans autem has pœnitentiæ partes (art. 2.), subjungit: "Duplex est pars, ut dicitur in 7. Metaph. text. 33. et 34., scilicet pars essentiæ, et pars quantitatis. Partes essentiæ sunt naturaliter quidem forma et materia, logice autem genus et differentia. Hoc autem modo *quodlibet sacramentum distinguitur in materiam et formam, sicut in partes essentiæ.* Unde et supra dictum est (q. 60. a. 5. et 6.) quod sacramenta consistunt in rebus et verbis. Sed quia quantitas se tenet ex parte materiæ, partes quantitatis sunt partes materiæ. Et hoc modo *sacramento pœnitentiæ specialiter assignantur partes,* ut dictum est articulo præcedenti, *quantum ad actus pœnitentis, qui sunt materia hujus sacramenti.*"

Priusquam thesim præsentem absolvam, difficultati respondebo, quæ adversus eam ex mysterio sanctissimæ Eucharistiæ posset oriri. Etenim nulla prorsus materia in hoc sacramento videtur adesse; nam in eo instanti, quo sacramentum Eucharistiæ conficitur, panis et vinum in corpus et sanguinem Christi per transubstantiationem conversa sunt; corpus autem et sanguis, cum non cadant sub sensibus, haberi certe non possunt loco materiæ. Præterea, verba ministri Eucharistiam conficientis sacramentum hoc intrinsece constituere non videntur; nam ex una parte non significant gratiam per sacramentum conferendam, quia non ad suscipientem, ut in aliis sacramentis fit, diriguntur, sed tantum ad significandum corpus et sanguinem Christi Domini; et ex alia parte, ipsis transeuntibus et desinentibus, sacramentum manet.

Has difficultates, quæ in Tractatu de Eucharistia, tamquam in pro-

---

[1] 3. p. q. 90. a. 1.

prio loco, copiosa plenaque discussione dilucidantur, paucis modo solvimus quantum satis sit, pro re præsenti.

Eucharistiæ sacramentum est permanens, in cujus confectione verba a Christo instituta immediate significant et efficiunt conversionem materiæ sacramentalis, hoc est panis et vini in corpus et sanguinem Christi, in statu cibi ac potus sub iisdem panis et vini permanentibus speciebus, ad spiritualem refectionem et sanctificationem nostram.—

Hinc Eucharistia cum ab aliis differat sacramentis, quæ transeuntia sunt, solumque durant, quamdiu durat usus, dupliciter in assignandis materia ejus et forma spectari debet, nempe *in fieri* et in *facto esse.* Si Eucharistia sumatur *in fieri* et in actu prolationis verborum, quibus conversio panis et vini efficitur et significatur; *materia* sunt panis et vinum; *forma* vero verba consecratoria. Si autem sumatur *in facto esse,* sacramentum sunt *species panis et vini, ut consecratæ;* ita ut species sint *materia* sacramenti, et consecratio moraliter permanens sit *forma* determinativa specierum ad *esse sacramenti.* Et re quidem vera, sicut dicitur aliquid formaliter cognitum a cognitione quæ præteriit; sic etiam species manent determinatæ ad sacramentalem significationem, quamdiu moraliter substant *illi formæ,* nempe verbis consecrationis: substant autem non solum pro tempore quo verba consecrationis proferuntur, sed quamdiu retinent eamdem habitudinem ad illam formam:—quæ habitudo est veluti unio materiæ cum forma; quia nos non intelligimus species esse consecratas, et significare Christum sub eis præsentem, nisi quatenus intelligimus verba consecrationis jam prius fuisse prolata.[1] Dum autem species consecratæ, seu quatenus substant verbis consecrationis, significant Christum, quem continent; eum significant ut sanctificantem homines per modum spiritualis alimoniæ, adeoque significant gratiam sanctificantem.

[1] V. Suarez, in 3. p. q. 74. disp. 42. sect. 2. n. 7.

ARTICULUS TERTIUS

De verbo sacramentali consecratorio.

Ex thesi nuper vindicata necessario sequitur verba, quæ in sacramentis conficiendis proferuntur, et materiæ sacramenti accedunt ut forma, esse consecratoria; consecratorium enim vocamus verbum quo res aliqua consecratur tum ut sacra Deo sit, tum ut simul cum verbo unum fiat gratiæ sanctificantis signum practicum. Nulla ergo hac de re disquisitio specialis esse deberet, si refutandus non esset error Protestantium, qui verbum sacramenti dicunt esse solummodo concionale et promissorium. Hic autem error cum fundamentali eorum hæresi connectitur qua tenent justitiam hominis supernaturalem esse ipsam formalem justitiam Christi, quæ singulis hominibus imputatur, dum eam apprehendunt *speciali fide* credentes propter eamdem Christi justitiam peccata eorum non imputari. In hac doctrina fides sola est quæ justificat; et fides excitatur per verbum Dei prædicatum: sacramenta non habent virtutem *ex opere operato* conferendi gratiam, et nihil aliud sunt aut esse possunt nisi signa quæ objective fidem excitent, aut obsignent: verba, quibus sacramenta perficiuntur promissionis sunt, et concionis, seu doctrinæ.[1]

---

[1] "Deus qui ordinavit," ait Chemnitzius inter theologos Lutheranos præcipuæ auctoritatis, "ut fides esset quasi manus nostra, qua quæramus, apprehendamus et accipiamus gratiam Dei in Christo; idem Deus etiam certum medium seu organon ordinavit, per quod beneficia Filii mediatoris velit offerre seu exhibere. Tale ergo medium seu instrumentum Dei est verbum Evangelii prædicatum, auditum, cogitatum, fide apprehensum. . . . . . Quod ad Deum attinet, verbo promissionis offert et exhibet illam suam gratiam, quæ ad salutem necessaria est, ita ut fides in illo objecto seu medio (i. e. in verbo) invenire possit, quidquid necessarium est. Sed carnalis infirmitas fidem impedit, turbat, distrahit et debilitat. . . . Præterea fides, etiam quando statuit promissionem Dei in genere veram esse, angitur tamen de hac præcipue quæstione, an privatim etiam ad me pertineat. Deus igitur non uno tantum modo per nudum scilicet verbum, gratiam suam nobis exhibere voluit; sed *infirmitatem nostram voluit certis adminiculis sublevare*, institutis scilicet et promissioni Evangelii annexis sacramentis, h. e. certis signis, ritibus seu cæremoniis in sensus incurrentibus, ut illo commoveret, erudiret et certos nos redderet, quod foris in specie visibili geri cernimus, illud intus virtute et potentia Dei in nobis effici. *Sicut enim verbum incurrit in aures et ferit corda, ita ritus sacramentorum incurrit in oculos, ut moveat corda, ut non dubitemus, Deum nobiscum agere, et velle juxta verbum efficacem esse ad salutem.* . . . Non alia est gratia, quæ in verbo promissionis, et alia quæ in sacramentis exhi-

Verbum promissionis appellant illud quod divinas promissiones aut expresse continet, ut sunt hæc pro sacramento Baptismi: "Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei" (Joan. III. 5.); et pro Eucharistia: "Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem; non habebitis vitam in vobis" (Joan. VI. 54.): aut ad eas promissiones factas mentem revocat, ut pro baptismo dicunt esse verba hæc: "Ego te baptizo in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti," et pro Eucharistia hæc alia: "Hoc est corpus meum," etc.—Verbum autem concionis, seu doctrinæ illud vocant, quod alta voce et intelligibili lingua prolatum, promissiones divinas refert, ac fidem audientium movet et excitat, aut saltem ex sese movere et excitare potest. "Cum de verbo sacramentali," aiebat Calvinus,[1] "fieri mentionem audimus, promissionem intelligamus, quæ, clara voce a ministro, prædicata, plebem eo manu ducat, quo signum tendit, ac nos dirigit." Similiter in "Confessione Augustana" legitur: "Art. 4.—Docent quod homines . . . gratis justificentur propter Christum per fidem, cum credunt se in gratiam recipi et peccata remitti propter Christum. . . . Art. 5.—Ut hanc fidem consequamur institutum est ministerium docendi Evangelii et porrigendi sacramenta. . . . . Art. 13.—De usu sacramentorum docent, quod sacramenta instituta sint, non modo ut sint notæ professionis inter homines; sed magis ut sint signa et testimonia voluntatis Dei erga nos, ad excitandam et confirmandam fidem in his, qui utuntur, proposita. Itaque utendum est sacramentis ita ut fides accedat, quæ credat promissionibus, quæ per sacramenta exhibentur et ostenduntur.[2]

---

betur, nec alia est promissio in verbo Evangelii, alia in sacramentis, sed eadem est gratia, *unum et idem verbum: nisi quod in sacramentis per signa divinitus instituta verbum quasi visibile redditur. . . . . . Verbum enim promissionis est objectum illud, quod fides in sacramentis intuetur et in illo (verbo promissionis) apprehendit ea, quæ verbo in sacramentis promittuntur, offeruntur et exhibentur.*" Chemnitzius Exam. Conc. Trid. P. II. p. 15. ed. Genev. 1614.

[1] L. 4. inst. c. 14.

[2] V. The Creeds of Christendom, by Ph. Schaff. vol. 3. p. 10. 15. New York 1877. In eodem volumine, p. 824., habes articulos in tertio conventu Reformatæ Ecclesiæ Episcopalis in America, anno 1875., sancitos. In eis hæc inveniuntur: Art. 11. . . . . "Simply by faith in Christ are we justified and saved." Art. 25.—"By the word sacrament this Church is to be understood as meaning only a symbol or sign divinely appointed. . . . In such only as worthily receive Baptism, and the Lord's Supper are they of spiritual benefit; and yet not that of the work wrought (*ex opere operato*), as some men speak. Which word, as it is strange and unknown to Holy Scripture,

Differunt tamen Lutherani a Calvinistis in eo quod illi dicunt fidem excitari susceptione sacramentorum, per virtutem divinam insidentem ipsi verbo prædicato; hi vero tenent Spiritum Sanctum, dum verbum prædicatur, excitare immediate fidem in prædestinatis, eisque singulis applicare æternum decretum prædestinationis; dicunt enim alios, qui prædestinati non sunt, nullum fructum percipere in prædicatione verbi et in sacramentis.[1]

---

so it gendereth no godly, but a very superstitious sense. In such as receive them rightly, faith is confirmed and grace increased by virtue of prayer to God."

[1] Lutherans are wont to refer to the analogy between the Word and sacraments. The difference between them and the Reformed as to the sacraments, is analogous to the difference between the two churches as to the Word. The Reformed refer the supernatural power of the Word, not to the literal Word as written or spoken; not to the mere moral truth therein revealed, but to the coöperation, or as Paul calls it, the demonstration, of the Spirit. The Lutherans, on the other hand, teach that there is inherent in the divine Word (not in the letters or the sound but in the truth), a supernatural, divine virtue, inseparable from it, and independent of its use; and which is the same to believers and unbelievers; sanctifying and saving the former, because of their faith, and not benefiting the latter, because of their voluntary resistance. So the sacraments have an inherent, divine power, certain of producing saving effects, if they meet with faith in those who receive them. "The Lutheran Church," says Guerike, "regards the sacraments as actions, wherein God, through external signs by Him appointed, offers and confers his invisible and heavenly gifts; they see in the sacraments visible signs, which in virtue of the divine word of promise pronounced over them, in such sense contain the invisible divine gifts they signify, that they communicate them (mittheilen) to all who partake of them, although only to believers to their good." This inherent divine virtue of the sacraments does not reside in the elements; nor does it flow from him who administers them; nor is it due to the concurrent operation of the Holy Spirit; but to the Word. The elements employed are in themselves mere elements; with the Word, they are divinely efficacious, because the divine Word, wherever it is, is fraught with this divine, supernatural, saving, and sanctifying power which always takes effect on those who have faith to receive it.

Dr. Schmid of Erlangen, however, admits that there is a difference of view on this subject, between the earlier and later theologians of his Church. The former made the sacrament consist of the element of the Word, and referred its supernatural effect to the inherent divine power of the latter, agreeably to Luther's representation of his Larger Catechism, where, when speaking of baptism, he says, in words already quoted: "non tantum naturalis aqua sed etiam divina, cœlestis, sancta et salutifera aqua (est) . . . . hocque nonnisi verbi gratia, quod cœleste ac sanctum verbum est." The later theologians, however, from the time of Gerhard, did not make the sacrament consist of the element and the Word; but of something terrestrial and something celestial. The former is the element or external symbol, "quod est res corporea visibilis . . . ordinata ad hoc; ut sit rei cœlestis vehiculum et medium exhibitivum." The latter, or "res cœlestis," is "res invisibilis et intelligibilis, re terrena visibili, tanquam medio divinitus ordinato exhibita, a qua fructus sacramenti principaliter dependet." According to this view the efficacy of the sacrament does not depend upon the Word, but upon this "res cœlestis," of which the "res terrena" is the vehicle and medium. The office of the Word is to unite the two. It is called the

Ex his, quæ exposuimus, verus sensus controversiæ inter Catholicos et Protestantes aperitur. Non quærimus utrum aliquo pacto verba sacramentalia sint promissionum divinarum signa, pignora, atque sigilla: nam id ultro fatentur Catholici, si non intelligatur ad mentem Protestantium de promissione fidei justificantis, qua quis justificatur per fidem, seu per fiduciam in imputatam sibi justitiam Christi; sed juxta alias significationes explicetur, ut declaravimus in prima hujus Tractatus parte;[1] et præterea dicatur sacramenta esse signa practica, quæ effectum infallibilem habent gratiæ conferendæ, secundum divinam promissionem et institutionem, rite ea signa suscipientibus.—Non quærimus utrum verba sacramentalia sint concionalia, quatenus concio quædam ad explicationem promissionum divinarum sit de essentia sacramenti; nam hoc, saltem multi, si non omnes inter Protestantes, non admittunt.—Non quærimus utrum verba illa consecratoria sint, quatenus per ea elementum, seu res aliqua a profano usu, transferatur ad sacrum. "Facile admittimus," inquit Turrettinus,[2] "verbum sacramentale institutionis prædicatum, esse etiam consecratorium respectu signorum, quatenus per illud ab usu communi et profano transferuntur ad usum sacrum."—Quæstio est utrum verbum sacramentale sit consecratorium quatenus rei sensibili ut formale elementum, juxta divinam sacramenti institutionem, conjunctum, efficax cum ea signum constituat ad conferendam, vi et efficacitate ipsius signi sacramentalis, gratiam sanctificantem: seu aliis verbis, ut ait Turrettinus,[3] "an sit ita consecratorium, ut sit etiam operativum." Id affirmant Catholici, Protestantes vero negant omnes; horum errorem Concilium Tridentinum damnavit, quum sessione septima anathemate percussit eos qui dixerint: "Sacramenta novæ legis esse tantum externa signa acceptæ per fidem gratiæ vel justitiæ;" et "hæc sacramenta propter solam fidem

"*αἴτιον ποιητικόν*, hoc est, efficere, ut duæ illæ partes essentiales unum sacramentum constituant in usu sacramentorum" (Schmid, *Die Dogmatik der evangelish-lutherishen Kirche.* Frankfort and Erlangen, 1853. pp. 415–417.). . . . So far as the efficacy of the sacraments is concerned, the main point of difference between the Lutherans and the Reformed is, that the latter attribute their sanctifying power to the attending influences of the Spirit; the former to the inherent, supernatural power of the Word which is an essential part of these divine ordinances." Hodge, Syst. theol. vol. 3. p. 505.

[1] V. supra, p. 93. [2] De sacram. q. 6. n. 2. [3] Ibid. n. 3.

nutriendam instituta fuisse." [1]—Contra hunc specialem Protestantium errorem dirigitur thesis sequens.

THESIS XII.

Verba sacramentorum non sunt promissoria dumtaxat et concionalia ad mentem Protestantium; nec solum consecratoria quatenus res aliquæ sensibiles, juxta Christi institutionem, ab usu profano et communi per ea traducuntur ad usum sacrum et religiosum: sed vere et proprie consecratoria sunt, quia juncta rebus, ut formale elementum, unum cum eis sacramentale signum, efficax ad conferendam gratiam rite dispositis, constituunt atque absolvunt.

Probatur thesis I. *ex Scripturis* quoad duo sacramenta, quæ Protestantes admittunt, Baptismum et Eucharistiam. Etenim verba horum sacramentorum a Christo Domino usurpata et instituta nullam concionem præ se ferunt; nec significatione sua directe exhibent aut in mentem revocant divinas promissiones; sed materiam quam afficiunt, ita consecrant ut unum signum re et verbis constans conficiatur efficax ad hominum sanctificationem. Ergo.—

Antecedens constat; nam verba Baptismi sunt: "Ego te baptizo in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti;" verba vero Eucharistiæ: "Hoc est corpus meum; hic est sanguis meus:" quæ nec promissionem directe significant, nec ullam portendunt concionem. — Confirmatur autem ex eo quod si verba, in sacramentis conficiendis adhibita, instituta fuissent ad excitandam divinæ promissionis fidem, et non ad efficiendum signum practicum gratiæ, hæc potius in Baptismo conferendo adhiberi deberent: "Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei" (Joan. III. 5.); et pro Eucharistiæ confectione: "Nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis ejus sanguinem non habebitis vitam in vobis" (Joan. VI. 54.); aut: "Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem habet vitam æternam, et ego resuscitabo eum in novissimo die" (Ibid. 55.).

Preterea, aliud est ministerium baptizandi, aliud evangelizandi, juxta

[1] Can. 5. et 6.

illud Apostoli dicentis: "Non misit me Christus baptizare, sed evangelizare" (I. ad Cor. I. 17.). Sed si forma baptismi esset concionatoria, non consecratoria, idem esset ministerium baptizandi et evangelizandi. Ergo.

2. *Ex Traditione.* Documenta Patrum quæ citavimus pro thesibus VI. et XI., in plenissima luce collocant veritatem quam demonstramus. Sed ad abundantiam quædam alia hic proferimus:

S. Irenæus ait:[1] "Quando et mixtus calix et factus panis percipit verbum Dei, fitEucharistia corporis et sanguinis Christi."

S. Justinus[2] inquit: "Neque enim ut communem panem, neque ut communem potum ista sumimus; sed quemadmodum per Verbum Dei caro factus Jesus Christus Salvator noster et carnem et sanguinem habuit nostræ salutis causa; sic etiam illam, in qua per precem ipsius verba continentem gratiæ actæ sunt, alimoniam . . . incarnati illius Jesu et carnem et sanguinem esse edocti sumus."

S. Joannes Chrysostomus: "Adest Christus," ait,[3] "et nunc is qui mensam illam apparavit, hic ipse hanc nunc exornat. Non homo est qui facit ut proposita efficiantur corpus et sanguis Christi; sed ipse Christus qui pro nobis crucifixus est. Figuram implens stat sacerdos verba illa proferens: virtus autem et gratia Dei est. 'Hoc est corpus meum,' inquit. Hoc verbum transformat ea quæ proposita sunt."

S. Ambrosius dicit:[4] "Quomodo potest qui panis est corpus esse Christi? Consecratione. Consecratio autem quibus verbis est et cujus sermonibus? Domini Jesu. Nam et reliqua omnia, quæ dicuntur in superioribus, a Sacerdote dicuntur . . . . . ubi venitur, ut conficiatur venerabile sacramentum, jam non suis sermonibus utitur sacerdos, sed utitur sermonibus Christi." Et infra:[5] "Et ante verba Christi, calix est vini et aquæ plenus: ubi verba Christi *operata fuerint, ibi sanguis Christi efficitur,* qui plebem redemit."

S. Augustinus:[6] "Deus adest," inquit, "evangelicis verbis suis, sine quibus Baptismus Christi consecrari non potest; et ipse sanctificat sacramentum suum, ut homini, sive antequam baptizetur, sive cum baptizatur, sive postea quandoque ad se veraciter converso, idipsum valeat ad salutem, quod ad perniciem, nisi converteretur, valeret."

1) Adv. hæreses, l. 5. c. 2.
2) Apol. 1. n. 66.
3) Hom. 1. de prodit. Judæ n. 6.
4) De sacram. l. 4. c. 4. n. 14.
5) Ibid. c. 5. n. 23.
6) De baptismo, l. 6. c. 25.

Porro ex allatis testimoniis Patrum argumentum, ad firmandam thesim evidens, sic proponitur:—Illa verba non sunt promissoria dumtaxat et concionalia, ad mentem Protestantium, sed vere et proprie juxta catholicam significationem consecratoria, quæ materiæ applicata eam ita faciunt e communi sacram, ut statim cum ea unum sensibile signum efficiant efficax virtute sua ad producendam gratiam. Atqui ut Patres docent in locis mox citatis talia sunt verba sacramentorum; siquidem, verbis sacramentorum prolatis, panis fit corpus Christi, et calix mixtus fit sanguis qui pro nobis effusus fuit; aqua vero baptismi ad salutem suo tempore habendam valet, quamvis in ipsa prolatione verborum nec ministri, nec suscipientis fides excitetur, imo uterque tunc pessime sit dispositus.—Ergo.

Ratio etiam perspectissima ad refutandum figmentum adversariorum, deducitur *ex baptismo infantium.* Etenim si verba sacramentalia proferrentur ad hunc solum salutarem effectum, ut adversarii contendunt, nempe ad revocandas in memoriam Dei promissiones, et ad fidem excitandam qua justitia Christi apprehendi posset, et salus obtineri; profecto quotiescumque promissiones divinæ bonitatis et misericordiæ intelligi non possent, et fides actualis excitari nequiret, nullum verba illa sacramentalia habere deberent effectum. Atqui contrarium omnino constat: nam verba sacramenti prolata in conjunctione cum materia ad unum signum, seu ad baptismum constituendum, efficacia sunt et sanctificant infantes, qui promissionum divinarum intelligentiam habere nequeunt, nec concipere valent actualem fidem. Ergo.—

Quod argumentum adhuc nova luce perfunditur ex consideratione tentaminum inutilium quæ experti sunt adversarii ut ejus vim evaderent.—Lutherus dixit in infantibus ad fidem excitandam et sigillandam valere verba Baptismi, quia miraculose ipsi credunt cum baptizantur, et id patrini declarant, dum nomine infantis respondent: *Credo.* Sed nemo non videt, miraculosam illam fidem actualem infantibus concessam, esse vanum commentum, sine ullo prorsus fundamento, excogitatum a Luthero pro necessitate causæ. "Absit ut ego dicam," inquit S. Augustinus,[1] "non credentes infantes;" at statim addit: "Jam superius disputavi, credit in altero, qui peccavit in altero." Et in alio loco[2] ait:

---

1) Serm. 14. de verbis Apost. (alias serm. 294. c. 18. n. 17.).

2) Serm. 10. de verbis Apost. (alias serm. 176. n. 2.).

"Accomodat mater Ecclesia [infantibus] aliorum pedes ut veniant; aliorum cor ut credant; aliorum linguam ut fateantur."—Dixit Calvinus, etsi Baptismus tunc non prosit infantibus, ipsum tamen profuturum suo tempore, cum ad rationis usum pervenerint, et illius ritus significationem intelligere potuerint. Sed si concionale verbum esset de essentia baptismi, deberet sic actu percipi ab infantibus, ut eos actu aqua debet attingere: et insuper, multi infantes moriuntur antequam ad rationis usum perveniant, ac proinde antequam intelligere possint significationem illorum verborum sacramentalium; in iis ergo deberet admitti nullum effectum habuisse baptismum, eosque, etsi rite juxta mandatum Domini baptizatos, perpetuo exclusos manere a cœlorum beatitudine; quod ipsi adversarii fateri repugnant.—Nec magis hoc aliud effugium valet, nimirum asserere verba sacramentorum concionalia, si non prosunt infantibus, saltem prodesse adstantibus: nam, ut omnibus perspectum est, 1.—sacramenta non conficiuntur pro iis qui ea non recipiunt, sed ad suscipientium utilitatem; 2.—posset Baptismus ministrari privatim, absque ullo teste, et obtinere effectum sanctificationis; 3.—etiamsi admitteretur verba sacramenti pro utilitate adstantium prolata esse; deberet semper dici nullum fructum percipere infantem ex prolatione verborum cum debita eorum applicatione ad materiam sacramenti; et inutiliter baptizari infantes; quod prorsus est falsum, et generatim non admittitur ab adversariis.—Demum, nihil etiam Protestantes proficiunt quum reponunt, infantes baptizari in fide Ecclesiæ; nam etsi Ecclesia infantibus, ut audivimus ab Augustino, *accomodet aliorum pedes ut veniant, aliorum cor ut credant, aliorum linguam ut fateantur;* ex hac tamen veritate nequeunt emolumentum aliquod adversarii desumere pro doctrina quam defendunt. Etenim juxta ipsos verba sacramentalia baptismi ad hoc adhibentur ut excitent fidem *in suscipiente* justificativam; sed hæc ut ipsi contendunt, non est fides Ecclesiæ communis, verum personalis, cuique propria et actualis, qua quis credit remissa sibi esse peccata, seque per imputationem justitiæ Christi justum esse: perperam igitur, dum agitur de baptismo infantium, ab adversariis nostris fit recursus ad fidem Eccclesiæ.[1] Ceterum, probavimus antea, effectum Baptismi,

[1] Id velint, nolint Protestantes fateri coguntur: In *secunda Confessione Helvetica*, c. 19. *de sacramentis Ecclesiæ Christi*, n. 3. legitur: "Pæterea habent symbola promissiones adjunctas, quæ requirunt *fidem*. Fides autem solo Dei Verbo innititur. Et Verbum Dei habetur instar tabularum vel litterarum, sacramento vero instar

seu regenerationem spiritualem per sanctificantem gratiam, Scripturam et Patres, non fidei Ecclesiæ attribuere, sed ipsi signo visibili, nimirum ablutioni cum prolatione verborum sacramentalium.

Postremo, etiam in adultis efficacia sacramentorum non desinit si verborum significatio ab eis non intelligatur; quinimmo validus est Baptismus cum verba sacramenti falso et hæretico sensu proferuntur et a suscipiente falso et hæretico sensu intelliguntur; etsi effectum sanctificationis suscipienti, qui culpabiliter in fide errat, actu non conferat, propter obicem quo homo incapacem se reddit gratiæ. Hæc autem, quæ proprio suo loco vindicaturi sumus, omnino consistere nequeunt cum doctrina Reformatorum.

Duo loca Patrum, S. Augustini et S. Ambrosii, declaratione aliqua indigent: illa enim opponuntur nobis ab adversariis. Quoad Augustinum attinet, objectio sic procedit: In Tractatu 80. in Joannem, S. Doctor in illa verba Christi: "Jam vos mundi estis propter verbum,

---

sigillorum: quæ litteris Deus adpendit solus . . . . . adeo ut fideles, cum a ministris sacramenta percipiunt, *agnoscant* operari Deum in suo instituto." Et hoc declarant Novatores, quamvis postea dicant, c. 20.: "Damnamus Anabaptistas, qui negant baptizandos esse infantulos recens natos a fidelibus." V. Schaff. op. cit. vol. 3. p. 286. 291. — Hodge ait: "Baptism, however, is not only a sign and seal; it is also a means of grace, because in it the blessings which it signifies are conveyed, and the promises of which it is the seal, are assured or fulfilled to those who are baptized, provided they believe. The Word of God is declared to be the wisdom and power of God to salvation; it is the means used by the Holy Spirit in conferring on men the benefits of redemption. Of course all who merely hear or read the Word of God are not saved; neither do all who receive the baptism of water experience the baptism of the Holy Ghost; but this is not inconsistent with the Word's being the means of salvation, or with baptism's being the washing of regeneration. Our Lord says we are sanctified by the truth. Paul says we put on Christ in baptism (Gal. III. 27.). When a man receives the Gospel with a true faith, he receives the blessings which the Gospel promises; when he receives baptism in the exercise of faith, he receives the benefits of which baptism is the sign and seal." Et paulo post addit: "Infants are the objects of Christ's redemption. They are capable of receiving all its benefits. Those benefits are promised to them on the same conditions on which they are promissed to their parents. It is not every one who says Lord, Lord who shall enter into the kingdom of God. It is not every baptized adult who is saved; nor are all those who are baptized in infancy made partakers of salvation. But baptism signs, seals, and actually conveys its benefits to all its subjects, whether infants or adults, who keep the covenant of which it is the sign. As a believer who recalls some promise of the Scriptures which he has read or heard, receives the full benefit of that promise; so the infant when arrived at maturity receives the full benefit of baptism, if he believes in the promises signified and sealed to him in that ordinance. Baptism, therefore, benefits infants just as it does adults, and on the same condition." V. op. cit. p. 589.

quod locutus sum vobis;" inquit: "Quare non ait, mundi estis propter Baptismum quo loti estis; sed ait propter verbum, quod locutus sum vobis, nisi quia et in aqua verbum mundat?" Sed verbum hoc quod Christus Apostolis prædicavit, certe fuit verbum concionis et instructionis. Ergo juxta S. Augustinum tota vis mundandi peccata quæ est in aqua, est a verbo concionis et instructionis. Præterea, in eodem Tractatu, "Unde," ait, "ista tanta virtus aquæ . . . nisi faciente verbo; non quia dicitur, sed quia creditur?" At verbum quod mundat quia creditur, haud dubie verbum est concionis quod fidem excitat, et excitando mundat. Ergo.—Et subdit: "Hoc est verbum fidei quod prædicamus, ait Apostolus, quia si confessus fueris in ore tuo, quia Dominus est Jesus, et credideris in corde tuo quia Deus illum suscitavit a mortuis salvus eris;" quæ rursus verbum concionale ad fidem excitandam designant.

Ut plene solvatur difficultas, animadvertimus: 1.—textus S. Augustini nullatenus intelligi posse ita ut ad mentem adversariorum significent verba, quibus sacramenta conficiuntur, esse concionalia ad excitandam fidem, non consecratoria ad constituendum signum sacramentale quod dat gratiam. Ibi enim ait: "in aqua verbum mundare;—accedere verbum ad elementum et fieri sacramentum;—aquam habere tantam vim ut corpus tangat et cor abluat;—mundationem in verbo tribui fluxo et labili elemento;—baptismum verbo consecrari ut mundare possit;" quæ omnia de verbo concionali dici non possunt, et consistere nequeunt cum sententia Novatorum, qui negant verbum consecrare elementum, illudque elevare ad *esse* sacramentale, ut mundet animam: bene vero cum catholica veritate congruunt, et præclare eam illustrant.

2.—Ad intelligentiam testimoniorum, quæ proferuntur ex S. Augustino, esse præ oculis habendum scopum S. Doctoris in locis objectis; hunc autem scopum esse ostendere verbum fidei generatim virtutem habere mundandi animam. Hinc ait, verbum fidei non solum mundare extra baptismum, excitando fidem et dispositionem necessariam, ut Christus dixit: "mundi estis propter sermonem quem locutus sum vobis;" sed etiam in baptismo, nam sine accedente verbo fidei, sacramentum quod mundat, non consistit. In hoc autem verbo fidei, quod accedit ad aquam, et cum ea sacramentum efficit, distinguit S. Doctor sonum materialem, "quia dicitur"; et sensum verborum, qui fide tenetur,

"quia creditur:" unde docet verbo generatim tum extra baptismum ut respondeat fides, tum in baptismo ut cum elemento constituat unum sacramentum, efficaciam non competere ratione soni materialis, "quia dicitur;" sed ratione rei significatæ per verbum, quæ est objectum fidei, "quia creditur." Invocatio SS. Trinitatis quæ fit in baptismo et quæ est forma baptismi, appellatur a S. Augustino verbum fidei quod prædicamus, quia omnis fides nostra tamquam ad caput ad hoc mysterium reducitur, quod est veluti compendium symboli et professionis christianæ.—Ad Minorem ergo primi argumenti ex S. Augustino in forma propositi, responderi debet: Dist. Verbum, quod Christus prædicavit Apostolis revelando veritates fidei, fuit verbum doctrinæ et concionale C. Verbum institutum a Christo ut baptismi forma, mundans in aqua baptismi animam a sorde peccati, fuit verbum doctrinæ et concionale N.—Ad secundum argumentum distinguitur sensus verborum S. Augustini, quæ habentur in Majori. *Non quia dicitur* [verbum], *sed quia creditur.* Dist. 1. p. *non quia dicitur*, h. e. secundum exteriorem sonum vocis C. Non quia dicitur, h. e. secundum quod est verbum consecrans et cum aqua constituens sacramentum N. Dist. 2. p. *sed quia creditur*, h. e. actu et formaliter N. Objective, quatenus nempe est objectum fidei nostræ C.—Ad ultimam instantiam: juxta S. Augustinum efficax in sacramento est verbum, Dist. Verbum formæ continens summam fidei nostræ, et consecrans aquam, cum qua sacramentum unum efficit quod mundat a peccatis C. Verbum concionale, proponens doctrinam et excitans fidem, ut volunt Protestantes N.

S. Ambrosius in libro *de Mysteriis* (c. 3. n. 14.) habet: "Merrha fons amarissimus erat; misit in eum Moyses lignum, et dulcis est factus (Exod. xv. 23. et seq.); aqua enim sine prædicatione dominicæ crucis ad nullos usus futuræ salutis est: cum vero salutaris fuerit crucis mysterio consecrata, tunc ad usum spiritalis lavacri et salutaris poculi temperatur. Sicut ergo in illum fontem Moyses misit lignum, hoc est, propheta; ita et in hunc fontem sacerdos prædicationem dominicæ crucis mittit, et aqua fit dulcis ad gratiam."—Ex hoc loco objectio sic proponitur: Aqua baptismi, quæ sine prædicatione crucis ad nullos usus inservit, et per prædicationem crucis fit dulcis ad gratiam, habet efficacitatem suam a verbo concionatorio. Atqui, ex S. Ambrosio, talis est aqua baptismi. Ergo.—Respondemus dist. maj. Aqua baptismi,

quæ sine prædicatione crucis *per concionem ad excitandam fidem* ad nullos usus inservit, *et per hanc prædicationem* fit dulcis ad gratiam, efficacitatem suam habet a *verbo concionatorio* C. Aqua baptismi quæ sine prædicatione crucis *per verbum formæ* accedens aquæ, eamque consecrans ad nullos usus inservit, et *per hanc prædicationem* fit dulcis ad gratiam, efficacitatem suam habet *a verbo concionatorio* N. Eodem pacto minorem distinguimus: juxta S. Ambrosium aqua baptismi efficacitatem suam habet a prædicatione crucis quæ fiat per concionem ad excitandam fidem N. A predicatione crucis quæ fit per verbum formæ quod consecrat aquam C. Et ex distinctionibus factis negamus argumenti consecutionem.

Itaque prædicatio crucis in administratione baptismi, de qua loquitur S. Ambrosius, duplici sensu sumi posset, pro ea nempe prædicatione quæ fit dum populus mysterium et efficaciam crucis edocetur; vel pro alia quæ habetur cum aliquid efficitur quod a cruce vim suam trahens eam exaltat. Hoc secundo sensu ministri Ecclesiæ, dum verba formæ pronuntiant, et sacramentum baptismi conficiunt virtutem crucis prædicant, a qua verba sacramentalia, et totum sacramentum habent suam efficacitatem: et de hac prædicatione S. Ambrosium loqui dubium esse non potest verba ipsa attente consideranti atque contextum. In toto capite, præsentiam atque operationem divinitatis in aqua baptismi pluribus figuris docet, quibus mysterium hoc prænuntiatum fuerat: in verbis vero objectis, ad miraculum appellat in figuram baptismi patratum, quo amaritudo aquarum conversa est in dulcedinem a Moyse, cum lignum in aquas mitteret ex mandato Domini. In illa conversione, juxta S. Ambrosium, præfigurata fuit virtus crucis Christi, ex qua baptismus habet efficaciam; virtus enim passionis Christi operatur in sacramentis: et nunc eamdem virtutem commemorat sacerdos cum pronuntiat verba formæ, quæ consecrando aquam, eam elevant ad esse sacramentale, et cum ea efficiunt unum signum collativum gratiæ. Hinc S. Doctor: "Sicut in illum fontem," inquit, "Moyses misit lignum . . . ita et in hunc fontem sacerdos prædicationem dominicam mittit:"—concio non in aquam mittitur, sed ad adstantes dirigitur. Ceterum legant adversarii, post locum mox commemoratum, hæc alia verba S. Ambrosii,[1] et intelligant quam longe aberrent a fide Sancti

[1] c. 4. n. 19.

Doctoris: "Ideo tibi ante prædictum est, ut non hoc solum crederes quod videbas; ne forte et tu diceres: Hoc est illud magnum mysterium, *quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit?* Aquas video, quas videbam quotidie: istæ me habent mundare, in quas sæpe descendi, et numquam mundatus sum? Hinc cognosce quod aqua non mundat sine Spiritu. . . . Nec iterum sine aqua, regenerationis mysterium est. . . . Credit autem etiam catechumenus in crucem Domini Jesu, qua et ipse signatur: sed nisi baptizatus fuerit in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, remissionem non potest accipere peccatorum, nec spiritualis gratiæ munus haurire."

ARTICULUS QUARTUS

De materiæ formæque sacramentorum determinatione.

Quum sacramenta novæ legis instituta fuerint a Christo Jesu, ab eo, sine ulla controversia, habent determinationem suam quoad materiam et formam, quibus constant essentialiter. Sed hæc determinatio *in genere*, vel *in specie* potuit fieri. *In genere* materiam et formam uniuscujusque sacramenti Christus determinavit, si pro unoquoque statuit eligendum esse signum idoneum ad gratiam, quam sacramentum conferre deberet, significandam; electionem vero hujusmodi signi reliquit Ecclesiæ: *in specie*, si ipsemet Christus, inter ea quæ apta essent ad significandam sacramenti gratiam, signum aliquod elegit, idque immutabiliter permansurum in Ecclesia voluit. Ut duplicem modum determinandi materiam et formam in sacramentis illustremus exemplo, supponamus Christum præscripsisse sacramentum ordinis esse conferendum signo aliquo sensibili, quod spiritualem potestatem eodem signo traditam et gratiam ad eam potestatem exercendam significaret, quin hoc vel illud signum inter ea, quæ possent ad talem significationem assumi, determinasset; profecto *in genere* tantum Christus materiam ac formam sacramenti ordinis determinasset, et determinatio *in specie* utriusque partis signi, quoad hoc sacramentum, relicta fuisset Ecclesiæ, quæ auctoritate sua elegisset postea signum pro ut nunc usurpatur et sanctificat.—Sin autem ipse Dominus immediate statuisset Ordinem esse

conferendum e. g., per manuum impositionem, et correspondentia verba, tamquam per ritum nominatim ad significandam et conferendam spiritualem potestatem ac gratiam præscriptum; determinatio *in specie* facta fuisset materiæ et formæ pro sacramento ordinis.

Verum determinatio *in specie* sic intelligitur facta ut manere idem, vel mutari dicatur specifice signum secundum moralem hominum æstimationem; ac proinde ipsa forma sacramentalis determinata sit non secundum materialem sonum verborum, neque secundum phrasim grammaticam, sed secundum significationem. Quare, adnotat Bellarminus[1] "utcumque varientur verba, addendo, detrahendo, mutando, transponendo, corrumpendo, interrumpendo, semper manet integritas substantialis, dum manet idem sensus: . . . e contra minima etiam variatio destruit integritatem substantialem, si pereat sensus."

Jam vero indubium est Christum materiam et formam Baptismi et Eucharistiæ in specie determinasse; utrum id fecerit relate ad reliqua omnia sacramenta, controvertitur: nonnulli doctores arbitrati sunt materiam et formam quorumdam sacramentorum, præsertim sacramenti ordinis, nonnisi in genere fuisse a Christo constitutas: alii vero communius tenent eum omnium sacramentorum essentiales partes in specie, constituisse.[2] Cum his defendimus sequentem thesim.

---

1) De controv. fidei chr. t. 3. l. 1, c. 21.

2) Immerito citatur Bellarminus inter eos qui putant Christum materiam et formam quorumdam sacramentorum in genere tantum determinasse. In *prima Controversia generali de sacramentis in genere* (l. 1. c. 21.) demonstrans "res et verba sacramentorum ita determinata esse ut nihil addere, minuere aut mutare liceat," duas has propositiones statuit, ac defendit: "1. Res certæ et determinatæ *ab ipso Deo* in sacramentis esse debent.—2. Non solum res, sed etiam verba in sacramentis novæ legis *a Deo* determinata sunt, *ut non liceat quidquam immutare.*" Determinationem fuisse *in specie* ipsa enunciatio propositionum ostendit, et rationes quas Bellarminus affert ad eas vindicandas confirmant. Deinde, agens de sacramento ordinis (l. 1. c. 2.), demonstrat in ordinatione tria inveniri quæ requiruntur ad sacramentum, symbolum nempe externum, promissionem gratiæ, et mandatum seu divinam institutionem: et quoad mandatum, ait: "non *legimus* quidem disertis verbis Christum dixisse, 'Ordinate ministros per manus impositionem,' sed *evidenter id colligimus* ex Sacris Litteris. Nam, ut diximus de aliis sacramentis, non potest ullus homo gratiam alligare certo signo. . . . Atqui secundum Scripturas *alligata est gratia manus impositioni* in ordinatione. . . . . Cum igitur gratia sit alligata *ordinationi per manus impositionem, necesse est Deum esse auctorem et institutorem illius cæremoniæ.*"—Confer etiam l. 1. c. 9.

THESIS XIII.

Probabilius Christus in specie determinavit omnium novæ legis sacramentorum materiam et formam.

I.—Primum argumentum desumimus ex verbis Concilii Tridentini (sess. 21. c. 2.), quæ retulimus pro thesi X.[1] Etenim Sancta Synodus opponit substantiam sacramentorum ritibus ac cæremoniis quæ in eorum dispensatione observantur; et docet circa hæc Ecclesiam auctoritate pollere, non circa illam; ideoque mutare ritus accidentales qui sacramentum non constituunt posse, substantiam non posse. At substantiales partes, quibus sacramentum constat, sunt materia et forma. Ergo Tridentina Synodus docet Ecclesiam non habere potestatem circa materiam et formam sacramentorum, et mutare eas non posse.—Jam vero si Christus vel unius sacramenti materiam et formam *in genere* tantum determinasset, et Ecclesiæ potestatem dedisset constituendi eas *in specie*, profecto Ecclesia potestatem habuisset circa materiam et formam illius sacramenti,—auctoritate enim sua, et libera electione determinasset præ ceteris rebus et verbis ea quæ de facto sacramentum constituunt,—et eadem libertate, qua usa est ad substantiales partes signi sacramentalis, materiam nempe et formam, constituendas, uti posset ad unam et aliam, vel alterutram immutandam: ac proinde potestatem haberet circa materiam et formam sacramentorum, easque posset immutare.[2] Ergo.

---

[1] V. p. 141.

[2] Cardinalis Toleto (in 3. p. q. 64. a. 2.) ait: "Tota Ecclesia, quæ non minorem auctoritatem habet, quam Apostoli, *non potest mutare formam vel materiam alicujus sacramenti, ut indubitata res est:* ergo nec potest instituere nec instituit; nam cujus est facere, est etiam mutare."

Et Adrianus VI. (in 4. p. 6. col. 4.) ut citatur a Berti (*de theol. disciplinis*, l. 30. c. 10. n. 4.): "Ecclesia," inquit, "non posset novam formam baptismi, *aut alterius sacramenti instituere aut institutam quovis modo mutare:* quia ut solius Dei est animam a labe peccati emundare, juxta illud Isaiæ (XLIII.): 'Ego sum qui deleo iniquitates tuas propter me;' ita solus quæ sanctificant animam potest instituere: unde noverit se Ecclesia non esse dominam sacramentorum, sed ministram; nec posse magis formam aliquam sacramentorum destituere, aut novam instituere, quam legem aliquam divinam abolere; vel ad tempus ab obligatione hominum suspendere, vel novum aliquem articulum fidei instituere, qui aliter non est de fide."

II.—Ut asserere possimus Ecclesiam, potestate sibi a Christo commissa, determinasse *in specie* quoad materiam et formam sacramentum aliquod, deberemus determinationis hujus et exercitæ potestatis documentum, vel indicium saltem in monumentis Ecclesiasticis invenire: secus, illum dicere debemus omnium sacramentorum essentiales partes, idest materiam et formam constituisse, qui immediatus auctor et institutor fuit eorumdem sacramentorum; hic autem est Christus. Atqui nullum hujusmodi potestatis a Christo traditæ et ab Ecclesia exercitæ vestigium invenire est vel in Conciliorum definitionibus, vel in scriptis Patrum. Ergo.—Minor constat quia nihil umquam ex Traditione in medium afferri potuit a defensoribus alterius sententiæ, quod ostenderet materiam aut formam alicujus sacramenti *auctoritate ecclesiastica* fuisse primo præceptam, aut immutatam.

III.—Confirmatur autem et illustratur præcedens argumentum hac ratiocinatione. Qui tenent Christum Dominum aliquorum sacramentorum non *in specie*, sed *in genere* tantum materiam et formam determinasse, hac una ratione maxime moventur, quod discrepans videatur in Ecclesia Latina et Græca praxis in collatione sacramenti Ordinis; siquidem manuum Episcopalium impositio est apud græcos sola materia in ordinatione Diaconi et Presbyteri, dum in Decreto Concilii Florentini pro Armenorum institutione, præscribitur Traditio libri Evangeliorum in ordinatione diaconi, et calicis et patenæ cum hostia et vino pro presbyteratu. Atqui in Tractatu de Ordine demonstratur discrepantiam illam nullatenus essentiales partes sacramenti, seu materiam et formam afficere, nullamque circa eas in Ecclesia mutationem factam fuisse. Ergo.

Diximus doctores oppositam nostræ sententiam propugnantes moveri *maxime* ex varietate rituum qui in Ecclesia usurpati fuerunt et usurpantur pro sacramento Ordinis; quia pro materia Confirmationis nullo modo requiritur ut recurramus ad determinationem factam in specie ab Ecclesia, ut generatim concedunt adversarii, et patebit in Tractatu de Confirmatione. Difficultas vero quæ ex sacramento Matrimonii oriri posset facillime solvitur. Id fatetur ipse Cardinalis de Lugo,[1] qui tamen videtur admittere materiam et formam Ordinis Christum *in genere* tantum constituisse.—In sacramento matrimonii, ait, Ecclesia "videtur variasse

[1] De sacram. in genere, disp. 2. sect. 5. n. 84.

materiam faciendo, quod consensus contrahentium absque præsentia Parochi, quæ prius erat materia valida, jam non sit materia valida hujus sacramenti. Respondetur facile, Ecclesiam non variasse ibi formaliter loquendo materiam sacramenti, sed solum materialiter; nam materia, quam Christus voluit ad sacramentum matrimonii, non erat qualiscunque consensus contrahentium, sed consensus legitimus, et validus ad translationem juris in corpora; Ecclesia autem potuit reddere invalidum, et illegitimum consensum præstitum absque tali solemnitate, sicut respublica reddit illegitimum, et invalidum consensum pupilli ad transferendum dominium absque auctoritate tutoris; quare consequenter non poterit esse materia sacramenti, quæ deberet esse consensus legitimus, et validus."

IV.—Preterea, ex doctrina Patrum [1] circa validitatem aut nullitatem sacramentorum, quæ apud hæreticos frequentabantur, recte potest

---

[1] Cardinalis Franzelin (de sacr. in genere, thesi V. p. 46.) hæc habet: "Si determinatio materiæ et formæ inter se comparentur, ex doctrina et usu universali Ecclesiæ colligitur, materiam sacramentorum ab institutore determinatam esse *in specie*,—juxta opinionem *aliquorum theologorum* excipienda esset materia sacramenti Ordinis, quæ *ex eorum doctrina* voluntate antecedente solum *in genere* et voluntate demum consequente *in specie* determinata censeri deberet, ut ex paulo ante dictis patet,—prout unitas speciei in quotidiano usu vitæ humanæ intelligitur, non autem prout de ea philosophi vel definiunt vel disputant; ex quo ipso intelligitur, materiam in aliis sacramentis strictius determinatam esse, in aliis minus stricte. Haud absimili ratione *forma* ab institutore determinata est non secundum materialem sonum verborum (non enim, inquit Augustinus in Jo. tract. 80. n. 3., verbum sanctificat, quia dicitur, sed quia creditur, et aliud in eo est sonus transiens, aliud virtus manens), neque determinata est secundum phrasin grammaticam, sed secundum significationem pro diversitate sacramentorum vel distinctam vel saltem in confuso. Sic distincta requiritur expressio personarum SS. Trinitatis cum *nominis* tamquam essentiæ unitate in Baptismo ut sacramento et initiatione christianæ fidei. Sufficienter autem in sacramento Confirmationis particulare donum gratiæ exprimitur sive verbis usurpandis in Ecclesia latina: "signo te signo crucis, confirmo te chrismate salutis in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti," sive verbis Ecclesiæ græcæ: "sigillum doni Spiritus Sancti σφραγις δωρεας πνευματος ἁγιυ; significatio enim formæ in conjunctione præsertim cum materia utrimque eadem est, licet modus significandi sit diversus. Adhuc evidentius locutione solum grammatica differt, quod enuntiant latini: "*Ego te baptizo* in nomine etc.," et quod dicunt orientales: "*Baptizatur servus Dei N.* in nomine etc." Similiter inter formam indicativam in sacramento Pœnitentiæ et formam deprecativam, quæ apud orientales, aliquando etiam apud occidentales viguisse dicitur, et argumentum suppeditavit prolixis eruditorum dissertationibus, equidem non nisi grammaticum discrimen esse existimo. Profecto enim etiam in modo illo deprecativo non simplex deprecatio, sed significatio sententiæ judicialis nomine et auctoritate Dei pronuntiatæ continetur; unde etiam in plerisque illis formulis mentio fit verborum Salvatoris Jo. xx. 23.: 'quorum remiseritis peccata etc.' "

novum argumentum deduci pro thesi nostra. Ut enim hac in re adnotat P. de Valentia,[1] Patres ex verbis quæ usurpata fuerant, *juxta Christi institutionem,* judicabant de veritate aut falsitate sacramentorum, quæ per hæreticos conficerentur. Ergo persuasum omnino erat Patribus sacramenta *confici verbis a Christo statutis,* utique non materialiter, et secundum sonum vocum, sed formaliter et secundum significationem verborum. Antecedens constat, quia, ut idem P. de Valentia animadvertit, etsi Patres de Baptismo potissimum disputaverint, de eo tamen tunc agebant non ut baptismus est, sed ut est sacramentum institutum a Christo. Duo tantum loca afferam ad exemplum.—S. Basilius[2] ait: "Videtur tamen interdum Apostolus etiam solius Spiritus fecisse mentionem in baptismate. 'Omnes enim,' inquit, 'in uno corpore in unum Spiritum baptizati sumus' (I. ad Cor. XII. 13.). His et illud consonat, 'vos autem baptizabimini in Spiritu Sancto' (Act. I. 5.); et 'Ipse vos baptizabit in Spiritu Sancto' (Luc. III. 16.). At non ideo quis dixerit perfectum esse baptisma, in quo solum Spiritus nomen invocatum est. Oportet enim *inviolabilem semper manere Traditionem,* quæ in vivifica gratia data est. Nam vitam nostram de corruptione qui liberavit, potestatem nobis renovationis dedit: quæ potestas causam habet ineffabilem, et in mysterio reconditam, sed magnam animabus salutem conferentem, ut quidquam addere aut detrahere plane sit ab æterna vita excidere."—Et S. Augustinus:[3] "Quomodo," quærit, "aquam mundat et sanctificat homicida? quomodo benedicunt oleum tenebræ? Si autem Deus adest sacramentis *et verbis suis,* per qualeslibet administrentur, et sacramenta Dei ubique recta sunt, et mali homines quibus nihil prosunt, ubique perversi sunt."

V.—Insuper thesis, quam vindicamus, auctoritate fulcitur S. Thomæ, qui "non potest negari," ait S. Alphonsus de Liguori,[4] "esse pro hac sententiâ, siquidem hanc tradit rationem: quia ergo sanctificatio hominis est in potestate Dei sanctificantis, non pertinet ad hominem suo judicio assumere res quibus sanctificetur: sed hoc debet esse ex divina institutione determinatum. Et ideo in sacramentis novæ legis, quibus homines sanctificantur, secundum illud (I. ad Cor. VI. 11.), *abluti estis, sanctificati estis,* oportet uti rebus ex divina institutione

[1] De sacram. in gen. d. 3. q. 1. p. 2.
[2] De Spiritu Sancto, c. 12.
[3] De baptismo cont. Donatistas, l. 5. c. 20.
[4] Theol. Moral. l. 6. tract. 1. c. 1. n. 12.

determinatis." Et auctoritatem suam addens auctoritati S. Thomæ, idem præclarus Auctor, Ecclesiæ Doctoris honore nuper insignitus, sic prosequitur: "Nec S. Doctor explicari potest de determinatione in genere, quæ posset per diversa signa significari; nam ad 1. expresse docet oppositum, dicens: 'Etsi idem potest per diversa signa significari (en qualis esset determinatio in genere), determinare tamen quo signo sit utendum (en determinatio in specie) pertinet ad significantem; Deus autem est qui significat spiritualia." Hucusque S. Alphonsus; sed præstat addere etiam sequentia verba S. Thomæ: "Deus autem est qui nobis significat spiritualia per res sensibiles in sacramentis, et per verba similitudinaria in Scripturis. Et ideo sicut judicio Spiritus Sancti determinatum est quibus similitudinibus in certis Scripturæ locis res spirituales significentur, ita etiam *debet esse divina institutione determinatum quæ res ad significandum assumantur in hoc vel in illo sacramento.*" [1]—Deinde ad difficultatem: [2] "Videtur quod sacramenta non sint *solum* ex institutione divina. Ea enim quæ sunt divinitus instituta, traduntur nobis in Sacra Scriptura. Sed quædam aguntur in sacramentis, de quibus nulla fit mentio in Sacra Scriptura, puta de chrismate, quo homines confirmantur, et de oleo quo sacerdotes inunguntur, et de multis aliis tam verbis quam factis, quibus utimur in sacramentis. Non ergo sacramenta sunt *solum* ex institutione divina." Respondet; "Illa quæ aguntur in sacramentis, per homines instituta, non sunt de necessitate sacramenti, sed pertinent ad quamdam solemnitatem, quæ adhibetur sacramentis ad excitandam devotionem et reverentiam in his qui sacramenta suscipiunt; ea vero quæ sunt de necessitate sacramenti, ab ipso Christo instituta sunt, qui est Deus et homo. Et licet non sint omnia tradita in Scripturis, habet tamen ea Ecclesia ex familiari Apostolorum Traditione, sicut Apostolus dicit. (I. ad Cor. XI. 34.): *Cetera, cum venero, disponam.*"

VI.—Omnia sacramenta veteris legis immediate instituta fuerunt a Deo non in genere, sed in specie, ut perspectum est ex thesi III. Sed si sacramenta illa divinam habuerunt determinationem quoad ultimam speciem, id multo magis admitti debet, quamdiu contrarium non probatur, pro omnibus novæ legis sacramentis, cum hæc illis longe sint perfectiora, gratiam non tantum significent, sed conferant, non Christum præfigurent futurum, sed actu operantem exhibeant per ministros suos. Ergo.

[1] 3. p. q. 60. a. 5. ad 1.

[2] q. 64. a. 2. ad 1.

Nec silentio præteriri debent duæ aliæ congruentiæ, quas indicat Suaresius.[1] Prima deducitur ex unitate Ecclesiæ; nam ad majorem Ecclesiæ unitatem et consensionem necessarium fuit ut in sacramentis et Sacrificio, in quibus consistit essentialis ritus exterior colendi Deum, tota Ecclesia conspiraret, et conveniret; sicut oportuit, ut unum esset baptisma, quod est janua Ecclesiæ, ad unitatem commendandam: non posset autem hæc unitas, omni tempore, in universa Ecclesia servari, nisi essent *a Christo determinatæ materia et forma sacramentorum.* Altera congruentia oritur ex reverentia quæ adhibenda est erga hæc media salutis, nam addit Suarez "hoc majorem reverentiam conciliat ipsis sacramentis, quando intelligimus *ritu ab ipso Christo tradito, et verbis ejusdem Christi confici.*"

Scholion. Innuimus in prænotatis eam mutationem in forma sacramenti esse substantialem quæ variat sensum, accidentalem vero esse eam quæ sensum servat integrum: sed juvat hanc regulam paululum declarare, distinguendo modos varios mutationum quæ contingere possunt in verbis formæ.

Et primo, modus mutationis prorsus accidentalis est idiomatis; quinimmo, et ipsa mixtio vocum diversorum idiomatum, etiamsi in eadem numero forma fiat, non est contra substantiam sacramenti, dummodo singulæ voces ejusdem significationis sint cum verbis formæ, et in unam conjunctæ sententiam eumdem sensum formæ referant.—Si mutatio fiat substituendo alias ejusdem idiomatis voces illis, quas Ecclesia adhibere consuevit, ut ex. gr., si loco Patris, et Filii dicatur genitoris et geniti, aut loco verbi baptizo, adhibeatur abluo; diligenter considerari debet

[1] In 3. p. q. 60. a. 8. disp. 2. Eximius Doctor subjungit: "Quæres an hæc determinatio materiæ et formæ sit æqualis, seu ejusdem rationis in omnibus sacramentis. Respondetur non esse id necessarium; in quibusdam autem certum est, materiam esse determinatam in quadam specie ultima, ut est aqua in baptismo, et oleum in extrema unctione; in aliis sufficit unitas generica." Sed loquitur de unitate specifica aut generica prout philosophi definiunt, non prout in quotidiano usu vitæ moraliter intelligitur: et in hoc sensu, non illo controversia agitatur inter theologos. Declarat Suaresius mentem suam afferendo exempla: "ut v. g. confessio dolorosa est materia sacramenti pœnitentiæ, sive sit dolorosa per attritionem, sive per contritionem, quæ specie differunt, et sive sit de peccato veniali sive mortali, et sive verbo, sive nutibus explicetur." Et concludit: "de singulis sacramentis disputantes . . . . occurremus difficultatibus, quæ hic objici poterant de aliquibus mutationibus, quæ in materiis et formis sacramentorum factæ sunt in Ecclesia: ostendemus enim *omnes fuisse accidentales, et non substantiales.*"

utrum voces quæ usurpantur vere synonymæ sint, an non: accidentalis enim mutatio erit si synonymæ sunt, secus substantialis. Id autem intelligitur solum de synonymis, quæ significationem aliarum vocum eodem modo clare atque distincte referant; quare mutatio essentialis esset si in forma Baptismi pro illis verbis: "In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti," diceretur "in nomine Trinitatis."

Alter modus mutationis potest haberi per repetitionem verborum sacramentalium. In hac repetitione, si legitimus sensus formæ non vitiatur, sacramentum est validum, secus non. Quare Stephanus III. ut validum probavit baptismum a quodam sacerdote his verbis collatum: "In nomine Patris te baptizo, et Filii te baptizo, et Spiritus Sancti te baptizo:" dum e contra dubium saltem Innocentius IV. judicavit baptismum quem adhibuit quidam Sacerdos cum hac prolatione verborum: "Ego te baptizo in nomine Patris, in nomine Filii, in nomine Spiritus Sancti:" cum enim dixerit ter "in nomine," formæ sensum corrupit, ex eo quod illud "in nomine" unam essentiam, unamque auctoritatem divinam significat, et per repetitionem significari posset in tribus divinis personis diversa auctoritas.

Si verbis sacramentalibus superstitiosa additio fiat, quandoque hæc irritat sacramentum, quandoque non, prout verborum sensum tollit, aut non tollit. Utriusque superstitiosæ clausulæ exemplum, sub Urbano VIII. videre fuit, ait Serry.[1] Prioris, in ignaro quodam Parocho, qui pro sua in B. Virginem inconsulta pietate, baptizavit: "In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti et B. Mariæ Virginis." Baptismus judicatus fuit nullus, ac propterea iterandus; nam germanus facti additamenti sensus erat, baptismum vim suam perinde repetere ex invocatione Deiparæ ac ex invocatione Sanctissimæ Trinitatis. Alterius superstitiosæ formæ exemplum fuit in hac collatione baptismi: "Ego te baptizo in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, et B. Virgo te adjuvet." Baptismus pronuntiatus fuit validus; admonitus tamen fuit sacerdos ut ab his additionibus absisteret in posterum.

Eadem norma habenda est ut judicetur nullum, aut validum sacramentum, cum verbis formæ additio fit non modo superstitiosa, sed talis quæ vel formaliter hæretica sit, vel sapiat hæresim. Si hujusmodi sit additio ut verba sacramentalia vere et proprie afficiat, quia ad illa vere

---

1) De sacram. prælect. 5.

et proprie refertur; tunc sensum mutat, ac proinde invalidam reddit sacramenti formam; si vero verbis sacramentalibus veluti ab extrinseco adjungatur ac illorum sensum non immutet, sacramento non officit. Hinc a S. Pio V., ut narrat Serry,[1] valida judicata fuit eucharistica Consecratio nonnullorum Ubiquistarum, qui hæc verba adhibebant: "Hoc est corpus meum, quod est ubique locorum." Etsi impia et sacrilega fuerit hæc forma, tamen error, quem continebat, impertinens omnino erat formæ, et significatum ejus non destruebat. Et similiter sub Alexandro VIII. validus Romæ declaratus fuit baptismus viri cujusdam Calviniani ad catholicam fidem conversi, qui quondam in sua secta sic a ministro baptizatus fuerat: "Ego te baptizo in nomine Patris, et Filii et Spiritus Sancti auctoritate mihi a Calvino concessa." At Concilium Nicænum I. nullum pronunciavit baptismum Paulianistarum, baptizantium: "In nomine Patris majoris, Filii minoris et Spiritus Sancti:" error enim ille sacramentalibus verbis insertus, quo Pater dicitur major et Filius minor, baptismi formam omnino afficit, ejusque significationem destruit, ut patet.

Quid autem dicendum de mutatione quæ formæ sacramentalis verba ipsa corrumperet? Tribus modis, ait Suarez,[2] potest se habere minister in hac mutatione. Primo ut bona fide operetur, nullam se existimans mutationem efficere, sed ex imperitia verba ita corrumpens quia putat ita solere proferri. In hoc casu tum solum corruptio irritum reddit sacramentum cum jam verba juxta communem æstimationem hominum nequeunt sensum referre formæ sacramentalis.

Secundo fieri potest ut minister sciens et volens hujusmodi mutationes inducat, non animo novum ritum introducendi, sed alio motivo: et in eo casu, aliqui sine distinctione affirmaverunt mutationem esse substantialem, et putaverunt sic docuisse S. Thomam; verum Suarez aperte pronunciat falsam hanc sententiam; nam si minister habeat intentionem conficiendi sacramentum, etsi sciens et volens verba corrumpat quæ communiter in Ecclesia pronuntiari solent; quia tamen, ut supponitur, adhuc retinent eumdem sensum, ad conficiendum sacramentum valent. S. Thomas (qu. 60. art. 7. ad 3.) non dicit simpliciter per illam verborum alterationem *non perfici* sacramentum; sed solum *non videri perfici sacramentum:* et ratio est, quia ille qui scit

[1] Loco citato.

[2] In 3. p. q. 60. a. 8. disp. 2. sect. 6.

in forma baptismi esse dicendum, *in nomine Patris* et voluntarie corrumpens verbum dicat *in nomine Patrias*, videtur potius per jocum, aut per contemptum velle proferre formam; ac proinde *videtur*, ait S. Thomas, *illum non intendere facere quod facit Ecclesia.* Hoc autem signum probabile quidem est, sed non certum.

Tertio fieri potest ut minister non modo ex certa scientia verba sacramentalia corrumpat, sed per hanc alterationem verborum intendat novum ritum et errorem introducere in Ecclesia. In hoc casu, diversum responsum dederunt doctores quoad sacramenti validitatem. Multi dixerunt formam esse invalidam, sacramentum nullum, quia tunc minister non potest intendere quod Ecclesia facit: alii vero putaverunt non esse simpliciter et in omni casu sacramentum nullum, sed de ejus valore aut nullitate dijudicandum secundum communem regulam, attendendo scilicet ad significationem verborum quæ proferuntur, non ad intentionem proferentis; nam etiamsi minister intendat novum ritum in Ecclesia, dummodo intendat facere sacramentum,—et hæ duæ intentiones possunt simul componi—quando non destruitur juxta communem æstimationem legitima significatio, erronea forma prolata est valida, si vero destruitur, forma nulla est, et sacramentum invalidum. Egregie P. Suarez[1] ex utraque sententia quod indubium videtur seligit, et utramque sententiam veluti redigit in concordiam. Quando per mutationem, inquit, non variatur sensus formæ, mutatio nequit esse substantialis propter solam intentionem ministri volentis introducere novum ritum. Etenim vere cum illa intentione potest adesse intentio conficiendi sacramentum; et quia in forma ponitur quidquid Christus instituit, per hanc generalem intentionem faciendi sacramentum corrigitur privatus error, et exhibetur signum quod Christus voluit. At quando per mutationem formæ sensus ambiguus redditur, tunc, si minister intendat introducere novum ritum, et errorem suum per talem formam significare, mutatio erit substantialis, et sacramentum nullum, non solum ex defectu intentionis, potest enim minister ea carere, sed etiam ex defectu veræ formæ: nam in eo casu formaliter et proprie aliud est signum quod minister exhibere intendit, quam quod Christus instituit. Sane, ut declaravimus antea, non materialis sonus

[1] l. c. n. 7.

verborum attendi debet, sitne idem an diversus, sed significatio: hic autem, licet verba, quoad materialem sonum sint eadem, vel parum diversa, tamen significatio, quæ intenditur, alia longe est, et per intentionem proferentis determinantur verba ad talem significationem.

Ex dictis facile intelligitur genuinus sensus doctrinæ traditæ a summo Pontifice Zacharia in Epistola ad Bonifacium (Migne, P. L. 89. p. 929.) "Detulerunt [nuncii tui] quod fuerit in eadem provincia sacerdos, qui latinam linguam penitus ignorabat: et dum baptizaret, nesciens latine eloqui, linguam infringens dixerit: Baptizo te in nomine Patria et Filia et Spiritu Sancta; et per hoc tua reverenda fraternitas consideravit rebaptizare. Sed, sanctissime frater, si ille qui baptizavit non errorem inducens aut hæresim, sed pro sola ignorantia romanæ locutionis infringendo linguam, ut supra fati sumus, baptizans dixisset, non possumus consentire, ut denuo baptizentur."

Mutatio facta in verbis formæ a presbytero non ex perversa intentione, sed ex errore latini idiomatis, pronuntiata fuit accidentalis, non reddens sacramentum nullum: sed si eadem mutatio facta fuisset animo inducendi errorem in Ecclesia, nullam reddidisset formam, ex eo quod verba per se æquivoca, a ministro determinata fuissent ad sensum prorsus diversum ab illo quem instituit Christus tamquam necessarium ad sacramentum conficiendum. Hanc ipsam interpretationem dederat D. Algerus [1] his verbis: "Qui enim baptizavit in nomine Patria et Filia et Spiritua Sancta, si ita ut sonant verba credidisset, procul dubio errasset, et sic errando nomine veritatem sacramenti annullasset. Si enim in habitatione alicujus patriæ, sicut donatistæ africanam tantummodo Ecclesiam credebant esse catholicam, et judæi Judæam locum sanctificationis, et in filiæ alicujus conjugio, et in sancta aliqua crederet baptismi constare sanctitatem et salutem, quis hoc hæresim esse non judicaret? Quis his tam profanis verbis baptismum consecrari crederet? Et tamen hæc verba contra fidem prolata, quia simplicitas proferentis et fides excusavit, concedente Zacharia, baptismi veritas rata permansit."

[1] De sacram. corp. et sang. Dominici, l. 3. c. 13.

ARTICULUS QUINTUS

De sacramentorum ritibus seu cæremoniis.

Cæremoniæ nomen significat latiori sensu omnem Dei cultum externum, qui certo ac definito modo seu ritu peragitur: strictiori tamen sensu,—et ita sumitur hic a nobis,—coarctatur ad designandas quasdam actiones, vel circumstantias, quas in sacramentorum administratione Ecclesia observat, præter ea quæ essentialia sunt ut sacramenta conficiantur.

Hæ cæremoniæ dividi possunt multipliciter: ratione *modi* quo fiunt, aliæ in verbis consistunt, ut oratio; aliæ in actionibus, ut genuflectiones, oscula, signa crucis; aliæ in usu quarumdam rerum externarum, ut vestium et luminarium;—ratione *loci* sunt cæremoniæ generales, quæ ubique terrarum ab Ecclesia catholica adhibentur, et particulares, quæ apud quasdam Ecclesias tantum vigent:—ratione *temporis*, aliæ omnes anni dies spectant, aliæ quædam in anno statuta tempora;—ratione *originis*, aliæ sunt ab Apostolis, aliæ ab eorum successoribus;—ratione *finis*, aliæ institutæ fuerunt ad dæmones coercendos, ut exorcismi, aliæ ad ornatum et significationem spiritualem, ut vestis alba neophytorum, etc.

Circa cæremonias Protestantes fatentur aliquas necessarias esse ad sacramentorum administrationem, præter eas quæ ad ipsam sacramentorum essentiam requiruntur: fatentur etiam illas cæremonias esse adhibendas quæ habent in Scripturis mandatum aut exemplum, ut orationes, gratiarum actiones, psalmodiam; et concedunt Ecclesiam posse ordinem aliquem statuere in his cæremoniis usurpandis: at negant, præsertim Calvinistæ, Ecclesiam jus habere alias cæremonias in sacramentorum dispensatione statuendi, easque immutandi.

Concilium Tridentinum (sess. 21. c. 2.) hanc potestatem docuit perpetuo fuisse in Ecclesia, et expressa definitione fidei (sess. 7. can. 13.) statuit: "Si quis dixerit, receptos et approbatos Ecclesiæ catholicæ ritus in solemni sacramentorum administratione adhiberi consuetos, aut contemni, aut sine peccato a ministris pro libito omitti, aut in novos alios per quemcumque Ecclesiarum pastorem mutari posse, anathema sit."

Priusquam demonstremus potestatem, qua Ecclesia a Christo instructa est, instituendi cæremonias et ritus spectantes ad sacramentorum administrationem, simulque obligationem qua ministri sacramentorum tenentur eas observandi; non abs re erit, quæ sint commoda atque utilitates harum cæremoniarum paucis exponere.

Et primo quidem ad majestatem et reverentiam mysteriis religionis nostræ conciliandam inserviunt; nam, notat Suarez,[1] cum horum mysteriorum substantia in paucis verbis et rebus, quæ externa specie minimi pretii sunt et vulgares consistat, nisi cæremoniarum apparatu et significatione elevaretur mens ad ea cogitanda quæ sub signis contenta sunt et ad concipiendam reverentiam illis debitam, facile vilescerent et a rudioribus præsertim hominibus, qui fere sensibus ducuntur, despicerentur.

Secundo, cæremoniæ conferunt ad majorem intelligentiam mysteriorum fidei. Sic, ex. gr., frequens est signum crucis in sacramentorum administratione, ut eo signo admoneantur fideles passionem Christi operari in sacramentis ad salutem: similiter baptismo præmittuntur exorcismi et insufflationes, ut doceantur fideles, puerum, antequam baptizetur, esse sub potestate dæmonis ob peccatum originale.

Tertio, juvant cæremoniæ ad pietatem fidelium excitandam, fovendam et augendam. "Ad ipsum ignem amoris nutriendum et flandum quodammodo," ait S. Augustinus,[2] "quo tamquam pondere sursum vel introrsum feramur ad requiem, ista omnia pertinent, quæ nobis figurate insinuantur: plus enim movent et accendunt amorem, quam si nuda sine ullis sacramentorum similitudinibus ponerentur. Cujus rei causam difficile est dicere. Sed tamen ita se habet ut aliquid per allegoricam significationem intimatum plus moveat, plus delectet, plus honoretur, quam si verbis propriis diceretur apertissime. Credo quod ipse animæ motus, quamdiu rebus adhuc terrenis implicatur, pigrius inflammatur: si vero feratur ad similitudines corporales, et inde referatur ad spiritualia, quæ illis similitudinibus figurantur, ipso quasi transitu vegetatur, et tamquam in facula ignis agitatus accenditur, et ardentiore dilectione rapitur ad quietem."

Demum, utiles sunt cæremoniæ ad divini cultus majestatem, cum id

1) 3. p. q. 65. a. 4. disp. 15. sect. 2.

2) Ep. 55. c. 11.

religioni sint, ait Bellarminus,[1] quod sal carnibus et cortex medullæ; et valeant multum ad distinguendos catholicos ab hæreticis: hi enim, etiamsi quædam sacramenta retineant, in ritu tamen ea ministrandi valde differunt a catholicis.

His præmissis, sequitur

THESIS XIV.

Ecclesia potestatem habet instituendi cæremonias in sacramentorum administratione; quapropter ritus, quos in sacramentis celebrandis statuit et adhibere consuevit, nequeunt a quocumque ministro omitti sine peccato, aut immutari.

Ad probationem primæ partis theseos potest argumentum desumi *ex ipsa Scriptura.* Etenim Apostolus, cum de Eucharistiæ sacramento in I. ad Cor. plura scripsisset, concludit (v. 24.) his verbis: "Cetera, cum venero, disponam."—Sed hæc nequeunt dici fuisse ea quæ Christus præceperat, et ad valorem sacramenti necessaria sunt; quia ista omnia probe noverant jam Corinthii, qui sacram communionem frequentabant. Ergo verba Apostoli spectant ea, quæ ipse se dispositurum pollicetur ad majorem augustissimo sacramento venerationem conciliandam, et ad uberiorem fructum ex illo a fidelibus percipiendum. Huc refert S. Augustinus[2] morem nonnisi jejunis Eucharistiam administrandi; nam postquam citaverit verba Apostoli, addit: "Unde intelligi datur . . . . ab ipso ordinatum esse quod nulla morum diversitate variatur."

Probatur secundo potestas hæc in Ecclesia ex irrefragabili *testimonio Patrum,* qui a primis temporibus cæremonias in administratione sacramentorum usurpatas commemorant. Duo tantum loca, speciminis gratia, referam, animadvertens sacramentale S. Gregorii M., Euchologia Græcorum, scripta Rabani Mauri, Alcuini, S. Isidori Hispalensis, etc., plenissime demonstrare ritus, quos nunc Ecclesia observat, fuisse jam diu ante IX. sæculum observatos.

En verba Tertulliani:[3] "Ut a baptismate ingrediar, aquam adituri, ibidem, sed et aliquanto prius in Ecclesia sub antistitis manu contesta-

[1] De controv. christ. fidei, vol. 3. l. 5. c. 31.

[2] Ep. 54. ad Januarium, c. 6.

[3] Lib. de Corona, c. 3.

mur nos renuntiare diabolo, et pompæ, et angelis ejus: dehinc ter mergitamur, amplius aliquid respondentes, quam Dominus in Evangelio determinavit. Inde suscepti, lactis et mellis concordiam prægustamus: exque ea die, lavacro quotidiano per totam hebdomadem abstinemus. Eucharistiæ sacramentum, et in tempore victus, et omnibus mandatum a Domino, etiam antelucanis cœtibus, nec de aliorum manu quam præsidentium sumimus: oblationes pro defunctis, pro natalitiis annua die facimus: die Dominico jejunium nefas ducimus, vel de geniculis adorare. Eadem immunitate a die Paschæ in Pentecosten usque gaudemus. Calicis aut panis etiam nostri aliquid decuti in terram anxie patimur. Ad omnem progressum atque promotum, ad omnem aditum et exitum, ad calciatum, ad lavacra, ad mensas, ad lumina, ad cubilia, ad sedilia, quæcunque nos conversatio exercet, frontem crucis signaculo terimus. (Cap. 4.) Harum et aliarum ejusmodi disciplinarum si legem expostules Scripturarum, nullam invenies: Traditio tibi prætendetur auctrix, consuetudo confirmatrix, et fides observatrix."

Et S. Basilius,[1] ait: "Nam si consuetudines quæ scripto proditæ non sunt, tamquam haud multum habentes momenti aggrediamur rejicere, imprudentes Evangelium in ipsis rebus præcipuis lædemus, imo potius prædicationem ad nudum nomen contrahemus. Verbi gratia, ut ejus quod primum est et vulgatissimum primo loco commemorem: ut signo crucis eos qui spem collocant in Christo signemus, quis scripto docuit? Ut ad Orientem versi precemur, quæ nos docuit Scriptura? Invocationis verba cum conficitur panis Eucharistiæ et poculum benedictionis, quis sanctorum in scripto nobis reliquit? Nec enim his contenti sumus, quæ commemorat Apostolus aut Evangelium, verum alia quoque et ante et post dicimus, tamquam multum habentia momenti ad mysterium, quæ ex Traditione non scripta accipimus. Benedicimus autem et aquam baptismatis, et oleum unctionis, imo ipsum etiam qui baptismum accipit. Ex quibus scriptis? Nonne a tacita secretaque Traditione? Ipsam vero olei unctionem, quis sermo scripto proditus docuit? Jam ter immergi hominem, unde haustum? Reliqua autem quæ fiunt in baptismo, veluti renuntiare Satanæ, et angelis ejus, ex qua Scriptura habemus?"

Tertio probatur ex *potestate legislativa*, quam Christus vicario suo in

---

1) De Spiritu Sancto, c. 27.

terris concessit ad Ecclesiam regendam, et ad ea statuenda quæ externum Dei cultum promoverent et in bonum animarum cederent: in hac enim potestate, aliam, de qua nunc agimus, contineri necesse est, cum declaratum fuerit quantum ad duplicem illum finem assequendum cæremoniæ valeant.—Confirmatur etiam argumentum et illustratur exemplo societatis civilis: nam si in omni republica bene ordinata, admitti debet potestas statuendi ea, quæ pro rerum, locorum ac temporum varietate necessaria sunt vel utilia ad ejus conservationem, atque prosperitatem, civiumque commodum et salutem temporalem; multo magis eadem potestas attribui debet Ecclesiæ in ordine spirituali; ac proinde eidem jus decernendi et immutandi cæremonias in sacramentorum administratione denegari nequit.

Et jam ex his probationibus veluti sponte sua oritur demonstratio pro secunda parte thesis. Etenim si Ecclesia potestatem habet determinandi cæremonias sacramentales, easque suis subditis præscribendi, cum severe præcipiat omnibus harum cæremoniarum observantiam, sine peccato omitti certe nequeunt, aut immutari. Præterea, quis est qui non videat, perturbationem et confusionem magnam fore in Ecclesia, unitatemque in divino cultu pessumdatum iri si ritus ubique communiter servati possent a quolibet ministro, vel etiam a Pastoribus Ecclesiarum particularium, aboleri aut immutari?—Et hic locum habet illud Augustini:[1] "Si quid horum [rituum] tota per orbem frequentat Ecclesia, et hinc quin ita faciendum sit, disputare insolentissimæ insaniæ est."

Quæ ex Scripturis adversarii objiciunt facillime diluuntur. In Deut. (IV. 2.) legimus: "Non addetis ad verbum quod vobis loquor, nec auferetis ex eo;" sed hoc præcepto solum cavetur ne in libris canonicis a Moyse conscriptis mutilatio aut interpolatio fiat; et nullo modo attinguntur ritus ab Ecclesia præscripti. Verba Christi (Matt. XV. 9.): "Sine causa colunt me, docentes doctrinas et mandata hominum," spectant præcepta, quæ, sine violatione divini mandati servari non poterant, ut erant illæ Scribarum et Pharisæorum præscriptiones de quibus Christus (v. 6.) dixerat: "et irritum fecistis mandatum Dei, propter traditionem vestram."—Apud Joannem (IV. 23.) Christus ait Samaritanæ: "venit hora et nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu

[1] Ep. 54. ad Januarium, c. 5.

et veritate:" sed hæc adoratio opponitur cultui Judaico, qui principaliter externus erat ac corporalis in figura prænuntians cultum spiritualem, et cultui Samaritanorum qui erroribus inquinabatur; at cultui Ecclesiæ catholicæ non opponitur; quinimmo adoratio de qua Christus loquitur est hic cultus, *in spiritu et veritate,* quia spiritualis est et ab omni errore immunis, actu exhibens ea quæ præfigurata fuerant in veteri lege. Cultus autem spiritualis in hac mortali peregrinatione sine corporali esse non potest et ideo sacramenta et cæremonias admittit, quæ deserviant cultui spirituali.

Incassum auctoritas opponitur S. Augustini. S. Doctor in Ep. 55. ad Januarium (c. 19.) scribit: "Ipsam religionem, quam paucissimis et manifestissimis celebrationum sacramentis misericordia Dei esse liberam voluit, servilibus oneribus [quidam] premunt, ut tolerabilior sit conditio Judæorum, qui etiamsi tempus libertatis non agnoverunt, legalibus tamen sarcinis, non humanis præsumptionibus subjiciuntur." At de quibus cæremoniis loquitur Augustinus? In eodem capite, in præcedentibus verbis responsum habetur, simulque solutio difficultatis. "Quod autem instituitur præter consuetudinem, ut quasi observatio sacramenti sit, approbare non possum. . . . Omnia itaque talia, quæ neque Sanctarum Scripturarum auctoritate continentur, nec in Conciliis episcoporum statuta inveniuntur, nec consuetudine universæ Ecclesiæ roborata sunt, sed pro diversorum locorum diversis moribus innumerabiliter variantur, ita ut vix aut omnino numquam inveniri possint causæ, quas in eis instituendis homines secuti sunt, sine ulla dubitatione resecanda existimo."

Cæremoniæ, quibus Ecclesia catholica utitur, desumptæ sunt, aiunt, ex ritibus Gentilium et Judæorum. Respondet optime Bellarminus:[1] "Dico tertio, non debere mirum videri si nostræ cæremoniæ habent aliquam similitudinem cum judaicis; nam illæ erant figuræ nostrarum, ut I. Cor. x. legimus. Eadem ratione non debet esse mirum si interdum nostræ similes sunt ritibus Gentilium. Diabolus enim, qui semper simia Dei esse voluit, imitari conatus est judaicos ritus a Deo institutos, ut Tertullianus notat, quos rerum nostrarum figuras esse diximus. Dico quarto, licet in externo symbolo sit aliqua similitudo inter nostros ritus et ritus Gentilium, et Judæorum; absolute tamen

[1] l. c. c. 32.

maximum esse discrimen. Nam a fine et intentione sumunt externæ actiones speciem suam. Ritus Gentilium fiebant ad cultum dæmoniorum, nostri fiunt ad colendum verum Deum; ideo tantum interest inter illos et nostros, quantum inter sacrum et sacrilegium, quantum inter pietatem et impietatem, et quantum inter Deum et diabolum. Nam etiam sacrificia erant eadem Gentilium et Judæorum, et tamen erant illa idololatrica, ista pia et religiosa. Et hoc modo respondent Hieronymus Vigilantio (libro contra Vigilantium), et Augustinus Manichæis (l. 2. contra Faustum c. 4.). Ritus autem judaici boni erant, sed Christum venturum prænuntiantes; nostri item sunt boni, sed ab illis diversi, quia partim in memoriam rerum præteritarum, partim ad significandam gloriam futuram."

Scholion.—Sapienter institutum est ut in Ecclesia latina latine sacramenta administrentur: nulla enim ratio cogit ad deserendum latinum idioma in ritibus Ecclesiæ cum desierit esse lingua vulgaris, et gravissima incommoda orirentur ex sacramentorum ministratione in lingua vernacula.

a) Nulla ratio cogit latinam linguam deserere: nam non est cur immutatio fiat si spectetur Deus, ad quem orationes diriguntur, aut si spectentur res materiales quæ verbis consecrantur: nec rationem mutationis invenire est ex parte suscipientium sacramenta, cum ex *opere operato* conferant sacramenta gratiam omnibus non ponentibus obicem, ac proinde etiam illis qui non callent latinam linguam. Præterea non est putandum rudes aliquo saltem emolumento privari ex ignorantia sermonis qui adhibetur in cæremoniis Ecclesiæ: nam, juxta constantem praxim, fideles instrui solent circa earum significationem; et si non omnium omnino cæremoniarum et verborum sensum capiunt, id tamen certe non impedit quominus cum Ecclesia mente et corde conjuncti sint dum ecclesiastici ritus peraguntur, eumdem ac Ecclesia finem sibi proponant, et cum ea orent, sperent, ac confidenter a Deo expectent quod ipsa petit. "Turbam," aiebat S. Augustinus,[1] "non intelligendi vivacitas, sed credendi simplicitas tutissimam facit."

b) Gravissima incommoda orirentur ex sacramentorum administratione in lingua vernacula, nam 1.—Id multum obesset unitati quæ in

[1] L. contra Epist. fundamenti c. 4.

Ecclesiæ membris arctissima requiritur: non enim esset amplius conjunctio omnium Ecclesiarum in unico ritu communiter a pastoribus, et saltem a potiore parte fidelium intellecto; sed secundum varias linguas ac regiones libri rituales diversi multiplicarentur, et liturgiarum varietati nullus esset finis. 2.—In hac varietate non levis esset difficultas ad obtinendam conformitatem in precibus, imo in ipsis formis sacramentalibus, quæ possent ex alteratione verborum et sensus irritæ fieri. 3.—Rituales libri et liturgiæ in lingua vernacula constanter observari non possent, sed indesinenter deberent mutari, propter linguarum viventium inconstantiam, qua plurimæ voces lapsu temporis obsolescunt, ignotæ fiunt, aut penitus mutant significationem. 4.—Latissima aperiretur porta ignorantiæ, et oblivioni darentur pretiosissima doctrinæ ac pietatis documenta, quæ latina lingua exarata fuerunt a Patribus et a theologis.

ARTICULUS SEXTUS

De ministro sacramentorum.

"Omnia sacramenta," ait Concilium Florentinum in Decreto pro Armenis, "tribus perficiuntur, videlicet rebus tamquam materia, verbis tamquam forma, et persona ministri conferentis sacramentum cum intentione faciendi quod facit Ecclesia: quorum si aliquod desit, non perficitur Sacramentum."—De materia et forma locuti sumus, de tertio ad valorem sacramenti requisito agendum superest.

Et primum animadvertimus duplicem esse ministrum sacramentorum, *primarium* nempe et *secundarium*. Minister *primarius* Christus est, qui ut homo ministerii principalis potestatem habet:[1] sacramenta enim, ut loquitur S. Augustinus, "per eum sancta sunt cujus sunt," et "invisibiliter per eos [ministros bonos et malos] ille baptizat, cujus est et visibile baptisma, et invisibilis gratia."[2] Minister *secundarius* est ille, qui ex commissa sibi dispensatione, nomine Christi, conficere sacramentum valide potest. De hoc ministro secundario, qui communi appellationis consuetudine, simpliciter sacramentorum *minister* dicitur, quærimus.

---

1) V. p. 129. 2) Cont. Ep. Petiliani, lib. 2. c. 37., et cont. Cresconium l. 2. c. 21.

Est autem minister vera causa ministerialis relate ad effectum sacramentalem, nempe transubstantiationem in sacramento Eucharistiæ et gratiam in sacramentis reliquis; nam istorum effectuum actio sacramentalis est causa, ac proinde eorumdem effectuum causa est ille qui sacramentalem actionem perficit, nempe minister. Discrimen est inter Eucharistiam et cetera sacramenta, quia pro his, quæ actione transeunte perficiuntur, minister immediate concurrit ad collationem gratiæ per sacramentum; dum in Eucharistia minister conficiens sacramentum permanens, actione sua, immediate est causa transubstantiationis, et nonnisi mediate est causa gratiæ. Qui vero Eucharistiæ sacramentum porrigit nequit dici ministerialis causa gratiæ, quia non solum porrectio sacramenti, sed ipsa sacramenti susceptio conditio tantum est ad effectum gratiæ, quem ex opere operato Eucharistia producit in anima suscipientis. Sed sive in hoc sacramento permanente, sive in sacramentis reliquis, ideo solum causa est minister, quia actionem sacramentalem ponit, quæ per merita Christi, ex divina institutione, virtutem habet sanctificationis: quare influxus ministri in collationem gratiæ nullus alius est præter positionem signi efficacis ejusdem gratiæ.

Quis vero est minister sacramentorum Christi?—Duo falsa et ad invicem repugnantia docuit Lutherus: primum, omnes omnino esse ministros, non modo homines et angelos sed etiam dæmones; secundum, omnes solosque homines baptizatos habere potestatem sacramenta omnia ministrandi, tametsi ad vitandam confusionem non oporteat ut omnes potestate hac utantur, sed solum ii qui ad tale munus exercendum constituuntur; tribus exceptis casibus, nempe quando quis est in loco privato, ut domi, quando nullus alius adest et urget necessitas, quando alius, qui adest, non tam bene ministrare potest.—Calvinus, in contrariam sententiam concedens, voluit quosdam legitime vocatos hanc potestatem habere ita exclusive ut nec in necessitate laicis aut fœminis baptizare permissum sit.

Catholica veritas, his erroribus opposita, docet: 1.—Ministrum hominem esse, non angelum; et quamvis id expresse definitum non fuerit ab Ecclesia, pro certo tamen teneri debet. Ita sentiunt Doctores omnes scholastici.—Illud vero notandum est cum S. Thoma,[1] nempe, si quando accideret, ut Angelus bonus in humana forma assumpta mini-

---

[1] 3. p. q. 64. a. 7.

straret sacramentum aliquod, id ut ratum et firmum existimandum esset, non quia ordinariam habeat ad hoc potestatem, sed quia eo ipso, quod illud ministrasset, credendum esset, id jussu Dei fecisse, et Deum, qui est auctor sacramentorum, voluisse sacramentum tunc per Angelum ministratum firmum, et ratum esse. Hoc ipsum notavit Scotus, idemque dixit fore de Angelo malo, si manifeste constaret eum præcepto Dei sacramentum ministrasse, alioquin pro nullo habendum esse. In quo etiam cum S. Thoma convenit, quamvis S. Doctor, et Thomas de Argentina (in 4. dist. 6. q. 1. a. 1. in fine) absolute dicant, et merito, sacramentum ministratum a dæmone nunquam habendum esse pro firmo, et rato; neque enim existimandum est Deum illi hoc ministerium committere voluisse, cum boni Angeli ipsi non desint. Porro sacramentum a bono Angelo ministratum ratum in Ecclesia habendum esse illud confirmat, quod Nicephorus lib. 11. historiæ, cap. 20. memorat de Amphiloquio, qui cum in solitudine ob maximam ipsius sanctitatem ab Angelo in Episcopum consecratus esset, deinde vero alii Episcopi ad eumdem eligendum, et ordinandum convenissent, statim ac noverunt ipsum ab Angelo in Episcopum consecratum, noluerunt eum iterum consecrare, sed Angeli consecrationem ratam habuerunt. Et quamvis dicat Nicephorus ipsum intellectuali modo fuisse consecratum,—in quo denotare videtur, non externa olei consecratione, et cæremoniis aliis fuisse ordinatum,—inde tamen multo magis id, quod diximus, confirmari potest. Nam si ordinatio sine materia, et forma corporali, solo intellectuali modo ab Angelo facta censetur rata, quia creditur Deum voluisse cetera supplere; eadem ratione firma, et rata existimari deberet, si adhibita materia, et forma tribueretur.

2.—Deinde catholica fides docet, ad ministranda sacramenta, excepto Baptismo, et Matrimonio, non quemlibet hominem baptizatum, sed eum solum, qui rite ordinatus est, potestatem habere.

Hæc doctrina aperte est definita in Concilio Tridentino, sessione septima, canone de sacramentis in genere decimo, qui sic se habet: "Si quis dixerit Christianos omnes in verbo et omnibus sacramentis administrandis habere potestatem; anathema sit." Et sensus hujus definitionis est, neminem non ordinatum in omnia, seu in quælibet sacramenta habere potestatem; siquidem non ordinatus nequit Eucharistiæ sacramentum conficere, neque absolvere a peccatis pœnitentem, neque ordinis

sacramentum conferre, neque sacramentum Unctionis aut Confirmationis. Baptismus vero, propter summam ejus necessitatem, potest a quolibet homine valide conferri; et sacramentum matrimonii cum in legitimo matrimoniali contractu consistat, qui a Christo elevatus fuit ad conferendam gratiam sanctificantem, contrahentes ipsos habet ministros.

Sit itaque pro catholica doctrina contra hæreticorum errores vindicanda

THESIS XV.

Minister sacramentorum homo est, non angelus, sive bonus, sive malus. Attamen, Baptismo et Matrimonio exceptis, non quilibet homo, etiam baptizatus, potestatem habet ut valide sacramenta conficiat, sed is solum qui rite in Ecclesia ordinatus est.

Prob. 1ma *pars.* Ex Scripturis constat Christum potestatem sacramenta ministrandi seu conficiendi dedisse hominibus, non angelis. Ergo.—Ant. patet, nam ad solos homines Christus dixit: "Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos" (Matt. XXVIII. 19.): "Accipite Spiritum Sanctum; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis" (Joan. XX. 22.); "hoc facite in meam commemorationem" (Luc. XXII. 19.). Item Apostolus (I. ad Cor. IV. 1.) non alios sacramentorum ministros, quam homines designat: "Sic nos existimet homo ut ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei;" et in Epistola ad Ephesios postquam de Christo dixerit (IV. 8.): "Ascendens in altum captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus," subjungit (V. 11.), "et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem prophetas, alios vero evangelistas, alios autem pastores et doctores, ad consummationem sanctorum, in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi."

Traditionis testimonia afferre opus non habemus; res enim est apertissima, et pro omnibus Chrysostomus[1] loquitur: "Qui terram incolunt, in eaque commorantur, ad ea quæ in cœlis sunt dispensanda, commissi sunt, potestatemque acceperunt quam neque angelis, neque archangelis dedit Deus."

Convenienter autem homines constitutos fuisse, non angelos, ad sacra-

[1] De sacerdotio, l. 3. n. 5.

mentorum ministrationem, ostendi potest 1.—quia Christus ut homo institutor est sacramentorum et minister primarius; ideoque decet eum ministros secundarios in sacramentis conficiendis habere in natura conformes, ut ipse melius in ministerio repræsentetur, 2.—quia cum hominibus ministranda sint sacramenta, ad proportionem servandam requiritur ut eorum ministri sint solum homines.

Prob. 2[da] *pars*, brevissime, utpote quæ speciali demonstratione evincitur in Tractatu de Ordine et in Tractatibus specialibus de sacramentis singulis, Baptismo et Matrimonio exceptis.

Et jam *ex citatis Scripturarum* locis deduci potest. Etenim non ad fideles omnes sed ad Apostolos tantum verba illa Christi diriguntur: "Accipite Spiritum Sanctum; quorum remiseritis peccata remittuntur eis, et quorum retinueritis retenta sunt;" similiter Apostolis, non omnibus Christianis, mandavit Christus ut Eucharistiam consecrarent in sui commemorationem: et S. Paulus diversa officia, diversaque dona in opus ministerii, ad consummationem sanctorum in ædificationem corporis Christi docet non omnibus promiscue fidelibus, sed aliquibus tantum esse concessa. Eamdem doctrinam inculcat Apost. in Ep. ad Rom. XII., ubi ex comparatione inter corpus quod natura habemus, et corpus Christi mysticum seu Ecclesiam, statuit homines in Ecclesia Christi diversa ministeria habere et diversas potestates. "Sicut enim," ait (XII. 4–8.), "in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent: ita multi unum corpus sumus in Christo, singuli autem, alter alterius, membra. Habentes autem donationes secundum gratiam, quæ data est nobis, differentes: sive prophetiam secundum rationem fidei, sive ministerium in ministrando, sive qui docet in doctrina, qui exhortatur in exhortando, qui tribuit in simplicitate, qui præest in sollicitudine, qui miseretur in hilaritate." Et in Ep. I. ad Corinthios, (XII. 14–20.) utens eadem similitudine ait: "Nam et corpus non est unum membrum, sed multa. Si dixerit pes: Quoniam non sum manus, non sum de corpore: num ideo non est de corpore? Et si dixerit auris: Quoniam non sum oculus, non sum de corpore: num ideo non est de corpore? Si totum corpus oculus: ubi auditus? Si totum auditus: ubi odoratus? Nunc autem posuit Deus membra, unumquodque eorum in corpore, sicut voluit. Quod si essent omnia unum membrum, ubi corpus? Nunc autem multa quidem membra,

unum autem corpus;" et concludit: "Vos autem estis corpus Christi et membra de membro.... Numquid omnes Apostoli? Numquid omnes Prophetæ? Numquid omnes Doctores?"

Concilium Nicænum I., canone 18. ait: "Pervenit ad Sanctum Magnum Concilium, quod in quibusdam locis et civitatibus Presbyteris gratiam sacræ Communionis Diaconi porrigant; quod nec regula, nec consuetudo tradit, ut ab his qui potestatem non habent offerendi, illi qui offerunt, Christi corpus accipiant." Et Concilium Lateranense IV. sub Innocentio III. cap. 1. de fide catholica, habet: "Hoc itaque sacramentum [Eucharistiæ] nemo potest conficere, nisi sacerdos qui fuerit rite ordinatus secundum claves Ecclesiæ, quas ipse concessit Apostolis et eorum successoribus Jesus Christus."

Probatur demum ex *perpetua praxi* Ecclesiæ, quæ innumeris factis apparet; ex quibus pro re præsenti hæc tantum omnibus notissima commemorasse satis erit. Immanissima saeviente persecutione presbyteri cum maximo periculo vitæ submittebantur in carceres ut sacrum ibi peragerent et sanctos fidei athletas communione corporis et sanguinis Christi reficerent, ac roborarent: et semper ac de sacramentorum valore dubium oriebatur, baptismo et matrimonio exceptis, sollicite præsules inquirebant utrum qui sacramenta contulerant, rite in Ecclesiæ ordinati fuerint, necne.

Contra catholicam fidem, quam defendimus, objiciebat Lutherus verba Petri qui (Ep. I. II. 5.) christianos appellat *sacerdotium sanctum*, et (v. 9.) ad omnes Christianos hæc alia verba dirigit: "Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis; ut virtutes annuntietis ejus qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen suum."—Sed S. Petrum loqui de spirituali sacerdotio, quo offertur Deo spirituale sacrificium, nempe quodcumque opus bonum, quod latiori significatione sacrificium dicitur, manifestum est 1. ex ipsis verbis Apostoli in locis objectis; ait enim (v. 5.): "Et ipsi tamquam lapides vivi superædificamini, domus spiritualis, sacerdotium sanctum, offerre spirituales hostias, acceptabiles Deo per Jesum Christum."—2. Quia ea ratione qua omnes fideles vocantur sacerdotes, dicuntur etiam reges; et tamen omnes proprie non sunt reges, sed lato sensu, quatenus ad cœlestis regni hæreditatem vocati sunt, et in hac vita pravis cupiditatibus dominari debeant. Multis sæculis ante exortam Lutheranam

hæresim, S. Augustinus exponens hunc locum Apocalypsis (xx. 6.): "Erunt sacerdotes Dei et Christi, et regnabunt cum illo mille annis," aiebat:[1] "Non utique de solis episcopis et presbyteris dictum est, qui proprie jam vocantur in Ecclesia sacerdotes; sed sicut omnes Christianos dicimus propter mysticum Chrisma, sic omnes sacerdotes, quoniam membra sunt unius sacerdotis: de quibus Apostolus Petrus, 'Plebs,' inquit, 'sancta, regale sacerdotium.'"

Difficultas ex libro *de Exhortatione Castitatis*, quem Tertullianus cum jam in hæresim dilapsus fuerat conscripsit, in Tractatu de Ordine solvitur. Et similiter ceteris, quæ objici possunt, responsum suo loco dabimus de sacramentis in specie tractaturi.

ARTICULUS SEPTIMUS

De fide et probitate ministri.

Sacramentorum minister, potestate sibi a Christo collata, et nomine Christi, conficit sacramenta; verum, ut hanc potestatem habeat, et valide sacramenta conficiat, debetne minister versari in statu gratiæ, vel cum Christo conjungi saltem per fidem, ita ut nonnisi justis, vel saltem fidelibus, valida sacramentorum Ecclesiæ ministratio a Christo commissa fuerit? Huic quæstioni mox respondebimus, nonnullis ex historia præmissis ad rectam definitionum fidei intelligentiam et ad præcavendas difficultates necessariis.

Anno 255., consultus a decem et octo episcopis Numidiæ de hæreticis et schismaticis ad Ecclesiam redeuntibus, utrum denuo baptizari deberent, S. Cyprianus, cum triginta et uno episcopis in Synodo congregatis, respondit: "Neminem foris baptizari extra Ecclesiam posse, cum sit Baptisma unum in Ecclesia sancta constitutum;" indeque docuit: "Quare qui cum Domino sumus, et unitatem Domini tenemus, et secundum ejus dignationem sacerdotium ejus in Ecclesia administramus, quæcumque adversarii ejus et Antichristi faciunt repudiare et rejicere et pro prophanis habere debemus; et eis qui de errore et pravitate venientes, agnoscunt unius Ecclesiæ veram fidem, dare illis per omnia

[1] De Civ. Dei l. 20. c. 10.

divinæ gratiæ sacramenta, unitatis et fidei veritatem."—S. Cyprianum, aliosque Africanos antistites cum Cypriano sentientes, præter rationes quasdam speciem veri præseferentes,[1] movebat ad hanc sententiam amplectendam, auctoritas Agrippini Carthaginiensis Episcopi: hic enim antea eamdem doctrinam "cum ceteris coepiscopis suis, qui illo tempore in provincia Africa et Numidia Ecclesiam Dei gubernabant, statuit, et librato Concilii communis examine firmavit."[2]

Verum responsioni datæ a Cypriano non omnes in Africa Episcopi acquiescebant; quapropter Quinto in Mauritania Præsuli iterum de eadem re interroganti, alteram Cyprianus epistolam mittit, et regulam a se præscriptam confirmari procurat nova septaginta et unius episcoporum declaratione:[3] imo et ad Stephanum summum Pontificem synodicam Epistolam scribit, et duos episcopos legatos mittit, nihil dubitans quin sententiæ suæ Pontifex accederet, et suprema auctoritate, qua in Ecclesia pollebat, quod actum fuerat roboraret.

Ut legati pervenerunt Romam, Stephanus doctrinæ fidei et antiquæ Traditionis custos, de controversia quæ in africana Ecclesia agitabatur summopere dolens, eos neque auditu neque aspectu dignatus, repulit, Cypriano, ejusque episcopis rescribens celeberrimum illud effatum: "*Si quis ergo a quacumque hæresi venerit ad nos, nihil innovetur* (nihil scilicet erga eum de novo fiat) *nisi quod traditum est, ut manus illi imponatur in pœnitentiam.*"[4] Quinimmo Cypriano, et episcopis ei adhæren-

---

[1] S. Augustinus non diffitetur firmas aliquando visas sibi fuisse rationes quibus S. Cyprianus opinionem suam defendebat. "Quid ad Jubaianum," inquit (l. 3. de Baptismo, c. 4.), "scripserit Cyprianus, jam legi et profecto iissem in eamdem sententiam, nisi me ad diligentiorem considerationem revocaret tanta auctoritas Ecclesiæ."

[2] S. Cyp. Ep. 71. ad Quintum. [3] V. S. Cyp. Ep. 72. ad S. Stephanum.

[4] V. Cyp. Ep. 74. ad Pompeium.

Non defuerunt qui, præter catholicos, cum Launojo, Dupinio, aliisque e gallicanorum numero auctoribus, arguerent ex hac Pontificis responsione illum in oppositum errorem fuisse lapsum, hæreticorum baptismum dicendo validum, sive illorum qui legitimam formam servarent, sive aliorum qui verba formæ corrumperent et sensum.

At prorsus immerito; nam Stephanum per hæc: *ex quacumque hæresi, etc.* in suo decreto non eos comprehendisse hæreticos, qui formam, sive expressam SS. Trinitatis invocationem, in Baptismo non retinerent, 1.—ex Firmiliano et Cypriano perspicuum fit; ex priore, quia Firmilianus (Ep. ad Cyp. n. 9.) de Stephani decreto ait: "Illud quoque absurdum quod non putant quærendum esse quis sit ille qui baptizaverit, eo quod qui baptizatus sit gratiam consequi poterit invocata trinitate nominum Patris, et Filii, et Spiritus Sancti." Ex altero, quia idem asserit Cyprian. Ep. ad Pompeium n. 5. loquens de Stephano: "Aut si effectum Baptismi majestati nominis (scilicet invocationi SS. Trinitatis) tribuunt, ut qui in nomine (sive auctoritate) Jesu Christi,

tibus minatus est excommunicationem, nisi resipiscerent; et similiter mandavit Firmiliano Cæsareensi, aliisque episcopis Orientalibus qui in eodem errore Cypriano erant socii.

Verba Stephani Pontificis non continebant definitionem fidei, sed præceptum *traditæ disciplinæ* inviolabiliter servandæ, quæ pro fundamento habet doctrinam fidei postea directe definitam. Tunc enim, ut ait S. Augustinus, "nondum erat diligenter illa baptismi quæstio pertractata, sed tamen *saluberrimam consuetudinem tenebat Ecclesia* in ipsis quoque schismaticis et hæreticis corrigere quod pravum est, non iterare quod datum est." [1] Hanc saluberrimam consuetudinem Romanus Pontifex servari præcepit, quin per se definiret non esse in ministro fidem necessariam ad baptismi validitatem.

Nec S. Cyprianus tamquam fidei veritatem declaraverat in Synodis hac de re habitis nullum esse baptismum hæreticorum; aut definitionem dogmatis a S. Stephano petierat: sed solum sententiam suam circa id quod nondum ab omnibus fide credendum erat proposuit, disciplinarem regulam in africana Ecclesia servandam præscripsit, et approbationem ejusdem regulæ obtinere speravit a sede apostolica.

Id evincitur clarissime ex ipsa Epistola synodica S. Cypriani [2] ad Papam S. Stephanum : "Hæc ad conscientiam tuam," ait, "frater carissime, et pro honore communi, et pro simplici dilectione pertulimus, credentes etiam tibi pro religionis tuæ et fidei veritate placere, quæ et

---

ubicumque et quomodocumque baptizantur, innovari et sanctificari judicentur." Ergo utroque Stephani quidem adversario teste, ejus decretum de omnibus loquitur hæreticis, at formam retinentibus, ut ratum velit Baptisma, quicumque hæreticus illud contulerit, modo formam servarit. 2.—Ex S. Augustino, qui passim in Libris contra Donatistas ait, a S. Stephano antiquam Ecclesiæ consuetudinem vindicatam fuisse ; at nunquam ea Ecclesiæ fuit consuetudo, ut baptizatos ab hæreticis formam non servantibus reciperet, sine Baptismi collatione nova. 3.—Ex eo quod tota Stephanum inter et rebaptizantes controversia nonnisi de fide ministri fuit, nullatenus de Baptismi forma, ut constat ex rebaptizantium argumentis, quæ infra referemus ; ergo decretum Stephani tantum fidem ministri, non formam sacramenti respicit. 4.—Ex ipsis Stephani verbis, *nihil innovetur, nisi quod traditum est ;* ex quibus sic argumentamur : semper in Ecclesia traditum fuit non promiscùe omnium hæreticorum baptismum validum esse, sed illum unice qui baptismi præceptis a Christo verbis collatus fuerit. Ergo comma illud quod in responso Pontificis invenitur "*ex quacumque hæresi*" limitatur per hoc aliud comma "*quod traditum est;*" et Stephani verba catholicum sensum referunt, nimirum, baptismum ab illis hæreticis datum esse validum, qui verborum formam a Christo pro baptismo institutam retinent, nullum vero esse baptismum ab hæreticis collatum, in cujus administratione forma integra non servaretur.

[1] De Bapt. l. 2. c. 7. n. 12. [2] S. Cyp. Ep. 72. apud Migne. P. L. t. 3. p. 1087.

religiosa pariter et vera sunt. Ceterum scimus quosdam quod semel imbiberint nolle deponere, nec propositum suum facile mutare, sed *salvo inter collegas pacis et concordiæ vinculo*, quædam propria quæ apud se semel sint usurpata retinere. Qua in re nec nos vim cuiquam facimus, aut legem damus, cum habeat in Ecclesiæ administratione voluntatis suæ arbitrium liberum unusquisque præpositus, rationem actus sui Domino redditurus." Et similiter S. Antistes de baptismi quæstione loquens in Concilio Carthaginiensi tertio, quod ipse post decretum summi Pontificis convocaverat, "superest," inquit, "ut de hac ipsa re singuli quid sentiamus proferamus, neminem judicantes, aut a jure communionis aliquem, si diversum senserit, amoventes."—Idem sensus Firmiliani fuerat; qui, Epistola ad Cyprianum,[1] dum probare conatur Stephanum injuste excommunicationem comminatum fuisse, appellat (n. 6.) ad consuetudines Ecclesiarum differentes, quæ servari possunt in vinculo pacis, inter quas adnumerandam esse putabat illam de baptismo redeuntibus ab hæresi conferendo. "Eos autem qui Romæ sunt non ea in omnibus observare," dicit, "quæ sint ab origine tradita: et frustra Apostolorum auctoritatem prætendere scire quis etiam inde potest, quod circa celebrandos dies paschæ et circa multa alia divinæ rei sacramenta videat esse apud illos aliquas diversitates, nec observari illic omnia æqualiter quæ Hierosolymis observantur, secundum quod in ceteris quoque plurimis provinciis multa pro locorum et nominum diversitate variantur, nec tamen propter hoc ab Ecclesiæ catholicæ pace atque unitate aliquando discessum est."

Anno 257., S. Stephanus in persecutione Valeriani martyrio coronatus fuit, et eodem anno ad Cathedram Romanam Sixtus II. evectus est.

Paulo post, anno 258., ipse Cyprianus palmam martyrii retulit, et *merito*, ait S. Augustinus,[2] *in Ecclesia catholica tanti honoris celsitudinem meruit, cujus concordissimum vinculum tanta humilitate servavit.* Quin etiam forte, ut idem S. Augustinus docet,[3] tanto viro non recte fieri quod contendebat "propterea Dominus non aperuit, ut ejus pia et humilitas et caritas in custodienda salubriter Ecclesiæ pace patesceret, et non solum illius temporis Christianis, sed etiam posteris ad medicinalem, ut ita dicam, notitiam signaretur. . . . Minus ergo ille penetravit, ut cerneret secretum abditum sacramenti: sed si sciens omnia sacramenta,

---

[1] Migne, P. L. t. cit. p. 1202. [2] Serm. 312. n. 6. [3] De baptismo l. 2. c. 18.

caritatem non haberet, nihil esset. Cum autem minus illud perspiciens, hanc tamen humiliter, fideliter, fortiter custodivit, ad martyrii coronam meruit pervenire: ut si qua in ejus lucidam mentem ex humana conditione nebula irrepserat, gloriosa serenitate fulgentis sanguinis fugaretur."

S. Cyprianus videtur errorem suum ante mortem deseruisse; quamvis id non sit omnino certum, cum correxisse falsam sententiam, quam defenderat, in suis aut in Concilii litteris, ut S. Augustinus fatetur,[1] non inveniatur. "Non incongruenter tamen," addit, "de tali viro existimandum est quod correxerit, et fortasse suppressum sit ab eis, qui hoc errore nimium delectati sunt, et tanto velut patrocinio carere noluerunt." Verum "et si litteræ tacent, merita clamant; si Epistola non invenitur, corona testatur; si Concilium non indicat Episcoporum, consortium indicat Angelorum." [2]—Idem affirmari debet de Firmiliano, quem Ecclesia græca inter sanctos constanter coluit.

Post mortem S. Cypriani ferme omnes Africani Episcopi victas dederunt manus, et S. Hieronymus [3] diserte asserit: "Illi ipsi Episcopi qui rebaptizandos hæreticos cum eo [Cypriano] statuerant, ad antiquam consuetudinem revoluti, novum emisere decretum."

Jam in Africa rebaptizantium nullum amplius fuisset vestigium initio sæculi IV., nisi Donatistæ eorum errorem renovassent et illi novos addidissent. Donatistæ enim, nomine sumpto a celebri sectæ patrono, Donato a Casis nigris, contendebant sacramenta ab improbis, vel saltem, doctrinam nonnihil in fine emollientes, a peccatore publico collata, esse prorsus nulla.

Concilium Arelatense I. anno 314. habitum, canone 8. decrevit: "De Afris, quod propria lege sua utuntur, ut rebaptizent, placuit, ut si ad Ecclesiam aliquis de hæresi venerit, interrogent eum symbolum; et si perviderint eum in Patre et Filio et Spiritu Sancto esse baptizatum, manus ei tantum imponatur, ut accipiat Spiritum Sanctum. Quod si interrogatus non responderit hanc Trinitatem, baptizetur."—Synodus Œcumenica Nicæna I. anno 325., can. 8. statuit: "De his qui se Catharos, id est puros quandoque nominant, ad Catholicam autem et Apostolicam Ecclesiam accedunt, sanctæ magnæ Synodo visum est, ut

---

[1] Ep. 93. alias 48. ad Vincentium c. 10.

[2] S. Augustinus, de baptismo, l. 2. c. 5.

[3] Dial. adversus Luciferianos, n. 23.

impositis eis manibus sic in clero maneant." Et canone 19.: "De Paulianistis, qui deinde ad Ecclesiam confugerunt, statutum est, ut ii omnino rebaptizentur. Si qui vero, tempore præterito, in clericorum numero erant, si quidem a culpa et reprehensione alieni visi fuerint, rebaptizati ordinentur a catholicæ Ecclesiæ episcopo."[1] Rationem discriminis Paulianistas inter et Catharos [Novatianos] assignat Innocentius I., Ep. 17. ad Episcopos Macedoniæ. "Idcirco distinctum esse," inquit, "ipsis duabus hæresibus, ratio manifesta declarat, quia Paulianistæ in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti minime baptizant; et Novatiani iisdem nominibus tremendis venerandisque baptizant, nec apud istos de unitate potestatis divinæ, hoc est Patris et Filii et Spiritus Sancti quæstio aliquando mota est."[2]

Donatistarum doctrinam, quam simul cum aliis erroribus instauraverant, sæculo XII., Waldenses, Joannes Wicleff, oxoniensis, sæculo XIV. professus est, docens: "Si Episcopus, vel sacerdos existat in peccato mortali non ordinat, non conficit, non baptizat." Hæc autem propositio, quarto loco extat inter articulos Wikleffii damnatos a Concilio Constantiensi et Martino V. per Bullam: "Inter Cunctas," 8. Calend. Martii 1418., et Bullam "In eminentis" ejusdem diei.[3]

Concilium Tridentinum, quoad ministri sacramentorum fidem, sessione septima, de Baptismo, canone quarto, definivit: "Si quis dixerit, Baptismum, qui etiam datur ab hæreticis in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, cum intentione faciendi quod facit Ecclesia, non esse verum baptismum, anathema sit."—Hinc fidem ministri non esse necessariam ad sacramenti valorem, certum est certitudine fidei si agitur de baptismo; si vero de aliis sacramentis est sermo, non idem pro omnibus est responsum. Quoad valorem Confirmationis et Ordinationis fidem non esse necessariam in ministro certum quidem est, ait Sardagna,[4] adeo ut erroneum ac temerarium merito censeatur id negare; sed certum non est certitudine fidei, cum in nullo Concilio id clare definitum fuerit, atque nonnulli ex antiquioribus theologis,—quibus suffragantur Maldonatus pro sacramento Confirmationis et Morinus etiam pro sacramento Ordinis—de eorum validitate dubitaverint, vel etiam asseruerint hæc sacramenta ab hæreticis Episcopis collata irrita fuisse ex lege Ecclesiæ.

[1] V. Denzinger, Enchirid. p. 12. et 13.
[2] V. Denzinger, op. cit. p. 23.
[3] V. op. cit. p. 186.
[4] De sacram. in gen. a. 1. controv. 7.

Ad pœnitentiæ sacramentum quod attinet, id ab hæreticis manifestis et excommunicatis vitandis administrari valide nequit extra casum necessitatis: nam ad modum judicii institutum est a Christo, ac proinde ministro tamquam iudici, ad judicium ferendum et ad absolvendum pœnitentem, necessaria est jurisdictio, qua penitus destitutus est manifestus hæreticus. Verum in casu necesitatis ab hæretico etiam et excommunicato ministro recipi potest sacramentum pœnitentiæ, quia, ut ait Tridentinum, "in Ecclesia Dei semper custoditum fuit, ut nulla sit reservatio in articulo mortis," [1] et nequit cedere in detrimentum suscipientium, quod est tantummodo pœna ministrantium.—Relate ad Matrimonium diligenter adnotetur sacramentum hoc in contractu matrimoniali consistere, a Christo Domino evecto ad dignitatem signi sacramentalis; quare matrimonii sacramentum tum est validum quando conditiones ad validitatem contractus matrimonialis necessariæ impletæ sunt. Porro Ecclesia, si id expedire videretur, sicut sanxit invalidum esse matrimonialem contractum usque ad quartum gradum inter consanguineos, statuere posset irritum fore si inter catholicam fœminam, ex. gr. et hæreticum celebraretur. In hoc casu necessaria foret ministri fides ad sacramenti valorem, nam matrimonii ministri sunt contrahentes.

Quidam scholastici veteres, inter quos Magister Sententiarum (l. 4. dist. 13.), censuerunt Eucharistiam ab hæreticis manifeste notatis et ab excommunicatis non posse confici: sed hanc paucorum antiquiorum doctorum sententiam, communiter jam ante Tridentinum Concilium improbatam, sancta Synodus omnino falsam et rejiciendam pronuntiavit, dum docuit(sess. 22. cap. 1.) hostiam, quæ in altari offertur, nulla indignitate aut malitia offerentium inquinari posse: ea de re tamen explicitam non edidit fidei definitionem. Et similiter expressa definitio fidei lata non fuit quæ declararet necessariam in ministro non esse fidem ut valide sacramentum Unctionis extremæ conficere possit.

Hæc hæreticos sacramenta conficientes spectant: quoad illos vero, qui, fide non negata, in statu peccati sacramenta conficerent, Concilium Tridentinum in sessione septima, canone duodecimo de sacramentis in genere, clarissima definitione fidei, pro omnibus omnino sacramentis, decrevit: "Si quis dixerit, ministrum in peccato mortali existentem, modo omnia essentialia, quæ ad sacramentum conficiendum aut confe-

[1] Sess. 14. cap. 7.

rendum pertinent, servaverit, non conficere aut conferre sacramentum, anathema sit."

Thesi unica probamus simul probitatem aut fidem in ministro ad conficienda valide sacramenta non esse necessariam; utraque enim veritas iisdem argumentis defendenda est: quinam autem gradus certitudinis alterutri attribui debeat, ex nuperrime dictis intelligitur.

THESIS XVI.

Nec gratiæ status in ministro nec fides requiritur ut valide sacramentum conficere possit.

I. Argumentum ad thesim demonstrandam non minus efficax quam apertum ex *Traditione* eruitur, et sic se habet:—Ecclesia ab initio semper tenuit sacramentorum valorem non pendere a fide et sanctitate ministri. Ergo.

Antecedens invictissimis Patrum testimoniis et documentis ecclesiasticis comprobatur. Itaque citamus primo ipsum decretum Stephani Papæ I. qui nonnisi Traditionem perpetuam appellat adversus errorem rebaptizantium: "Si quis a quacunque hæresi venerit ad nos, nihil innovetur, nisi quod traditum est, ut manus illi imponatur in pœnitentiam." Addit etiam Pontifex: "Cum et ipsi hæretici proprie, alterutrum ad se venientes non baptizent, sed communicent tantum:" quasi dicat, tam altas egit radices Traditio non rebaptizandi, tantaque ab omnibus veneratione recepta est, ut ne ipsi quidem hæretici infringere illam audeant.

S. Augustinus universalem Ecclesiæ Traditionem passim et disertissime commemorat in libris suis contra Donatistas. Pauca referam ex libro 2. de Baptismo. "Saluberrimam consuetudinem," ait S. Doctor,[1] "tenebat Ecclesia in ipsis quoque schismaticis et hæreticis corrigere quod pravum est, non iterare quod datum est; sanare quod vulneratum est, non curare quod sanum est. Quam consuetudinem credo ex apostolica Traditione venientem (sicut multa quæ non inveniuntur in litteris eorum, neque in Conciliis posteriorum, et tamen quia

[1] c. 7. n. 12.

per universam custodiuntur Ecclesiam, nonnisi ab ipsis tradita et commendata creduntur): hanc ergo saluberrimam consuetudinem per Agrippinum prædecessorem suum dicit sanctus Cyprianus quasi cœpisse corrigi. Sed sicut diligentius inquisita veritas docuit, quæ post magnos dubitationis fluctus ad plenarii Concilii confirmationem perducta est, verius creditur per Agrippinum corrumpi cœpisse, non corrigi."

Consuetudinem Ecclesiæ immutari cœpisse ab Agrippino fatetur ipse Cyprianus, ut S. Augustinus[1] animadvertit. "Hanc autem fuisse," inquit, "consuetudinem Ecclesiæ, quæ postea multis discussis ambagibus perspecta veritate plenario Concilio confirmata est, satis ostenditur et ipsius beati Cypriani verbis in eadem ad Jubaianum Epistola, quæ in Concilio lecta memoratur. Ait enim: 'Sed dicit aliquis, Quid ergo fiet de iis qui in præteritum de hæresi ad Ecclesiam venientes, sine Baptismo admissi sunt?' Ubi certe quid fieri soleret, etsi non fieri vellet, satis ostendit; et eo ipso quod Concilium Agrippini commemorat, aperte indicat fuisse aliam consuetudinem Ecclesiæ. Neque enim opus erat hoc Concilio velle statuere, si jam consuetudine tenebatur: et in ipso Concilio nonnullæ sententiæ omnino declarant, eos contra Ecclesiæ consuetudinem decrevisse, quod decernendum esse arbitrati sunt."

Et merito S. Augustinus dicit in Concilio Carthaginiensi, a S. Cypriano tertia vice in causa rebaptizantium convocato, sententias nonnullas inveniri quæ fidem faciunt de Traditione antiquissima Ecclesiæ pro valore sacramenti ab hæretico aut ab improbo ministro accepti, quia in eodem opere, libro tertio,[2] quorumdam Episcoporum in illo Concilio considentium collectis sententiis, ostendit eos compulsos fuisse ex evidentia veritatis eamdem traditionem confiteri. Sic, ex. gr. refert verba Libosi Vagensis, et ex illis testimonium obtinet pro veritate catholica. Hæc sunt S. Doctoris, verba: "Dicit et Libosus Vagensis: *In Evangelio Dominus 'Ego sum, inquit, 'veritas:' non dixit, ego sum consuetudo. Itaque veritate manifestata, cedat consuetudo veritati.*" Plane quis dubitet veritati manifestatæ debere consuetudinem cedere? Sed de manifestata veritate mox videbimus: nunc tamen et iste aliam consuetudinem fuisse manifestat."

Hujus consuetudinis testis est auctor libri *de rebaptismate* anonymus, Cypriano coævus. "In quo genere," inquit,[3] "quæstionis, ut mihi vide-

1) L. cit. c. 9. n. 14. 2) cc. 5. 6. 7. 8. 9. 3) Migne P. L. t. 3. p. 1233.

tur, nulla omnino potuisset controversia aut disceptatio emergere, si unusquisque nostrum contentus venerabili Ecclesiarum omnium auctoritate et necessaria humilitate nihil innovare gestiret, cum locum contradictioni non quemlibet animadverteret. Namque omne quod et anceps et ambiguum et in diversis sententiis prudentium ac fidelium virorum constitutum est, contra priscam et memorabilem cunctorum emeritorum sanctorum et fidelium solemnissimam observationem judicatur, damnari utique debet."

Sed et ipse Firmilianus hæreticorum baptizandi morem apud Afros novum ultro agnoscit. Quod autem," ait,[1] "pertinet, ad consuetudinem refutandam, quam videntur opponere veritati, quis tam vanus sit ut veritati consuetudinem præferat, aut qui, perspecta luce, tenebras non derelinquat? Nisi si et Judæos, Christo adventante, id est veritate, adjuvat in aliquo antiquissima consuetudo, quod, relicta nova veritatis via, in vetustate permanserint. Quod quidem adversus Stephanum vos dicere, Afri, potestis, cognita veritate, errorem vos consuetudinis reliquisse."—Addit utique in regione sua consuetudinem aliam invaluisse, imo eam esse a Christo et ab Apostolis; sed assertionem hanc Firmilianus eo minus probatione firmat, quod ipsemet eam, paucis verbis interjectis, statim infirmat. "Plane," inquit, "quoniam quidam de eorum baptismo dubitabant qui, etsi non ut nos prophetas recipiunt, eosdem tamen Patrem et Filium nosse nobiscum videntur, plurimi simul convenientes in Iconio, diligentissime tractavimus et confirmavimus repudiandum esse omne omnino baptisma quod sit extra Ecclesiam constitutum." At si in Oriente tamquam res a Christo et ab Apostolis tradita tenebatur, hæreticorum baptisma repudiandum esse; unde illa nonnullorum dubitatio circa baptismum Montanistarum, qui jam longe antea audiebant hæretici, et eo nomine damnati fuerant? Certe nulla ad nos pervenerunt veterum scripta, quæ traditionis a Firmiliano assertæ veritatem testarentur.

Tantum Dionysius Alexandrinus loquens de hæreticorum baptismo recipiendo: "Didici," ait,[2] "non ab Afris solis hunc morem nunc primum invectum fuisse, sed et multo antea, superiorum Episcoporum temporibus, in Ecclesiis populosissimis, et in Conciliis apud Iconium et Synnada, et apud alios plurimos idem sancitum fuisse." Sed his

[1] Ep. ad Cyp. Migne P. L. t. 3. p. 1318. [2] Apud Euseb. Hist. Eccles. l. 7. c. 7.

verbis, quamvis nihil omittat, studiosus pacis vir ut moris ab Afris inducti antiquitatem exaggeret, nihil tamen profert Iconiensi Concilio, quod Synnadense subsecutum est, vetustius.—Quin etiam in eadem Epistola ad Philemonem, Ecclesiæ Romanæ presbyterum, *de baptismo* scripta, ex qua verba citata desumuntur, statim subjiungit quæ mentem suam patefaciunt: "Quorum sententias [rebaptizantium episcoporum] et statuta subvertere, eosque ad jurgia et contentiones excitare equidem nolim." Quis hæc dixisse S. Antistitem putabit, quæso, si vere per Apostolos a Christo traditum fuisse Dionysius credidisset rebaptizandos esse hæreticos qui, rejecta hæretica pravitate, ad Catholicam venirent Ecclesiam?

Ipse Eusebius, qui litteras S. Dionysii refert, rebaptizantium originem sic enarrat: "Ad hunc Stephanum Dionysius primam earum quæ de baptismo conscriptæ sunt epistolam exaravit, cum per id tempus non mediocris controversia exorta esset, utrum eos qui ex qualibet hæresi convertuntur, baptismo purgari oporteret. Quippe antiqua consuetudo invaluerat, ut in ejusmodi hominibus sola manuum impositio cum precationibus adhiberetur. (Cap. 3.). Primus omnium Cyprianus, qui tunc temporis Carthaginiensem regebat Ecclesiam, non nisi per baptismum ab errore prius emundatos, admittendos esse censuit. Verum Stephanus nihil adversus traditionem, quæ jam inde ab ultimis temporibus obtinuerat, innovandum ratus, gravissime id tulit."[1]

Concludamus ergo demonstrationem factam apostolicæ traditionis de valore baptismi, atque, ex pari ratione, aliorum sacramentorum, quæ ab improbo aut etiam hæretico ministro conferuntur, verbis vere aureis Vincentii Lirinensis[2] hic adjectis:—"Quondam igitur venerabilis memoriæ Agrippinus Carthaginiensis Episc., primus omnium mortalium contra divinum canonem, contra universalis Ecclesiæ regulam, contra sensum omnium consacerdotum, contra morem atque instituta majorum, rebaptizandum esse censebat. Quæ præsumptio tantum mali invexit, ut non solum hæreticis omnibus formam sacrilegii, sed etiam quibusdam Catholicis occasionem præbuerit erroris. Cum ergo undique ad novi-

1) Euseb. Cæsar. Hist. Eccles. lib. 7. cap. 2. et 3.—Notentur hæc præsertim verba: "Ἀλλ᾽ ὅ γε Στέφανος μὴ δεῖν τι νεώτερον παρὰ τὴν κρατήσασαν ἀρχῆθεν παράδοσιν ἐπικαινοτομεῖν οἰόμενος, ἐπὶ τούτῳ διηγανάκτει."

2) Commonitorii primi c. 6.

tatem rei cuncti reclamarent, atque omnes quaquaversum sacerdotes pro suo quisque studio reniterentur, tunc beatæ memoriæ Papa Stephanus Apostolicæ Sedis antistes, cum ceteris quidem collegis suis, sed tamen præ ceteris, restitit, dignum, ut opinor, existimans si reliquos omnes tantum fidei devotione vinceret quantum loci auctoritate superabat. Denique in Epistola quæ tunc ad Africam missa est, his verbis sanxit: 'Nihil novandum nisi quod traditum est.' Intelligebat etenim vir sanctus et prudens nihil aliud rationem pietatis admittere, nisi ut omnia, qua fide a patribus suscepta forent, eadem fide filiis consignarentur; nosque religionem, non qua vellemus ducere, sed potius qua illa duceret sequi oportere; idque esse proprium Christianæ modestiæ et gravitatis, non sua posteris tradere, sed a majoribus accepta servare. Quis ergo tunc universi negotii exitus? Quis utique nisi usitatus et solitus? Retenta est scilicet antiquitas, explosa novitas. Sed forte tunc ipsi novitiæ adinventioni patrocinia defuerunt? Imo vero tanta vis ingenii adfuit, tanta eloquentiæ flumina, tantus adsertorum numerus, tanta verisimilitudo, tanta divinæ legis oracula, sed plane novo ac malo more intellecta, ut mihi omnis illa conspiratio nullo modo destrui potuisse videatur nisi sola tanti moliminis causa ipsa illa suscepta, ipsa defensa, laudata novitatis professio destituisset. Quid postremo? Ipsius Africani Concilii sive decreti quæ vires? Donante Deo, nullæ; sed universa tamquam somnia, tamquam fabulæ, tamquam superflua, abolita, antiquata, calcata sunt. Et, o rerum mira conversio! Auctores ejusdem opinionis catholici, consectatores vero hæretici judicantur; absolvuntur magistri, condemnantur discipuli; conscriptores librorum filii regni erunt, adsertores vero gehenna suscipiet. Nam quis ille tam demens est qui illud sanctorum omnium et Episcoporum et martyrum lumen beatissimum Cyprianum cum ceteris collegis suis in æternum dubitet regnaturum esse cum Christo? Aut quis tam contra sacrilegus qui Donatistas et ceteras pestes, quæ illius auctoritate Concilii rebaptizare se jactitant, in sempiternum neget arsuros esse cum diabolo?"

II. Demonstratio altera catholicæ veritatis de validitate sacramenti ab hæretico collati extat in *decretis Summorum Pontificum*, quæ hac in re traditioni novum exhibent testimonium, et juxta eam quid tenendum sit docent. Præter decretum Innocentii I. quod supra retulimus, satis ad exemplum erunt sequentia:—S. Siricius Papa, Epist. 1.

ad Himerium Episcop. Tarraconens. (c. 1.) scribit: "Prima paginæ tuæ fronte signasti, baptizatos ab impiis Arianis plurimos ad fidem catholicam festinare, et quosdam de fratribus nostris eosdem denuo baptizare velle: quod non licet, cum hoc fieri et Apostolus vetet, et canones contradicant, et post cassatum Ariminense Concilium missa ad provincias a venerandæ memoriæ prædecessore meo Liberio generalia decreta prohibeant."—S. Leo M.[1] ait: "Hanc regulam (ut scitis) servandam in omnibus Ecclesiis prædicamus, ut lavacrum semel initum nulla iteratione violetur, dicente Apostolo: 'Unus Dominus, una fides, unum baptisma.' Cujus ablutio nulla iteratione temeranda est, sed (ut diximus) sola sanctificatio Sancti Spiritus (per impositionem manuum) invocanda est, ut quod ab hæreticis nemo accipit, a catholicis sacerdotibus consequatur."—S. Gregorius M.[2] interogatus, an Nestoriani ad Ecclesiam redeuntes baptizari deberent, respondit: "Ab antiqua Patrum institutione didicimus, ut, qui apud hæresim in Trinitatis nomine baptizantur, cum ad sanctam Ecclesiam redeunt, aut unctione chrismatis, aut impositione manus, aut sola professione fidei ad sinum matris Ecclesiæ revocentur . . . . . quia sanctum baptisma, quod sunt apud hæreticos consecuti, nunc in eis vires emundationis recipit, cum vel illi per impositionem manus Spiritum Sanctum acceperint, vel isti propter professionem veræ fidei, sanctæ et universalis Ecclesiæ visceribus fuerint uniti. Hi vero hæretici, qui in Trinitatis nomine minime baptizantur, sicut sunt Bonosiani et Cataphrygæ et alii tales, cum ad Ecclesiam veniunt, baptizantur, quia baptisma non fuit, quod in errore positi in Trinitatis nomine minime perceperunt."

III. *Conciliorum* ad thesim confirmandam testimoniis, quæ dedimus in prænotatis, addimus tantum, brevitatis causa, Concilium Florentinum, quod in Decreto pro Armenis habet: "In causa necessitatis non solum sacerdos vel diaconus, sed etiam laicus vel mulier, immo etiam paganus et hæreticus baptizare potest, dummodo formam servet Ecclesiæ et facere intendat quod facit Ecclesia."

IV. *Patres* ut ostenderent sacramenta ab hæreticis aut improbis fidelibus collata valida esse rationes et similitudines optimas adhibuerunt, ex quibus nonnullas subjungere placet.

a) Urgebat S. Augustinus contra Donatistas illud (Joan. I. 33.):

[1] Epist. 79. ad Nicet. c. 7.

[2] L. 9. Epist. 61.

"Hic est qui baptizat in Spiritu Sancto," et ex illo arguebat Christum operari in sacramentis, ipsum per sacramenta homines sanctificare: ideoque nullo modo obesse sacramento malitiam ministri, qui nonnisi nomine Christi agit et bona Christi distribuit, non sua. "Cum enim," inquit,[1] "dicimus, Christus baptizat, non visibili ministerio dicimus, sicut putat vel putari cupit nos dicere Petilianus; sed occulta gratia, occulta potentia in Spiritu Sancto, sicut de illo dictum est a Joanne Baptista, 'Hic est qui baptizat in Spiritu Sancto' (Joan. I. 33.). Nec, sicut Petilianus dicit, jam baptizare cessavit; sed adhuc id agit, non ministerio corporis, sed invisibili opere majestatis. Quod enim dicimus, Ipse baptizat, non dicimus, Ipse tenet, et in aqua corpus credentium tingit: sed, Ipse invisibiliter mundat, et hoc universam prorsus Ecclesiam . . . ubi ministri corporaliter videntur operari, ipse abluit, ipse mundat. Nemo ergo sibi arroget quod Dei est: sic certa spes hominum, cum in illo figitur qui fallere non potest: quoniam, 'Maledictus omnis qui spem suam ponit in homine' (Jerem. XVII. 5.); et, 'Beatus cujus est Dominus Deus spes ipsius' (Psal. XXXIX. 5.). Nam dispensator fidelis mercedem accipiet vitam æternam: dispensator autem infidelis, cum cibaria dominica distribuit conservis, absit ut per suam infidelitatem cibaria inutilia faciat."

b) Argumentum aliud desumebat S. Augustinus ex verbis Apostoli: "Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat; sed qui incrementum dat Deus (I. Cor. III. 7.); et simul respondens cavillationi Donatistarum aiebat:[2] "Quod ego ex Apostolo cum in meis litteris posuissem, ita tu respondere voluisti, ut diceres: 'Dei quidem dare est incrementum; sed sicut qui plantat et rigat, non nisi colonus fidelis et diligens quæritur, sic etiam in sacramento Baptismatis nonnisi fidelis et justissimus operarius adhibetur.' Quasi vero quod infidelis colonus plantaverit, propter ejus infidelitatem non germinet vis seminis, et fecunditas terræ cœlique temperies hanc efficaciam divinitus non acceperint, ut ad propagandos fructus plantatorem vel rigatorem operarium tantummodo expectent, qua mente operetur, qua laboret intentione non curent, utrum dominum agri fideliter diligat, an sua non illius lucra conquirat."

c) Eleganti similitudine S. Gregorius Nazianzenus[3] declarat effica-

[1] Contra litteras Petiliani, l. 3. c. 49.

[2] Contra Cresconium Donatistam, l. 3. c. 8.

[3] Orat. 40. in S. Bapt. n. 26.

ciam sacramentorum non pendere a bonitate vel a fide ministri: "Sint," ait, "duo annuli, unus aureus, alter ferreus, atque ambo eamdem Imperatoris imaginem insculptam habeant, ac deinde ceram imprimant. Quid tandem hoc signum ab illo signo differet? Nihil. Materiam in cera internosce. . . . Dic, utrum e duobus signis, aureo scilicet annulo, an ferreo expressum sit, quoque modo unum idemque signum existat. Discrimen enim in materia est, non in signo. Sic tibi quoque omnes, qui baptizandi munere funguntur, idonei habeantur. Quamvis enim alius alium vitæ probitate antecellat, eadem tamen baptismi vis est."—Aliis similitudinibus eamdem veritatem illustrat S. Augustinus:[1] "Qui fuerit superbus minister, cum zabulo computatur. Sed non contaminatur donum Christi, quod per illum fluit purum, quod per illum transit liquidum, venit ad fertilem terram; puta, quia ipse lapideus est, quia ex aqua fructum ferre non potest, et per lapideum canalem transit aqua ad areolas, in canali lapideo nihil generat, sed tamen hortis plurimum fructum affert. Spiritualis enim virtus sacramenti ita est, ut lux, et ab illuminandis pura excipitur, et si per immundos transeat, non inquinatur."—Nec minus apta est alia imago, quæ in re, de qua agimus, adhibetur a Pontifice Nicolao I.[2]: "Mali bona ministrando se tantummodo lædunt; et cerea fax accensa sibi quidem detrimentum præstat, aliis vero lumen in tenebris administrat, et unde aliis commodum exhibet, inde sibi dispendium præbet."

V. Demum *ratione* probamus thesim. Hic autem non contendimus bonitatem aut malitiam ejus qui conficit sacramentum, in nulla hypothesi et præscindendo etiam ab institutione Christi, nihil posse ad sacramenti veritatem et valorem; nam dubium non est, notat Suarez,[3] potuisse Christum ita instituere sacramenta ut ad eorum valorem, tamquam necessariam conditionem postulaverit ministri sanctitatem, aut fidem; nulla enim in hoc est repugnantia. Sed sapientissimam, misericordem et maxime benevolam erga homines voluntatem Christi in sacramentorum institutione consideramus, et ostendimus ex ea voluntate Christum potestatem dedisse ministris suis ut valide conficiant sacramenta independenter ab eorum malitia vel bonitate.

Prima igitur ratio est, quia si secus fecisset perpetua esset hominum

[1] Tract. 5. in Joan. n. 15.

[2] Ad consulta Bulgarorum, c. 71.

[3] 3. p. q. 64. a. 10. disp. 13. s. 4.

incertitudo et anxietas amarissima relate ad sanctificationem et salutem æternam. "Quomodo," quærit S. Augustinus,[1] "securi erunt, si conscientia dantis attenditur, quæ latet oculos accepturi?" Nec dicatur, rationem hanc probabilem quidem esse si peccatores occultos spectet, sed vi carere si respiciat publicos peccatores, præsertim si sint hæretici et schismatici et ab Ecclesia præcisi, nam hi facile vitari possunt, et satis potest Ecclesiæ constare sacramenta ab eis data irrita esse. Sane, si potestas ministrandi sacramenta pendere non debet ex gratia et fide ministri in peccatoribus occultis, neque etiam pendere debet ex fama, vel notitia infidelitatis aut improbitatis ministri,—tum quia hæc notitia valde accidentalis est atque extrinseca;—tum quia quod delictum sit occultum sæpe aggravat malitiam propter simulationem et hypocrisim; —tum quia de hoc ipso maxima esset perplexitas, scilicet qualis deberet esse delicti publicatio, qua posita jam non posset minister valide sacramenta conficere;—tum denique quia interdum accidit peccatum ministri etiam publicum latere eum qui bona fide accedit ad sacramentum.

Sed iterum audiatur S. Augustinus[2] qui ex alio capite demonstrat inanem quoad rem præsentem esse distinctionem inter ministrum *publice* indignum et ministrum *occulte* indignum. "Cum iste [minister] occultus est malus, dic mihi, a quo fit ille [suscipiens sacramentum] innocens? dic mihi, cujus erit arboris fructus? dic mihi de cujus cordis thesauro sanctificabitur baptizatus? Aut si tunc effectorem innocentiæ suæ, tunc arborem de qua fructus bonus nascatur, non hominem ministrum baptismi meretur habere, sed Christum; felicius incidit in ministrum latentem malum, quam si incidisset in manifestum bonum. Quod si absurdissime atque insanissime dicitur, Christi fructus est qui ejus baptismo sanctificatur, cujuslibet ministri opere baptizetur."

Secunda et præcipua ratio hæc est. Si peccator aut hæreticus privaretur potestate conficiendi valide sacramenta, id esset, vel quia hac potestate est indignus;—vel quia Deus non potest, aut Deum non decet, uti homine iniquo ut instrumento ad supernaturalem effectum producendum, nempe ad conferendam gratiam;—vel quia illis, qui recepturi sunt sacramenta, non expedit hujusmodi homines sacramentorum esse ministros. Atqui nihil horum dici potest. Ergo.

Probatur minor per partes. *a*) Nequit primum dici, nimirum ministrum,

---

[1] Contra litt. Petil. l. 1. c. 3.

[2] Contra Cresconium. l. 3. c. 11. n. 14.

quia indignus est, privari potestate valide conficiendi sacramenta; nam peccator, arguit Suarez,[1] indignus est fide, et hæreticus indignus est baptismali charactere et vita et bonis omnibus, quibus juste privari possent et non privantur. Ergo non ideo quia minister est indignus dici debet privatus potestate conficiendi sacramenta valide: præsertim si attendatur potestatem hanc esse ministro collatam propter aliorum utilitatem, et Deum non infrequenter peccatoribus, non obstante eorum indignitate, gratias gratis datas elargiri ex eo quod ad aliorum utilitatem ordinatæ sint.

b) Neque secundum dici potest, nempe peccatorem et hæreticum carere potestate ad conferenda valide sacramenta, quia Deus non potest, vel eum non decet, uti homine iniquo tamquam instrumento ad gratiam conferendam. Etenim quod possit Deus per malum ministrum sanctificare homines, facile declaratur a S. Thoma:[2] "Ministri Ecclesiæ instrumentaliter operantur in sacramentis, eo quod quodammodo eadem ratio est ministri et instrumenti. Sicut autem supra dictum est, q. 62. a. 1. et 4., instrumentum non agit secundum propriam formam aut virtutem, sed secundum virtutem ejus a quo movetur. Et ideo accidit instrumento, in quantum est instrumentum, qualemcumque formam vel virtutem habeat, præter id quod exigitur ad rationem instrumenti; sicut quod corpus medici, quod est instrumentum animæ habentis artem, sit sanum vel infirmum; et sicut quod fistula, per quam transit aqua, sit argentea vel plumbea. Unde ministri Ecclesiæ possunt sacramenta conferre, etiamsi sint mali."

Et si objiciatur, malos esse a Christo præcisos, ideoque non posse instrumenta esse Christi ad sanctificationem, S. Doctor respondet:[3] "Potest aliquis operari per instrumentum carens vita, et a se separatum, quantum ad corporis unionem, dummodo sit conjunctum per quamdam motionem; aliter enim operatur artifex per manum, et aliter per securim. Sic igitur Christus operatur in sacramentis, et per bonos tamquam per membra viventia, et per malos tamquam per instrumenta carentia vita."

Quod autem absolute Deum non dedeceat uti ministro iniquo ad aliorum sanctificationem, patet; quia contra divinam bonitatem non est, imo maxime eam commendat, et cum ea divinam sapientiam atque

[1] l. c. n. 8. [2] 3. p. q. 64. a. 5. [3] Ibid. ad 2.

potentiam, uti quorumdam malitia in bonum multorum; et sic Deus sæpe per verbum hominis peccatoris alios convertit. Præterea Deus, dum malo ministro utitur, apertissime ostendit efficaciam sacramenti a Christo esse, non a ministro, qui tantummodo est veluti alveus per quem fluenta gratiarum Christi ad nos decurrunt.

c) Tertium, nempe non expedire suscipientibus sacramenta ut hæc valide conferri possint a ministro iniquo, nuper falsum esse probavimus; quinimmo demonstravimus quam maxime in bonum hominum cedere potestatem valide sacramenta ministrandi non esse alligatam, tamquam conditioni, ministri bonitati aut fidei.

Difficultates in expositione thesis et in ejus probationibus magna ex parte præoccupavimus: quæ supersunt, et potiores videntur, breviter expediemus.

Objicitur.—1. Hæreticos nullum jus habere in sacramenta, cum extra Ecclesiam maneant, cui concredita fuerunt sacramenta.—*Respondetur*, hæreticos illegitime quidem, sed vere sacramenta Christi possidere, sicut illegitimus possessor rei alienæ jus detinendi illam rem non habet, et tamen vere eam detinet.

2.—Quotquot baptizantur Christum induunt. At qui in hæresi baptizatur induere Christum nequit. Ergo.—*Respond. disting. majorem*, Christum induunt vel, ut aiebat S. Augustinus, usque ad perceptionem sacramenti, vel usque ad sanctificationem in sacramenti susceptione C. Semper usque ad sanctificationem in susceptione sacramenti N.—*Ad minorem, Dist.* qui baptizatur in hæresi nequit induere Christum usque ad perceptionem sacramenti N. Nequit induere Christum usque ad sanctificationem in susceptione sacramenti, *Subd.* Si et ipse sit hæreticus, quia tunc obicem ponit gratiæ, quam secus per sacramentum reciperet, et quam recipiet, remoto obice C. Si hæreticus non sit, et nullum obicem gratiæ ponit N.—Sub datis distinctionibus, negatur Cons.—Semper ergo ille qui ab hæretico baptizatur sacramentum recipit; gratiam vero sacramenti in ipsa baptismi susceptione tum solum non recipit cum obicem ponit; at sacramentum tunc quoad suscipientis sanctificationem effectu frustratur non ratione hæretici ministri, verum ratione peccati ejusdem suscipientis, quo remoto, sacramentum habet etiam effectum suum sanctificationis.

3.—Sicut unus est Deus, una fides et una Ecclesia, ita unus est

baptismus.—Ergo extra Ecclesiam verus non est baptismus. Prob. conseq. Si esset verus extra Ecclesiam baptismus, vel hic esset idem baptismus qui est in Ecclesia, vel esset diversus a baptismo Ecclesiæ; at nequit esse diversus, secus jam duo forent baptismi; nequit esse idem, quia Ecclesia est *hortus conclusus,* et *fons signatus,* ac proinde qui foras est minime potest illum hortum ingredi et bibere ex illo fonte, seu habere baptismum Ecclesiæ. Ergo.—*Resp. Conc. Ant., neg. Cons.* Ad probationem, dicimus baptismum hæreticorum, si ritu præscripto administretur, eumdem esse ac catholicorum, numero tantum diversum: uterque enim eumdem habet auctorem Christum et pertinet ad eamdem Ecclesiam Christi, quæ hortus quidem conclusus est et fons signatus, habita ratione effectus salutaris qui obtineri extra illam non potest ab iis qui hæresi aut schismati consentiunt, sed non ratione habita ipsius sacramenti. Bibere de illo fonte, quatenus per hoc significatur valida collatio sacramenti, possunt etiam hæretici et schismatici, extra Ecclesiam, sicut peccatores intra Ecclesiam.

4.—Script. dicit: "Ab immundo quis mundabitur?" (Eccl. XXIV. 4.); et "Qui baptizatur a mortuo, et iterum tangit eum, quid proficit lavatio illius?" (ibid. 30.).—*Resp. ad primum textum,* et similes qui objiciuntur, ab immundo nemo utique mundari posset si virtute et merito illius mundari deberet; sed non ita res se habet, cum immundus minister non virtute sua mundet sed Christi, qui per eum operatur ac eo utitur ut instrumento, non quidem prout immundus, seu peccator est, sed ut est homo. *Ad secundum testimonium,* respondemus illud nullo modo attingere rem præsentem. Sermo ibi est de cæremoniis, quibus Judæi in lege veteri utebantur ad detergendas immunditias legales; quocirca sensus testimonii objecti est, qui baptizatur ut mundetur ab immunditia quam contraxit ex contactu mortui, et iterum tangit mortuum, nihil ei prodest ablutio.

5.—Objicitur auctoritas Canonum Apostolicorum, quorum 45. sic præcipit: "Episcopum vel presbyterum, qui hæreticorum baptismum vel sacrificium admiserit, deponi jubemus." Et canon 46.: "Episcopus vel presbyter eum qui vere habet baptismum, si de integro baptizaverit, vel si eum qui ab impiis pollutus est non baptizaverit, deponatur."—*Resp.,* Canones qui vocantur Apostolici, non fuerunt ab Apostolis editi, sed collecti ex quibusdam Conciliis particularibus; illi autem qui objiciuntur

probabilius decerpti fuerunt ex rebaptizantium Synodo Iconiensi, aut Synnadensi.—De Canonibus Apostolicis, S. Isidorus Hispalensis,[1] sæculo VII. aiebat: "Canones qui dicuntur Apostolorum, seu quia eosdem nec sedes Apostolica recepit, nec Sancti Patres illis asssensum præbuerunt, pro eo quod ab hæreticis sub nomine Apostolorum compositi dignoscuntur, quamvis in eis utilia inveniantur, tamen ab auctoritate canonica, atque apostolica eorum gesta constat esse remota, atque inter apocrypha deputata."—Sed nec præteriri debet, Beveregium (l. 2. Codicis canonum primitivæ Ecclesiæ vindicati et illustrati, c. 12.; et in adnot. ad Can. 47.) sensisse in canonibus Apostolorum irritum non pronuntiari omnem baptismum collatum ab hæreticis sine discrimine, sed illum qui ministratus fuerit ab hæreticis formam vitiantibus.

6.—Pontifices Romani plurimi nullas dixerunt ordinationes factas ab hæreticis, aut schismaticis.—*Resp.* nullas non quoad *valorem Ordinis*, sed *quoad honorem in Ecclesia et exercitium accepti Ordinis.* Etenim illi qui ab hæreticis aut ab excommunicatis recipiebant sacros ordines, cum ad Catholicam Ecclesiam redibant, nolebant Pontifices ex veteris disciplinæ rigore ut inter clericos reciperentur, sed ad laicorum communionem redacti erant, et ecclesiastica munia, quæ responderent ordini accepto, obire non poterant, quin prius fuissent a legitima ecclesiastica auctoritate in pristinum gradum restituti et absolutionem a suspensione, in quam inciderant, obtinuissent.—Adnotari etiam debet, reconciliationem clericorum qui ab Episcopis hæreticis, schismaticis, simoniacis aut depositis ordinati fuerant, specie tenus veræ ordinationi simillimam fuisse. Sic in reconciliatione sacerdotis, ut colligitur ex Ep. 25. Fulberti Carnutensis, sæculi XI. scriptoris, manus imponebantur, invocabatur Spiritus Sanctus, et Episcopus dicebat: "Reddo tibi gradum sacerdotii, in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti:" deinde benedictio addebatur his verbis: "Benedictio Dei Patris et Filii et Spiritus Sancti descendat super te, ut sis confirmatus in Ordine sacerdotali, et offeras placabiles hostias omnipotenti Deo, cui est gloria in sæcula sæculorum." Hinc mirum esse non debet, hanc reconciliandi cæremoniam modo novam *ordinationem, modo sanctiorem ordinationem* aut *consecrationem* a Pontificibus et Patribus appellari.

7.—Patres negant hæreticos habere verum baptismum, et docent illum

[1] Apud Gratianum, dist. 16. c. 1.

quem dant hæretici non mundare sed polluere. *Resp.*—Quum Patres dicunt baptismum hæreticorum non esse verum, loquuntur de fructu baptismi, seu de gratia sanctificante, quam non percipiuunt qui hæreticis consentiunt, vel cum iis communicant; et cum addunt hæreticorum baptismum polluere, de iis etiam loquuntur qui propter culpabilem cum hæreticis communionem ipsa susceptione baptismi novo peccato coinquinantur.—S. Optatus Milevitanus[1] distinguit inter hæreticos et schismaticos; de hæreticis ait eos habere "varia et falsa baptismata, quibus inquinatus non possit abluere, immundus emundare," de schismaticis autem asserit eos habere cum catholicis "vera et communia sacramenta." Sed S. Optatus nomine hæreticorum eos vocat, qui integram non servabant baptismi formam; nam ibidem eos fuisse dicit "verissimi symboli desertores;" et *symboli* nomine tunc temporis invocatio SS. Trinitatis quæ fit in baptismi forma intelligebatur, unde S. Augustinus[2] aiebat "quis nesciat non esse baptismum Christi, si verba evangelica, *quibus symbolum constat,* illic defuerint." Ceterum S. Optatus in eodem opere,[3] clarissime profitetur: "In quo baptizarentur gentes, a Salvatore mandatum est: per quem baptizarentur, nulla exceptione discretum est. Non dixit Apostolus: *vos facite, alii non faciant;* quisquis in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti baptizaverit, Apostolorum opus implevit."

8.—Saltem admitti debet cum Morino et Maldonato datum fuisse in Ecclesia sacramentum confirmationis iis qui jam ab hæreticis aut schismaticis Confirmationem acceperant.—*Neg.*—Sæpissime apud Patres et in decretis Pontificum invenimus, manus episcopalis impositionem fuisse præscriptam ab hæresi ad Ecclesiam Catholicam venientibus, ut hi virtute Spiritus Sancti confirmarentur. Sed illa impositio manus non erat ad roborandos fideles sacramento confirmationis, verum ad reconciliandos reduces ad Ecclesiam et ad conferendum eis sacramentum pœnitentiæ.[4] "Manus autem impositio, si non adhiberetur ab hæresi veni-

[1] L. 1. adversus Parmenianum, c. 12.

[2] L. 6. de bapt. c. 47. n. 25.

[3] L. 5. c. 7.

[4] In Epistola 1. Siricii Papæ ad Himerium Tarraconensem, c. 1., habetur: "Nos cum Novatianis aliisque hæreticis, sicut est in Synodo constitutum, per invocationem solam septiformis Spiritus episcopalis manus impositione catholicorum conventui [baptizatos ab Arianis] sociamus; quod etiam totus Oriens, Occidensque custodit."—Hujus autem ritus, quem a toto Oriente et Occidente custoditum Siricius tradit, usum exhibet Codex Gellonensis ætate Caroli Magni exaratus, in quo legitur: "Benedictio

enti" inquit S. Augustinus,[1] "tamquam extra omnem culpam judicaretur; propter caritatis autem copulationem, quod est maximum donum Spiritus Sancti, sine quo non valent ad salutem quæcumque alia sancta in homine fuerint, manus hæreticis correctis imponitur."

9. S. Basilius, epistola canonica 1. ad Amphilochium, canone 1. ait:[2] "Existimo itaque, quoniam nihil de illis [Encratitis] aperte dictum est, eorum baptisma a nobis rejiciendum esse." Et in canone 47., epistolæ secundæ canonicæ,[3] dicit: "ipsos in Ecclesiam non admittimus nisi in nostrum baptisma fuerint baptizati. Etenim ne dicant: *In Patrem et Filium et Spiritum Sanctum baptizati sumus;* qui videlicet Deum esse effectorem malorum existimant, exemplo Marcionis et reliquarum hæresum."—*Resp.*, 1. non recte explicant S. Basilium qui putant eum ibi dixisse solum hæreticos illos esse baptizandos cum ad Ecclesiam venirent, qui formam baptismi jam corruperant. Hæc interpretatio ipsis verbis modo citatis refutatur; nam in eis agitur de hæreticis qui baptizabant *in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti;* et S. Basilius erroneam formam baptismi in eis non reprehendit, sed doctrinam hæreticam. Præterea rebaptizari vult eos qui non rebaptizabantur apud Romanos,—"quod si apud vos," ait, "prohibita est rebaptizatio, sicut et apud Romanos, œconomiæ alicujus causa, nostra tamen ratio vim obtineat;"—at Ecclesia Romana numquam approbavit baptismum sine præscripta forma collatum: ergo non est sermo in locis objectis de illis qui nullum receperant in hæresi baptismum propter vitium formæ.—2. Quenam est vera interpretatio illorum canonum? S. Basilius locis citatis: *a*) distinguit inter hæreticos et schismaticos, et dicit hanc Patrum antiquiorum fuisse praxim ut hæreticorum sacramenta rejicerent, schismaticorum vero admitterent:[4] *b*) Pepuzenos censet aperte hære-

super eos, qui de diversis hæresibus veniunt.—Sancte Pater Omnipotens, qui famulum tuum ab errore hæreseos dignatus es eruere, et ad Sanctam Ecclesiam revocare; quæsumus te Domine, immitte in eum Paraclitum Spiritum tuum septiformem, Spiritum sapientiæ et intellectus, Spiritum consilii et fortitudinis, Spiritum scientiæ et pietatis, et adimple famulum tuum Spiritu timoris Domini." — V. Thesauri Theol. t. 10. op. 7. § 5.

[1] De bapt. l. 5. c. 23. n. 33.

[2] Migne, P. G. t. 32. p. 670.

[3] ibid. p. 731.

[4] "Visum est ergo antiquis hæreticorum quidem baptisma penitus rejicere; schismaticorum vero, ut adhuc ex Ecclesia existentium, admittere."—Schismaticos dicit adhuc *ex Ecclesia existentes*, non quasi ab Ecclesia separati non essent, sed quia fidem Ecclesiæ cum adhuc retinerent, in eis S. Basilius vestigium quoddam agnoscebat necessitudinis cum Ecclesia.

ticos, et eorum baptismum omnino invalidum:[1] c) affirmat S. Cyprianum et Firmilianum in eodem censu quoad nullitatem sacramentorum habuisse hæreticos et schismaticos: d) Sed ait nonnullis Asiaticis baptismum schismaticorum visum fuisse suscipiendum; et ipse id etiam concedit:[2] e) Encratitarum vero baptismum, etsi in forma nihil differat a catholico, præcipit non esse admittendum;[3] et hoc statuit quia *nihil de illis aperte* [in canonibus Ecclesiæ] *dictum est;* addit tamen regulam præscriptam mutandam fore si communi utilitati adversa erit.[4]—Ex his ergo aperte constat S. Basilium putasse 1. baptismum collatum ab eis qui in fide errabant, præsertim circa SS. Trinitatem, fuisse invalidum: baptismum vero collatum ab aliis extra Ecclesiam admitti posse vel rejici secundum consuetudinem variam Ecclesiarum particularium, et utilitates diversas pro temporum et circumstantiarum varietate. 2. Nullam definitionem fidei fuisse hac in re adhuc latam, imo nullam generalem normam disciplinarem, quæ spectaret omnes sive hæreticos sive schismaticos ad Ecclesiam venientes. 3. Desiderasse hanc communem normam a legitima auctoritate quantocius præscribendam, ut eruitur ex verbis quibus concludit canonem 47.: "Quamobrem, si hoc placuerit, oportet episcopos plures in unum convenire, et ita demum canonem edere, ut et is qui agit, periculo careat, et qui respondet, in dando ejusmodi quæstionibus responso, auctoritatem habeat."—Forsan quæres, quomodo S. Basilius hæc dicere potuerat cum rebaptizantium doctrina jam fuerat duobus Conciliis Arelatensi I. et Nicæno I. explosa? Respondemus, Concilium Arelatense I., etsi ignoratum non fuerit, saltem ex parte, ab orientalibus, canon octavus ejusdem Concilii poterat tamen ab iis credi pro re disciplinari conditus et pro Ecclesia occidentali: canones vero Nicæni, nullum exhibent expressum ac generale decretum de hæreticorum baptismo, sed solum ex duobus canonibus, 8. nempe et 19., in quibus discrimen est inter Paulianista-

[1] "Pepuzeni ergo sunt aperte hæretici: nam in Spiritum Sanctum blasphemaverunt, Montano et Priscillæ Paracliti appellationem nefarie, impudenterque attribuentes. . . . Qua igitur ratione eorum baptisma admittatur?"

[2] "Quoniam nonnullis Asiaticis omnino visum est eorum baptisma, pluribus consulendi causa, suscipiendum esse, suscipiatur."

[3] "Quoniam nihil de illis aperte dictum est, eorum baptismum a nobis rejiciendum esse; ac si quis ab eis acceperit, accedentem ad Ecclesiam, baptizandum."

[4] "Quod si hoc generali œconomiæ impedimentum erit, rursus consuetudine utendum est."

rum baptismum et Novatianorum, doctrina Ecclesiæ colligitur, et sententia rebaptizantium demonstratur falsa. Cum ergo explicite in Concilio Nicæno dogma de validitate baptismi collati a quocumque ministro, qui formam servaret integram, expresse non fuerit definitum, poterat S. Basilius putare decreta Concilii spectare solum disciplinam variabilem pro varietate regionum, et novum Concilium ad rem definiendam et communem praxim stabiliendam, desiderare. Ea de causa S. Epiphanius, post Basilium, affirmabat: "Aliquos esse, qui præter Ecclesiæ consuetudinem, ac citra Concilii generalis decretum, eos qui ab Arianis ad suas partes transeunt, iterum baptizare nihil verentur; cum nondum ea res universalis Synodi judicio decisa sit." [1]

Potiores difficultates solvimus: aliis, quæ sacramenta quædam in specie respiciunt, et ex historia desumuntur, opportuno loco respondebimus.

Nota.—Etsi sacramentorum valor non pendeat a fide aut a probitate ministri, in eo tamen ut sacramenta licite conficiat statum gratiæ requiri non est dubium, saltem si sermo sit de ministro, qui speciali consecratione ad sacramentum conficiendum deputatus sit. Certe, si Deus in veteri lege sacerdotibus mandabat: [2] "Sint ergo sancti quia et ego sanctus sum, Dominus, qui sanctifico eos," multo magis sanctitatem exigit in ministris novi Testamenti, qui dignitate, potestate, gratiis acceptis sacerdotes mosaica legé constitutos antecedunt. Quare S. Thomas ait: [3] "Ministri debent Domino conformari. . . . . Et ideo non est dubium quin mali exhibentes se ministros Dei et Ecclesiæ in dispensatione sacramentorum peccent. Et quia hoc peccatum pertinet ad irreverentiam Dei et contaminationem sacramentorum, quantum est ex parte ipsius peccatoris (licet sacramenta secundum seipsa incontaminabilia sint), consequens est quod tale peccatum ex genere suo sit mortale."

Gravissima sunt hac in re verba Ritualis Romani Pauli V. jussu editi: "Cum igitur in Ecclesia Dei nihil sanctius, aut utilius, nihilque excellentius, aut magis divinum habeatur, quam sacramenta ad humani generis salutem a Christo Domino instituta, Parochus, vel quivis alius Sacerdos, ad quem eorum administratio pertinet, meminisse in primis

[1] Exposit. fidei cath. c. 13. [2] Lev. XXI. 8. [3] 3. p. q. 64. a. 6.

debet, se sancta tractare, atque omni temporis momento ad tam sanctæ administrationis officium paratum esse oportere, Quamobrem illud perpetuo curabit, ut integre, caste, pieque vitam agat; nam etsi sacramenta ab impuris coinquinari non possint, neque a pravis ministris eorum effectus impediri, impure tamen et indigne ea ministrantes in æternæ mortis reatum incurrunt."

Verum per accidens excusatur a culpa minister qui in statu peccati mortalis conficit sacramentum, si statum suum invincibiliter ignoret, aut ob urgentem necessitatem sacramentum conficere debeat, quin spatium habeat cum Deo se prius reconciliandi.—Id autem fusius declarare, aliasque quæstiones attingere, quæ spectant licitam sacramentorum administrationem hic non vacat; a doctoribus enim qui moralem theologiam pertractant ea omnia fuse discutiuntur.

ARTICULUS OCTAVUS

De intentione ministri.

"Intentio nominat, S. Thomas ait,[1] actum voluntatis, præsupposita ordinatione rationis ordinantis aliquid in finem:" proinde intentio ministri sacramentorum est actus voluntatis, quo minister vult sacramentum conficere, seu illud agere quod Christus instituit et in Ecclesia fieri consuevit. Intentio hæc dicitur *explicita* et *immediata* si illud quod agere vult minister est conficere sacramentum, *ut tale:* si vero agere vult quod frequentatur in Ecclesia, sed hoc ipsum non attingit actu voluntatis suæ sub formali ratione sacramenti, intentio dicitur *implicita* et *mediata.* Nonnulli theologi intentionem explicitam ministri vocant *directam,* implicitam autem *reflexam.*

Multiplex partitio est intentionis sive explicitæ et directæ, sive implicitæ et reflexæ: potest enim intentio esse vel *actualis,* vel *virtualis,* vel *habitualis,* vel *interpretativa.*—*Actualis* intentio habetur si actu voluntas conficiendi sacramentum elicitur eo tempore quo reapse conficitur.—*Virtualis* intentio adest cum intentio actualis antecedenter ad operis executionem ita habita fuerit ut vi illius intentionis opus nunc

[1] 1. 2. q. 12. a. 1. ad 3.

peragatur, et actualis intentio non actu, sed *virtute* permaneat atque influat in operis executionem.—*Habitualis* est intentio quæ aliquando fuit actualis, et non fuit postea per actum contrarium revocata, hic et nunc tamen, dum actio sacramentalis ponitur, neque actu neque virtute existit influens in opus quod peragitur. Intentionem hanc habitualem, theologi antiquiores communiter vocabant virtualem.—*Interpretativa* dicitur illa intentio quæ numquam extitit, at præsumi potest existere, vel extitura esse, si operans ad circumstantias ejusdem actionis adverteret.

Requiritur ne aliqua intentio in ministro ut conficiat sacramentum?—Lutherus dixit nullam esse requisitam, adeo ut sacramenta etiam joco et irrisorie collata valeant, quia etiam hoc modo excitare fidem possunt in suscipiente, qua justificetur. At Concilium Tridentinum damnavit hanc doctrinam ut hæreticam et decrevit necessariam esse in ministro ad sacramentum valide conficiendum saltem intentionem faciendi quod facit Ecclesia.

Verum circa id quod Ecclesia facit, seu ritum quem Ecclesia frequentat duplex dari potest intentio, *externa* et *interna*. *Externa* dicitur ea, per quam minister exterius, et quidem serio, actionem peragit quæ in Ecclesia usurpatur, tametsi interne hanc ipsam actionem vere nolit peragere, sed tantum fingere et simulare. Vocatur hæc intentio externa, non quia interne non concipitur, sed quia objectum ejus est positio solummodo ritus externi et materialis. *Interna* vero intentio illa est qua minister non modo exterius, sed intus, in animo vult serio illud agere quod agit Ecclesia; quidquid tandem vere is sentiat de sacramento, de effectu ejus, de ipsa Ecclesia. Probe igitur distinguenda est *fides* ab *intentione*. Etenim potest aliquis nullam habens fidem de efficacitate sacramenti ad conferendam gratiam, putansque hæreticam suam sectam esse veram Christi Ecclesiam, velle serio et vere facere id quod Ecclesia catholica facit dum sacramentum aliquod ministrat; ac proinde habere sine fide intentionem internam conficiendi sacramentum.—Ex alia parte potest minister, vel sine fide, vel fidem retinens, ex perversitate animi, aut mimice et aperta ludificatione simulare sacramentum, et sic nullam habere intentionem illud conficiendi; aut externam tantum actionem serio intendere, dum in animo contrariam prorsus voluntatem gerit; ideoque habere intentionem externam sacramentum conficiendi.

Nonnulli theologi affirmaverunt ministri intentionem externam tantum requiri ut sacramentum valide conficiatur; quapropter nihil sacramento obesse si minister intendat animo irrisorie sacramenta conficere, dummodo intendat facere externum ritum, idest adhibere materiam et serio proferre formam. Hanc sententiam, ab ipsis propugnatam, nomen et auctoritatem habebat ab Ambrosio Catharino, O. P., in Concilio Tridentino magni nominis theologo, et Minorensi, deinde Campsensi Præsule. "Quid ergo," interrogat Catharinus in opusculo de intentione ministri, "facit Ecclesia per ministros baptizando? nisi quod legitima utitur materia adhibens suam verborum formam: hoc igitur si facit minister, profecto illud facere intendit, si sit mente sanus. Quis enim vigilans faciat aliquid, quod facere non intendat?" Sed arbitrantur quidam non aliam fuisse Catharini mentem, quam asserere ratum sacramentum esse quod fiat cum intentione celebrandi Ecclesiæ ritum, etiamsi ministrans non intendat spiritualem effectum illius ritus, quinimo eos irrideat qui putant hujusmodi ritum esse sacrum, numquam tamen Catharinum docuisse sacramentum esse validum, si minister intendat animo ritum externum simulare. Profecto si hæc fuisset Catharini sententia, vel nihil omnino vel parum a communi theologorum doctrina discrepasset. Attamen non ita opinionem Catharini alii intellexerant: et qui eam vindicandam susceperunt, propugnaverunt sacramentum validum esse etiamsi ministrans, dum externe ritum perficit, apud se irrisoriam voluntatem habeat, et dicat, ex. gr. nolo baptizare, nolo consecrare, nolo hunc ritum facere, ut perficitur in Ecclesia.

Cardinalis Bellarminus de hac opinione dixit:[1] "Non video quid differat a sententia Kemnitii et aliorum hæreticorum, nisi quod Catharinus in fine opusculi subjicit se Apostolicæ Sedi et Concilio, illi autem irrident utrumque." Sed a doctrina Novatorum damnata longe reapse distat opinio quæ attribuitur Catharino quæque admissa videtur a. P. Salmerone S. J., et defenditur a Contensonio, Duhamel, Juenin, Serry, aliique. Lutherus enim contendebat validum fore sacramentum cum externa irrisione collatum: id negant assertores sententiæ Catherini. Lutheri errorem Concilium Tridentinum damnavit, et tamen non pronuntiavit, directe saltem, decretum aliquod contra eos qui tenent validum sacramentum *cum interna irrisione* administratum. Quinimmo

[1] De controv. christ. fidei, t. 3. de sacram. in genere. l. 1. c. 27.

Cardinalis Pallavicini, quamvis falsam existimet hanc sententiam, aperte tamen fatetur eam nec definitionibus Concilii Tridentini diserte damnatam, nec Patribus congregatis fuisse suspectam." [1]

Inter defensores autem sententiæ Catharini, non desunt qui eam limitant ad aliquos tantum casus particulares, nimirum sentiunt ministrum, nisi vel in loco sacro præsens sit, vel ad sacramenti confectionem fuerit invitatus, nihil operari; eo ferme modo, aiunt, quo judex ratam sententiam profert si sedeat pro tribunali, secus vero si loquatur e loco ubi personam judicis gerere non intelligatur.

In sequenti thesi defendimus intentionem esse in ministro necessariam ad sacramentum valide conficiendum, eamque non habitualem, et multo minus interpretativam, sed saltem virtualem, qua velit non modo externe, sed ex animo absque interna simulatione, facere quod facit

[1] Hæc sunt verba Pallavicini: "Io per me stimo, che la sentenza del Caterino sia falsa, ma non però condannata espressamente da' canoni tridentini: onde egli potè lecitamente difendere ch' ella non contradiceva al concilio. . . . . Io posso affermare, che essendo nate non so quali differenze litterarie fra il Caterino e il maestro del sacro palazzo, sopra cui litigavano con vicendevoli opposti libretti, i legati pregarono il papa, che rimovesse il secondo da travagliare il primo: affermando, che la vita e la dottrina del Caterino era approvata da tutti. Dal che si coglie, che nel concilio non erano in sinistro concetto le opinioni difese dal Caterino, nè s' ebbe quivi intenzione di condannarle. E nel vero, se questo fosse avvenuto, non l' avrebbono, come narrammo con le universali acclamazioni fatto promuovere al vescovado; nè dipoi un pontefice che avea preseduto al concilio, gli avrebbe posta un' altra più nobile mitra in fronte. Adunque io m' avviso, che la sentenza proscritta in Trento sia quella che Leon decimo nella sua costituzione dannò in Lutero, cioè: che il sacramento sia instituito da Cristo in maniera che conseguisca l' effetto, benchè il ministro l' eserciti con modo apertamente beffatore e giocoso: la quale instituzione è manifestissimo quanto sarebbe lungi e dal decoro della chiesa, e dal sentir de' fedeli, e dalla natura di tutte l' altre azioni legitime umane. Là dove i prenominati dottori cattolici consentono in ricercar al valore del sacramento l' intenzion non pure di far quell' atto esteriore materialmente considerato che fa la Chiesa, la qual intenzione è altresi in chi l' amministra per giuoco; ma di farlo con quella sembianza esteriore d' operar da senno che usa la Chiesa; e con apparenza d' indirizzarla a quel fine a cui l' indirizza la Chiesa."—Istoria del Concilio di Trento, t. 2. l. 9. c. 6. n. 2. Idem clarissimus auctor, l. 8. c. 9. n. 1. ait: "Si proseguì dunque l' esaminazione sopra il dogma proposto [della giustificazione], nel quale s' era fervidissimamente lavorato sin a quel tempo e da' padri, e da' minori teologi. Fra questi io ritrovo che singolar soddisfazione si ricevette del Caterino: imperciochè spargendosi voce nella congregazion generale, che un vescovo fosse annegato nell' Adice; tutti gridarono, che dovea sostituirsi nel vescovado il Caterino, per esser uomo sì raro, e di pari odioso agli eretici, ed amato da' cattolici. E benchè la voce riuscì falsa intorno alla morte dell' uno, ebbe forza di verità nell' esaltazione dell' altro; perochè i legati, i quali frequentemente raccomandavano al papa gli uomini meritevoli del concilio, significarongli allora, ed approvarono quell' universal desiderio. Ed egli il creò poco appresso vescovo di Minori."

Ecclesia. Et quum necessariam dicimus intentionem in ministro faciendi quod facit Ecclesia, non significamus eum debere ad validitatem sacramenti intentionem habere faciendi quod facit Catholica et Romana Ecclesia, sed tenemus sufficere ut velit facere quod facit vera Christi Ecclesia, quamcumque demum in mente ille pro vera habeat, sive Arianam, sive Lutheranam, sive Calvinisticam, sive aliam. Etenim licet ille falso credat sectam aliquam esse veram Eccclesiam institutam a Christo, tamen error iste privatus non destruit veritatem intentionis quam habet faciendi quod Ecclesia Christi facit, adeoque veritatem sacramenti non destruit. Si autem minister intenderet non facere quod Romana Ecclesia facit, etiamsi esset vera Christi Ecclesia, profecto, ut recte adnotat Sylvius,[1] sacramentum esset nullum, quia tunc revera non haberet intentionem faciendi quod Christus instituit. Similiter valide baptizaret judæus aut paganus si intentionem habuerit faciendi quod audierat fieri ab Ecclesia Christi, quia vellet et ipse facere quod facit Ecclesia.

THESIS XVII.

Ut valide sacramentum conficiat omnino requiritur in ministro intentio, qua velit facere quod facit Ecclesia, quæcumque tandem de Ecclesia, de sacramento, ejusque effectu sentiat: et non sufficit ut hæc intentio sit habitualis, et multo minus interpretativa; sed necessario debet esse, si non actualis, saltem virtualis, et non modo externa, sed interna.

Thesim hanc dividimus in quatuor partes:—in 1. dicimus necessariam esse in ministro, qui sacramentum conficit, intentionem faciendi quod Ecclesia facit;—in 2. declaramus ad hoc non oportere ut minister intendat vel effectum sacramenti, vel ritum Ecclesiæ formaliter ut sacramentum est, vel etiam facere quod Ecclesia Catholica Romana facit;—in 3. ostendimus intentionem requiri non interpretativam aut habitualem, sed si actualis non adsit, virtualem;—in 4. propugnamus intentionem mere externam non sufficere ut ritus sit sacramentum, sed necessariam esse internam.

I. *Prima pars thesis* est *de fide*, definita in Concilio Tridentino (sess. 7.

[2] In 3. p. q. 64. a. 8. concl. 6. ad 8.

can. 11.) his verbis: "Si quis dixerit, in ministris, dum sacramenta conficiunt et conferunt, non requiri intentionem saltem faciendi quod facit Ecclesia, anathema sit."—In sess. 14. sancta Tridentina Synodus similiter (can. 9.) statuit: "Si quis dixerit absolutionem sacramentalem sacerdotis non esse actum judicialem, sed nudum ministerium pronuntiandi et declarandi remissa esse peccata confitenti, modo tantum credat se esse absolutum; aut sacerdos non serio, sed joco absolvat; aut dixerit non requiri confessionem pœnitentis, ut sacerdos eum absolvere possit, anathema sit."

Probatur I. *Ex Scripturis.* Etenim Apostolus ait (I. ad Cor. III. 4. 5.): "Quid igitur est Apollo? Quid vero Paulus? Ministri ejus cui credidistis;" et iterum (in eod. Ep. IV. 1.): "Sic nos existimet homo ut ministros Christi." Unde sic argumentamur: Ex his locis,—idque jam superius non semel declaratum fuit,—constat ministros sacramenta conficere nomine Christi, et ex potestate ministeriali a Christo accepta; proinde ad sacramentum aliquod conficiendum omnino necessarium esse ut minister, quicumque sit, agat nomine Christi, et uti velit potestate a Christo accepta ad ea conficienda. Atqui minister qui non habet intentionem saltem faciendi quod facit Ecclesia, non agit nomine Christi, nec uti vult potestate ab eo accepta ad sacramentum conficiendum. Ergo ad sacramentum conficiendum necessaria omnino est in ministro intentio saltem faciendi quod facit Ecclesia.—Prob. min. Ille solum agit nomine Christi, et uti vult potestate ab eo accepta ad sacramentum conficiendum, qui dum sacramentum conficit, vult saltem illam actionem sacram perficere quam novit fieri a ministris sacramentorum in Ecclesia Christi. Atqui id est habere intentionem faciendi saltem quod facit Ecclesia. Ergo ille solus qui hanc intentionem saltem habet, agit nomine Christi et utitur potestate a Christo accepta ad sacramentum conficiendum; ideoque non agit nomine Christi et non utitur potestate ministeriali pro sacramentis conficiendis qui illam intentionem minime habet.

Argumentum quod proposuimus evidentius evadit exemplo. Sicut non censetur Legatus nomine Principis agere si nonnisi mimice de bello aut pace paciscitur; neque status negotia transigere Minister qui nulla deliberatione, intentione nulla, in ebrietate, casu, aut joco quæ fieri deberent a subditis statueret: multo minus minister Christi censeri

potest ille qui non habet intentionem ullam ministrandi sacramenta ut fit in Ecclesia Christi, aut joculariter ea ministrat.

Præterea, ex aliis Scripturæ locis adhuc colligitur Christum ita sacramenta instituisse ut ea ab intentione ministri perpetuo dependerent. Etenim pro institutione sacramenti pœnitentiæ Christus dixit: "Quorum remiseritis peccata remittuntur eis" (Joan. xx.), et his verbis potestatem dedit ministris sacramenti absolvendi pœnitentes a peccatis post baptismum commissis, usumque ejusdem potestatis reliquit arbitrio illorum ministrorum: necesse est ergo ad absolutionem pœnitentis in pœnitentiæ sacramento ut minister deliberatione et judicio, ac proinde intentione præhabita, velit illa facultate uti et reapse absolvere. Simili pacto intentio ministri requisita intelligitur ad validam collationem baptismi, ex verbis: "Baptizantes eos, etc.," in quibus significatur potestas baptizandi data ministris hujus sacramenti et eorum commissa arbitrio. Ex paritate idipsum constat pro sacramento Confirmationis. Quoad cetera sacramenta evidentior etiam apparet necessitas intentionis. Nam pro sacramento Extremæ unctionis forma est deprecatoria, et minister debet orare super infirmum, juxta illud: "Inducat presbyteros Ecclesiæ, et orent super eum" (Jac. 5.). Sed oratio non fit cum verba proferuntur absque animo orandi, seu absque intentione. Ergo.—Verba pro Eucharistiæ institutione: "hoc facite in meam commemorationem" (Luc. 22.), aperte significant Eucharistiam consecrari quando minister in augustissima actione illa Christum repræsentat; ideoque non consecrari ab eo qui verba: "hoc est corpus meum" et "hic est sanguis meus," materialiter tantum profert, et multo minus ab eo qui in illis verbis proferendis joculatoris agit partes. Matrimonium nullum est sine intentione ministri, quia ministri sunt contrahentes, et fictio etiam interna contrahentis vitiat contractum. Demum in sacramento Ordinis cum potestas spiritualis conferatur, hæc profecto ab eo non datur qui nullam voluntatem habet eam conferendi, et actionem quam peragit ostendit esse ludificationem.

II. *Authenticum Ecclesiæ Magisterium* sine ulla ambiguitate necessariam declaravit intentionem in ministro ad sacramenti validitatem. Et sane, jam ante definitionem Concilii Tridentini, quam retulimus, Concilium Florentinum in Decreto pro Armenis dixerat: "Omnia

sacramenta tribus perficiuntur, videlicet rebus . . . verbis . . . et persona ministri conferentis sacramentum *cum intentione faciendi quod facit Ecclesia: quorum si aliquod desit non perficitur sacramentum.*"—Martinus V. in Constitutione quæ legitur ad calcem Concilii Constantiensis, inter articulos, de quibus jubet suspectos in fide interrogari, hunc 22. recenset: "Utrum credat, quod malus sacerdos cum debita materia et forma, *et cum intentione faciendi quod facit Ecclesia*, vere conficiat, vere absolvat, vere baptizet, vere conferat alia sacramenta."—In Professione fidei ab Innocentio III. Waldensibus præscripta, habetur: "Ad officium [consecrandi Eucharistiam] tria sunt, *ut credimus*, necessaria: scilicet certa persona, id est presbyter ab episcopo, ut prædiximus, ad illud proprie officium constitutus, et illa *solemnia verba* quæ a Sanctis Patribus in canone sunt expressa, *et fidelis intentio proferentis.*"

III. Ejusdem veritatis antiquissimum documentum invenitur in epistola S. Cornelii Romani Pontificis ad Fabium Antiochenæ Ecclesiæ Patriarcham, quam refert Eusebius.[1] Inter cetera sic loquitur Summus Pontifex: "Mirabilem quamdam, frater carissime, conversionem in eo [Novato] mutationemque brevi temporis articulo factam conspeximns. Nam egregius ille vir, qui tremendis quibusdam sacramentis affirmaverat se episcopatum non concupiscere, repente tamquam ex machina quadam in medium projectus, episcopus apparuit. Et is qui se doctorem et ecclesiasticæ disciplinæ propugnatorem ferebat, cum episcopatum sibi a Deo minime concessum rapere ac vindicare conaretur, duos deploratæ salutis homines sibi socios adjunxit, ut eos in exiguam ac vilissimam Italiæ partem mitteret, atque illinc accitos tres episcopos, homines plane rudes ac simplices, fraudulenta quadam molitione deciperet; constantissime affirmans ipsos quamprimum Romam proficisci oportere, ut omnis undecunque orta discordia, ipsorum una cum aliis episcopis interventu atque arbitrio sedaretur. Qui cum advenissent, homines, ut jam diximus, simplicioris ingenii, nec in his perditorum hominum artibus ac fallaciis satis triti: eos ille a quibusdam sui simillimis quos ad id comparaverat, inclusos hora decima, temulentos et crapula oppressos, adumbrata quadam et inani manuum impositione episcopatum sibi tradere per vim cogit: eumque nullo sibi jure competentem per fraudem atque insidias vindicat."

---

[1] Hist. Eccles. l. 6. c. 43.

IV. Consensus unanimis scholasticorum confirmat veritatem quam vindicamus et simul ostendit eam fuisse semper ab omnibus admissam et creditam in Ecclesia. Sufficit hic referre tantum auctoritates S. Thomæ, et S. Bonaventuræ, qui etiam pro re præsenti theologicas rationes exhibent.

Itaque S. Thomas, quærens utrum intentio requiratur ad sacramentum perficiendum, ait:[1] "Respondeo dicendum quod quando aliquid se habet ad multa, oportet quod per aliquid determinetur ad unum, si illud effici debeat. Ea vero quæ in sacramentis aguntur, possunt diversimode agi, sicut ablutio aquæ, quæ fit in baptismo, potest ordinari et ad munditiam corporalem, et ad sanitatem corporalem, et ad ludum, et ad multa alia hujusmodi; et ideo oportet quod determinetur ad unum, id est, ad sacramentalem effectum per intentionem abluentis; et hæc intentio exprimitur per verba quæ in sacramentis dicuntur, puta cum dicit: *Ego te baptizo in nomine Patris, etc.*"—Et ad difficultatem:[2] "Videtur quod intentio ministri non requiratur ad perfectionem sacramenti. Minister enim in sacramento instrumentaliter operatur. Sed actio non perficitur secundum intentionem instrumenti, sed secundum intentionem principalis agentis. Ergo intentio ministri non requiritur ad perfectionem sacramenti." Respondet: "Dicendum quod instrumentum inanimatum non habet aliquam intentionem respectu effectus, sed loco intentionis est motus, quo movetur a principali agente. Sed instrumentum animatum, sicut minister, non solum movetur, sed etiam quodammodo movet seipsum, in quantum sua voluntate movet membra ad operandum; et ideo requiritur ejus intentio, qua se subjiciat principali agenti, ut scilicet intendat facere quod facit Christus et Ecclesia."

S. Bonaventura[3] vero sic loquitur: "Dicendum quod in omni sacramento necessaria est intentio. Ratio autem hujus est, quia sacramentum non habet esse suum a natura, sed ab institutione: unde si ante institutionem immersus esset quis in aquam sub forma verborum, non essset sacramentum. Dicunt ergo quidam, sicut magister Hugo de sancto Victore, quod sacramenta instituta sunt ut fiant rationabiliter et ex intentione; et ideo, si non sit intentio, non est sacramentum. Ait enim sic: 'Sacramenta Dei non sic instituta sunt, ut operandi nullam rationem admittant, aut tumultuosa quadam, et violenta, atque

[1] 3. q. 64. a. 8. [2] L. c. ad 1. [3] In. 4. sent. dist. 6. p. 2. a. 20. q. 1.

irrationabili pertinacia, sine omni intentione, aut voluntate operantium ad effectum procedant. Vide ergo et considera, quia rationabile oportet esse omne opus ministrorum Dei, nec per solam formam possunt dare, ubi agendi intentio nûlla est.' Potest tamen et alia ratio assignari, quia ad sacramentum necessaria est intentio, et institutio. Ad hoc enim quod sit sacramentum, necesse est quod forma et elementum ad unum ordinentur: hoc autem non est ex se, cum forma et elementum indifferentia sint ad multa: ideo supervenit institutio Christi, quæ formam et elementum ordinavit ad aliquem effectum determinatum et signatum. Sed tamen institutio, etsi verba ordinavit ad unum, non tamen arctavit, quia ad alios usus possunt sumi et sumuntur: et ideo ad hoc quod ordinentur, necessarium est intervenire intentionem ministri, qua intendit illo actu et verbo talem effectum dare, vel saltem quod facit Ecclesia facere, vel saltem quod Christus instituit dispensare: alioquin verbum et elementum, ut disjuncta, vel ad aliud juncta, talem effectum non faciunt."

In *secunda parte thesis* declaratur non esse necessariam, ut sacramentum confici possit, intentionem qua minister velit sacramentum, ut tale; aut intendat effectum sacramenti, seu gratiam conferendam; aut velit agere quod Romana Ecclesia agit; sed sufficere intentionem faciendi sacram eam actionem quam Ecclesia vera facit, quæcumque sit Ecclesia quam minister veram reputet.—Hæc pars ad fidem pertinet, et constat ex præcedenti thesi, in qua demonstravimus non esse fidem ministri necessariam ad valorem sacramentorum. Valet baptismus ab hæretico, a Judæo vel a Pagano collatus, dummodo materia et forma debita sit adhibita; et hi intentionem certe non habent vel gratiam conferendi per Sacramentum, vel faciendi quod Ecclesia Romana facit.

In *tertia parte thesis* dicimus non sufficere ad valorem Sacramenti intentionem interpretativam aut habitualem ministri, sed requiri intentionem vel actualem, quæ est optima, vel saltem virtualem. Hoc enunciatum est juxta omnes certissimum, et nullo negotio demonstratur. Etenim intentio interpretativa cum neque in præsenti existat, neque umquam physice extiterit, nullo modo influit in actionem sacramentalem quæ perficitur, ideoque non potest efficere ut actio hæc sacramentalis ab ea procedat, idest ejus imperio perficiatur. Similiter intentio habitualis nequit sufficere ad conficiendum sacramentum, quia non est

efficax ad actionem sacramentalem determinandam: etenim ab intentione solum habituali non procedit actio deliberata, et illa potest adesse intentio etiam in ebriis aut dormientibus. Intentio autem actualis, quamvis omnibus suadenda sit, non necessario requiritur, et sufficit virtualis, nam 1. intentio actualis sæpissime non est, moraliter loquendo, in potestate nostra, cum plerumque, præsertim in diuturna actione, moraliter impossibile sit vitare omnes animi evagationes quæ actualem intentionem præpediunt. Si ergo intentio actualis necessario in administratione sacramentorum requireretur ardua nimis et anxia res esset hæc administratio a qua communiter homines refugerent; imo et sacramenta non raro invalide administrarentur, dubie frequentissime. Quis autem sanus sibi persuadere valeat ita Christum sacramenta instituisse? 2. Illa intentio requiritur et sufficit ad sacramentum conficiendum quæ influit in actum, et eum reddit humanum et ad finem qui intenditur determinatum: sed talis profecto est intentio virtualis quæ per aliquam sui relictam virtutem vere in actum influit. Ergo. 3. Intentio virtualis sufficit in contractibus, in orationibus, in votis, aliisque maximi momenti actibus. Ergo etiam a pari in sacramentorum administratione.

Quarta pars thesis exhibet doctrinam, quam cum S. Alphonso,[1] communem dicimus, et ut sequendam propugnamus, nimirum *externam* ministri intentionem *non sufficere* ad validitatem sacramenti, sed *necessariam esse internam.*

Probatur 1. Ex natura ministerii. Etenim in sacramentis conficiendis requiritur intentio, qua minister agat nomine Christi et "se subjiciat," ut loquitur S. Thomas, "principali agenti." Atqui si minister non habet internam intentionem, sed solum externam, *nullo modo* agit nomine Christi eique in sacramenti ministratione minime subjicitur. Ergo. *Prob. min.* Cum illa sola intentione externa minister non intendit ex animo ritum sacrum peragere quem Christus instituit, imo et hunc ritum interne irridet. Atqui ille qui talem habet intentionem nullo modo agere vult nomine Christi, nullo modo intendit se subjicere Christo et opere implere id quod institutum est a Christo. Ergo.

2. Ex Concilio Florentino: nam in Decreto sæpius citato statuitur Sacramenta perfici tribus, materia nempe, forma et *intentione faciendi*

---

[1] Theol. mor. de sacram. in genere, l. 6. c. 2. dub. 1. n. 12.

quod facit Ecclesia. Ergo *præter materiam* et *formam,* requiritur ad validam collationem sacramenti *intentio* ministri. Sed nomine intentionis hic nequit intelligi sola intentio ministri externa. Ergo ex Concilio Florentino hæc non sufficit, et requiritur interna. Prob. subs. Intentio ponendi ritum externum, ut scribit ipse Catharinus, ab actu quo forma profertur est inseparabilis ; "quis enim," ait, "vigilans facit aliquid quod facere non intendat." Ergo si *præter illam prolationem formæ,* quæ habet secum inseparabilem intentionem externam, intentio dicitur necessaria, hæc debet esse intentio interna, nimirum rem sacram peragendi, quæ intentio ab externo ritu sejungi posset. Et quod agatur de hac intentione separabili ab ea qua externus ritus ponitur patet adhuc clarius ex aliis verbis ejusdem Decreti : "In causa autem necessitatis," inquit Concilium, "non solum sacerdos . . . etiam paganus et hæreticus baptizare potest, *dummodo formam* servet Ecclesiæ [en unum quod requiritur], et *facere intendat* [en aliud a prolatione formæ distinctum] quod facit Ecclesia.—Nec præteriri debet aliud argumentum quod deducitur ex hac formula a Conciliis usurpata, videlicet : *ut intendat minister facere quod facit Ecclesia.* Certe qui animo suo statuit dumtaxat fingere et simulare externe quod Ecclesia facit, quod ipsa facit facere non intendit : intentio enim, ut audivimus a S. Thoma initio hujus articuli, est actus voluntatis ordinantis aliquid in finem ; ergo ille qui vult externe fingere quod Ecclesia facit, habet quidem actum voluntatis qua ordinat operationem suam externam ad simulandam actionem quæ fit in Ecclesia, ac proinde habet intentionem *simulandi* quod fit in Ecclesia, non vero intentionem *faciendi* illud.

3. Concilium Tridentinum (sess. 14. cap. 9.) momentum gravissimum suppeditat per thesi nostra. "Quamvis autem absolutio sacerdotis," Concilium docet, "alieni beneficii sit dispensatio, tamen non est solum nudum ministerium vel annunciandi evangelium, vel declarandi remissa esse peccata, sed ad instar actus judicialis, quo ab ipso, veluti a judice, sententia pronunciatur ; atque ideo non debet pœnitens adeo sibi de sua ipsius fide blandiri, ut etiamsi . . . . sacerdoti *animus serio agendi et vere absolvendi* desit, putet tamen se . . . . vere et coram Deo esse absolutum."

Jam vero ex hoc loco multifariam ostenditur falsa sententia quam impugnamus.—Nam *a*) si minister solum intendit nudam impositionem

manus, et materialem pronuntiationem verborum formæ absolutivæ, imo hæc agat expressa intentione interna ut sint mere signa externa et profana, quomodo absolutio erit, sicut esse debet juxta Concilium, divini beneficii dispensatio?—*b*) Quomodo absolutio hæc erit actus judicialis? An judex qui, volens condemnare reum, profert verba absolutoria, absolvit ex animo et agit quasi judex qui, deliberato consilio, sententiam suam, prout vere judicat, profert? Et tamen, juxta Tridentinum, absolutio sacerdotis, seu actus ministri sacramenti pœnitentiæ debet esse *actus judicialis*, debet esse *sententia veluti a judice pronuntiata, qui habeat animum vere absolvendi.*—*c*) Præterea Concilium dicit pœnitentem non esse absolutum coram Deo, seu sacramentum pœnitentiæ non confici, si sacerdoti *animus serio agendi* desit. Porro hic animus absque controversia deest illi qui *animo* statuit mendaciter et per meram externam simulationem absolvere.

Reponunt adversarii *serio agere* nihil aliud significare in textu Concilii, nisi *speciem seriam externam, vere* autem *absolvere* in actione illa seria contineri; ideoque Concilium docens necessarium esse *animum vere* absolvendi, solum postulare animum serio agendi: et hanc genuinam esse, aiunt, interpretationem Concilii, constare, ex scopo, quia agebat contra Lutherum asserentem validam fore absolutionem manifeste per jocum datam; et ex contextu, nam post verba citata Concilium addit in fine capitis: "Nec is esset nisi salutis suæ negligentissimus, qui sacerdotem *jocose* absolventem cognosceret, et non alium serio agentem sedulo requireret."

At evasio hæc ingeniosa est, non vera. Si unus idemque est conceptus qui a Concilio exprimitur, his duobus incisis "sacerdoti animus serio agendi et vere absolvendi desit," ut contendunt adversarii, certe, adnotat merito P. Franzelin,[1] per animum vere absolvendi, quod est incisum declarans, debet explicari qualis sit ratio *serio* agendi quæ requiritur; ideoque, etiam admissa intelligentia illius phrasis juxta mentem adversariorum, quatenus unum solum conceptum referat duobus incisis declaratum et non duos distinctos conceptus; etiam, dico, admissa hac intelligentia, Concilium declararet eam actionem *esse seriam* ad sacramentum pœnitentiæ conficiendum per quam sacerdos *vere* vult absolvere. Porro jam ostendimus sacerdotem *nullam habere voluntatem*

[1] De sacram. in genere, p. 228.

absolvendi, si habet solam voluntatem externam, seu pronuntiandi materialiter verba absolutionis, et interius eorum significationem non intendat, imo repudiet.—Deinde quomodo evadent adversarii vim illius locutionis, sacerdos, nempe, habere debet *animum serio agendi,* seu absolvendi? An de illo qui habet *animum simulata serietate* absolvendi id dici posset?

Verum est, atque id fatemur libentissime, Concilium definitionem fidei explicitam tulisse contra Lutherum, non contra Catharinum; sed ex hoc sequitur solum sententiam Catharini non esse hæreticam, non autem obstat quominus ex modo loquendi Tridentinæ Synodi argumentum deducatur ad dijudicandum, utrum sententia quæ nomine Catharini defenditur, conformis sit an non doctrinæ Concilii; præsertim cum argumentum desumatur ex capitibus, in quibus doctrina catholica exponitur, non ex canonibus, in quibus expressa veritatum fidei definitio continetur, et hæreses contra quas Concilium directe agit anathemate damnantur. Quin etiam, quia noluit Sancta Synodus sententiam Catharini expressa declaratione damnare, non eadem omnino verba in canone 9. scripta forte voluit, quæ legimus in capite sexto sessionis 14.

Demum, neque ratio contextus prodest adversariis ut infringant vim argumenti quod eruitur ex verbis Concilii Tridentini jam citatis.

Profecto in sequentibus verbis, quæ nobis opponuntur, Concilium loquitur de re alia distincta consequente tamen ex doctrina præmissa. Prius enim Concilium statuerat necessariam in sacerdote intentionem quæ esset ex animo, ad serio agendum, ad vere absolvendum; exinde vero Concilium infert officium pœnitentis, qui non sit propriæ salutis prorsus incuriosus. Id autem est, ut si *cognoscat* sacerdotem serio non agentem, et non habentem ex animo voluntatem vere absolvendi alium requirat qui *serio* agat et *vere* absolvat. Sed pœnitens nequit id cognoscere nisi certis argumentis mens sacerdotis perversa exterius se prodat, seu nisi argumentis indubiis *cognoscat sacerdotem jocose absolventem;* proinde Concilium declarat pœnitentem debere in illo casu alium confessarium *serio* agentem sedulo requirere. Quapropter ex hac ultima præscriptione Concilii non limitatur præcedens declaratio, quæ spectat intentionem ministri, ita ut significet eam intentionem solam esse necessariam, quæ excludat externam ludificationem; sed ex facta declaratione de interna intentione in ministro requisita ad validitatem sacramenti,

deducitur legitima illatio quæ ligat pœnitentem, in casu de sacramento quod etiam externe ostenditur fuisse per jocum administratum.

Nec quidquam prodest defensoribus sententiæ oppositæ comparatio quam afferunt inter sacerdotem qui pœnitentem absolvit et judicem qui in judicio forensi pronuntiat sententiam: sicut valet, inquiunt, sententia quam publici juris formulis servatis, judex pro tribunali sedens pronuntiat absolvendo reum, etiamsi forte aliud animo intendens detrectet eum absolvere; ita, juxta Concilii Tridentini doctrinam, valet sententia sacerdotis ministerium sacrum exercentis, qui cum externa intentione pœnitentem absolvat, quin habeat internam.—Respondemus non esse sententiam sacerdotis conficientis sacramentum pœnitentiæ assimilandam sententiæ prætoris absolventis reum; nam hæc in foro externo pronuntiatur et vim habet apud homines, illa in foro interno fertur, et valet coram Deo. Sed præterea, differentia hac admissa duarum sententiarum, jam ipsa similitudo judicii forensis falsitatem ostendit opinionis quam impugnamus. Etenim in foro externo judex qui, nolens interna voluntate absolvere, externe contra mentem pronuntiat verba absolutionis, coram hominibus *videtur*, et *censetur* reum absolvere, attamen vere et coram Deo voluntatem non habet absolvendi, sed simulandi absolutionem; idcirco *non absolvit*, sed simulat absolutionem. A pari ergo sacerdos qui contra internam suam voluntatem, qua non vult absolvere, externe ritum absolutionis perficit super pœnitentem, coram Deo voluntatem non habet absolvendi pœnitentem, sed simulandi absolutionem; ideoque non eum absolvit, sed simulat absolutionem. Jam vero sacerdos sacramentum conficit *cum absolvit*, non cum simulat absolutionem; nam Christus non dixit: Quorum videmini peccata remittere remittuntur eis, aut: quodcumque videtur a vobis solutum esse super terram, erit solutum et in cœlis; sed quorum *remiseritis* peccata, remittuntur eis, et quodcumque *solveritis* super terram, erit solutum et in cœlis. Ergo sacerdos qui nolens in animo absolvere pœnitentem servat totum ritum externum et impertit pœnitenti absolutionem profecto non perficit sacramentum.

4. Confirmatur thesis nostra ex damnatione propositionis 28. inter damnatas ab Alex. VIII. die 7. Decembris anno 1690. "Valet baptismus collatus a ministro, qui omnem ritum externum, formamque baptizandi observat, intus vero, in corde suo, apud se resolvit, non intendo

facere quod facit Ecclesia." Sane propositio hæc videtur omnino enunciare doctrinam auctorum quos impugnamus: et eorum responsiones, quibus censuram illam evadere conantur, solidæ non videntur. Aiunt propositionem ideo fuisse damnatam, quia summa generalitate quemlibet ritum comprehendebat, etiamsi fieret manifesto joco, ut Lutherus contendebat, aut extra debita adjuncta, ut si quando domi mater lavaret infantem, et simul ex devotione diceret: lavo te in nomine Patris etc., qua externi ritus observatione sacramentum non conficitur.—At uterque casus in propositione videtur exclusus: nam, ne verbum quidem est de externa ludificatione, et e contra sermo est de voluntate, qua minister *intus, in corde suo, apud se resolvit:* annon est hæc voluntas secreta, animo delitescens, non prodiens in actum externum? Præterea, videtur agi in propositione de ministratione sacramenti, quæ debitis adjunctis, ut solet in Ecclesia, fiat; nam in ea ministratione dicitur minister observare *omnem ritum externum, formamque baptizandi.*

Quod autem addunt adversarii, nempe propositionem fuisse damnatam in sensu Lutheri, cum spectaret eos qui in Belgio eamdem Lutheri de intentione ministri sententiam renovabant, aut renovare dicebantur, nulla probatione fulcitur, et positive refutatur ex confessione P. Henno theologi belgæ, (de sacr. disp. 4. q. 2. prob. 3.) qui testatur, sibi notum imo familiarem olim fuisse Doctorem, ex cujus scriptis illa propositio desumpta est. Hic autem catholicus Doctor, ait P. Henno, non sententiam Lutheri sed "præcise adversariorum sententiam sustinebat."

5. Argumenta alia, nec levia, afferri possent contra hanc sententiam: sed hic sufficiat unum solum addere, quo præcipuum fundamentum ejus evertitur.

Ideo ad valorem sacramenti intentio externa in ministro sufficit, juxta adversarios, quia per illam, etiamsi non adsit intentio interna, necessario materiæ applicatur forma, sacramentum conficitur, et fit quod facit Ecclesia: eo modo quo in compositis artificialibus, quæcumque sit intentio agentis, necessario compositum resultat ex externa ejus actione, ut ex. gr. qui applicat colores telæ telam pingit, aut sigillum ceræ imprimit sigilli imaginem in cera videt impressam. Sed non ita res se habet in sacramentis. Ergo.—Minor patet: etenim actus externus, qui a ministro peragitur, per se indifferens est ad multa, et nonnisi per intentionem internam determinatur ad *esse* sacramenti. Verba utique in

sacramentis constituunt elementum determinans, cum habeant rationem formæ in composito sacramentali; sed verba quæ proferuntur non habent rationem formæ, nisi a ministro cum interna intentione proferantur faciendi quod Christus instituit; quia efficaciam ad constituendum signum productivum gratiæ non habent *ex se*, prout sunt verba *materialiter* prolata, sed prout *instituta sunt* a Christo ad constituendum sacramenti formam. Ergo tunc unice ut forma proferuntur et efficiunt cum materia compositum sacramentale, quando non *materialiter*, sed *formaliter* prout a Christo instituta sunt proferuntur; et ut sic ea proferantur, determinatio requiritur intentionis internæ.

Exempla de applicatione colorum ad telam, et similia, ad rem non pertinent: nam illæ res jam ex se, seu natura sua, determinatæ sunt ad suos effectus; verba autem sacramentorum non ex se et natura sua, sed ex institutione Christi determinata sunt ad producendum signum sacramentale dum rite materiæ conjunguntur; ac proinde effectum hunc non producunt, cum super materiam proferuntur ut natura sua sunt, seu *materialiter*, sed cum dicuntur ut a Christo instituta sunt, seu *formaliter*.

Demum quod ritus externus determinetur ex circumstantiis loci, temporis ac personarum, sine ullo fundamento asseritur, et aperte est falsum: non enim ex circumstantiis habet ritus ut sit sacramentum, sed solum ex institutione Christi; et illæ circumstantiæ, quæcumque sint, numquam per se solæ prohibent quominus ritus ad unum vel ad alium finem dirigi, unum vel aliud significare possit.

Adjiciam hic pauca ut occurram quibusdam difficultatibus.

1. Sacramenta non pendent a ministri malitia aut bonitate, quando jam in suo esse constituta sunt, sed pendent a ministro ut conficiantur; et ideo sicut ab ejus improbitate, aut ignorantia pendet, ut sacramentum non sit, dum materiam aut formam rite non adhibet, ita ab ejus improbitate pendet ut, defectu intentionis debitæ, sacramentum non conficiatur.

2. Prælatos Ecclesiæ, cum de validitate sacramentorum quæ administrata fuerant ab hæreticis dijudicabant, non legimus interrogasse de interna intentione ministri, sed de legitima forma et materia adhibita, quia dubium non occurrebat circa illam intentionem, quæ semper præsumitur nisi contrarium evidenter constet.

3. Ad difficultatem, quam exaggerant adversarii,—nempe, si sacramentum dependeret ab intentione ministri, jam scrupulorum, sollicitudinum, dubitationum circa valorem sacramentorum, circa peccatorum remissionem, imo circa ipsum legitimum Ecclesiæ regimen nullus esset finis futurus,—responsio datur obvia. Aliquam incertitudinem, quasi dicerem metaphysicam, in administratione sacramentorum inveniri non est inconveniens; nam in actionibus, quæ per homines et humano modo exercendæ sunt, nonnisi certitudo moralis haberi potest; sufficit autem ad pacem conscientiæ in negotio salutis certitudo hæc moralis. Præterea, incertitudo et anxietas, quoad validam sacramentorum administrationem, non minus ob vitiatam materiam aut formam oriri possent, quam ob intentionis defectum in ministro; et nemo putat vitium sive in materia sive in forma essentiale non obesse sacramento. Recurrendum est ergo ad divinam providentiam, quæ solum permittit ut hæc in casibus rarissimis eveniant, et, quantum necessitas fert, atque justissima Dei misericordia statuit, id quod deest suppeditat, ne homo ex ministri culpa salutis remedio destituatur, aut ne ordo Ecclesiæ perturbetur. —Nulla autem paritas est inter incommoda quæ exurgere possunt ex necessitate intentionis internæ, et ea quæ necessario sequerentur si valor sacramenti penderet ex interna sanctitate ministri: hæc enim multo magis incerta est et multo frequentius abest, quam intentio quæ nonnisi rarissime et in hominibus perditissimis deesse potest. Si status gratiæ ad conficiendum valide sacramentum requireretur, non modo in sacramentorum ministratione metaphysica certitudo de eorum validitate, sed etiam moralis frequenter non haberetur.

4. Facta quæ allegantur ad ostendendum validum esse baptismum joco acceptum, si ut vera admitti debent, facile explicantur. Etenim per jocum aliquid dupliciter potest fieri: vel, animo illud vere efficiendi, quamvis extrinsecus finis sit jocus, aut animi oblectatio; et hæc intentio jocose agendi non obest validitati sacramenti, quia non est contra intrinsecum finem qui haberi debet in sacramenti collatione, sed addit jocum ut finem extrinsecum:—vel aliquid fit per jocum, animo simulandi actionem sacramentalem; et hæc intentio est contra veritatem sacramenti, quia est contra sacramenti institutionem. In factis ergo quæ opponuntur, validum sacramentum habitum fuit, quia sufficientibus signis et præsumptionibus compertum erat, intentionem jocose agendi

fuisse prioris modi, seu cum animo et seria voluntate actionem sacramentalem efficiendi.

5. S. Augustinus in fine librorum de baptismo contra Donatistas (lib. 7. c. 53.) plures proponit quæstiones quæ ministrationem spectant sacramenti. α) "Utrum approbandum sit [seu validum sit] baptisma, quod ab eo qui non accepit, accipitur, si forte hic curiositate aliqua didicit quemadmodum dandum sit." β) Utrum valeat si ille cui datur "accipiat cum simulatione." γ) Si autem accipit cum simulatione, num perinde sit, utrum accipiat "*fallens*, sicut in Ecclesia, vel in ea quæ putatur Ecclesia; an *jocans*, sicut in mimo." δ) "Quid sit sceleratius, in Ecclesia *fallaciter* accipere, an in hæresi vel schismate *sine fallacia*, id est animo non simulato; et utrum in hæresi *fallaciter*, an *in mimo cum fide*, si quisquam inter agendum repentina pietate moveatur." ε) "Arbitremur," S. Doctor prosequitur, "aliquem etiam fallaciter dantem, *cum et tradens et accipiens fallaciter agant in ipsa unitate catholica*, utrum hoc magis baptisma sit acceptandum, an *illud quod in mimo datur, si quis existat, qui fideliter subito commotus accipiat?* . . . . Si enim nihil interest ad integritatem sacramenti in ipsa Catholica, utrum id aliqui fallaciter an veraciter agant, cum tamen hoc idem utrique agant; cur extra intersit non video, quando ille qui accipit, non simulatione palliatus sed religione mutatus est. An plus valent ad confirmandum sacramentum illi veraces, inter quos agitur, quam ad frustrandum illi fallaces, a quibus agitur et in quibus agitur? Et tamen si postea prodatur, nemo repetit; sed aut excommunicando punitur illa simulatio, aut pœnitendo sanatur."

Porro in responsione S. Aug. imprimis statuit catholicum principium: "Nobis tutum est, in ea [in eas quæstiones] non progredi aliqua temeritate sententiæ, quæ nullo in catholico regionali Concilio cœpta, nullo plenario terminata sunt; *id autem fiducia securæ vocis asserere, quod in gubernatione Domini Dei nostri et Salvatoris Jesu Christi universalis Ecclesiæ consensione roboratum est.*"—Tum ad quæstiones ipsas ait: 1. si in Concilio, ubi talium rerum quæstio versaretur, constitutus esset, auditurum se libenter, quid alii Episcopi sentirent; interim si eo modo affectus esset, quo erat cum ista dictaret, se responsurum, "habere eos baptismum, qui ubicumque et a quibuscumque illud verbis evangelicis consecratum sine sua simulatione et cum aliqua fide accepissent, quam-

quam eis ad salutem spiritualem non prodesset, si caritate caruissent, qua catholicæ insererentur Ecclesiæ; si enim habeam, inquit [Apostolus], 'fidem, ut montes transferam, caritatem autem non habeam, nihil sum.'" 2. "Jam præteritis majorum statutis," Augustinus non dubitat, etiam illos habere baptismum, qui quamvis fallaciter id accipiant, in Ecclesia tamen accipiunt, vel ubi putatur esse Ecclesia ab eis, in quorum societate id accipitur." 3. Ubi totum ludicre et mimice et joculariter ageretur, non audet quidquam vel tamquam probabile proponere de valore hujusmodi baptismi, sed putat "divinum judicium per alicujus revelationis oraculum concordi oratione et impensis supplici devotione gemitibus in Concilio implorandum fore." Tum concludit: "Quanto magis ergo nunc sine præjudicio diligentioris inquisitionis vel majoris auctoritatis illud dixisse accipiendus sum!"

Constat igitur S. Augustinum aliter de baptismo mimice collato pronuntiasse, aliter de eo qui *fallaciter* daretur.—Quoad baptismum in cujus collatione "totum ludicre et mimice et joculariter ageretur" cum nihil Augustinus affirmaverit, et expectandam dixerit sententiam Ecclesiæ; non modo Protestantes nihil ex hoc loco proficiunt, sed e contra apertissime ex Sancto Doctore erroris, rebellionis ac detestabilis pertinaciæ revincuntur: Ecclesia enim a multis retro sæculis solemniter declaravit necessariam esse intentionem saltem faciendi quod ipsa facit. —Insuper, sedulo animadverti debet, incertum esse, in quo dubius hæserit S. Augustinus, nimirum, an dubitaverit num valeat baptismus ludicre collatus sine intentione faciendi quod facit Ecclesia? an vero dubitaverit,—et hic potius videtur sensus fuisse Sancti Doctoris,—utrum mimice, ludicre baptizans *possit habere simul intentionem faciendi quod facit Ecclesia?* sicuti hanc intentionem dicitur habuisse Athanasius baptizans, puer cum adhuc esset, pueros puerili ludo.

Quod autem ad sententiam attinet S. Augustini de validitate baptismi *fallaciter* collati, dicimus immerito ex ea defensores opinionis Catharini argumentum pro se desumere; nam S. Doctor supponit baptismum validum esse fallaciter datum *non fallacia intentionis,* sed *fallacia fidei.* Et re quidem vera *fallacem* hic Augustinus intelligit eum, qui non habens de veritate et virtute sacramentorum rectam fidem, hanc tamen conferendo sacramentum simulat, quasi crederet ipsum sacramentum verum esse et productivum gratiæ; quæ vero simulatio non obstat, quominus

generalem habere intentionem possit faciendi, quod fit in Ecclesia. Ratio responsionis est *a*) quia de hac simulatione fidei tantum erat Augustinum inter et Donatistas disputatio; nulla vero unquam de intentione. *b*) Quia id palam facit totus contextus et Augustini argumentatio; hinc fallaciam hic diserte opponit fidei: *an plus*, ait, *distet inter credentem in mimo, et irridentem in Ecclesia:* item opponit fallaces *veracibus*, et per hos cœtum credentium intelligit subdens: *ubi autem neque societas ulla esset ita credentium; neque ille, qui acciperet, ita crederet*, etc. Quin toto in cap. cit. et libro nihil prorsus reperire est, unde colligi posset S. Augustinum de intentione loqui.

Nec obstat, quod S. Doctor fallaces esse dicat in ipsa Ecclesia catholica; e contra veraces dari in hæresi: "*quid sit sceleratius in Ecclesia fallaciter accipere, an in hæresi, vel schismate sine fallacia?*"—in Ecclesia vero catholica non sunt fallaces fallacia fidei, sicut nec in hæresi veraces veritate fidei.

Nam dicit esse fallaces in Ecclesia catholica interne C. Externe, et quoad corpus Ecclesiæ externum N. Pariter dicit esse veraces in hæresi fide, non supernaturali, sed solum humana. Licet enim, qui in uno hæreticus est, amittat supernaturalem habitum fidei, et nullum aliud fidei mysterium fide supernaturali possit credere; potest tamen mysteriis aliis fide humana et naturali assensum præbere, et hac fide naturali esse naturaliter verax. Sic quoque possunt esse in Ecclesia catholica hæretici occulti, interne tales, qui cum hæresim externe non prodant, et cum Ecclesia externam unitatem servent, sunt in unitate catholica adhuc, sed tantum externe et apparenter, non interne et vere.

6. S. Thomas (3. q. 64. a. 8. ad 2.) de intentione interna ministri in conficiendis sacramentis sic loquitur. "Circa hoc est duplex opinio: quidam enim dicunt quod requiritur mentalis intentio in ministro, quæ si desit non perficitur sacramentum. . . . Alii melius dicunt quod minister sacramenti agit in persona totius Ecclesiæ, cujus est minister; in verbis autem quæ profert, exprimitur intentio Ecclesiæ, quæ sufficit ad perfectionem sacramenti, nisi contrarium exterius exprimatur ex parte ministri, vel recipientis sacramentum." — Idipsum antea expresserat in 4. dist. 6. q. 1. a. 2. ad 2.: "In baptismo et in aliis sacramentis, quæ habent in forma actum exercitum, non requiritur mentalis intentio; sed sufficit expressio intentionis per verba ab Ecclesia instituta. Et

ideo si forma servatur, nec aliquid exterius dicatur, quod intentionem contrariam exprimat, baptizatus est."—Ex his auctores sententiæ adversæ S. Thomæ auctoritatem sibi favere fidenter affirmant.

Sed non recte Angelicum Doctorem interpretantur. Et re quidem vera, S. Thomas respondet, loco ex Summa theologica citato, objectioni desumptæ, ad ostendendum intentionem ministri non esse necessariam, ex incertitudine quam secus haberemus nostræ salutis; intentio enim hominis interna est nobis occulta, ac proinde veritas, seu validitas sacramenti, si ex illa intentione penderet, nobis esset ignota. Loquitur ergo S. Thomas in responsione illa non de veritate sacramenti absolute et in se, sed relate ad nos; quasi dicat, quotiescumque per verba ministri serio prolata exprimitur intentio Ecclesiæ, et contrarium exterius non declaratur, sumus moraliter certi in ministro intentionem non deesse, et verum nobis conferri sacramentum. Simili modo qui videt hostiam publicæ adorationi expositam, est moraliter certus eam esse consecratam, et tenetur eam adorare, quamvis absolute contingere possit reapse non esse consecratam. Ita verba Summæ exponunt Cajetanus, Soto, Suarez, Gotti, aliique:[1] et juxta hanc expositionem intelligi debent difficiliora verba S. Doctoris, quæ citata sunt ex 4. sent. dist 6. qu. 1.

Tria loca clarissima omnino excludunt sensum quem in locis objectis adversarii attribuunt S. Thomæ.

In Summa theologica, (3. q. 64. a. 10.) tractans de perversa intentione ministri in collatione sacramenti, ait "intentio ministri potest perverti

---

[1] Cardinalis de Lugo (de sacram. in genere, disp. 8. s. 4.) aliter intelligit mentem S. Thomæ: "Facilius," ait, "fortasse dici posset, S. Thomam non agere in his duobus locis de vero defectu intentionis internæ, nec concedere sacramentum validum, quando vere deesset omnis intentio interna, et multo minus, quando esset contraria intentio interna; sed solum agere de necessitate intentionis internæ expressæ, et explicitæ; quæ si requireretur, videretur posse reddi dubium valorem sacramentorum, saltem apud alios, qui ignorarent, an minister talem intentionem specialem habuerit. . . . Verba [S. Thomæ] videntur posse habere hunc sensum, scilicet, quamvis minister non recordetur alicujus intentionis habendæ, qua intendat facere sacramentum; eo tamen ipso, quod accedit ad operandum ut minister Ecclesiæ, jam vult implicite id quod vult Ecclesia, quod sufficit absque omni alio ad valorem sacramenti; nam licet non velit conferre sacramentum, nec ejus effectum, si tamen vult operari juxta intentionem Ecclesiæ, confert verum sacramentum; et hæc intentio semper est in ministro accedente ut ministro; et operatur, nisi forte addat aliquid in verbis, vel in actione, per quod destruat intentionem Ecclesiæ; tunc enim licet velit operari ut minister Ecclesiæ, non operabitur; ut si v. g. dicat per errorem, vel ignorantiam: 'ego non te baptizo,' etc. tunc enim intentio Ecclesiæ a ministro habita non sufficit, quia destruitur per verba contrarium exprimentia."

dupliciter: uno modo respectu ipsius sacramenti, puta cum aliquis non intendit sacramentum conferre, sed derisorie aliquid agere; et *talis perversitas tollit veritatem sacramenti, præcipue quando suam intentionem exterius manifestat.*" Præcipue nullum est sacramentum, inquit S. Thomas, cum exterius intentio derisoria manifestatur, quia tunc nullum est coram Deo et coram hominibus; sed quando illa intentio non apparet exterius, validum est sacramentum coram hominibus, qui non vident cor, at nullum coram Deo.

In opusculo 4. ad archiepiscopum Panormitanum, p. 2. de sacramentis, docet: "Requiritur etiam in quolibet sacramento persona ministri conferentis sacramentum *cum intentione conferendi et faciendi quod facit Ecclesia.* Quorum trium si aliquid desit; idest si non sit debita forma verborum, et si non sit debita materia, et si minister sacramenti *non intendit sacramentum conficere, non perficitur sacramentum.*" Hic S. Doctor aperte dicit necessariam intentionem non modo *faciendi* actum externum, sed *conferendi* sacramentum.

In 4. sent. dist. 30. q. 1. a. 3. S. Thomas, quærens "utrum matrimonium possit esse ex consensu alicujus in aliquam propter causam inhonestam," sibi objicit: "In aliis sacramentis si non servetur [a ministro] intentio Ecclesiæ, non est verum sacramentum. Sed intentio Ecclesiæ in sacramento matrimonii non est ad aliquam turpem causam. Ergo si ex aliqua turpi causa matrimonium contrahatur, non erit verum matrimonium." Respondet: "Intentio Ecclesiæ quæ *intendit tradere sacramentum,* est de necessitate cujuslibet sacramenti, ita quod *ea non observata nihil in sacramentis agitur;* sed intentio Ecclesiæ, quæ intendit utilitatem ex sacramento provenientem, est de bene esse sacramenti et non de necessitate ejus; unde si non observetur nihilominus est verum sacramentum. . . . . . Similiter ille qui *intendit matrimonium contrahere,* quamvis matrimonium *non ordinet ad illum finem quem Ecclesia intendit,* nihilominus verum matrimonium contrahit." — Ex qua responsione diserte constat ex S. Thoma necessariam esse ad veritatem sacramenti intentionem in ministro *tradendi sacramentum* [intentionem internam faciendi quod facit Ecclesia], etsi non requiratur intentio *ordinandi sacramentum ad finem quem intendit Ecclesia* [intentio specialis conferendi effectum sacramenti, seu gratiam].

PARS TERTIA

DE EFFICACITATE SACRAMENTORUM

ARTICULUS PRIMUS

De modo quo sacramenta conferunt gratiam.

Sacramenta novæ legis esse signa practica gratiæ ex divina institutione probavimus in prima parte hujus Tractatus: in secunda quomodo et cujus ministerio perficiantur ostendimus; nunc tertiam partem aggredientes, quæ sacramentorum efficacitatem spectat, primo consideramus qua ratione sint causæ gratiæ instrumentales, et inquirimus an *physice* vel *moraliter* efficiant gratiam. Ut autem in quo quæstio sita sit probe innotescat, eaque prout fieri potest elucidetur, philosophicæ ac theologicæ notiones quædam in mentem revocandæ sunt, et declarandæ.

Causa, ut verbis utar S. Thomæ,[1] "importat influxum aliquem ad *esse* causati;" *conditio* vero *sine qua non* est id quod necessario requiritur ad productionem effectus, sed in eum non influit, et ejus existentiæ rationem sufficientem non continet. Causa duplex est, *physica* et *moralis:* utraque *principalis* et *instrumentalis*. Causa *physica* per realem influxum effectum producit, et *principalis* est si eum virtute propria attingit, *instrumentalis* si solum virtute causæ principalis sibi transeunter communicata: sic pictor causa physica principalis est imaginis quam in tabellam effingit, pennicillus ejusdem imaginis depictæ causa physica instrumentalis.—Causa *moralis* est ea quæ movet causam efficientem physicam ad effectum producendum, ita ut juxta hominum existimationem ipsi attribuatur quod causa efficiens effectum producat. Hinc causa moralis *vere* est causa, et *æquivalenter* physica, quia efficax est, et "ad *esse* causati" vere influit: immo effectus aliquando magis imputatur causæ morali, quam physicæ, ut patet in domino imperante famulo ut

[1] In lib. V. Metaph. lec. 1.

aliquem interficiat. Causa moralis *principalis* merito et dignitate sua propria causam physicam movet ad effectum producendum; *instrumentalis* vero id præstat ex efficacitate principalis causæ moralis sibi communicata: quare impetratio, exempli gratia, filii regis, quæ tanti valet apud regem ut moveat eum ad concedendam veniam reo, est causa moralis principalis hujus veniæ; et epistola a filio regis conscripta, qua venia impetratur pro reo et quæ movet regem ad veniam concedendam ex eo quod impetrationem filii sui dilectissimi contineat, profecto est causa moralis instrumentalis veniæ quæ conceditur.

Jam vero sacramenta esse causam moralem gratiæ a Deo conferendæ ex principiis fidei certissimis, et ex communi doctrina Patrum ac theologorum, in decursu Tractatus expositis ac vindicatis, manifeste constat.

Etenim demonstravimus Christum esse institutorem et ministrum primarium sacramentorum; homines horum sacramentorum ministros esse secundarios, agentes non nisi nomine et auctoritate Christi; qui proinde perpetuo sacros sacramentales ritus peragit in Ecclesia per ministros suos, "non ministerio corporis, sed invisibili opere majestatis:"[1] vidimus etiam moralem hanc gestionem personæ Christi ex parte ministri maxime in sacramenti Eucharistiæ consecratione manifestari, quæ perficitur verbis Christi. Itaque sacramenta dum fiunt, moraliter sunt actiones Christi, quas ad passionis suæ fructum singulis hominibus applicandum, ipse instituit et per ministros suos jugiter exequitur; et hac ratione, ut loquuntur Patres, sacramenta continent pretium salutis nostræ, ac rubescunt sanguine Christi.[2] Ex his autem sequitur, sacramenta esse morales causas instrumentales in collatione gratiæ. Nam si sunt moraliter actiones Christi Redemptoris, qui in eis jugiter operatur, et in eis veluti exhibet Patri pretium nostræ salutis et merita passionis suæ, quæ movent infallibiliter Deum ad gratiam largiendam, vere juxta definitionem causæ moralis superius datam, causæ morales gratiæ sunt sacramenta; et causæ morales instrumentales, utpote quæ non ex se, sed a Christo et ab ejus passione dignitatem et efficaciam habent ad obtinendam gratiam. Simili modo prorex, causa moralis eorum quæ jussione sua fiunt a subditis, operatur ut instrumentum regis, propterea quod

[1] S. Aug. contra Ep. Petil. l. 3. c. 49.

[2] S. Aug. in Joan. tract. 11. n. 4., S. Chrys. hom. 84. in Joan. etc. etc.

auctoritas, quam habet, et virtus qua movet subditos, sibi est a rege communicata.

Hic tamen, antequam ulterius procedamus, difficultas non levis occurrit. Christus non est amplius in statu merendi; quapropter dum per ministros suos agit, et sacramenta confert nihil meretur, sed solum applicat nobis merita sua. Sacramenta ergo, etsi sint moraliter actiones Christi, non habent tamen meritum et vim movendi Deum, ideoque non sunt causæ morales gratiæ, sed conditiones, quibus positis, applicantur nobis merita Christi præterita, quæ vere sunt causa moralis conferendæ gratiæ.—Respondemus: operationes, quas per legatos suos Christus exercet in administratione sacramentorum, sane non ideo movent Deum ad conferendam gratiam, quia nova merita per eas Christus acquirit, sed quia applicant singulis, quibus sacramenta conferuntur, merita passionis Christi: at eo ipso quod hæc merita rite sacramenta suscipientibus *applicent*, non meræ conditiones sunt exhibentes Deo id quod eum moveat ad dandam gratiam, sed causæ, quæ vere eum movent ut det gratiam *illi* qui suscipit sacramentum. Dum actio sacramentalis perficitur, merita Christi infinita, quæ in actu primo valent ad obtinendam a Deo gratiam omnibus iis quibus applicata sint, in actu secundo *ei cui sacramentum confertur*, applicantur; et *prout ei applicantur*, movent Deum infallibiliter ad elargiendam huic gratiam. Si ergo *applicatio* ista meritorum Christi actu *movet* Deum ut gratiam conferat *ei cui* merita Christi *applicantur*, actio sacramentalis, qua fit hujusmodi applicatio, Deum movet *ut causa moralis, et non est mera conditio.*

Nec dicatur ex his sequi sacramenta esse quidem instrumenta respectu Christi, a quo accipiunt dignitatem et vim movendi Deum ad collationem gratiæ, sed non esse instrumenta Dei; adeoque falsum esse Deum per sacramentales actiones tamquam per instrumenta dare nobis gratiam, quod tamen juxta catholicam doctrinam affirmari debet.

Negamus sequelam, quia Deus est qui per Christum dedit nobis hæc media salutis, quibus meritum redemptionis singulis applicatur: ideoque Deus est qui per sacramenta æternam salutem nostram operatur. "Principalis causa efficiens gratiæ, ait S. Thomas,[1] est ipse Deus, ad quem comparatur humanitas Christi sicut instrumentum conjunctum; sacramentum autem sicut instrumentum separatum. Et ideo oportet

[1] 3. q. 62. a. 5.

quod virtus salutifera a divinitate Christi per ejus humanitatem in ipsa sacramenta derivetur."

Sed ut clarius pateat, et melius intelligatur doctrina, quam exponimus, præstat penitius inquirere, qua ratione S. Doctor dicat Deum *efficienter* per passionem Christi, et per sacramenta, quæ virtutem habent ex passione Christi, conferre gratiam.

Sensus autem S. Thomæ fit manifestus ex his quæ docet in eadem parte Summæ, q. 48. a. 6.: "Respondeo dicendum quod duplex est efficiens, principale et instrumentale. Efficiens quidem principale humanæ salutis est Deus. Quia vero *humanitas Christi est divinitatis instrumentum* . . . . ideo ex consequenti *omnes actiones et passiones Christi instrumentaliter operantur in virtute divinitatis ad salutem humanam.* Et secundum hoc passio Christi causat salutem humanam."—Ad difficultatem vero: "non videtur ejusdem esse operari per modum meriti et per modum efficientiæ, quia ille qui meretur expectat effectum ab alio. Sed passio Christi operata est nostram salutem per modum meriti. Non ergo per modum efficientiæ." Respondet: "Passio Christi secundum quod comparatur ad divinitatem ejus agit per modum efficientiæ; in quantum vero comparatur ad voluntatem animæ Christi agit per modum meriti."

Distinguit igitur S. Thomas in passione Christi rationem causæ, ut est *meritoria* et ut est *efficiens* nostræ salutis: non ita tamen ut dicat *passionem Christi per physicam efficientiam* operatam fuisse salutem nostram. Etenim his nominibus, merito adnotat P. Franzelin,[1] S. Thomas non tam designat duplicem modum efficientiæ in ipsa passione, prout est causa salutis nostræ, quam potius diversam relationem ad subjectum, quod per passionem est salutis nostræ causa. Si ergo passio Christi refertur ad Deum absolute spectatum, qui per eam vult nos salvare, passionem appellat *causam instrumentalem per modum efficientiæ,* non meritoriam; Deus enim absolute spectatus profecto salutem nostram non meretur, sed efficit. Quando autem passio refertur ad Christum hominem, qui nostram salutem per passionem suam meretur, eam ita spectatam dicit causam *per modum meriti.*

Quam doctrinam Angelicus Doctor ex Apostolo collegerat qui ait:[2] "Omnia ex Deo qui nos reconciliavit sibi per Christum . . . . quoniam

[1] De sacram. in genere, p. 108. in nota. [2] II. ad Cor. v. 18. 19.

quidem Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi." Et iterum: [1] "Reconciliati sumus Deo per mortem filii ejus . . . sicut enim per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi, ita et per unius obeditionem justi constituentur multi." Nam ut ait idem Apostolus ad Hebræos,[2] Christus: "Ingrediens mundum dicit: Hostiam et oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi: holocautomata pro peccato non tibi placuerunt; tunc dixi: ecce venio: in capite libri scriptum est de me: ut faciam, Deus, voluntatem tuam.... In qua voluntate sanctificati sumus per oblationem corporis Christi semel. . . . . Una enim oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos."—Singulis tamen hominibus, in actu secundo, seu in effectu ipso, qui est remissio peccatorum et sanctificatio, meritum Christi quibusdam intervenientibus conditionibus et causis subordinatis applicari debet. "Quia passio Christi præcessit," inquit S. Thomas,[3] "ut causa quædam universalis remissionis peccatorum . . . . . necesse est quod singulis adhibeatur ad deletionem propriorum peccatorum. Hoc autem fit per baptismum et pœnitentiam, et alia sacramenta, quæ habent virtutem ex passione Christi."

Quæ hucusque diximus valent ad aliam enodandam difficultatem. Etenim videri possent sacramenta non esse causæ morales gratiæ, quia causa moralis movet causam physicam, non autem causa physica movet moralem ad effectum producendum; ac proinde causa moralis agit per causam physicam, non hæc per illam: sacramenta vero non agunt per Deum, immo e contra Deus per sacramenta operatur, seu gratiam confert.

Verum causa dicitur agere per aliam ratione subordinationis hujus causæ sibi, sive sit causa moralis, sive sit physica. Deus ergo absolute spectatus per causam moralem, seu per merita passionis Christi liberavit nos a morte et nobis dedit vitam sempiternam, quia hæc causa meritoria, ac proinde moralis, subordinata est Deo, et ordinata ab ipso ad effectum quem misericorditer statuit obtinendum; et similiter Deus gratiam confert *per sacramenta*, quia hæc a Deo instituta sunt et ordinata ad nostram sanctificationem.

Posset adhuc quis urgere difficultatem, et ita arguere: sacramenta, si essent causæ morales, quæ moverent Deum ad gratiam conferendam,

[1] Ad Rom. v. 10–19 [2] c. 10. v. 5. et seq. [3] 3. q. 49. a. 1. ad. 4.

deberent aliquid in Deum efficere, et esse causæ gratiæ *mediatæ* non *immediatæ:* at repugnat ut sacramenta quidquam in Deum efficiant; et non mediatæ causæ sunt gratiæ, sed immediatæ. Ergo. Huic instantiæ respondet egregie P. Franzelin.[1]

Et primo, si verum esset quod sacramenta nequeunt esse causæ morales gratiæ a Deo conferendæ quia deberent juxta hanc doctrinam, in Deum agere, jam etiam neganda esset causalitas moralis omnibus meritis tam Christi ipsius quam nostris. Constat tamen certo, merita Christi valoris infiniti et opera nostra bona per gratiam facta esse Deo rationem conferendi nobis beneficia et præmia multiplicia, atque ideo veras esse causas morales beneficiorum ac præmiorum.

Directe deinde respondetur:—In Deo nihil efficitur aut effici potest; divina enim intellectio et volitio, ut est in se, et subtantialiter, est ipsamet divina essentia infinita et immutabilis. Potest tamen esse hujus divini actus alia atque alia relatio, alius atque alius respectus ad extra, cui diverso respectui ad extra, si est practicus et operans, respondet diversus effectus in rebus. Talem respectum divinæ intellectionis et volitionis substantialis ad extra appellamus divinam operationem, divinam volitionem creantem, efficientem, sanctificantem etc. pro diversitate terminorum, ad quos refertur. Neque vero hæc operatio aliquid superaddit Deo ut in se est, sed superaddit aliquid creaturæ ad quam refertur.

Hinc quando bonitas aliqua in creatis postulat aliud bonum et cum alio bono connexa est tamquam ratio ipsius, ut dignitas meritorum Christi et ex eis derivata dignitas sacramentorum postulat gratiam conferendam; illa bonitas est causa alterius hujus boni, et moraliter causat in creatura hoc bonum, non autem aliquid efficit in ipso Deo. Quia tamen voluntas divina vult hunc ipsum ordinem unius ad alterum, et ut unum sit tamquam effectus propter alterum tamquam causam moralem, causa moralis potest dici Deo ipsi esse ratio producendi physice effectum; quæ productio, ut diximus, nihil mutat in Deo sed mutat aliquid in creatura.[2] Quamvis ergo dignitas sacramentorum habens ordinem ad conferendam gratiam contineat in se rationem

[1] Op. cit. p. 117.

[2] "Voluntas Dei cum sit libera [ab omni influxu causæ extrinsecæ] magis etiam quam quævis voluntas, non habet causam nisi finem voluntatis suæ. Finis autem voluntatis suæ est sua bonitas, quæ est ipsemet. . . . . . Sed tamen effectus voluntatis

collationis gratiæ a Deo efficiendæ, et ita dici possit Deo ipsi ratio conferendi gratiam, sacramenta tamen nihil efficiunt in Deo, sed efficiunt moraliter in homine sanctificationem.

Quod vero opponitur, sacramenta, si sint causæ morales, non fore causas immediatas, distinguendum est: quatenus sunt causæ morales, non attingunt immediate *operatione physica* effectum gratiæ sed solum sua supernaturali dignitate exigunt sanctificationem hominis per infusionem gratiæ, quæ *physice* producitur a Deo, *concedo*; hoc enim ipsum dicitur, quando dicuntur causæ morales. Non sunt causæ immediatæ ipsius gratiæ sed solum fidei vel dispositionis, per quam deinde obtineatur gratia, sive ex opere operantis, sive tamquam per manum apprehendentem justitiam Christi, ut docent Protestantes, *nego*. Dicuntur scilicet sacramenta immediatæ causæ gratiæ et justificationis in oppositione ad doctrinam Protestantium, qui docent effectum sacramentorum, quatenus aliquem eis adscribunt, non esse immediate justificationem sed solum mediate, quia sacramenta, juxta hæresim de fide justificante, pertinent ad fovendam et confirmandam fidem, per quam solam justificamur.

Contra doctrinam propositam item objicitur: si in sacramentis conficiendis Christus operatur, et actiones sacramentales ipsi sunt propriæ, dum pœnitens de peccatis homo confitetur, dici posset Christus dolere, ac confiteri; dum sponsi matrimonium contrahunt, Christus contraheret: hæc autem manifeste sunt absurda. Ergo.

Respondemus: actiones sacramentales Christi nomine peraguntur, prout sunt *ritus sacri* instituti ad conferendam gratiam et prout a *ministro* sacramenti perficiuntur: cum igitur sub hac ratione actiones Christi sint, et non sub alia, nullo pacto ex doctrina quam vindicamus sequuntur absurda. Etenim dolor et confessio peccatorum sunt actus pœnitentis, seu suscipientis sacramentum, non ministri: matrimonium autem in fieri cum sit contractus legitimus simulque actio sacramentalis significans conjunctionem Christi cum Ecclesia atque significans et efficiens gratiam; sub ea ratione, qua est positio signi sacramentalis, a Chri-

ejus, scilicet ipsum volitum ordinatum ad bonitatem suam, potest procedere ex aliqua causa, quam Deus præscivit ab æterno; et istum ordinem causæ ad causatum Deus vult, et vult quod effectus sit quia causa est, non autem ita quod causalitas referatur ad voluntatem [quæ est ipsa Dei essentia] sed ad volitum, et ista causa voliti, non volendi, dicitur ratio quædam voluntatis ex parte effectus." S. Thomas 1. dist. 41, q. 1, a. 3.

sto est per ministros ab eo deputatos, qui sunt ipsi contrahentes. Quare non contrahit Christus, sed illo contractu per contrahentes repræsentat unionem suam indissolubilem cum Ecclesia : et hæc repræsentatio unionis, ex ipsius Christi institutione, est signum practicum gratiæ, quia per illud Christus applicat merita passionis suæ fidelibus legitime matrimonium contrahentibus.

Demum, objicientes aiunt : minister quandoque in ipsa administratione sacramentorum peccat, quomodo ergo ministratio illa mala potest dici moraliter actio Christi ? Sed solutio difficultatis est obvia. Ministratio sacramenti, quæ peccando peragitur a ministro, bona est quatenus moraliter est *actio* Christi, mala ut est *præcise* ministri actio. Sane eadem actio bona moraliter et mala esse non potest si ab eodem agente imperetur, et executioni mandetur : sed potest esse et non raro bona est simul et mala, si ab uno imperetur, et per alium tamquam per ministrum exerceatur. Actio sacramentalis, quæ a ministro perficitur quatenus est *actio sacramentalis,* moraliter actio Christi est agentis per ministrum, quatenus mala est a ministro, qui utique *non prout formaliter est minister Christi* circumstantiam peccati addit actioni sacramentali, sed pro ut est *peccator.*

Itaque certum est sacramenta esse causas morales gratiæ. Sed suntne etiam causæ, quæ *physica efficientia* producant gratiam ?

Quæstio hæc variam habet solutionem, juxta varium sensum quo sacramenti nomen intelligitur.—Et imprimis potest sacramentum sumi *omnino adæquate,* nimirum secundum totum quod includit in ratione sacramenti : et hoc sensu concurrit vere ad gratiam *physice* conferendam, nam sacramentum sic acceptum includit etiam divinam institutionem, a qua formaliter habet esse signum gratiæ practicum infallibile. Institutio divina, ait Cardinalis de Lugo,[1] "est actus, seu decretum aliquod divinæ voluntatis quod aliquo modo concurrit physice ad ponendam gratiam : ab illo enim decreto suo movetur voluntas divina vel sicut ab intentione, vel sicut ab actu imperante, vel alio simili modo ad voluntatem producendi gratiam hic et nunc ; qui modus concurrendi est physicus, ut constat : nam intentio non concurrit solum moraliter, sed physice ad electionem mediorum, et actus imperans ad actum imperatum ; sive ille concursus sit proprius causæ efficientis, sive in genere

[1] De sacram. in gen. disp. 4. sect. 4. n. 32.

causæ formalis seu dispositionis: semper tamen est in aliquo genere physico. Ergo sacramentum, ex ea saltem parte, qua includit divinam institutionem, potest dici quod concurrat physice ad gratiam ponendam."

Præterea si intelligimus nomine sacramenti *complexum ex signo sensibili et ex divina omnipotentia quæ ei, tamquam virtus appropriata, inest ad gratiam conferendam,* merito dici potest sacramentum esse *physice* causa gratiæ.—Ut hoc recte percipiatur, considerandum est Deum, licet in omnibus creatis rebus insit per præsentiam, potentiam et essentiam, habere tamen alios peculiares modos inexistendi in creaturis, secundum peculiares effectus divinæ præsentiæ, atque potentiæ. Sic speciali modo Deus apparebat in theophaniis, erat in templo Salomonis,[1] est in justis, in quibus inhabitat, est in beatis quibus intuitive se manifestat. Si ergo sacramenta, propterea quod sunt moraliter actiones Christi applicantis per eas hominibus merita passionis suæ, exigunt ut Deus conferat gratiam iis qui sacramenta rite suscipiunt, profecto Deus speciali modo, ut sanctificator, sacramentis unitur et operatur in sacramentis. Quare dicitur divina virtus, et Spiritus Sanctus, cui per appropriationem attribuitur hominum sanctificatio, in sacramentis inexistere, hisque uniri tamquam virtus propria, non quasi Deus uniatur physice cum sacramentis; nec etiam solum quia cum sacramenta conficiuntur, seu ad eorum præsentiam operatur Deus gratiam conferens; sed quia *moraliter* unitur sacramentis, tamquam actionibus Christi Domini exigentibus divinam operationem ad conferendam gratiam sanctificationis. Quapropter et virtus divina unitur sacramentis, atque in eis inexistit ad sanctificandos eos qui sacramenta suscipiunt; et ratio cur eis conjungatur et in eis inexistat est excellentia supernaturalis sacramentorum, quatenus sunt moraliter actiones Christi, ac proinde infallibiliter movent Deum ad gratiam elargiendam.

Hic modus intelligendi divinam virtutem in sacramentis existentem, prius ab Henrico Gandavensi, deinde a Dominico Viva egregie propugnatus, plane admittitur a Cardinale Franzelin, cui solum non arridet appellatio, juxta quam sacramenta, ratione inexistentis virtutis divinæ,

[1] "Dixitque Dominus ad eum: Exaudivi orationem tuam et deprecationem tuam, quam deprecatus es coram me: sanctificavi domum hanc, quam ædificasti, ut ponerem nomen meum ibi in sempiternum, et erunt oculi mei et cor meum ibi cunctis diebus." —III. Reg. IX. 3.

seu Dei in eis operantis, et physice producentis gratiam, causæ physicæ instrumentales ad gratiam conferendam vocarentur.

Idem re, licet aliis verbis, videtur admisisse Berti qui, amplectens Ægidii Romani sententiam, sacramentum esse contendebat *causam gratiæ instrumentalem physicam indirectam:* appellabat enim causam instrumentalem indirectam illam, "quæ non attingit effectum, sed propria actione producit aliquid, cui, aut naturali virtute, si effectus sit naturalis, aut virtute supernaturali, si effectus supernaturalis sit, effectus ipse conjungitur."

Respondimus quæstioni de physica efficientia sacramentorum, considerando simul cum sensibili signo instituto ad gratiam producendam, tum divinam institutionem, tum divinam virtutem conferentem gratiam:—nunc inspiciamus oportet solum signum sensibile, et inquiramus utrum sacramentum sit *physice* causa gratiæ, non *adæquate* et *formaliter* sumptum, sed *materialiter;* seu non prout est institutum a Deo ad conferendam gratiam, et divina omnipotentia, dum conficitur, gratiam infallibiliter confert, si nullum adsit impedimentum ex parte subjecti cui conferri debet; sed, supposita divina institutione, prout componitur rebus ac verbis constituentibus unum signum, et hoc signum a divina omnipotentia consideratur distinctum. Quæritur ergo, et quidem *de facto*, non *de possibili*, utrum *sacramentum, seu elementum sensibile et sensibile verbum*, quæ sacramentum tamquam partes essentiales componunt, *sic a Deo supernaturaliter eleventur, ut per veram actionem physicam concurrant ad sanctificandos homines:* et quæstio his terminis coarctata a theologis communiter intelligitur, cum de morali aut physica sacramentorum causalitate loquuntur.

Negaverunt hanc *physicam* causalitatem inter scholasticos antiquiores Alexander Alensis, Ricardus, Durandus, Scotus, aliique: inter discipulos Scoti nullus hac in re a sententia magistri recessit. Idem tenuerunt Melchior Cano, Martinus et Bartholomeus Ledesma, Vasquez, Becanus, Coninck, de Lugo, Pallavicinus, Duhamel, Tournely, Wirceburgenses, cum magno numero recentiorum; quibus adhæsit P. Franzelin.

Propugnant vero *physicam* sacramentorum causalitatem communiter omnes Thomistæ, vix uno vel altero excepto. Accesserunt Thomistis, Salmanticenses, Valentia, Suarez, Bellarminus, et alii. At in explicanda

hac causalitate ejus defensores magnopere inter se discrepant. Quidam putaverunt per sacramenta immediate non produci gratiam sanctificantem, sed dispositionem, qua mediante, producitur gratia: et hanc dispositionem in tribus sacramentis aiebant esse characterem, nimirum in Baptismo, Confirmatione et Ordine; in aliis esse ornatum quemdam. Dixerunt nonnulli sacramenta sanctificare hominem non efficiendo gratiam, sed unionem ejus cum anima. Tertius modus principalis "proprie ac rigorose," inquit Suarez qui eum adoptavit,[1] explicandi hanc sacramentorum efficientiam fuit asserendo "sacramenta efficere gratiam, quia ipsamet actio physica, per quam gratia fit et educitur de potentia obedientiali animæ, vere ac realiter physice pendet ab ipsis sacramentis." —Attamen qui hunc modum efficientiæ concordes tuentur in sacramentis, inter se iterum dividuntur in assignanda ratione, qua gratia physice juxta ipsos dependet in sui productione a signis sacramentalibus. Sunt qui volunt sacramenta producere gratiam per qualitatem inhærentem, et hanc alii dicunt esse spiritualem, alii vero materialem. Sunt qui affirmant qualitatem sacramentis communicatam, per quam physice efficiunt gratiam instrumentaliter, non esse completam et permanentem, sed incompletam et fluentem. Alii tenent sacramenta producere gratiam per motionem Dei transcendentem quæ elevet signum sensibile ad rationem instrumenti physici gratiæ. Alii autumant sacramentum constitui instrumentum physicum gratiæ per solam subordinationem extrinsecam ad Deum, et specialem ejus assistentiam. Alii recurrunt ad potentiam obedientialem, quæ juxta hos auctores cuivis rei inest, et elevari potest a Deo ad qualemcumque effectum producendum, eo ipso quod Deus cum ea concurrere velit concursu proportionato ad talem effectum. Alii alia dicunt.

Quid autem nobis, pro modulo nostro, in re tam varie acriterque inter theologos disputata, sentiendum videatur, thesis, quam hic subjicimus, aperiet.

---

[1] 3. q. 62. a. 4. disp. 9. sect. 2. n. 13.

THESIS XVIII.

In sacramentis, quæ veræ causæ morales sunt collationis gratiæ, potest equidem dici divina virtus, speciali modo, et ratione hujus moralis sacramentorum causalitatis, inexistere operans hominum sanctificationem; sed tamen admitti non posse videtur efficacitas qua signa ipsa sensibilia physico suo influxu concurrant ad producendum effectum sacramentalem.

Influxus physicus signorum sacramentalium ad producendam gratiam non evincitur ex Scripturis, non docetur a Patribus, et gravissimis rationibus impetitur. Ergo non est admittendus.

Antecedens probatur per partes.

I. Influxus physicus signorum sacramentalium *non evincitur ex Scripturis.* Etenim Scripturæ docent, ut probavimus thesi VI., sacramenta esse causas gratiæ, sed modum operationis signorum visibilium, utrum physicus sit an moralis, non docent. Dicimur in Scripturis "renasci *ex aqua*, salvari *per lavacrum* regenerationis, mundari *lavacro* aquæ:" sed particulæ quæ in his locis adhibentur, *ex, per*, et verba quæ ibi usurpantur, causam utique significant, non causam physicam; nam eædem particulæ, iidem omnino locutionis modi in Scripturis æque frequenter, immo frequentius, ad designandam causam moralem inveniuntur. Sic e. g., legimus: "Renati non *ex semine* corruptibili, sed *incorruptibili per verbum Dei vivi*" (I. Petr. I. 23.);—"Habemus *redemptionem per sanguinem* ejus, remissionem peccatorum" (Eph. I. 7.);—"Sanguis Jesu Christi *emundat* nos ab omni peccato" (I. Joan. I. 7.);—"Qui dilexit nos et *lavit* nos *a peccatis nostris* in sanguine suo" (Apoc. I. 5.); et similia.—Nihil ergo ex modo loquendi Scripturarum erui potest quod faveat adversariis.

Sed potius e contra, secundum indubitatam regulam interpretationis, ex illis Scripturarum locutionibus argumentum efficax desumitur pro sententia eorum, qui signorum efficacitatem physicam rejiciunt. Etenim verba Scripturæ intelligi debent juxta loquendi modum, usitatum et convenientem naturæ rei de qua agitur, non autem juxta modum, qui vel prorsus est repugnans, vel saltem non posset sine novis miraculis admitti, et captu esset difficillimus. Atqui modus loquendi Scripturarum,

si intelligitur de morali causalitate sacramentorum est in Sacris Litteris usitatus atque in communi usu hominum frequentissimus; nec non conveniens naturæ rei de qua agitur: dum e contra intelligendo loca Scripturarum juxta sententiam adversariorum sensus horum locorum vel esset prorsus repugnans, vel saltem nonnisi suppositis aliis miraculis admitti posset, et captu esset difficillimus. Ergo.—Prob. min.—Quod modus ille loquendi in Scripturis usurpetur ad designandam causam moralem jam ostendimus ex testimoniis nuper allatis; quibus adhuc unum addere juvat: "Eleemosyna a morte liberat," legimus in libro Tobiæ (XII. 9.), et *ipsa est quæ purgat peccata*," profecto non causalitate physica, sed morali.—Quod idem modus loquendi in quotidiana hominum conversatione adhibeatur, nemo est qui ignoret, cum apud omnes, et omni lingua, istæ vel similes occurrant locutiones: precibus obtinetur gratia, mandato principis tributum solvitur, per justas et providas leges augetur prosperitas civitatis.—Quod modus loquendi scripturarum, si intelligatur de morali causalitate, conveniens sit rei de qua agitur, nempe sacramentis, constat, quia omnes illam causalitatem admittere tenentur ut declaratum est in prænotatis.—Demum quod causalitas physica signorum sacramentalium vel impossibilis sit, vel saltem supponat nova miracula, et in hac hypothesi difficillima sit intellectu, certum est, quia multi ac gravissimi theologi illam causalitatem repugnare affirmant, et alii, qui eam propugnant incomprehensibilem esse fatentur, et ut aliquo modo declarent in multas et diversissimas sententias abeunt.

II. Influxus physicus signorum sacramentalium *non docetur a Patribus.*

Et re quidem vera, omnia testimonia Patrum, quæ ad præsentem quæstionem elucidandam possent afferri in duas classes dispescuntur: omnes vero physicam causalitatem, ut defenditur ab adversariis, non solum non propugnant, sed potius diserte excludunt.

In prima classe testimonia habemus, quæ exaltant efficientiam sacramentorum, et exemplis eam illustrant: præclariora retulimus ad thesim VI. stabiliendam. Porro hæc optime intelliguntur in sententia de causalitate morali, quia in eis Patres tradunt doctrinam fidei, qua tenemus sacramenta vere et proprie esse causam gratiæ, non disserunt de *modo* quo illam efficiunt; et multo minus loquuntur de efficientia physica signorum visibilium, prout distinguitur a virtute divina, quæ moraliter

eis conjungitur et in eis inexistit, ut declaravimus, ad producendum effectum sanctificationis. Sane docent Patres virtutem propriam sanctificantem sacramenti visibilis, quando dicunt undam esse salutarem, aquam regenerare hominem, visibile elementum combibere vim sanctificandi, eique esse insertam virtutem ad emundandam animam: sed hæc verissima sunt, si sacramentis ex meritis Christi inest supernaturalis dignitas exigens collationem gratiæ; et proprietate maxima locutionis sumuntur, si præsertim attenditur virtus divina, quæ, sacramentis conjuncta sanctificationem hominum operatur; sed nullo modo exprimunt elevationem ineffabilem signi visibilis qua, ut loquuntur defensores causalitatis physicæ, ipsum elementum materiale, etsi instrumentaliter, physice tamen produceret supernaturalem gratiam in anima.

In his testimoniis Patres sacramentum considerant non *materialiter*, sed *formaliter*, non prout visibile *signum* tantum attenditur *quod institutum est ad producendam gratiam*, sed *signum quod producit gratiam:* porro quæstio præsens non est de signo formaliter inspecto, sed materialiter, non prout cum divina omnipotentia conjunctum gratiam producit, sed prout a divina omnipotentia distinctum spectatur.—Ceterum, comparationes sacramentorum cum aquis producentibus pisces, cum utero materno, cum virtute supernaturali B. Virginis ad generandum Christum, nequeunt sine manifesto errore ultra scopum urgeri ad explicandum *modum* causalitatis.

S. Gregorius Nyssenus ait virtutem et efficaciam baptismi esse *incomprehensibilem, nullaque ratione vel arte explorari posse;* S. Augustinus eamdem virtutem dicit esse *inenarrabilem*, et similiter alii Patres loquuntur; sed hæc non favent opinioni nobis adversæ. Immerito prorsus ex illis verbis adversarii nostri arguunt: si baptismus foret causa moralis tantum collationis gratiæ, et non physica, non esset virtus baptismi incomprehensibilis, neque inenarrabilis; non esset locus admirationi et exclamationi; "nihil enim est," ait Billuart,[1] "intellectu facilius, et inter homines usitatius quam quod exhibitione chyrographi regis tale beneficium, seu talis pecuniæ summa conferatur."—At nonne incomprehensibilis, atque prorsus ineffabilis est divina virtus qua Deus

[1] Dist. 3. art. 2. Eadem ratiocinatio invenitur passim apud auctores qui tenent causalitatem physicam sacramentorum; immo est unum ex præcipuis eorum argumentis. V. Gotti, q. 4. dub. 3. § 1. n. 3; Drouin, de sacram. in gen. q. 4. c. 2.

justificat impium, et eum de potestate tenebrarum, et de statu in quo nascitur filius iræ, in statum transfert gratiæ et adoptionem filiorum Dei? nonne admirabile est, supra omnem captum hominis carnalis, ita ut solum fide credi possit, Christum Dominum per ministros suos in sacramentis agere, eisque applicare merita passionis suæ, et hæc signa visibilia, quæ ex se communia sunt, et minimi valoris, tantam ex institutione divina supernaturalem dignitatem habere ut Deum infallibiliter moveant ad gratiam conferendam, et sibi infallibiliter conjunctam et operantem habeant divinam virtutem? nonne in his admirationi locus est, nonne stupenda excellentia sacramentorum omnibus, prout possumus, modis exaltanda est, dum attenditur eorum effectus?—Exemplum quod afferunt adversarii minime eis prodest. Actio sacramentalis non est mera exhibitio chyrographi ad obtinendum beneficium, sed est moraliter actio Christi Salvatoris; et huic actioni unita est, ratione dignitatis suæ, ipsa omnipotentia summi regis, ad producendum effectum sanctificationis:—sed etiamsi esset sola exhibitio veluti chyrographi ad impetrandam gratiam a Deo, an non et hoc ipsum esset admirandum quod actiones, nullius dignitatis per se spectatæ, actiones quæ nullo modo per se, ut naturalis ordinis sunt, valerent non dico ad impetrandam et obtinendam gratiam supernaturalem, sed neque ad dispositionem quamdam remotam inducendam. qua posita, deinde gratia gratuito conferretur, jam ex institutione divina habeant, ut sint chyrographa ad postulandam gratiam eamque obtinendam efficacissima?

Ad secundam classem pertinent testimonia Patrum, qui dum agunt de modo quo sacramenta causam conferunt, illum explicant attribuendo efficientiam physicam *virtuti divinæ* quæ in elemento sensibili inexistens operatur, et aperte excludendo causalitatem physicam elementorum sensibilium ad producendum effectum sacramentalem.

Citamus ad exemplum quædam:

S. Ambrosius (l. 2. de sacramentis, c. 5.), ait: "Venit sacerdos, precem dicit ad fontem, invocat Patris nomen, præsentiam Filii et Spiritus Sancti: utitur verbis cælestibus. Cælestia verba quæ? Christi sunt quod baptizemus in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Si ergo ad hominum sermonem, ad invocationem sancti aderat præsentia Trinitatis, *quanto magis ibi adest*, ubi sermo operatur æternus?"—Et in libris de Spiritu Sancto (l. 1. c. 6.): "In illo aquarum sepelimur ele-

mento, ut renovati per Spiritum resurgamus. In aqua enim imago mortis, in Spiritu pignus est vitæ; ut per aquam moriatur corpus peccati, quæ quasi tumulo corpus includit; et per virtutem Spiritus renovemur a morte peccati, renati in Deo. . . . Si qua ergo *in aqua gratia*, non ex natura aquæ, sed *ex præsentia est Spiritus Sancti*."

S. Cyrillus Hierosol. (Cath. 17. de Spiritu Sancto 2., n. 35): "Tu itaque ad baptizantem accede, accede vero ad vultum visibilis hominis nullatenus attendens; sed memor esto hujus Spiritus Sancti de quo nunc dicimus. *Hic enim paratus adest, qui animam tuam consignet;* dabitque tibi cæleste quoddam et divinum, quod dæmones contremiscunt, signaculum."—Et in Catech. 21., mystagogica 3. (n. 3.): "Et sanctum istud unguentum non amplius nudum, neque si quis ita appellare malit commune unguentum est post invocationem: sed Christi donarium et Spiritus Sancti, *præsentia divinitatis ejus*, efficiens factum. . . . . . Dum unguento visibili inungitur corpus, *sancto* et *vivifico Spiritu anima sanctificatur*."

S. August. (ep. 23. alias 98. ad Bonifacium episcopum, n. 2.) inquit: "*Aqua* igitur exhibens *forinsecus sacramentum gratiæ*, et *spiritus* operans *intrinsecus beneficium gratiæ*, solvens vinculum culpæ, reconcilians bonum naturæ, *regenerat hominem* in uno Christo, ex uno Adam generatum."—Et in 1. Ep. Joan. tract. 6. n. 11.: "Aqua sacramenti visibilis est, aqua Spiritus invisibilis. *Ista abluit corpus et significat quod fit in anima: per illum Spiritum* ipsa anima mundatur et saginatur."

S. Gregorius Nazianzenus (Orat. 40. in sanctum baptisma, n. 8.), ait: "Quandoquidem autem duabus partibus, hoc est, animo et corpore, constamus, quarum altera in aspectum cadit, altera oculorum sensum fugit: duabus quoque rebus constat baptismus, aqua scilicet et Spiritu, illa visibili et corporeo modo accepta, hoc vero incorporeo et invisibili concurrente: illa typica, hoc vero, et intimos animi fines purgante. Qui primæ nativitati opem et adjumentum ferens, ex veteribus novos, ex humanis divinos efficit, absque igne nos rursus conflat, et absque confractione rursus effingit."

S. Basilius clarissime loquitur (de Spiritu Sancto, c. 15.): "Quapropter qui nostram vitam dispensat Dominus, baptismatis pactum nobis statuit, mortis ac vitæ typum habens: mortis quidem imaginem explente aqua, Spiritu vero vitæ arrham præbente. Hinc itaque nobis

perspicuum est quod quærebatur, quamobrem aqua conjuncta fuerit Spiritui. Cum enim duo scopi propositi sint in baptismo, tum videlicet ut aboleatur corpus peccati, ne postea fructificet morti, tum ut vivatur Spiritu, et fructus habeatur in sanctificatione; aqua mortis exhibet imaginem, corpus velut in sepulcro recipiens; Spiritus vero vim vivificam immittit, a morte peccati renovans animas nostras in pristinam vitam. Hoc igitur est denuo nasci ex aqua et Spiritu: quippe quia mors perficitur in aqua, vitam vero nostram Spiritus operatur. Tribus igitur demersionibus, ac totidem invocationibus, magnum baptismatis mysterium peragitur, ut et mortis figura exprimatur, et per traditionem divinæ scientiæ animus illustretur eorum qui baptizantur."

Nec minus diserte S. Greg. Nyssenus (Orat. in baptismum Christi), ait: "Baptisma igitur peccatorum expiatio est, remissio delictorum, renovationis et regenerationis causa; regenerationem autem intellige eam quæ cogitatione cernitur, oculis non videtur. . . . Hoc autem beneficium non aqua largitur (esset enim omni creatura sublimior) *sed Dei præceptum et Spiritus*, qui mystice ad nostram libertatem venit, *accessus. Aqua vero subservit ad ostendendam purgationem.* Quoniam enim sordibus et cœno fœdatum corpus aqua lavantes purum reddere solemus, propterea etiam in mystica actione eam adhibemus, re sub sensum cadente incorporeum splendorem significantes."

Demum auctor sermonis *de baptismo Christi* (inter opera S. Cypriani) inquit: "Remissio peccatorum sive per baptismum, sive per alia sacramenta donetur, propria Spiritus Sancti est, et *ipsi soli hujus efficientiæ privilegium manet.* Verborum solemnitas, et sacri invocatio nominis et signa institutionibus apostolicis sacerdotum ministeriis attributa, visibile celebrant sacramentum, rem vero sacramenti [effectum] Spiritus Sanctus format et efficit."

Nec ad eludendam vim horum testimoniorum valet quod asserit Suarez, nimirum, per has locutiones solum negari sacramentis influxum physicum causæ principalis, non vero causæ instrumentalis. Id, animadvertit de Lugo, videtur manifestam vim inferre verbis adductis; nam non ita universaliter negaretur causæ instrumentali omnis influxus, ut faciunt testimonia mox citata. Exemplum habemus in sententia ipsius Suarez, qui docet intellectum et voluntatem ea ratione concurrere cum habitibus infusis ad actus supernaturales, ut habitus sit

causa principalis, intellectus autem et voluntas, quia concurrunt per potentiam obedientialem, habeant solum concursum causæ instrumentalis; et tamen nemo dicet voluntatem nostram, quando elicimus actum supernaturalis dilectionis Dei, nihil omnino agere, sed totam actionem tribuendam esse soli gratiæ Dei; hæc enim propositio damnatur in Tridentino sess. 6. c. 5. et can. 4.: ergo similiter falsum est dicere, Spiritum Sanctum solum efficere gratiam, sacramentum autem eam non producere, si sacramentum concurreret physice, tamquam causa instrumentalis physica, et immediata; et consequenter Patres per illas locutiones voluerunt procul dubio explicare veram causam physicam gratiæ, quæ est solus Deus, sine ullo concursu physico ipsius sacramenti.

Argumentum aliud speciale ex illis Patrum documentis desumitur, quibus docent sacramentum cum obice receptum effectum habere et conferre gratiam ablato obice. Sic, speciminis gratia, S. Augustinus[1] ait: "Tunc incipit valere idem baptismus ad dimittenda peccata, cum ad Ecclesiæ pacem venerint, non ut jam dimissa non retineantur, neque ut ille baptismus quasi alienus, aut alius improbetur, aut aliter tradatur; sed ut idem ipse, qui propter discordiam foris operabatur mortem, propter pacem intus operetur salutem."—Et alio loco a nobis superius citato:[2] "Ipse [Deus] sanctificat sacramentum suum, ut homini, sive antequam baptizetur, sive cum baptizatur, sive postea quandoque ad se veraciter converso, *idipsum* valeat ad salutem, quod ad perniciem nisi converteretur, valeret."—Jam vero ex hac doctrina ita licet arguere: Patres dicunt baptismum eodem modo conferre gratiam quando homo cum debitis dispositionibus, sine peccati obice actu baptizatur, ac quando ille, qui baptizatus fuerat cum obice ad gratiam, obicem removet. Sed communiter adversarii fatentur loca Patrum, in quibus sermo est de gratia baptismi, quæ confertur baptizato cum obice, quando obicem aufert, significare causalitatem moralem baptismi, non physicam. Ergo admitti debet et alia loca, in quibus Patres loquuntur de gratia quæ confertur in baptismo collato sine obice ex parte suscipientis, intelligenda esse secundum eamdem moralem causalitatem.—Ad demonstrandam minorem hujus argumenti, audiatur ipse Suarez.[3] "Aliqui Thomistæ conantur defendere effectum sacramenti, qui datur recedente fictione, fieri effective et physice a sacramento præterito, et

[1] Lib. 3. de bapt. contra Donat. c. 13. [2] p. 162. [3] Disp. 9. sect. 2. n. 20.

putant esse posse instrumentum physicum ac reale, id quod præteriit, licet nunc non sit neque in se, neque in aliqua reali virtute, quam reliquerit. Sed hæc doctrina est falsa, ut late ostendi in prædicta disput. 1. tomi, et ideo in ea impugnanda hic amplius non immorabor. Alii ergo dicunt, effectum fieri proprie et physice a virtute reali relicta a sacramento, quod præteriit, et ratione illius tribui hanc efficientiam ipsi sacramento; hanc autem virtutem dicunt esse characterem in his, quæ imprimunt illum: nam cum sit res et sacramentum simul, mirum non est, quod efficere possit rem tantam, quæ est gratia. In aliis vero fortasse dicerent esse ornatum, vel aliquid simile. Sed hoc de ornatu in superioribus est satis improbatum. . . . . De charactere vero non est dubium, quin possit Deus, si velit, uti illo, ut instrumento ad infundendam gratiam, recedente fictione: tamen certum est primo et per se non infundi characterem ad hunc finem, ut postea videbimus: unde sine fundamento dicitur Deum uti illo, ut instrumento. Quando enim a principio infunduntur simul character et gratia, non fit gratia a charactere, sed utrumque fit immediate a sacramento: ergo, quando gratia confertur post characterem propter priorem obicem, non est cur gratia fiat a charactere. Item si gratia baptismalis semel habita per peccatum amittatur, et postea per pœnitentiam reparetur, non fit physice a charactere: ergo neque quando primo acquiritur, et quasi reparatur, recedente fictione. Denique cum hoc non sit connaturale characteri, nec per se pertineat ad finem, propter quem datur, non est hoc asserendum sine fundamento: imo cum character non sit quasi virtus instrumentalis baptismi, neque ad hoc detur, ut suppleat efficientiam baptismi in absentia ejus, parum videtur conferre ut Baptismus dicatur efficere gratiam, quod character elevetur ad illam efficiendam, necne: quia hoc est mere accidentarium baptismo. Atque eisdem fere rationibus refellitur alia responsio, quæ excogitari potest, scilicet fictionem semper tolli per aliquem actum hominis, contritionis vel attritionis, et illum actum efficere gratiam in virtute prioris sacramenti. Nam, licet hoc fieri possit volente Deo, tamen gratis dicitur: tum, quia ille actus non est pars sacramenti præcedentis: tum etiam, quia si simul concurreret cum ipso sacramento, v. g. baptismi, non haberet hanc efficientiam: tum denique, quia ille actus non est virtus, vel instrumentum prioris sacramenti. Respondetur ergo, in eo casu sacramentum præ-

teritum non concurrere per physicam efficientiam ad gratiam præstandam."

III. Prima et urgens ratio quæ contra physicam efficientiam sacramentorum adducitur sic se habet:—sacramenta, excepta Eucharistia, quando producunt gratiam, physice non sunt. Sed id quod physice non est non potest operari physice: operari enim supponit esse. Ergo sacramenta non possunt physice producere gratiam. Major probatur quia omnia sacramenta, præter Eucharistiam, consistunt in aliqua ratione quæ est res successiva et secundum quamcumque sui partem simul fere ac est, esse desinit.

Reponunt adversarii gratiam per sacramentum produci in instanti ultimo terminativo prolationis verborum, dummodo non ponatur obex. Sed si tunc conferatur gratia quando nihil sacramenti physice existit, nisi sonus ultimæ syllabæ formæ sacramentalis, nullo modo potest dici gratiam conferri quando sacramentum ipsum physice existit; quia ille syllabæ sonus non est profecto sacramentum.

Et jam ex hac ipsa adversariorum responsione rejicitur eorum sententia. Nam si tota causalitas physica sacramenti reducitur ad ultimam sacramenti partem, non omnes partes sacramenti causant *physice* gratiam, sed solum *moraliter;* ideoque non datur physica efficientia in signo sacramentali, sed moralis: efficientia enim gratiæ *non est in ultima indivisibili parte sacramenti, sed in sacramento.*

Aiunt totum sacramentum gratiam efficere per illam ultimam sui partem, eodem fere modo ac dicitur homo ipse videre licet per oculum videat, et qui tangit superiorem partem tabulæ recte dicitur tangere tabulam. Respondetur: denominationes illæ tribuuntur toti, quia denominationes sunt suppositorum; dici autem nequit totum sacramentum *physice* efficere gratiam per ultimam syllabam quæ pronuntiatur, quia prolatio verborum non est suppositum, cum non sit unum per se subsistens, sed aggregatum ex diversis vocibus.—Nec objiciatur, ex illis vocibus, etsi non resultet unum ens per se, resultare tamen unum successivum in ratione unius orationis completæ, in qua possunt etiam prædicata unius partis tribui toti. Instantiam refutat de Lugo, animadvertens hanc unitatem non esse majorem, *physice loquendo*, cum vocibus ejusdem formæ sacramentalis, quam cum præcedentibus orationibus; ac proinde si, ex. gr. in Eucharistiæ consecratione verba formæ quæ

præcedunt ultimam syllabam, dicuntur *physice* causare consecrationem, sic etiam possemus de tota Missa dicere, vel saltem de aliis verbis et orationibus immediate præcedentibus. Quocirca si potior aliqua causalitas tribuenda est verbis consecrationis præcedentibus prolationem ultimæ syllabæ, illa *non est physica, sed moralis*, fundata in majori unitate morali quam inter se habent verba consecrationis, et in vi, qua gaudent prout moraliter conjunguntur inter se, et cum materia unum compositum morale efficiunt, ut Deum moveant ad effectum sanctificationis producendum: hæc autem vis profecto non est in aliis verbis formam sacramenti præcedentibus.

Alia ratio contra physicam causalitatem sacramentorum procedit ex eo quod, in quibusdam saltem casibus, desit signo sacramentali conditio requisita ad physicum influxum causæ physicæ instrumentalis. Etenim omnis causa physica attingere debet contactu physico, saltem virtutis a se profluentis, subjectum in quod agit. Sed nullo modo in quibusdam saltem casibus sacramenta attingere possunt subjectum in quod agunt. Ergo.—Minor est evidens in casu matrimonii inter absentes celebrati per procuratores. Quis enim, quæso, admittere vellet cum Thomistis[1] Deum, qui est ubique præsens, præsentem reddere subjecto distanti solam virtutem sacramenti, quæ instrumentaliter concurrit juxta ipsos ad gratiam efficiendam, quin præsens ibi reddat physice ipsum sacramentum, in quo illa virtus invenitur? Quid, etiamsi possibile foret, cogeret nos ad id admittendum ut explicaremus sacramentorum causalitatem?

Præterea,—et hoc est novum argumentum quod afferunt defensores moralis causalitatis—ut sacramentum physice agat in animam ad efficiendam gratiam, debet elevari supernaturaliter ad talem effectum producendum. Quomodo elevatur? Qui causalitatem physicam propugnant, maximopere, ut adnotavimus, inter se dissentiunt in elevatione illa explicanda. Tres sententiæ sunt magis receptæ. Thomistæ communiter admittunt aliquam virtutem esse in sacramentis communicatam, quam dicunt pertinere reductive ad genus qualitatis: alii etiam inter Thomistas dicunt sacramenta elevari supernaturaliter per motionem quamdam divinam, qua instrumentaliter producunt gratiam: Suarez negat elevationem signorum sacramentalium fieri per quid eis superadditum, et ait *ipsammet entitatem rei, hoc ipso quod creata est et*

[1] V. Gotti, l. c. n. 18.

subordinata primo agenti, esse in potentia obedientiali activa ad efficiendam gratiam.

Sed ad primam sententiam quod attinet, ut omittam multa, quibus impugnatur a Suarez, contra eam est primo, quod signum sacramentale cum virtute communicata, de qua loquuntur Doctores qui eam defendunt, non haberet se per modum instrumenti, sed ageret ut causa principalis: sicut intellectus una cum lumine gloriæ non producit visionem beatificam ut instrumentum Dei, sed ut causa principalis, quemadmodum aliæ causæ secundæ suos producunt effectus.—Secundo, si esset aliqua qualitas quæ posset producere gratiam, vel maxime id faceret actus caritatis, sicut actus naturales producunt suos habitus: vel una gratia produceret aliam, sicut calor calorem: nulla enim causa creata potest supponi magis proportionata ad effectum producendi gratiam quam supra dictæ. Ergo cum hæ id non possint, sine fundamento aliæ qualitates dicuntur id posse. Tertio, vel dicta qualitas haberet ex natura sua in se sufficientem vim ad gratiam in anima producendam simul cum sacramento, sicut lumen gloriæ una cum intellectu habet vim producendi visionem beatificam; vel non. Si primum dicatur, sequetur aliquam creaturam, scilicet compositum illud ex sacramento et illa qualitate, posse naturaliter hominem justificare, sive habere ex natura sua sufficientem vim ut peccata dimittat, et hominem justificet, et ex filio diaboli faciat filium Dei: præsertim in sententia Thomistarum, qui tenent gratiam physice expellere peccata, sicut lux expellit tenebras. Hæc tamen consecutio est omnino absurda, et inter catholicos inaudita, qui dicunt solum Deum ut causam principalem posse hominem justificare. Si secundum dicitur, tunc debebit hæc qualitas ulterius elevari ad gratiam producendam, et res ibit in infinitum.

Secunda sententia docet sacramenta elevari ad producendam gratiam per quandam divinam motionem: sicut instrumenta ab artifice moventur ad producendum opus artificiale. Sed intelligi nequit qua ratione hic motus det sacramentis vim producendi gratiam. Nam si velimus argumentari ab instrumentis artificum, contrarium probabimus; hæc enim ut mota ab artifice proprie nihil producunt, quemadmodum serra, securis, ascia, etc. tantum secant et dividunt materiam, penicillus tantum imbibit colores, iisque suo affrictu tabulam inficit, et similiter fit in ceteris, adeoque proprie nihil agunt, ad quod naturalem vim non habent.

Sane securis fortuito decidens posset findere lignum, aut penicillus imbutus colore inficere tabulam: artifex autem ea dirigendo tantum efficit, ut certo modo et ratione secundum artem ea faciant, quæ alias casu allisa inordinate facerent. Hinc eadem directio potest fieri per agentia mere naturalia certo modo disposita: ut patet in aqua vertente molam et per eam movente serram, qua ligna secantur, eodem modo ac si ab artifice moveretur. Secundum autem sententiam quam impugnamus Deus movendo sacramenta daret eis vim producendi gratiam, ad quem effectum ex se sunt ineptissima, sicut si quis vellet uti securi ad intelligendum. Quare per solum motum non possunt ad illum effectum aptari, sicut nec securis ad intelligendum. Confirmatur. Quia vel hic motus habet in se aliquam intrinsecam vim activam proportionatam tali effectui; vel non. Primum videtur per se absurdum: quomodo enim motus habebit vim, quomodocumque inchoatam, activam producendi nobilissimum effectum seu gratiam? Deinde ex eo sequerentur incommoda contra primam sententiam allata. Si secundum dicatur, quomodo motus poterit talem vim communicare sacramento, quam in se non habet? Quod si præter motum Deus debet alia ratione sacramentum elevare, eique hanc vim tribuere; explicandum erit qua ratione id fiat, et frustra erit ille motus.

Tertia sententia, quam defendit Suarez, docet cuivis rei inesse potentiam quamdam, quæ possit a Deo elevari ad producendum quidquid non implicat contradictionem; ac proinde illam esse quæ in sacramento elevatur ad gratiam producendam. Sed ut res aliqua elevata a Deo vere physice aliam producat, non sufficit ut Deus ad ejus præsentiam rem alteram producat; sed necesse est, ut ipsa etiam tamquam causa partialis in rem illam influat per vim activam sibi intrinsecam: sicut intellectus per vim sibi connaturalem et intrinsecam influit in visionem beatificam, eamque ut causa partialis una cum lumine gloriæ producit. Nisi enim res elevata influat vere in effectum, non poterit dici hunc producere; et nisi habeat vim aliquam intrinsecam activam aliquo modo proportionatam huic effectui, ita ut simul cum concursu, sive virtute concurrente causæ elevantis, sit nata constituere integram causam proportionatam effectui, intelligi nequit quomodo in eam influat. Nam actio non solum supponit agens esse, sed etiam habere vim agendi: ideoque sicut quod non est, nequit elevari ad agendum: sic nec id quod nullam habet vim agendi, ad hoc elevari potest.

Præterea ad hoc ut res aliqua elevata a Deo physice aliam producat non solum requiritur ut ipsa in eam vere influat per vim activam sibi intrinsecam, sed insuper debet esse ei aliquo modo proportionata, ita ut ex se cum concursu generali possit producere aliquem effectum, qui saltem analogiam quamdam habeat cum effectu supernaturaliter producendo. Quare requiritur ut effectus differat a causa ut imperfectum a perfecto, idque vel intra eandem speciem sicut color ut duo a colore ut octo, vel ita ut effectus perfectior sit diversæ speciei ac altioris ordinis, ita tamen ut uterque sit aliqua ratione ejusdem generis, ratione nempe ordinis quem dicunt ad eamdem potentiam: qualis analogia est inter cognitionem Dei naturalem et visionem beatificam. Non esse autem in qualibet re talem potentiam respectu cujusque effectus, patet, quia quantitas ex. gr. nihil potest per se producere, quod habeat talem analogiam cum gratia.

Dices, hæc potentia non est talis ut possit aliquid per se producere, sed essentialiter exigit singularem Dei concursum, ut possit exire in actum. Verum hoc dici nequit, tum quia contrarium videtur sequi ex dictis; tum, quia cum omnis potentia activa tendat naturaliter in aliquem actum, exigit naturaliter omnia ea, quæ necessaria sunt, ut possit exire in actum. Hinc omnis vis agendi exigit concursum generalem ut sibi connaturalem. Quare si daretur in omnibus rebus vera potentia activa, quæ sine singulari illo Dei concursu non possit exire in actum, et cum eo possit; hic concursus ei foret connaturalis, non secus ac concursus universalis: effectus foret naturalis, quia secundum exigentiam et inclinationem creaturæ; immo et concursus foret potius ex natura rei universalis quam particularis, quia rebus omnibus secundum naturalem earum inclinationem debitus erit. His accedit, quod secundum sententiam de qua loquimur videretur posse brutum elevari ad intelligendum et videndum Deum ipsum, quod absurdissimum est.

Respondent aliqui.—Propositionem illam, *Quodlibet potest a Deo elevari ad quodlibet producendum*, intelligendam esse, nisi hoc implicet per illud produci: implicare autem brutum intelligere, quia sic esset rationale. Sed etsi dicta propositio ita intellecta sit per se clara, nec possit negari, tamen nihil facit ad præsens propositum. Quia inde non magis sequetur sonum vel lotionem posse producere gratiam, quod illi contendunt, quam ejus contradictorium, aut quam

brutum posse intelligere: quare tunc probandum erit illud non implicare contradictionem, dandaque erit ratio cur corpori minus repugnet gratia, ac actio omnino spiritualis, quam bruto repugnet ratio ac imaginationi intellectio. Nam si communem sensum consulamus, imaginatio videtur magis proportionata intellectioni, quam sonus productioni gratiæ.

Respondent alii.—Posse quidem imaginationem bruti elevari ad producendam intellectionem, ejusque oculum ad producendam visionem beatificam (quia id necessario ex illo principio sequitur), non tamen brutum ideo intellecturum aut visurum Deum. Sed e contra videre ac intelligere nihil est aliud quam intellectionem ac visionem sibi inhærentes vitaliter producere, nec concipi potest quid aliud præterea requiratur; quia hoc ipso quod potentia ita producit intellectionem, tendit per eam in rem intellectam, eamque sibi repræsentat. Nec dicas imaginationem posse quidem producere intellectionem, non tamen eam in se recipere, aut vitaliter producere; quia nulla ratio potest reddi cur unum magis implicet quam alterum: imo facilius potest intelligi corporale posse in se recipere aliquid spirituale, quam hoc producere. Et rursus cum imaginatio sit potentia vitalis, nulla potest reddi ratio cur si possit intellectionem sibi inhærentem producere, non possit id vitaliter facere, Deo singulariter concurrente. Si dicas hoc repugnare ejus naturæ, similiter dicam, repugnare rei corporali producere aut recipere in se aliquid spirituale.

Præterea secundum communiorem sententiam implicat oculo corporeo videri sonum, aut rem mere spiritalem. Ergo implicat corpus producere aliquid spiritale: hoc enim videtur multo magis extra objectum potentiæ activæ rei corporalis, quam spiritus sit extra objectum potentiæ visivæ oculi, quæ ratione animæ est aliquo modo spiritalis; et difficilius est producere rem spiritalem, quam circa illam agere.[1]

Sed supponamus rationes a nobis propositas non omnino evincere absolutam repugnantiam causalitatis physicæ sacramentorum, certum semper manet, ex confessione ipsius Suaresii, opinionem, quæ hanc causalitatem defendit, esse "*valde incertam, et ad hominum sanctificationem non multum conferre;*" manet ex ejusdem Doctoris sententia "*causalita-*

[1] Vide de hac quæstione P. Coninck, de sacram. q. 62. a. 4.

tem moralem sufficere ut sacramentum dicatur conferre gratiam ex opere operato."[1] Ergo cum opinio de causalitate physica signorum sacramentalium in Scripturis non fundetur, non deducatur ex Patribus, et certe reddat explicationem dogmatis difficillimam, si non prorsus inintelligibilem, omnino videtur rejicienda.—Caveamus, ut monuit Vasquesius, ne hoc modo virtutem sacramentorum explicemus, ut hæreticis præbeamus occasionem irridendi mysteria nostræ fidei, atque jactandi ad angustias maximas nos esse redactos pro defendenda sacramentorum efficacia ad conferendam gratiam ; quam tamen efficaciam juxta doctrinam de morali causalitate, accurate, perspicue, solide ac invincibiliter ex Scriptura et Patribus tueri possumus.

SCHOLION 1.—Etsi sacramenta novæ legis non physica, sed morali efficientia gratiam conferant, differunt tamen prorsus quoad efficacitatem a sacramentis ante legem evangelicam institutis. Hæc *non erant causæ gratiæ,* quia vim non habebant qua Deum moverent ad gratiam conferendam; sed conditiones erant, quibus positis, Deus eam dabat propter merita futuri Liberatoris: sacramenta vero novæ legis sunt *causæ gratiæ,* quia sunt actiones quas moraliter per ministros suos ad passionis suæ fructum applicandum Christus peragit, et vim habent qua Deus infallibiliter movetur ad gratiam elargiendam. Confer quæ diximus in 1. parte, articulo 2. cum iis quæ nuper articulo præcedenti adnotavimus circa moralem sacramentorum nostrorum causalitatem.—"Quia mysterium Incarnationis et passionis Christi nondum erat realiter peractum, veteris legis cœremoniæ non poterant," ait S. Thomas,[2] "in se continere realiter virtutem profluentem a Christo incarnato et passo, sicut continent sacramenta novæ legis; et ideo non poterant a peccato mundare."

SCHOLION 2.—Auctoritas S. Thomæ tum a patronis causalitatis physicæ, tum ab eorum adversariis invocatur: quinam vero sint qui merito id faciant, sequentia ostendunt.

1. Nullibi Sanctus Doctor *nominat* causalitatem physicam sacramentorum.

2. Constanter defendit virtutem aliquam supernaturalem esse in

---

[1] q. 62. a. 6. disp. 10. sect. 2. n. 7. [2] 1. 2. q. 103. a. 2.

sacramentis, qua vere fiunt instrumentales causæ gratiæ, non ut adstruat causalitatem physicam, sed ut rejiciat, tamquam doctrinæ fidei repugnantem, sententiam illorum qui sacramenta assimilabant meris signis aut *conditionibus sine quibus* effectus non producitur.

In 4. sent. dist. 1. q. 1. a. 4. sol. 1. ait: "Omnes coguntur ponere, sacramenta novæ legis aliquo modo causas gratiæ esse, propter auctoritates quæ hoc expresse dicunt. Sed diversi diversimode eas causas ponunt. Quidam enim dicunt, quod *non sunt causæ* quasi facientes aliquid in anima, sed *causæ sine quibus non*. . . . Sed hoc non videtur sufficere ad salvandum dicta sanctorum. Causa enim sine qua non, si *nihil omnino faciat ad inducendum effectum* . . . quantum ad rationem causandi, nihil habebit supra causas per accidens . . . . . et secundum hoc sacramenta essent causæ per accidens tantum sanctificationis."

In Summa Theologica (3. q. 62. a. 1.) refutando eamdem sententiam loquitur de exemplo de quo egerat in loc. cit. ex libro 4. sent., nempe de denario plumbeo. "Quidam dicunt," inquit, "quod *non sint causa* gratiæ (sacramenta) aliquid operando... et ponunt exemplum de illo qui afferens denarium plumbeum, accipit centum libras ex regis ordinatione: *non quod denarius ille aliquid operetur* ad habendam prædictæ pecuniæ quantitatem; sed hoc operatur *sola voluntas* regis. . . . . Secundum hoc igitur sacramenta novæ legis nihil plus essent quam signa gratiæ; cum tamen . . . . . sacramenta novæ legis *non solum significant*, sed *causant* gratiam." Deinde efficacitatem sacramentorum nostrorum per virtutem a Deo participatam adstruit his verbis: "Et ideo aliter dicendum quod duplex est causa agens, principalis et instrumentalis. . . . . Causa vero instrumentalis non agit per virtutem suæ formæ, sed solum per motum quo movetur a principali agente. . . . Et hoc modo sacramenta novæ legis gratiam causant: *adhibentur* enim ex divina ordinatione hominibus ad gratiam in eis causandam. . . . Hoc autem proprie dicitur instrumentum per quod aliquis operatur." [1]

[1] Billuart (disp. 3. a. 2.) qui conatur physicam efficientiam signorum sacramentalium vindicare auctoritate Angelici refert quæ citavimus verba Summæ (a. 1. q. 62.), ubi S. Thomas docet sacramenta non esse solas *conditiones* ad conferendam gratiam, ut denarius plumbeus est *conditio sine qua non* datur pecunia; et addit: "En ipsissima sententia adversariorum." Deinde citat sequentia verba S. Doctoris, dicens: "Rejecta itaque hac sententia [quæ excludit physicam causalitatem sacramentorum], nostram sic adstruit." Et concludit: "Sit cæcus aut præjudiciis occupatus qui hic non agnoscit causalitatem physicam sacramentorum esse de mente S. Thomæ; s c

3. S. Thomas sæpissime docet sacramentorum virtutem derivari ex passione Christi, eamque in eo consistere quod nobis singulis, dum suscipiuntur, meritum passionis applicant. "Sacramenta Ecclesiæ specialiter habent virtutem ex passione Christi, cujus virtus quodammodo nobis copulatur per susceptionem sacramentorum." 3. q. 62. a. 5.—"Necessarium fuit exhiberi hominibus quædam remedia per quæ eis beneficium mortis Christi quodammodo conjungeretur. Hujusmodi autem esse dicuntur Ecclesiæ sacramenta." Contra Gentes, l. 4. c. 56.—"Sacramenta habent virtutem instrumentalem ad spiritualem effectum . . . per conjunctionem ad Christum crucifixum et passum." Quodlib. 12. q. 10. a. 14.—"Sanguis Christi pro nobis effusus habuit vim ablutivam peccatorum et sic humanitas Christi est instrumentalis causa justificationis: quæ quidem causa nobis applicatur spiritualiter per fidem, et corporaliter per sacramenta . . . ad hoc scilicet ut effectum sanctificationis, quæ est Christi, in nobis percipiamus. Unde illud est perfectissimum sacramentum in quo corpus Christi realiter continetur, scilicet aliorum consummativum. . . . Alia vero sacramenta participant aliquid de virtute illa qua humanitas Christi instrumentaliter ad justificationem operatur, ratione cujus sanctificatus baptismo sanctificatus sanguine Christi dicitur ab Apostolo, Heb. x. Unde passio Christi in sacramentis novæ legis dicitur operari; *et sic* sacramenta novæ legis *sunt causa gratiæ quasi instrumentaliter operantia ad gratiam.*" De Veritate, q. 27. a. 4.—Et eodem articulo, responsione ad 14.: "Sacramenta novæ legis non sunt infirma elementa, sed valida, *in quantum* eis passio Christi operatur. Sacramenta vero legis, quæ *passionem Christi præcesserunt*, dicuntur infirma, ut patet Gal. IV. 9."

4. Sanctus Doctor declarat virtutem instrumentalem sacramentorum totam esse ex motione Dei et Christi, et hanc motionem esse reponendam in *institutione, sanctificatione* et *applicatione* signorum sacramentalium:

---

enim et non aliter loquimur Thomistæ."—Sed ex una parte, quos Billuart impugnat, docent sacramenta esse non *conditiones* sed *causas instrumentales* gratiæ; et omnino repudiant exemplum de denario plumbeo, prout valeret ad efficacitatem sacramentorum elucidandam: ex alia vero parte S. Thomas in verbis citatis solum adstruit *sacramenta, ut causas instrumentales causare gratiam: adhibentur enim,* inquit, *ex divina ordinatione ad gratiam in hominibus causandam; et hoc proprie dicitur instrumentum per quod aliquis operatur.*—An amor nimius erga scholam. in qua theologicis disciplinis initiatus fuerat, impedivit, quominus theologus ille egregius æquius et verius judicaret?

quatenus nempe actio sacramentalis divinitus instituta fuit et ordinata ad hominum sanctificationem, per applicationem meritorum Christi ei qui suscipit sacramentum. "Sacramenta operantur ad gratiam prout sunt quasi mota a Deo ad hunc effectum, qui quidem motus attenditur secundum *institutionem, sanctificationem et applicationem* ad eum qui accedit ad sacramentum." De veritate, q. 27, a. 4. ad 4.—"Vis spiritualis est in sacramentis, *in quantum ordinantur* a Deo ad effectum *spiritualem*," 3. q. 62. a. 4. ad 1. "Virtus instrumentalis acquiritur instrumento ex hoc ipso quod movetur ab agente principali, ita et sacramentum consequitur spiritualem virtutem *ex benedictione Christi* et *applicatione ministri* ad usum sacramenti." Ibid. ad 3.—"Hujusmodi res visibiles salutem spiritualem operantur . . . ex institutione Christi, *ex qua* virtutem instrumentalem consequuntur." Contra Gentes, l. 4. c. 56.—"Congruum fuit ut remedia quibus universalis causæ virtus pertingit ad homines illius causæ similitudinem haberent, ut scilicet in eis *virtus divina* invisibiliter operaretur *sub visibilibus signis*," Ibid.

5. S. Thomas docet sacramenta *significando conferre gratiam.* Sed *significatio* in signis sacramentalibus non potest intelligi ut virtus physica aliquid physica operatione efficiens. Ergo.—Minor est aperta: Major vero constat ipsis verbis Angelici. "Sacramentum secundum propriam formam significat, vel natum est significare effectum illum ad quem divinitus ordinatur; et *secundum hoc* est conveniens instrumentum, *quia sacramenta significando causant.*" De verit. art. cit. ad 13.

6. Ex doctrina S. Thomæ, *solus* Deus est qui gratiam in sacramentorum ministratione operatur; signa vero sacramentalia non operantur nisi instrumentaliter, juxta sensum istius locutionis superius a nobis ipsius Sancti Doctoris verbis explicatæ. "Solus Deus operatur interiorem effectum sacramenti, tum quia solus Deus illabitur animæ, in qua sacramenti effectus existit: non autem potest aliquid immediate operari ubi non est; tum quia *gratia*, quæ est interior sacramenti effectus, *est a solo Deo*." 3. q. 64. a. 1.—"Nulla res potest agere ultra suam speciem, quia semper oportet quod causa potior sit effectu. Donum autem gratiæ excedit omnem facultatem naturæ creatæ, cum nihil aliud sit quam quædam participatio divinæ naturæ, quæ excedit omnem aliam naturam. Et ideo impossibile est quod aliqua creatura gratiam causet. Sic enim necesse est quod solus Deus deificet, communicando consortium

divinæ naturæ per quamdam similitudinis participationem, sicut impossibile est quod aliquid igniat nisi solus ignis." 1. 2. q. 112. a. 1.—"Humanitas Christi non causat gratiam propria virtute, sed *virtute divinitatis adjunctæ,* ex qua actiones humanitatis Christi sunt salutares. . . . Sicut in ipsa persona Christi humanitas causat salutem nostram per gratiam *virtute divina* principaliter *operante,* ita etiam in sacramentis novæ legis, quæ derivantur a Christo, causatur gratia instrumentaliter quidem per ipsa sacramenta, sed principaliter *per virtutem Spiritus Sancti in sacramentis* operantis." Ibid. ad 1. et 2.—"Manus impositio non causat Spiritus Sancti adventum, sed *simul cum manus impositione* Spiritus Sanctus advenit. Unde non dicitur in textu quod Apostoli imponentes manus, darent Spiritum Sanctum, sed quod imponebant manus, et illi accipiebant Spiritum Sanctum. Si tamen *impositio* manus dicatur *aliquo modo* causa acceptionis Spiritus Sancti per modum quo sacramenta sunt causa gratiæ, ut post dicetur, hoc non habebit manus impositio inquantum est ab homine, sed ex institutione divina." De veritate, q. 27. a. 3. ad 16.

7. Demum quibusdam theologis videtur S. Thomas in commentariis ad 4. sent. admisisse sacramenta *physica efficientia non gratiam, sed aliquam in anima immediate dispositionem efficere,* quam sequeretur gratia, nempe characterem in tribus sacramentis, in aliis ornatum quemdam. Verum verba S. Doctoris nos non cogunt ut instrumentalis actio signorum sacramentalium, de qua loquitur, ad hujusmodi dispositionem inducendam, pro causalitate physica intelligatur: et si hunc illa verba haberent sensum, retractata fuerunt in Summa, ubi S. Thomas docens omnem interiorem effectum sacramentorum produci non a sensibilibus signis, sed a solo Deo, non modo de gratia loquitur, sed etiam de charactere. "Character etiam," ait, "qui est interior quorumdam sacramentorum effectus, est virtus instrumentalis, *quæ manat a principali agente, quod est Deus.*" 3. q. 64. a. 1.

ARTICULUS SECUNDUS

De gratia quam sacramenta conferunt.

Omnia novæ legis sacramenta conferre rite ea suscipientibus gratiam sanctificantem seu habitualem constat ex hactenus disputatis, et de fide tenendum est; de eadem enim gratia Trident. Synodus loquitur dum definit sacramenta novæ legis continere et conferre gratiam. Hæc autem gratia in sacramentis Baptismi et Pœnitentiæ,—quæ pro spiritualiter mortuis instituta sunt, seu pro iis qui vel regenerandi, vel resuscitandi sunt spiritualiter—vitam spiritualem confert; in reliquis incremento hanc adauget; et ideo illa *gratia prima*, hæc vero *secunda* appellatur, atque Baptismus et Pœnitentia *sacramenta mortuorum,* reliqua *sacramenta vivorum* dicta sunt.—Sacramenta mortuorum per accidens gratiam secundam conferre, si suscipientem inveniant ope contritionis perfectæ jam justificatum, communis omnium doctorum sententia est, et evidenter sequitur ex definitione Concilii Tridentini, sess. 7. can. 7., qua statuit sacramenta semper et omnibus suscipientibus dare gratiam si non ponant obicem: patet autem eum qui justificatus accedit ad sacramentum suscipiendum, non ponere obicem.

At quid de sacramentis vivorum dicendum est? possuntne illa pariter conferre aliquando per accidens gratiam primam? Porro variis modis evenire potest ut quis in statu peccati mortalis constitutus, bona tamen fide recipiat sacramentum vivorum:—1. si invincibiliter ignoret se esse in statu peccati mortalis;—2. si peccati quidem mortalis conscientiam habeat, sed invincibiliter existimet se perfecte contritum, rite confessum, debite absolutum, cum non sit;—3. si infirmitate præventus procurare nequeat statum gratiæ, et extreme inungatur;—4. si invincibiliter putet ad sacramenti susceptionem non requiri dispositionem aliam quam attritionem. In his ergo casibus, si quis cum sola attritione, sed bona fide, suscipit sacramentum vivorum, obtinetne per illud gratiam primam quæ peccatum mortale remittat et justificet?

Præterea supernaturales virtutum tum theologicarum, tum moralium habitus et dona Spiritus Sancti infunduntur, vel augentur per sacra-

menta?—Demum, quodlibet sacramentum effectum specialem habet, sibi proprium; sacramenta enim propter diversos fines, ut vidimus, sunt instituta, et gratiam conferunt ad hos fines obtinendos necessariam: quinam est iste effectus specialis cujuscumque sacramenti, seu quænam est gratia hæc propria sacramentalis? Consistitne in aliquo habitu ad eos actus ordinato, ad quos exercendos sacramentum ipsum ordinatum est, ut antiquiores quidam theologi statuerunt; an potius, ut communiter recentiores docent, reponenda est non in speciali aliquo habitu, sed in exigentia quadam, fundata in solo divino decreto, auxiliorum specialium promoventium homines ad proprios fines singulorum sacramentorum?

His quæsitis respondet

THESIS XIX.

Quamvis sacramenta mortuorum per se instituta sint ad conferendam primam gratiam sanctificantem, et sacramenta vivorum secundam; per accidens tamen ut sacramenta mortuorum conferre possunt gratiam secundum, ita et sacramenta vivorum primam: virtutes etiam et dona Spiritus Sancti infunduntur vel augentur per sacramenta, modo per se, modo per accidens. Gratia vero sacramentalis a gratia habituali, et a virtutibus et donis infusis non est habitus distinctus; sed pro unoquoque sacramento est ipsa gratia habitualis connotans auxilia gratiæ actualia promoventia homines ad finem specialem ejusdem sacramenti; ad quæ auxilia suo tempore accipienda sacramentum ex institutione divina quoddam jus tribuit suscipienti.

Prima pars thesis, nempe, sacramenta vivorum conferre quandoque per accidens gratiam primam, probabilior et longe receptior sententia est.

Prob. 1. De Extrema Unctione, de qua Jac. v. 15. absolute dicitur: "Et si in peccatis fuerit, remittentur ei." Cui concordat hujus sacramenti forma: "Indulgeat tibi Dominus, quidquid ex. gr. per visum deliquisti;" et Conc. Trid. sess. 14. can. 2. S. Jacobi verba referens, et docens iis explicari rem, seu effectum hujus sacramenti. "Res etenim," ait S. Synodus, "hæc gratia est Spiritus Sancti, cujus unctio delicta, si qua sint adhuc expianda, ac peccati reliquias abstergit."

Neque objiciatur, singula illa intelligi posse 1.—de sola venialium remissione; vel 2.—de mortalium etiam, sed quoad reatum solum residuæ temporalis pœnæ; vel 3.—etiam de remissione mortalium quoad culpam, sed mediate; quatenus scilicet per Extremam Unctionem impetrantur actuales gratiæ ad perfectæ contritionis actum eliciendum. Nam 1. relati textus indefinite loquuntur nullo facto discrimine peccata mortalia inter et venialia. 2. Etsi in Scriptura sacra vox *peccatum* sumatur metonymice pro pœna; per remissionem tamen peccatorum principaliter remissio culpæ intelligitur, ut ex absolutione sacramentali patet, et Joan. 20.: "Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis." 3. Postremum minime subsistit; gratiam enim, quam sacramenta dicuntur conferre, semper ex opere operato, immediate causant; sed hic ipsi sacramento remissio peccatorum tribuitur, nec solum venialium; ergo et gratiam mortalium remissivam per se ipsum producit. Quare quoad hoc sacramentum ita cum S. Thoma nunc docet sententia communissima.

Prob. 2. De Eucharistia ex SS. Patribus, juxta quos, apud Suarez in 3. p. disp. 63. sect. 1., Eucharistia simpliciter dicitur tollere peccata, sanare vulnera, abluere sorditiem, idque pronuntiant nulla omnino adhibita distinctione, ut S. Damascen. qui l. 4. de Orthod. fid. c. 13. ait (opp. t. 2. p. 272. B. edit. Venet.): "Corpus et sanguis Christi est [Eucharistia], in nostri, tum animi, tum corporis vegetationem cedens, . . . in substantiam nostram et conservationem, omnigenæ labis propulsationem, omnisque spurcitiei detersionem." S. Justinus Resp. 44. ad Orthod.—"Quem enim vidit Propheta carbonem labiis suis non puris admotum ad expurgationem iniquitatum et peccatorum, is indicium habebat Dominicæ carnis, quæ conscientias comedentium expurgat ab omni iniquitate. Corpus Domini in hoc sacramento habet vim, ut omnem immunditiam et spurcitiam tollat." Similia habent alii. Sed juxta Patres dici nequit, quod hunc effectum Eucharistia præstet per se; ergo saltem per accidens. Doctor Angelicus vero ipsum hunc casum controversum nobiscum resolvit qu. 79. art. 3. "Potest hoc sacramentum operari remissionem peccati . . . perceptum ab eo qui est in peccato mortali, cujus conscientiam et affectum non habet; forte enim primo non fuit sufficienter contritus, sed devote, et reverenter accedens consequetur per hoc sacramentum gratiam caritatis, quæ con-

tritionem perficiet, et remissionem peccati." Imo in 4. dist. 9. q. 1. a. 3. sol. 2. "Talis," inquit, "non peccat, imo magis ex vi sacramenti remissionem consequitur."

Neque dici potest S. Thomam velle solum, quod ita recipienti sacramentum conferantur gratiæ auxiliantes, quibuscum is contritionem perfectam concipiat, per quam deinde justificetur; nam 1. latum discrimen est inter gratias auxiliantes, et gratiam caritatis, de qua loquitur Angelicus q. 79. a. 3.; 2. gratiæ actuales auxiliatrices nequeunt per se efficere, ut attritio fiat contritio; 3. si Eucharistia ipsa hoc in casu non præstet gratiam remissivam peccati, quo fundamento dicetur, quod ex opere operato has gratias actuales causet, cum subjectum non sit rite dispositum? Eamdem responsionem adhibe, si similis exceptio quoad textus Patrum fiat. 4. In 4. Sent. (dist. 9. q. 1. a. 3.) diserte ait: "Ex vi sacramenti."

Prob. 3. De Confirmatione idem rursus diserte S. Thomas enuntiat 3. q. 72. a. 7. ad 2.: "Si aliquis adultus in peccato existens, cujus conscientiam non habet, vel si etiam non perfecte contritus accedat, dummodo non fictus accedat, per gratiam collatam in hoc sacramento consequetur remissionem peccatorum." Patrum vero de Confirmatione, Ordine et Matrimonio non habentur tam diserta testimonia, sed ex allatis hactenus, cum sit par ratio, ad hæc sacramenta vivorum deducitur argumentum; et præterea generaliter

Prob. 4. Ratione theologica. Juxta Trid. sess. 7. c. 6. omnia sacramenta novæ legis conferunt infallibiliter gratiam non ponentibus obicem: atqui peccator cum ignorantia invincibili peccati sui, bona fide, et attritione generali de omnibus peccatis suis, ad sacramenta vivorum accedens, non ponit gratiæ obicem. Ergo. Patet minor, non enim 1. ponit obicem ratione peccati actualis, quia accedit bona fide; non 2. ratione peccati habitualis, quia peccatum habituale invincibiliter ignoratum, et generali attritione retractatum non est obex gratiæ; sicut juxta communissimam hodie sententiam non est gratiæ obex in Extrema Unctione.

Secunda pars thesis, scilicet virtutes et dona Spiritus Sancti infundi vel augeri cum gratia ipsa habituali, communis doctorum sententia est. Itaque si per sacramentum infunditur prima gratia per se, vel per

accidens, similiter infunduntur virtutes supernaturales theologicæ et morales et Spiritus Sancti dona, ea mensura qua gratia infunditur: idem dicendum est de augmento.

Prob.—*Ex Tridentina Synodo*, quæ docet (sess. 6. cap. 7): "Justificatio . . . non est sola peccatorum remissio, sed et sanctificatio et renovatio interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiæ et donorum:" deinde (eod. cap.) enumerando causas justificationis, ait ejusdem instrumentalem causam esse baptismum: et in sessione 7. generatim definit omnia sacramenta conferre gratiam, intelligendo gratiam justificationis et sanctificationis. Docet ergo Sancta Synodus per sacramenta cum gratia habituali, qua justificamur, infundi etiam virtutes et dona.

Ex Ratione, quia virtutes infusæ tum theologicæ tum morales et dona Spiritus Sancti sunt veluti proprietates connaturales consequentes gratiam. Ergo quando gratia confertur per sacramentum, virtutes pariter et dona infunduntur; qui enim dat formam, dat etiam ea quæ formam, ut connaturales proprietates, consequuntur.

Tertia pars thesis, videlicet gratiam sacramentalem non distingui ut habitum diversum ab habituali gratia et virtutibus, sed esse ipsam habitualem gratiam cum connotatione auxiliorum specialium juxta specialem finem singulorum sacramentorum, communiter etiam, ut prænotavimus, a recentioribus docetur theologis.

Et 1.—*Sacramentalem gratiam non esse habitum distinctum* ab aliis qui in justificatione infunduntur, probatur, quia vel hic habitus esset in essentia animæ ad sanctificationem, vel in potentiis ad operationem supernaturalem; at neutrum admitti potest. Non primum, quia ad sanctificandam animam sufficit gratia habitualis quæ in essentia animæ infunditur: non secundum quia per virtutes infusas theologicas et morales et Spiritus Sancti dona potentiæ animæ disponuntur ad omnes actus supernaturales eliciendos, nec aliquis actus assignari potest qui ad aliquam illarum virtutum infusarum, aut ad aliquod Spiritus Sancti donum non pertineat.

2.—*Sacramentalem gratiam esse ipsam gratiam habitualem cum connotatione auxiliorum specialium*, constat, quia ex una parte certum est quodvis sacramentum ad finem peculiarem ordinari a Deo: ad hos

autem fines varios et distinctos sacramentorum gratiam sacramentalem propriam et distinctam esse in unoquoque sacramento perspicuum est; nam ipsa juxta divinam ordinationem infunditur ad fines peculiares sacramentorum consequendos, ac proinde si finis est specialis pro unoquoque sacramento, specialis sit gratia sacramentalis, quæ in uniuscujusque susceptione infunditur, necesse est.—Ex alia parte, cum demonstratum sit gratiam hanc sacramentalem non esse habitum aliquem a gratia habituali, virtutibus ac donis infusis distinctum, superest ut dicatur esse pro unoquoque sacramento ipsa gratia habitualis, seu sanctificans, connotans auxilia actualia ex divina ordinatione suo tempore conferenda ei qui sacramentum rite suscipit ut finis obtineatur pro quo illud institutum fuit et susceptum est. Sic in Baptismo præter gratiam habitualem regenerativam jus actu confertur ad auxilia specialia tempore opportuno conferenda tum ad servandam divinam legem, cujus quædam professio est Baptismus, tum ad suscipienda digne sacramenta alia, quorum Baptismus janua est. In Confirmatione præter augmentum gratiæ sanctificantis datur jus ad auxilia specialia ad profitendam fortiter et constanter fidem, cujus professio finis est Confirmationis. In Eucharistia speciales dantur gratiæ ad exercendos caritatis actus, quibus anima nutritur spiritualiter; quæ nutritio caritatis est proprius Eucharistiæ finis. In Pœnitentia conferuntur gratiæ ad detestanda efficacius peccata, pro commissis satisfaciendum plenius, vitandaque facilius futura. In Extrema Unctione conferuntur auxilia, quibus roboretur homo ad superandum languorem ex ægritudine corporis oriri solitum, resistendum dæmoni, erigendamque spem, firmamque fiduciam de divina misericordia. In sacramento Ordinis conceduntur gratiæ ad cujusque Ordinis ministerio rite fungendum. In Matrimonio demum ad vivendum convenienter statui caste, servandam conjugalem fidem, fovendum amorem mutuum, pie ac christiane educandam prolem.

Nec aliam differentiam inter gratiam sacramentalem et non sacramentalem agnoscere videtur Doctor Angelicus, dum 3. q. 72. a. 7. ad 3. de Confirmatione ita inquit: "Per hoc sacramentum non confertur aliqua alia gratia, quam per Baptismum, sed quæ prius inerat, augetur." Et ibid. qu. 62. a. 3.—"Gratia sacramentalis addit supra gratiam communiter acceptam ... quoddam auxilium divinum."—Proinde dum eodem

articulo ad 3. ait, gratiam sacramentalem habere se ad gratiam communiter dictam, sicut ratio speciei ad genus, paritatem in eo ponit, quod, sicut species superaddit aliquid generi, ita et gratia sacramentalis superaddat aliquid gratiæ communiter dictæ; non in hoc, quod sicut species superaddit prædicatum essentiale intrinsecum, sic quoque gratia sacramentalis superaddat vim et exigentiam intrinsecam, quam non habeat gratia habitualis ut sic.

Adversus primam partem propositionis vindicatæ potiores difficultates proponimus cum responsionibus.

1. Effectus sacramentorum probari debent vel ex Scriptura, vel ex Traditione et Magisterio Ecclesiæ.—Atqui ex his non probatur sacramenta vivorum conferre per accidens gratiam primam.—Ergo.

Resp. D. M. probari debent evidenter, quum conclusio theologica non ut certa proponitur *N.* Probabiliter, seu fundamentum aliquod in eis ostendendo, quum proponitur tamquam probabilis *C.*—*Ad min.* Ex Scriptura et Traditione illud non probatur certo *C.* Non probatur probabiliter, neque confirmatur auctoritate theologorum gravissima *N.* —Quod autem sic probabiliter probetur assertum nostrum constat ex superius dictis.

2. Sacramenta ex doctrina Conciliorum et Patrum conferunt gratiam quam significant.—Sed sacramenta vivorum non significant gratiam primam.—Ergo eam non conferunt.

Resp. D. min. non significant gratiam primam per se et principaliter *C.* Secundario et per accidens *N.* S. Thomas sic eamdem difficultatem solvit loquens de sacramento Extremæ Unctionis (in suppl. q. 30. a. 1.). —"Quodlibet sacramentum est institutum principaliter ad unum effectum, quamvis etiam alios ex consequenti inducere possit. Et quia sacramentum efficit quod figurat, ideo ex ipsa significatione sacramenti debet accipi ejus principalis effectus. Adhibetur autem hoc sacramentum secundum modum cujusdam medicationis, sicut baptismus per modum ablutionis. Medicina autem est ad pellendam infirmitatem. Unde principaliter hoc sacramentum est institutum ad sanandam infirmitatem peccati. Unde sicut baptismus est quædam spiritualis regeneratio, et pœnitentia quædam spiritualis suscitatio, ita et extrema unctio est quædam spiritualis sanatio, vel medicatio. Sicut autem corporalis

medicatio præsupponit corporalem vitam in medicato; ita spiritualis spiritualem. Et ideo hoc sacramentum non datur contra defectus quibus spiritualis vita tollitur: scilicet contra peccatum originale, vel mortale; sed contra illos defectus quibus homo spiritualiter infirmatur, ut non habeat perfectum vigorem ad actus vitæ gratiæ vel gloriæ. . . . . Sed quia hoc robur gratia facit, quæ secum non compatitur peccatum, ideo ex consequenti si invenit peccatum aliquod vel mortale, vel veniale, quoad culpam tollit ipsum; dummodo non ponatur obex ex parte recipientis; sicut etiam de Eucharistia et confirmatione supra dictum est. . . . . . Et ideo etiam Jacobus de remissione peccati conditionaliter loquitur, dicens: 'Si in peccatis sit, dimittentur ei,' scilicet quoad culpam: non enim semper delet peccatum, quia non semper invenit; sed semper remittit quoad debilitatem prædictam, quam quidam *reliquias peccati* dicunt."

3. Concilium Florentinum in Decreto ad Armenos, Tridentinum, sessione 13., et Catechismus Romanus, § 49., dum Eucharistiæ effectus describunt, eam alimoniæ spiritali comparant.—Sed cibus mortuis nihil prodest, neque per accidens.—Ergo.

Resp. Dist. min. Cibus materialis nihil prodest mortuis, neque per accidens *C.* Cibus spiritualis *N.* Cibus materialis in se non est vitalis et convertitur in substantiam aliti, proinde hoc supponit vivum: cibus autem spiritalis, ut est Eucharistia, vitalis est, utpote continens fontem vitæ, nec convertitur in substantiam aliti, sed e contra alitum in se convertit, ideoque hoc vivificare potest.—Præterea in spiritualiter mortuo adhuc spiritualis vitæ semina et initia quædam manent, fides nempe, spes, attritio; quapropter is ad Eucharistiam accedens vivificari potest.—Catechismus Romanus de effectu Eucharistiæ ex institutione primario loquitur, et de dispositione per se requisita.

4. Ex sententia quam defendimus sequeretur eum, qui originale simul et personale peccatum habet, si invincibiliter ignorans obligationem suscipiendi baptismum ad Eucharistiam accederet cum attritione, obtinere gratiam justificationis.—Atqui hoc admitti nequit.—Ergo.

Resp. N. M. Baptismus enim ex institutione sua est janua omnium sacramentorum, ideoque cum ex divina dispositione nullum aliud sacramentum, sine baptismo prævio, suscipere homo queat, nullius sacramenti, sine baptismo, fructum percipere potest.

5. Obex ad effectum sacramenti vivorum est peccatum mortale.—Sed hoc non tollitur per attritionem, quæ contritio existimetur.—Ergo.

Resp. D. M. Obex ad effectum sacramenti vivorum est peccatum mortale, spectata primaria et directa ejus institutione *C.* Spectata institutione secundaria et indirecta, *Sub.* Est peccatum cognitum et non retractatum, saltem per attritionem quæ contritio existimetur *C.* Ignotum, vel hoc modo retractatum *N.*—*Ad min. D.* Peccatum mortale non tollitur per attritionem solam, quæ contritio existimetur *C.* Cum sacramento *N.*

6. Effectus proprius alicui causæ non potest ab alia causa produci.—Atqui prima gratia est effectus proprius sacramentorum quæ dicuntur mortuorum.—Ergo prima gratia nequit ab aliis sacramentis produci.

Resp. D. M. effectus proprius alicui causæ nequit ab aliis produci si agatur de causis naturalibus, *Transeat.* Si sermo sit de causis quæ ex libera institutione sunt *N.*—Christus enim, sicut instituit sacramenta mortuorum ut per se primam gratiam conferrent, et per accidens secundam, sic ea quæ sunt vivorum voluit ut per se secundam, per accidens tamen darent primam gratiam. Quare prima gratia non est omnimode et absolute effectus proprius sacramentorum mortuorum et secunda vivorum, sed solum quum illa, seu mortuorum, non inveniunt subjectum jam justificatum, et ista, seu vivorum, ab eo qui justificatus est, suscipiuntur.

Adversus tertiam partem thesis objici posset:

1.—Omnis habitualis gratia, cum ab intrinseco exigat habitus virtutum per se infusos, exigit etiam gratias actuales suo tempore conferendas ad actus illarum virtutum exercendos.—Nisi ergo aliunde dicantur gratia sacramentalis et non sacramentalis differre, nulla prorsus erit inter utramque differentia, quæ tamen aliquo modo admitti omnino debet et communiter admittitur.

Resp. D. Ant. Omnis habitualis gratia exigit auxilia actualia suo tempore largienda tam copiosa quam ea, quæ gratia sacramentalis, non quidem intrinseca, sed extrinseca exigentia, ex divina ordinatione exigit *N.* non ita copiosa *C.*

Responsio clarescit, et doctrina quam propugnamus in tota sua luce collocatur, quum attenditur exigentiam auxiliorum specialium ad actus

supernaturales exercendos juxta finem specialem uniuscujusque sacramenti explicari non posse per exigentiam quamdam physicam et intrinsecam gratiæ sacramentalis, secundum quam differret a gratia habituali non sacramentali; ac proinde explicandam esse per exigentiam extrinsecam, ex divina libera ordinatione, sensu superius declarato.

"Non potest explicari," ait de Lugo,[1] "qualis sit illa specialis exigentia intrinseca huic gratiæ; nam vel exigit gratia sacramenti Confirmationis, ex. gr. quod adveniente occasione, et interrogatione tyranni, hic homo habeat auxilium efficax ad confitendam fidem: et hoc non potest dici, quia experientia constat, non deberi ex sacramentis talia auxilia efficacia; multi enim post accepta sacramenta deficiunt.—Vel solum exigit, quod in illa occasione detur auxilium sufficiens; et hoc est quidem commune omni gratiæ habituali; nam eo ipso, quod elevat hominem, et constituit in statu supernaturali, exigit quod quoties proponitur sufficienter objectum, et adest occasio operandi, detur illi concursus proportionatus ad hoc, ut operetur circa illud per actus supernaturales; et per consequens ut excitentur motiva fidei sufficienter ad movendum, et omnia, quæ requiruntur in actu primo: ergo illa exigentia auxilii sufficientis non est prædicatum proprium solius gratiæ sacramentalis.—Vel denique exigit illa gratia auxilia, non quidem determinate efficacia, sed tamen abundantiora, et intensiora, quam alias deberentur. Et quidem nec hoc potest esse connaturale, et intrinsecum gratiæ habituali; quia cum gratia sit quasi prima essentia, et natura in ordine supernaturali, a qua fluunt alii habitus, quasi ejus passiones, consequens est, ut exigat eos in eadem mensura intensionis, in qua est ipsa gratia, non in majori; unde etiam operationes, seu actus supernaturales non potest exigere ex natura sua in majori intensione, quia cum non ordinetur ad actus, nisi mediis potentiis, seu habitibus infusis non potest ex natura sua exigere actus intensiores, quam habitus: ergo solum exigit auxilia ejusdem intensionis, et proportionis, atque adeo non intensiora, sed qualia juxta vires, et attentionem præsentem possunt elici ab intellectu, et voluntate circa objecta proposita: non ergo apparet, qualis sit illa exigentia physica, et intrinseca gratiæ sacramentalis.—Si autem ponatur exigentia extrinseca ex decreto divino, potest bene explicari dicendo, quod gratia sacramenti Confirmationis, ex. gr. licet

[1] Disp. 4. sect. 3. n. 26.

ipsa in se sit ut duo; prout tamen collata est per tale sacramentum a Deo exigit, ex ordinatione divina, quod homini confirmato dentur, occurrente occasione, auxilia abundantiora, et intensiora ad profitendam fidem; nam licet ex se, et intrinsece non habeat talem exigentiam, potest tamen illam habere extrinsece ex suppositione ordinationis divinæ."

2.—Gratia unius sacramenti, puta Baptismi, exigit, habetque gratias adnexas actuales alias ab iis quas habet alterius sacramenti gratia.—Ergo et gratia sacramentalis baptismi intrinsece differt a gratia alterius sacramenti.—Item gratia Baptismi remittit omnem culpam et pœnam, non autem gratia Pœnitentiæ, quæ stat cum pœna temporali: ergo gratia unius sacramenti intrinsece differt ab alia.

Resp. D. Ant. 1. *arg.* Exigit illas gratias ratione sui *N.* Ratione sacramenti *C.* Hoc est illas gratias exigit non prout est quædam perfectio ipsi entitati gratiæ sacramentalis intrinseca, sed prout libera Dei institutione ad specialem effectum sacramentum ordinatum est, et habet ex hac Dei ordinatione gratias illas speciales adjunctas, quas de se, intrinseca perfectione sua, non exigit.—Quoad 2. *arg.* ex data modo responsione *Neg. conseq.*, nam ex eodem divino placito est quod gratia baptismalis, *qua talis*, etiam reatum pœnæ temporalis tollat,—hæc enim pœna secundum se cum baptismali gratia consistere potest,—secus ac gratia quæ confertur in sacramento Pœnitentiæ:—in solo namque sacramento baptismi ad hunc effectum, remissionis nempe omnis culpæ et pœnæ, applicavit Christus merita sua.

ARTICULUS TERTIUS

De requisitis ad sacramentorum susceptionem.

Qui sacramentum suscipere potest et ejus effectus capax est, seu subjectum sacramenti, solus est homo viator, cum nec Angelis utpote incorporeis signa visibilia gratiæ applicari possint, nec creaturis ratione carentibus, quibus conferri nequit gratia, nec hominibus mortuis, qui in termino sunt, ac proinde sacramentorum fructum percipere jam non valent. Non tamen omnes homines omnium sacramentorum sunt capaces: etenim non baptizatus nullum suscipere potest, quia baptismus est cete-

rorum janua; femina non est capax sacramenti Ordinis; religiosus, aut ille qui ad Ordinem sacrum promotus fuit in Ecclesia latina, sacramentum matrimonii suscipere non potest; homo sanus Extremæ Unctionis non est subjectum; pueri ante usum rationis et perpetuo amentes nequeunt Pœnitentiam, Matrimonium, Extremam Unctionem recipere, ut patebit in tractatibus particularibus.

At, in eo qui suscipere sacramentum potest, requirunturne dispositiones aliquæ tum ut valide tum ut fructuose sacramentum percipiat?—Et in primis quoad infantes, aut perpetuo amentes, constat nullam in eis requiri dispositionem ad sacramenta, quorum sunt capaces.—Quoad adultos distinguamus oportet inter dispositiones quæ in eis requiruntur ut *valide* sacramentum suscipiant, et eas quæ necessariæ sunt ut *fructuose* id percipiant, nempe cum collatione gratiæ.

Jam vero ad validam sacramentorum susceptionem requiri intentionem aliquam vera sententia est, quam defendimus contra paucos qui putaverunt sufficere intentionem *neutram*, ut aiebant, eam scilicet qua sacramenta suscipiens nec repugnaret, nec positivum præberet consensum; immo validum dixerunt Ordinem collatum invito penitus et reluctanti. Fides ad valorem sacramenti in suscipiente adulto non requiritur, excepto Pœnitentiæ sacramento, cujus partialis materia est supernaturalis dolor, qui supponit fidem.—Ad percipiendum fructuose sacramentum, requiritur in adulto, si ad sacramenta mortuorum accedat, dispositio quæ sit saltem attritio supernaturalis actualis vel virtualis: si autem ad sacramenta vivorum, non requiritur necessario dispositio actualis vel virtualis, sed solum per se requiritur et sufficit status gratiæ:—diximus *per se*, quia, ut demonstratum est thesi præcedenti, sacramenta vivorum possunt aliquando per accidens conferre gratiam primam.

Hæc igitur sequenti thesi vindicamus.

THESIS XX.

In adultis, ad validam susceptionem sacramenti, Eucharistia et Pœnitentia exceptis, requiritur et sufficit intentio aliqua illud suscipiendi; quæ intentio, non necessario debet esse actualis aut virtualis, sed potest esse habitualis, immo, pro sacramento Extremæ Unctionis, interpretativa: fides autem non requiritur necessario, sacramento Pœnitentiæ excepto.—Ad fructuosam vero susceptionem sacramenti, seu ad gratiam per sacramentum percipiendam, requiritur et sufficit in adultis, pro sacramentis mortuorum, attritio supernaturalis actualis vel virtualis, quin contritio perfecta requiratur; quamvis pro sacramento Pœnitentiæ confessio sit etiam necessaria: pro sacramentis vivorum per se solum requiritur habitualis gratiæ dispositio, seu quod recipiantur in statu gratiæ.

Prima pars thesis duo complectitur, unum spectat intentionem, aliud fidem. *Quoad intentionem,*—ut valide suscipiatur sacramentum *intentionem aliquam illud suscipiendi esse necessariam*, probatur argumentis mox referendis. Excipitur tamen Eucharistia, quia sacramentum hoc ante susceptionem confectum est, et manet verum sacramentum, etsi invito obtruderetur; quod autem Pœnitentiam attinet, actus pœnitentis, contritio, confessio, cum sint partes materiales essentiales sacramenti, simul cum intentione suscipiendi sacramentum, in subjecto requiruntur ad validitatem.

a) Concilia aperte declarant, baptismum aut pœnitentiam adultis qui usum loquelæ amiserunt non esse conferenda nisi constet, ex suis nutibus aut ex aliorum testimonio, eos sacramenta illa accipere velle. Ita Concilium Carthaginiense III. cap. 34. (Labb. tom. 2. pag. 1172.): "Ægrotantes si per se respondere non possunt, cum voluntatis eorum testimonium ii qui sui sunt dixerint, baptizentur." Et Concilium Arausicanum I. can. 12. (t. 3. p. 1449.): "Subito obmutescens, prout status ejus est, baptizari aut pœnitentiam accipere potest, si voluntatis aut præteritæ testimonium aliorum verbis habet, aut præsentis in suo nutu."—Porro quod Concilia docent de baptismo et pœnitentia, id de aliis sacramentis a fortiori tenendum est, utpote minus necessariis.

b) Innocentius III. Decreto adversus Petrobrussianos, aliosque (l. 3. Decr. tit. 42. c. 3. *Majores*), primo expresse rejicit opinionem eorum "qui dicunt quod sacramenta quæ per se sortiuntur effectum, ut Baptismus et Ordo, ceteraque similia, non solum dormientibus et amentibus, sed etiam invitis, et contradicentibus, etsi non quantum ad rem [gratiam nempe percipiendam], quantum tamen ad characterem [valide] conferuntur."—Deinde rationem assignat, quoniam "qui fuissent inviti, vel reluctantes immersi [baptizati], saltem ratione sacramenti, ad jurisdictionem Ecclesiasticam pertinerent; unde ad servandam regulam fidei Christianæ forent rationabiliter compellendi: verum id est religioni Christianæ contrarium, ut semper invitus et penitus contradicens ad recipiendam et servandam Christianitatem compellatur."—Declarat censendos non esse absolute coactos et invitos "qui ad suscipiendum baptismum terroribus atque suppliciis violenter attrahuntur" illumque suscipiunt "ne detrimentum incurrant;" sunt enim "conditionaliter volentes."—Demum statuit: "Ille qui numquam consentit, sed penitus contradicit, nec rem, nec characterem suscipit sacramenti. . . . . . Dormientes autem et amentes, si prius quam amentiam incurrerent, aut dormirent, in contradictione persisterent, quia in eis intelligitur contradictionis propositum perdurare, etsi fuerint sic immersi, characterem non suscipiunt sacramenti; secus autem si prius catechumeni extitissent et habuissent propositum baptizandi."

c) S. Augustinus (l. 4. de bapt. c. 24.) postquam de parvulis dixerit: "Ex ætatis indigentia nec corde credere ad justitiam possunt, nec ore confiteri ad salutem. Ideo cum alii pro eis respondent, ut impleatur erga eos celebratio sacramenti, valet utique ad eorum consecrationem, quia ipsi respondere non possunt," statim addit de adultis: "At si pro eo, qui respondere potest, alius respondeat, non itidem valet. Ex qua regula illud in Evangelio dictum est, quod omnes cum legitur naturaliter movet: ætatem habet, ipse pro se loquatur."

d) In Rituali Romano jussu Pauli V. edito, de baptismo adultorum præscribitur: "Si quis adultus sit baptizandus, debet prius, secundum Apostolicam regulam, in christiana fide ac sanctis moribus diligenter instrui . . . ejusque voluntas et propositum sæpius explorari, et nonnisi sciens et volens baptizari." Et deinde statuitur de amentibus: "Si antequam insanirent, suscipiendi Baptismi desiderium ostenderint . . .

baptizentur." Et additur: "Idemque dicendum est de eo qui lethargo aut phrenesi laborat, ut tantum vigilans et intelligens baptizetur, nisi periculum mortis impendeat, *si in eo prius apparuerit Baptismi desiderium.*"

c) Ratio potissima quare intentio requiratur in adulto ad susceptionem validam sacramenti est voluntas Christi sic instituentis; sed præterea ratio altera addi potest priori innixa, nempe, sacramentorum susceptionem esse initiationem quamdam, et religionis professionem, quæ sine motu voluntatis fieri nequit. S. Thomas, de baptismo loquens (3. q. 68. a. 7.), ait: "Per baptismum aliquis moritur veteri vitæ peccati, et incipit quamdam vitæ novitatem. . . . . . Et ideo sicut ad hoc quod homo moriatur veteri vitæ requiritur, secundum Augustinum, . . . in habente usum liberi arbitrii voluntas, qua eum veteris vitæ pœniteat; ita requiritur voluntas qua intendat vitæ novitatem, cujus principium est ipsa susceptio sacramenti."

Ad validam susceptionem sacramenti, — *non requiri necessario intentionem* in adulto *actualem* aut *virtualem, sed sufficere habitualem,* imo et *pro Extrema Unctione interpretativam,* constat ex testimoniis mox citatis, in quibus sacramentum amentibus, dormientibus, moribundis usu rationis destitutis collatum dicitur valere, modo constet de intentione præterita subjecti illud suscipiendi non retractata; et ex praxi Ecclesiæ, quæ in sacramenti Extremæ Unctionis administratione, dum agitur de moribundo usu sensuum destituto, præsumit eum voluntatem saltem generalem habere ut sibi omnia salutis media applicentur, nec requirit testimonium voluntatis ejus præteritæ de hoc sacramento suscipiendo.

Quod ad fidem attinet, eam, ut sacramentum valide suscipiatur, *necessario non requiri,* sacramento Pœnitentiæ excepto,—in quo actus pœnitentis qui necessario fidem includunt requiruntur ad validitatem, utpote constituentes materiam ipsam sacramenti,—probatur, quia Ecclesia admisit baptismum in hæresi susceptum ab Arianis, Macedonianis, Nestorianis, aliisque hæreticis; imo nec rebaptizat paganum, aut atheum, si tamen cum intentione suscipiendi Baptismum Christianorum, eum suscepisset.

Hinc S. Augustinus (l. 3. de bapt. c. 14.), ait: "Nec interest, cum de sacramenti integritate et sanctitate tractatur, quid credat, et quali fide

imbutus sit ille, qui accipit sacramentum. Interest quidem plurimum ad salutis viam, sed ad sacramenti quæstionem nihil interest: fieri enim potest, ut homo integrum habeat sacramentum, et perversam fidem."

Et S. Thomas (3. q. 68. a. 8.), quoad sacramentum baptismi valide suscipiendum, ait: "Recta fides baptizati non requiritur ex necessitate ad Baptismum, sicut nec recta fides baptizantis, dummodo adsint cetera, quæ sunt de necessitate sacramenti. Non enim sacramentum perficitur per justitiam hominis dantis, vel suscipientis Baptismum, sed per virtutem Dei."

Idem quoad cetera sacramenta, Pœnitentia excepta propter rationem superius datam, constat ex eadem praxi Ecclesiæ, quæ semper ratum habuit quod sub legitima forma in hæresi recepit hæreticus.

Secunda pars thesis similiter duo complectitur, unum spectat fructuosam susceptionem sacramentorum quæ dicuntur mortuorum, alterum eamdem fructuosam susceptionem eorum quæ appellantur vivorum.

Pro sacramentis *mortuorum* dicimus *requiri* et *sufficere*, quin necessaria sit contritio perfecta, *attritionem supernaturalem actualem, vel virtualem*, cui tamen conjungi debet ad sacramentum Pœnitentiæ suscipiendum confessio, quæ, ut sæpius dictum est, pars aliqua materialis essentialis est ipsius sacramenti.—Quod *requiratur* saltem *attritio* constat ex Concilio Tridentino; nam describens, sess. 6., justificationem adultorum quæ fit per baptismum, et tractans, sess. 14., de ea quæ fit per sacramentum pœnitentiæ, ad utrumque requirit dispositionem in suscipiente per motum liberi arbitrii in Deum cum detestatione peccati. Etenim, sess. 6. c. 6., ait: "Disponuntur autem ad ipsam justitiam, dum excitati divina gratia et adjuti, fidem ex auditu concipientes, libere moventur in Deum credentes . . . . . et dum peccatores se esse intelligentes . . . . moventur adversus peccata per odium aliquod, et detestationem, hoc est, per eam pœnitentiam, quæ ante baptismum agi oportet." Et sess. 14. c. 3. statuit; "Sunt autem quasi materia hujus sacramenti ipsius pœnitentis actus, nempe contritio, confessio et satisfactio. Qui quatenus in pœnitente ad integritatem sacramenti, ad plenamque et perfectam peccatorum remissionem ex Dei institutione requiruntur, hac ratione Pœnitentiæ partes dicuntur."

Ratio a priori est, quia homo peccando voluntarie avertitur a Deo,

et ad creaturam convertitur: et ideo quacumquæ via, aut ratione justificandus sit, sive extra sacramentum, sive per illud, merito ab eo exigitur ut necessaria dispositio, ut voluntarie peccatum deserat, et ad Deum aliquo modo convertatur: idque non fit, nisi per aliquem actum. Quæ ratio sufficiens est respectu primæ gratiæ, quando infunditur ad delendum peccatum mortale: si vero contingeret infundi homini adulto ad delendum solum originale peccatum, prædicta ratio non valeret, quia originale peccatum non est propria voluntate commissum; hic vero casus admodum raro accidit, quia non contigit hominem post usum rationis multo tempore esse in peccato originali, quin aliquando in mortale peccatum labatur. Verumtamen si talis casus reapse contingeret, tunc etiam dicendum est, quamvis in illo homine non requiratur dispositio, qua formaliter detestetur peccatum, propter rationem mox allatam, requiri tamen aliquam conversionem in Deum, ut voluntarie justificationem, et divinam amicitiam amplectatur.

Quod vero *attritio sufficiat*, patet 1.—quia juxta Concilium Tridentinum sacramenta conferunt gratiam non ponentibus obicem.—Atqui attritus non ponit obicem gratiæ, sed e contra positum removet. Ergo. 2.—Quia si contritio requireretur ad sacramenta mortuorum, numquam conferrent primam gratiam, ideoque non essent sacramenta mortuorum, nec instituta ad delendum peccatum. Consequentia est manifesta; contritio enim numquam est sine gratia sanctificante, cum sit ad illam ultima dispositio.—Sed de hoc fusius in Tractatu de Pœnitentia.

Quod sufficiat *attritio virtualis* constat ex iis quæ diximus de intentione virtuali in sacramentis conficiendis (p. 228.): eædem namque rationes valent pro re præsenti.

Pro sacramentis *vivorum* per se solum requiritur *habitualis gratiæ dispositio.*[1] Et quidem pars affirmativa hujus conclusionis non indiget

[1] Status gratiæ ab eo qui suscepturus est Eucharistiam comparari antea debet per præviam confessionem, si copia confessarii haberi possit, ita statuente Tridentina Synodo, sess. 13. c. 7., juxta illud Apostoli: *Probet autem seipsum homo, et sic de pane illo edat et de calice bibat.* Si deesset copia confessarii, et recipienda esset Eucharistia, puta a Sacerdote cui celebrandum incumberet, contritio perfecta sufficeret, Sacerdos vero qui necessitate urgente, absque prævia confessione celebraret, *quamprimum* postea ex præcepto ejusdem Concilii confiteri teneretur. Pro reliquis vivorum sacramentis etsi confessio prævia præcepta non fuerit, et vere probabilis sit Theologorum sententia, quæ tenet ad ea sacramenta fructuose suscipienda sufficere si homo peccati sibi conscius contritionem perfectam eliciat, cum et hæc vim habeat

probatione, quia gratiæ augmentum supponit gratiam primam. Probatur autem pars negativa, nimirum aliam non requiri dispositionem in suscipiente adulto, quia, sacramenta conferunt gratiam non ponentibus obicem; sed ille qui sacramentum suscipit in statu gratiæ non ponit obicem augmento gratiæ; ergo id accipit per sacramentum. Minor perspecta est: etenim ad hoc augmentum, ex opere operato efficiendum, non necessaria est aliqua bona dispositio, et illud impediri non potest per pravam dispositionem actualem quæ peccatum mortale non sit, cum gratia et augmentum ejus non habeant formalem repugnantiam cum actu, qui non sit peccatum mortale. Unde sequitur actuale peccatum veniale non esse obicem ad hunc effectum sacramenti percipiendum, nempe ad augmentum gratiæ. Id expresse docuit S. Thomas de Eucharistia (3. q. 79. a. 8.), et a fortiori de ceteris sacramentis, quæ minus digna sunt, admitti debet.[1] Hæc sunt verba S. Doctoris: "Secundo modo [actu exercito] peccata venialia non ex toto impediunt hujus sacramenti effectum, sed in parte: dictum est enim quod effectus hujus sacramenti non solum est adeptio habitualis gratiæ vel caritatis, sed etiam quædam actualis refectio spiritualis dulcedinis; quæ quidem impeditur, si aliquis accedat ad hoc sacramentum per peccata venialia mente distractus: non autem tollitur augmentum habitualis gratiæ, vel caritatis."

Ad solvendas difficultates contra conclusionem quæ spectat *intentionem* necessariam in adultis ad sacramentum valide suscipiendum, pauca hæc præ oculis habeantur.

1.—Concilia, cum ad valorem sacramenti tantum requirunt materiam, formam, et ministri intentionem, loquuntur de iis quæ absolute et essentialiter requiruntur in omnibus sacramentis conficiendis: intentio autem suscipientis non ad omne sacramentum valide conficiendum requiritur, ut patet in eis quæ parvulis conferuntur.

2.—Facta quæ ex historia ecclesiastica desumuntur ad ostendendum sacramenta, præsertim Baptismi et Ordinis, fuisse aliquando collata invitis, generatim suscipientes respiciunt qui ad sacramenta accesserant coacti, coactione quæ non excludebat omne voluntarium; si vero in

justificandi, suadenda tamen in praxi potius confessio est, ut medium facilius, securiusque recuperandi statum gratiæ.

[1] V. Suarez, disp. 7. sect. 4. n. 9.

aliquo casu particulari demonstrari posset contrariam omnino, vel etiam nullam adfuisse intentionem in suscipiente, sacramentum dici deberet fuisse tunc invalidum.

3.—Etsi religiosus possit invitus ad munus Superioris promoveri, et civis ad publicum Magistratum, non ideo sequitur posse fidelem invitum, si id postulet bonum Ecclesiæ, promoveri ad Ordines sacros. Disparitas est 1. ex voluntate Christi sic sacramenta instituentis, 2. ex eo quod promotio in exemplis allatis religiosi et civis non est nisi deputatio hominis ad opus externum, et ad actiones externas exequendas homo hominem cogere potest: ordinatio vero sacramentalis operatur in ipsa anima gratiam, characterem, spiritualis potestatis collationem: ad hæc autem recipienda Ecclesia a Christo non accepit potestatem cogendi voluntatem hominis. Quare, exigente necessitate, posset Ecclesia deputare invitum ad ministerium sacrum, isque obedire teneretur, ita ut reluctando peccaret; sed si consentire omnino nollet, ejus ordinatio esset nulla.

4.—Si objectio proponitur ex hoc capite quod recipiens sacramentum se habet sicut patiens, et intentio non requiritur ex parte patientis sed agentis, respondet S. Thomas (3. q. 68. a. 7. ad 1.): "In justificatione quæ fit per Baptismum, non est passio coacta, sed voluntaria; et ideo requiritur intentio recipiendi id quod ei datur." Nam, addit idem S. Doctor (3. q. 69. a. 9.): "Deus non cogit hominem ad justitiam: et ideo ad hoc quod aliquis justificetur per Baptismum, requiritur quod voluntas hominis amplectatur Baptismum et Baptismi effectum."

5.—Non est eadem ratio, ut patet, pro parvulis, et adultis, quoad sacramenti susceptionem. Adulti capaces sunt consensus proprii, secus parvuli, qui proinde per alios consentiunt. Nec dicas, illud quod est necessarium ad essentiam sacramenti, vel semper est tale, vel numquam. Distinguitur hæc propositio: Quod est necessarium ad modum partis essentialis, et intrinsece constituentis *C.* Tantum ad modum dispositionis ex parte suscipientis *Subd.* Si eadem sit ratio subjecti, quod capax est hujus dispositionis *C.* Secus *N.*—Parvulos hujus dispositionis incapaces Christus, a cujus libera voluntate institutio pendebat sacramentorum, ab ea lege exemptos voluit, ita ut absque eorum personali voluntate applicari eis possit remedium salutis.

Adversus aliam conclusionem, quæ negat fidem esse necessariam in suscipiente, ut sacramentum valide recipiat, si excipiatur Pœnitentia, objicitur:

1.—S. Augustinus (de bapt. l. 7. c. 53.—V. supra p. 236.) dicit valere baptismum receptum sine simulatione et *cum aliqua fide.*

Respondetur:—S. Augustinus loquitur de fide latissime sumpta, qua intendat suscipiens Baptismum accipere a Christo Domino institutum. Ad rem S. Thomas (3. qu. 68. art. 8. ad 3.) ait: "Etiam non habens rectam fidem circa alios articulos, potest habere rectam fidem circa sacramentum baptismi, et ita non impeditur quin possit habere intentionem suscipiendi sacramentum baptismi. Si tamen etiam circa hoc sacramentum non recte sentiat, sufficit ad perceptionem sacramenti generalis intentio, qua intendit suscipere baptismum, sicut Christus instituit, et sicut Ecclesia tradit."

2.—Concilium Arelatense 1., can. 8, statuit Afros ad Ecclesiam redeuntes esse iterum baptizandos "si interrogati non responderint Trinitatem."

Respondetur:—Concilium voluit Afros ad Ecclesiam revertentes esse interrogandos non an crederent Trinitatem, sed an baptizati essent in Trinitate, ut idem canon expresse declarat: "Et si perviderint eum in Patre et Filio et Spiritu Sancto esse baptizatum, manus ei tantum imponatur, ut accipiat Spiritum Sanctum."

3.—Nihil frustra in sacramentis Ecclesiæ agitur: sed secundum ritum Ecclesiæ ille qui ad Baptismum accedit de fide interrogatur, his verbis: "Credis in Deum Patrem," etc. Ergo fides ad Baptismum requiritur.

Respondetur:—Ecclesia intendit homines baptizare ut a peccato mundentur, quod sine fide obtineri nequit; ideoque de fide interrogat eum qui accedit ad baptismum. Hinc ille qui absque fide vera et interna baptizatur, non percipit baptismum ad salutem, sacramentum baptismi tamen valide percipit. S. Thomas (4. dist. 6. q. 1. a. 3. ad 1.) inquit: "Baptismus dicitur fidei sacramentum, quia per eum homo cœtibus fidelium aggregatur: et ideo qui accipit Baptismum ostendit se fidem habere: et si non habet, reputatur fictus, et rem sacramenti cum sacramento percepto non percipit."

Demum contra ultimam conclusionem in qua asseritur pro sacramentis vivorum non esse necessariam ad augmentum gratiæ obtinendum actualem dispositionem, sed sufficere statum gratiæ, opponitur.

1.—S. Thomas (4. dist. 2. q. 2. a. 1. q. 3.) dicit: "Cum hoc sacramentum [Eucharistiæ] perficiat conjungendo fini, ad hoc quod effectum suum plene habeat in sumente oportet quod adsit actualis devotio. . . . Absque peccato mortali potest effectus hujus sacramenti impediri; ita quod aliquis augmentum gratiæ non consequatur, nec tamen reatum peccati mortalis incurrat."

Resp.—Vel cum quibusdam tenendum est S. Thomam in Summa mutasse sententiam: vel potius cum aliis idem in Summa docuisse, sed clarius. In loco objecto S. Doctor dicit actualem devotionem requiri ut Eucharistiæ *plene* effectum habeat in sacramento: plene autem habere effectum suum est conferre non modo gratiam habitualem, sed etiam actualem dulcedinis spiritualis refectionem. Unde cum addit "absque peccato mortali potest effectus hujus sacramenti impediri, ita quod aliquis augmentum gratiæ non consequatur," non de quocumque augmento gratiæ loquitur, sed de eo quod refertur ad augmentum spiritualis dulcedinis.

2.—S. Thomas (q. 80. a. 8. ad 6.) requirit "maximam devotionem" in sumptione sacramenti Eucharistiæ, quia tunc percipitur, inquit, sacramenti effectus. Similiter Patres videntur requirere devotionem actualem in eo qui ad illud ineffabile mysterium accedit.

Resp.—S. Thomas et Patres loquuntur de actuali dispositione requisita ex reverentia quæ debetur Sacramento altaris, et omnino necessaria est ad consequendum effectum ejus *adæquatum*, nempe augmentum gratiæ habitualis et spiritualem refectionem actualem.

3.—Qui se præbet indignum gratia, non crescit in gratia. Atqui peccans venialiter se præbet indignum gratia. Ergo.

Resp.—*Dist. M.* Qui se præbet indignum gratia indignitate mortali, non crescit in gratia *C.* Indignitate veniali *Subd.* ex opere operantis *C.* Ex opere operato *N.* "Gratia habitualis," ait Suarez loco supra citato, (disp. 7. sect. 4. n. 9.), "in homine manens, tantæ est dignitatis apud Deum, ut vincere possit ac superare leves omnes defectus, ac negligentias, et ideo ipsa sola est sufficiens dispositio ad hunc sacramenti effectum."

ARTICULUS QUARTUS

De proportione juxta quam gratia per sacramenta confertur.

Cum de proportione secundum quam gratia confertur per sacramenta agitur, quæri potest: 1.—Utrum sacramenta specie inter se diversa, inæqualem gratiam habitualem conferant? Et fateri debet id esse plane incertum; pendet enim a libera Dei voluntate et Christi, de qua nihil in Scripturis, in Conciliis, aut in scriptis Patrum nobis est traditum. "Licet propter Christi præsentiam," ait Suarez,[1] "videatur probabile, sacramentum Eucharistiæ (stante æquali dispositione subjecti) majorem gratiam conferre, quam cetera; tamen aliunde, quia hoc sacramentum institutum est veluti ad continuam nutritionem, et consequenter ut sæpius ac frequentius recipiatur, ideo non videtur necessarium, ut quoties recipitur, toties majorem gratiam conferat quam Baptismus semel susceptus, vel quam Confirmatio, aut Ordo. Est itaque res incerta."

2.—Quæri ulterius potest utrum sacramenta solo numero diversa, ut sunt, ad exemplum, baptismi duobus administrati, vel Eucharistia pluribus vicibus sumpta, semper æqualem gratiam conferant, an inæqualem; et si inæqualem, utrum eam conferant etiamsi eadem sit dispositio ex parte suscipientium, an juxta horum diversam dispositionem?

Paludanus putavit parvulos, qui cum sola gratia baptismi morituri sunt, inæqualiter eam accipere; nam supponebat homines futuros esse æquales in numero Angelis beatis, et quia hi pares non sunt in gloria, aiebat etiam omnes homines ad inæqualem gloriam esse prædestinatos, ac proinde semper inæqualem gratiam esse accepturos. Alii inæqualem gratiam collatam parvulis in baptismo deducebant non solum ex numero Angelorum supplendo, sed etiam ex eo quod prædestinati essent ad occupandas sedes in gloria inæquales, quas Angeli mali amiserant. At utraque opinio, ex prædestinatione parvulorum statuens mensuram gratiæ diversam in baptismo conferri, caret solido fundamento, et generatim habetur ut improbabilis.[2]

---

[1] In 3. p. q. 65. a. 3. n. 2.

[2] "In primis non est cur dicamus homines beatos æquales esse futuros in numero,

Nec magis probatur doctrina eorum qui asseruerunt, ut Cajetanus, dari quandoque majorem uni gratiam quam alteri in sacramento ratione sanctitatis ministri, aut etiam parentum pro baptismo infantium: augmentum vero gratiæ tunc conferri non virtute sacramenti, sed ut promeritum ei qui sacramentum suscipit ex aliorum impetratione.

Et sane, quamvis unus alteri de congruo mereri possit gratiam prævenientem, nullus tamen alteri mereri potest immediate gratiam justificantem. Hoc enim est solius Christi:—imo ne quidem propter Christi merita ulli, de lege ordinaria, datur gratia sanctificans, nisi aut hic ad eam suscipiendam per proprios actus se disponat, aut suscipiat aliquod sacramentum.—Præterea huc etiam faciunt testimonia Patrum, qui negant majorem efficaciam sacramentis propter majorem bonitatem ministrorum. Sufficiant ad exemplum duo loca, quæ subjicimus.

S. Augustinus (de bapt. l. 5. n. 16.), ait: "Neque omnium [ministrorum] æqualis est gloria, nec ministrant omnes æqualiter, nec æquali prudentia sunt omnes prædíti, et in evangelizando alius alio melius operatur, et ideo potest dici alius alio doctior in doctrina salutari; alius autem alio *magis minusve baptizatus* dici non potest sive ab inferiore, sive a majore baptizetur."—S. Joan. Chrysostomus (hom. de reditu suo ex Asia) sic loquitur: "Multi me absente baptizati sunt, et quid tunc? nihil minus habet gratia, non claudicat donum Dei; absente me baptizati sunt, sed præsente Christo sunt baptizati."

Itaque communiter doctores tenent sacramentum æqualem effectum gratiæ semper in subjecto habere æque disposito, meliorem vero in eo qui melius sit dispositus.

Juxta hanc sententiam statuitur

---

et gradu beatitudinis Angelis; et multo minus fundamentum est ad dicendum, homines electos esse ad eamdem gloriam, et in eodem gradu, qui debebatur Angelis prævaricatoribus; quid enim si Angeli non peccassent? ideone homines non fuissent beati? imo jam Deus decreverat homines creare, et ad beatitudinem Angelis communem elevare; idque Angelis ipsis manifestaverat, ut suppono ex materia de Angelis. Deinde ad quemcumque gradum gloriæ Deus aliquem prædestinaverit, potest ad illum gradum eum facile conducere per media ordinaria absque eo, quod detur gratia contra communem legem: potest enim per sacramenta, et rursus per merita condigna illum finem consequi, providente Deo tum auxilia efficacia. tum longitudinem vitæ, donec ad eum gradum gratiæ perveniat."—De Lugo, disp. 9. s. 2. n. 20.

THESIS XXI.

Sacramenta ejusdem speciei conferunt ex opere operato æqualem gratiam æqualiter dispositis ; inæqualem dispositis inæqualiter.

Prob. 1.—Ex *Concilio Tridentino*, sess. 6. c. 7. ubi, cum descripsisset causas justificationis, ait : "Justitiam in nobis recipientes unusquisque suam secundum mensuram, quam Spiritus Sanctus partitur singulis pro ut vult, et secundum propriam cujusque dispositionem et cooperationem." Docet ergo Concilium, justitiam, quæ per sacramentum confertur, dari secundum propriam suscipientis dispositionem ; ac proinde magis disposito major justitia, seu gratia, æqualis vero æqualiter dispositis.

Nec dicatur Concilium loqui de gratia quæ extra sacramentum confertur ; nam id nullo fundamento asseritur, et contradicit contextui. Etenim postquam de causis extrinsecis justificationis locutum fuerit, et inter illas enumeraverit sacramentum, uti causam instrumentalem, statim subjungit causam formalem intrinsecam, utpote causarum extrinsecarum effectum, nempe justitiam, seu gratiam habitualem, eamque recipi dicit secundum propriam dispositionem : hæc ergo gratia habitualis, de qua loquitur, est, juxta totam seriem orationis, illa quæ per sacramenta confertur tamquam per causam instrumentalem.

Prob. 2.—Ex *auctoritate Patrum.* Ita S. Cyrillus Hierosolymitanus (Catechesi 1. c. 5.) adhortans eos qui baptismum suscepturi erant ut optime se disponerent ad sacramentum recipiendum, ait : "Omnem humanam sollicitudinem ex cogitatione tua deleas. . . . Relinque præsentia et in futura fidem habe. . . . Omitte plura inutilia loqui . . . sed potius ad preces promptus paratusque esto. . . . . Munda vas tuum, ut gratiam capiat abundantiorem : remissio enim peccatorum ex æquo datur omnibus ; communicatio vero Spiritus Sancti secundum proportionem uniuscujusque fidei conceditur. Si parum laboraveris, parum accipies ; si vero multa operatus fueris, multa erit merces. Tibi ipsi curris, tibi convenientia prospice."

Et S. Joannes Damascenus (de fide orthodoxa, lib. 4. c. 9.) inquit : "Quamvis autem peccatorum remissio omnibus per aquæ baptismum

detur: Spiritus tamen gratiæ pro fidei et præviæ purgationis modo conceditur."

Quare S. Thomas (3. q. 69. a. 8.) hanc doctrinam absque ulla controversia, quasi perpetuo in Ecclesia admissam tradens, dicit: "Effectus baptismi est id ad quod baptismus est institutus, scilicet ad regenerandum homines in spiritualem vitam; et hunc effectum æqualiter facit in omnibus qui æqualiter se habent ad baptismum. Unde quia omnes pueri æqualiter se habent ad baptismum (quia non in fide propria, sed in fide Ecclesiæ baptizantur), omnes æqualem effectum percipiunt in baptismo. Adulti vero, quia per propriam fidem ad baptismum accedunt, non æqualiter se habent ad baptismum: quidam enim cum majori, quidam cum minori devotione ad baptismum accedunt; et ideo quidam plus, quidam minus de gratia novitatis accipiunt, sicut etiam ab eodem igne accipit plus caloris qui plus ei appropinquat; licet ignis, quantum est de se, æqualiter ad omnes suum calorem effundat."

Prob. 3.—*Ratione*, quæ desumitur ex congrua gratiæ retributione: si enim ad impetrandam et obtinendam in sacramento gratiam, requiritur dispositio ex parte suscipientis adulti, consentaneum est, et ad justissimam ac suavissimam Dei providentiam omnino pertinet, meliori dispositioni abundatiorem gratiam retribuere.—Addas quod et hoc expediens fuit ut homines ad sacramenta suscipienda cum majori reverentia et devotione excitarentur, saltem propter spem majoris fructus.—Demum si "quando homo justificatur extra sacramentum," ait de Lugo (disp. 9. sect. 2. n. 12.), "certum est contritioni et dispositioni magis ferventi correspondere majorem gratiam, ei enim qui minus diligit minus dimittitur; cum attritio in sacramento suppleat locum contritionis, debet etiam majori attritioni major gratia correspondere."

Adversus thesim vindicatam objici potest:

1.—Juxta Concilium Tridentinum, superius citatum, gratia datur *secundum mensuram, quam Spiritus Sanctus partitur singulis, prout vult;* ergo datur uni mensura gratiæ major quam alteri pro libera voluntate Dei.

R. *N. Cons.* Illud enim, *prout vult,* accipi debet de divina voluntate antecedente, qua Deus libere pro mensura dispositionis cujuslibet fixit, et statuit certam gratiæ mensuram, sicut cuilibet operi meritorio certum

decrevit præmium et gradum gloriæ; alias Concilium eodem textu vel contradiceret sibimet, vel frustra addidisset: *Et secundum cujusvis dispositionem et cooperationem.*

2.—Deus homines æquales prædestinat ad inæqualem gloriam; ergo etiam æqualiter dispositis dat inæqualem gratiam.

R. *Tr. Ant. N. Cons.* Adultos, quos ad gloriam inæqualem prædestinat, antea ad dispositionem inæqualem prædestinat; qui enim ad majorem gloriam prædestinati sunt, et majora media habent per quæ gratiam sanctificantem sibi majorem comparent. Parvulos vero ante usum rationis decedentes, supposito quod baptizentur, ad gloriam inæqualem non prædestinat.

Neque dicas, parvuli occupabunt sedes Angelorum rebellium inæquales, ac proinde habebunt inæqualem gloriam: respondetur: occupabunt illas sedes quoad gloriæ substantiam, non vero quoad sublimitatis diversitatem.

3.—Sacramenta conferunt gratiam quam significant: sed eamdem significant gratiam: ergo eamdem gratiam suscipientibus conferunt, etsi inæqualis sit suscipientium dispositio.

R. *Dist. min.* Significant gratiam indivisibilem *N.* Divisibilem, seu intensionis capacem *C.* Quapropter, et quia signa practica sunt, et conferunt gratiam ad modum causarum naturalium, quæ vocantur necessariæ, magis intensam, in eis qui magis sunt dispositi, significant et causant gratiam.

4.—Iis qui æqualiter dispositi sacramenta susceperunt, conferuntur postea gratiæ actuales inæquales. Ergo et gratia sanctificans inæqualis collata fuit.

R. *Trans. Ant. N. Cons.* Gratiæ actuales, tempore opportuno, conferuntur a Deo sub conditione, nimirum nisi interea gratia santificans, quacum jus ad gratias illas actuales connexum est, amittatur, aut nisi ex quotidianis peccatis venialibus, homo a Deo judicetur indignus ut tali aut tali mensura gratiæ illæ actuales conferantur. At gratia sanctificans quæ per sacramenta infunditur, absolute cum respectu ad præsentem subjecti dispositionem commensuratur.

SCHOLION.—Inter dispositiones ad fructum sacramenti percipiendum, meliores sunt actuales quam habituales. Inter actuales vero, illæ præstant quæ perfectius a peccato ad Deum convertunt; et hæc conversio ex parte hominis perfecta habetur per actus caritatis et contritionis. Quo autem quisque actus est intensior, eo est melior.

ARTICULUS QUINTUS

De sacramentis ficte susceptis.

Nomine fictionis hic non venit simulata susceptio, quippe quæ invalidum redderet sacramentum; sed simulata dispositio intelligitur, quæ tum habetur cum in anima mortale peccatum adest, quod obex est gratiæ. Quoties ergo sacramentum valide quidem, sed infructuose suscipitur, dicitur ficte, seu cum fictione, suscipi, quasi suscipiens fingat se ad sacramenti fructum dispositum esse, et non sit. Sacramentum sic receptum appellatur validum et informe, dum e contra formatum, si cum sacramento fructus ejus percipitur a suscipiente. Quando suscipiens ad sacramentum accedit sine peccati mortalis conscientia, fictio adest privativa, seu negativa et inculpabilis; positiva vero et imputabilis fictio habetur quum sciens volensque quis cum peccato suscipit sacramentum.

Jam vero quæritur utrum sacramentum, valide sed ficte susceptum, perpetuo infructuosum maneat; an gratiam, quam propter obicem, dum susceptum fuerat, conferre non poterat, postea conferat, quando dispositionem, qua caruit, ille, qui sacramentum susceperat, habeat, et tollat gratiæ obicem: ac proinde an, remoto obice, sacramentum, ut aiunt, reviviscat.

Baptismum ficte susceptum reviviscere communiter docent theologi, præter Vasquez, aliosque paucos. Alii cum Suarez, de Lugo, Coninck, Viva reviviscentiam hanc sacramenti extendunt ad Confirmationem, et Ordinem, quæ ut Baptismus, imprimunt characterem, imo etiam probabiliter ad Extremam Unctionem et Matrimonium. Communius Eucharistia cum fictione positiva, seu sacrilege, suscepta dicitur non

reviviscere. An autem Pœnitentia reviviscat necne pendet a quæstione de possibilitate sacramenti pœnitentiæ validi atque informis.

Sit ergo

THESIS XXII.

Baptismus cum fictione susceptus, remoto per subsequentem dispositionem obice, reviviscit, gratiamque ex opere operato confert. Probabilius idem de aliis sacramentis admitti debet; exceptis Eucharistia, quæ cum sacrilege suscepta fuerit non reviviscit, et Pœnitentia, de qua in Tractatu proprio disputatur.

Probatur primo thesis quoad Baptismum.—*a*) Regenerationem spiritalem et primam justificationem consequitur ille qui, post baptismum ficte susceptum, obicem gratiæ removet, contritionem perfectam concipiendo, aut cum attritione supernaturali sacramentum Pœnitentiæ suscipiendo.—Atqui hanc regenerationem et primam justificationem, remoto peccati obice, ille non obtinet vi contritionis, aut Pœnitentiæ sacramenti; sed vi Baptismi quem susceperat.—Ergo Baptismus remoto obice reviviscit, et ex opere operato tunc confert gratiam.

Prob. min.—1. Juxta illud Joan. III.: "Nisi quis renatus fuerit ex aqua," etc. omnes regenerari debemus ex sacramento Baptismi; et juxta Conc. Trid. sess. 6. c. 4.: "Translatio ab eo statu, in quo homo nascitur filius primi Adæ, in statum gratiæ . . . sine lavacro regenerationis, aut ejus voto fieri non potest, sicut scriptum est: Nisi quis renatus," etc. Ergo ille qui post Baptismum ficte susceptum regenerationem consequitur, et a statu peccato in quo nascimur ad statum gratiæ tranfertur, id virtute Baptismi prius suscepti obtineat necesse est.—2. Sacramentum Pœnitentiæ numquam originale peccatum remittit; illud enim non subjicitur clavibus Ecclesiæ, cui sicut non competit in nondum baptizatum jurisdictio, ita neque competit in peccata commissa ante Baptismum; quare Concilium Tridentinum diserte docet (sess. 14. cc. 1. 2.), sacramentum Pœnitentiæ nonnisi pro peccatis post baptismum commissis institutum esse; et conferre gratiam non ad regenerandos homines, sed ad fideles post lapsum reconciliandos. — 3. Contritio perfecta hominem ficte baptizatum regenerare non potest, quia hunc effectum producere non

valet sive votum baptismi includat, sive non. Etenim nequit dici, contritionem, prout includit votum baptismi, conferre ficte baptizato primam justificationem, quia Baptismus semel susceptus iterari non potest, ac nonnisi sacrilege haberi potest votum, seu propositum, suscipiendi iterum hoc sacramentum. Similiter dici nequit contritionem, sine voto baptismi, conferre regenerationis gratiam homini qui ficte fuerat baptizatus, quasi Baptismus jam susceptus, conditio esset prærequisita, qua posita, jam contritio valeret ad primam justificationem conferendam; quia regenerationis, seu primæ justificationis, Baptismus numquam est *conditio*, sed *causa;* ideoque semper vi et efficacitate sua debet effectum producere regenerationis spiritualis, ut vera sint verba Salvatoris: "Nisi quis renatus fuerit," etc.

b) S. Augustinus reviviscentiam baptismi cum obice recepti non modo ut certissimam habuit, sed ex eadem revincebat Donatistas, qui eum urgebant hoc dilemmate. Vel Baptismus noster dimittit peccata, vel non. Si dimittit; ergo datur apud nos Spiritus Sanctus, ac proinde sumus in vera Ecclesia. Si non dimittit; ergo denuo baptizandi sumus.—Respondebat Augustinus valere Baptismum eorum ad peccati remissionem, non quando culpabiliter extra veram Ecclesiam illum recipiebant, sed quando convertebantur et peccatum in susceptione Baptismi commissum detestabantur.

Jam, occasione thesis XVIII., dedimus clarissima S. Doctoris testimonia, in quibus ea præsertim attendantur verba: "*Tunc incipit valere idem Baptismus ad dimittenda peccata,*" et alia "*Deus sanctificat sacramentum suum, ut homini . . . . . postea ad se veraciter converso idipsum valeat ad salutem.*"—His addas quod (de bapt. l. 1. cap. 12.), ait: "Non iterum baptizandus est; quia ipsa ei reconciliatione ac pace præstatur, ut ad remissionem peccatorum ejus in unitate jam *prodesse incipiat sacramentum*, quod acceptum in schismate prodesse non poterat."

Eodem modo loquitur Auctor Sermonis *de Passione*, inter opera S. Cypriani: "Et licet indigni sint qui accipiunt, sacramentorum tamen reverentia, et propinquiorem ad Deum parat accessum, et ubi redierint ad cor, constat ablutionis donum, et redit effectus munerum."

S. Thomas (3. p. q. 69. art. 10.) quærens "utrum fictione recedente Baptismus suum effectum consequatur," conclusionem affirmantem statuit auctoritate S. Augustini, et ratione confirmat. Juvat utrumque referre:—

"Sed contra est quod Augustinus dicit in lib. 1. de bapt. cont. Donatist., c. 12. parum a princ.: 'Tunc valere incipit ad salutem baptismus, cum illa fictio veraci confessione recesserit, quæ corde in malitia vel sacrilegio perseverante, peccatorum abolitionem non sinebat fieri.'

Respondeo dicendum quod, sicut supra dictum est, quæst. 66. art. 9. baptismus est quædam spiritualis regeneratio. Cum autem aliquid generatur, simul cum forma recipit effectum formæ, nisi sit aliquid impediens, quo remoto, forma rei generatæ perficit suum effectum, sicut simul cum corpus grave generatur, movetur deorsum, nisi sit aliquid prohibens, quo remoto, statim incipit moveri deorsum. Et similiter quando aliquis baptizatur, accipit characterem quasi formam, et consequitur proprium effectum, qui est gratia remittens omnia peccata. Impeditur autem quandoque per fictionem. Unde oportet quod remota ea per pœnitentiam, baptismus statim consequatur suum effectum."

Probatur secundo thesis quoad sacramenta Confirmationis, Ordinis, Extremæ Unctionis et Matrimonium.

Et quidem pro sacramentis Confirmationis et Ordinis, sic procedit argumentum.—Ideo reviviscere Baptismus dicitur, quia Christus, qui hoc sacramentum instituit contra peccatum originale, statuit ut conferret gratiam regenerationis, etsi tantum post sacramenti susceptionem haberetur dispositio necessaria ad consequendum ejus effectum; ne homo, gratia illa baptismali, et huic adnexis actualis gratiæ auxiliis perpetuo privaretur, cum Baptismus iterari nequeat.—Atqui hæc ratio similiter valet pro Confirmatione et Ordine. — Ergo admitti debet reviviscentia horum sacramentorum.

Minor patet: nam hæc etiam sacramenta iterari non possunt; ac proinde qui ea ficte suscepissent, non tantum in perpetuum privati mansissent gratia sanctificante, quam ab illis recipere potuissent, sed et jure ad gratias actuales, quæ tempore opportuno vi illorum sacramentorum conceduntur, et quæ tam necessariæ sunt, sive *confirmatis* ut fidem etiam cum vitæ dispendio fortiter profiteri possint, sive *ordinatis* ut munus suum sancte et fideliter adimplere valeant.

Reviviscentiam sacramenti Ordinis S. Augustinus diserte docuit, (l. 2. contra Cresconium, c. 10.) de sacerdotibus in hæresi consecratis hæc dicens: "Christiana sane sacramenta in vobis agnosco. . . . Apud vos

quidem aliena sunt; sed cum vos correctos recipit cujus sunt, fiunt ea salubriter vestra, quæ perniciose habebatis aliena." Ideo *salubria* quia utique reviviscunt et sanctificant illos qui ea susceperant cum peccato.

Jam age, ex hac ipsa argumentatione ostendi etiam potest reviviscentia Extremæ Unctionis et Matrimonii. Etenim tria sacramenta, de quibus locuti sumus, ideo dicuntur sublata fictione reviviscere, quia iterari non possunt, et nisi reviviscerent, numquam gratia his sacramentis propria posset obtineri.—Atqui Extrema Unctio et Matrimonium, etsi talia non sint ut absolute numquam iterari possint, secundum quid tamen iterari nequeunt.—Ergo et hæc sacramenta videntur pariter reviviscere. —Minor constat, quia Matrimonium durante eodem conjugio iterari nequit; Extrema vero Unctio durante eadem infirmitate semel tantummodo conceditur, id intelligendo juxta verba Ritualis Romani: "In eadem infirmitate hoc sacramentum iterari non debet, nisi diuturna sit, ut si,cum infirmus convaluerit, iterum in periculum mortis inciderit."

Sed tertio, rationes quas modo dedimus pro aliis sacramentis non valent pro Eucharistia; ergo ille qui sacrilege eam suscepit non potest suscepti sacramenti percipere fructum, ablato obice.—Et re quidem vera, Eucharistiæ sacramentum, ex sua institutione, reiterari potest, et alia sacramenta, de quibus egimus, iterari nequeunt vel absolute, vel saltem secundum quid.—Præterea si admitteretur reviviscentia sacramenti Eucharistiæ sacrilege suscepti sequeretur absurdum; nimirum sacerdotem omnibus diebus sacrilege Missam celebrantem, si in fine vitæ cum remissa attritione confiteretur, recipere augmentum gratiæ ex opere operato correspondens illis omnibus communionibus, ac proinde sanctissimum fieri propter frequentissima sacrilegia quæ commisit, et eo sanctior quo plura fuissent sacrilegia, et multo sanctior si contra Ecclesiæ leges singulis diebus pluries celebrasset. Quis umquam hæc omnia, quæso, audire vellet ut probabilia?

Objectionibus satisfit:—

Obj. 1.—S. Aug. loco citato (l. 1. de bapt. c. 12.) remissionem peccatorum tribuit pœnitentiæ, seu *piæ correctioni et veraci confessioni*. Ergo reviviscentiam non tribuit Baptismo.

R. D. Ant.—Tribuit pœnitentiæ tamquam removenti prohibens, seu obicem fictionis *C.* Tamquam causæ effectrici *N.*

Obj. 2.—Opus mortuum, h. e. in statu peccati mortalis factum non reviviscit, sicut opera bona, licet de cetero meritoria sint, si tamen in statu peccati mortalis exercita fuerint numquam reviviscunt ad meritum gratiæ et gloriæ; atqui sacramentum ficte susceptum est opus mortuum; ergo.

R. *C. M. D. min.*—Sacramentum ficte susceptum, ut opus hominis, est opus mortuum *C.* Ut est opus Dei, vel Christi *N.* Hinc est disparitas quoad alia opera mortua. Opus aliud meritorium in statu peccati mortalis exercitum est mortuum simpliciter; proinde reviviscere numquam potest. At licet indigna sacramenti susceptio sit opus mortuum, imo mortiferum; ipsum tamen sacramentum, ut est opus Christi, in se vivum et sanctum est, habetque ex Christi meritis vim sanctificandi, ubi obex vitæ et sanctitatis recesserit; ad instar causæ meritoriæ, vel sicut corpus grave, cessante impedimento, causat motum. Quare neque tenet hic Reg. 18. J. in 6.: *Quod ab initio vitiosum est, tractu temporis non convalescit;* quia sacramentum in præsenti casu est validum ab initio, ideoque etsi non exerat virtutem suam dum confertur, exeret tamen postea, recedente impedimento.

Obj. 3.—Si post Baptismum ficte susceptum homo peccet, et deinde cum attritione accedat ad sacramentum Pœnitentiæ, in hoc casu deberet conferri gratia tam a sacramento Pœnitentiæ præsente, quam a Baptismo reviviscente: at hoc dici non potest. *Prob. min.* Quia gratia a Baptismo collata est incompossibilis non solum cum peccatis quæ animam commaculant ante, sed etiam post Baptismum; ergo Baptismus deleret peccata post Baptismum admissa, quod dici non potest. Pari ratione, gratia collata vi sacramenti Pœnitentiæ est incompossibilis etiam cum peccatis ante Baptismum commissis, et ipso originali; ergo et hoc sacramentum illa deleret, quod certo falsum est.

R. *N. min. Ad prob. N. Cons.*—Etsi quilibet gradus gratiæ sit incompossibilis cum quolibet peccato gravi; Deus tamen in hoc casu, eodem signo concurret cum utroque sacramento ab conferendam eamdem realiter gratiam; ita ut, quatenus est a Baptismo, deleat directe solum originale ac peccata Baptismum præcedentia; quatenus vero est a Pœnitentia, remittat directe solum peccata post Baptismum admissa. Sicuti enim dicimus, visionem beatificam, ex. gr. realiter esse tam ab

intellectu, quam a lumine gloriæ, sed formalitatem vitalitatis respondere intellectui, formalitatem supernaturalitatis lumini gloriæ, quatenus sine intellectu non haberetur vitalitas, nec supernaturalitas sine hoc lumine ; ita eadem gratia conferretur a sacramento utroque, ut tamen, qua deletiva peccati originalis est aliorumque ante Baptismum, respondeat Baptismo ; qua deletiva peccati est post Baptismum commissi, sacramento Pœnitentiæ.

Obj. 4.—Quando in sacramento pœnitentiæ tollenda esset fictio formalis, hoc sacramentum prius natura produceret effectum suum, quam Baptismus ; ergo adhuc peccata remitteret ante Baptismum contracta. *Prob. Ant.*—Prius natura debet tolli fictio formalis, ut Baptismus operetur gratiam, quia recessus impedimenti prius natura intelligitur, quam introductio formæ : sed fictio formalis non potest tolli, nisi per gratiam ; est enim peccatum mortale sacrilegii : ergo si sacramentum Pœnitentiæ tollat fictionem, prius natura producet gratiam.

R. *N. Ant. Ad prob. D. Ant.*—Prius natura debet tolli fictio in ratione voluntarii, ut operetur Baptismus *C.* In ratione maculæ *N.* Et sic *D. min.* Fictio in ratione culpæ et maculæ non potest tolli, nisi per gratiam *C.* In ratione voluntarii *N.* Ad rationem allatam *D.* Recessus impedimenti negativi prius natura intelligitur, quam introductio formæ *C.* positivi *N.* Nimirum sicut in physicis, et in exemplo dato fit, carentia dispositionis ultimæ est impedimentum negativum, et prius natura abesse debet ad introductionem novæ formæ, forma autem prior in materia est impedimentum positivum ; attamen prior natura est introductio formæ novæ, quam veteris expulsio : ita hic peccatum fictionis est impedimentum positivum, si spectetur secundum maculam, et se habeat ut formam præcedentem in materia ; secundum rationem voluntarii habet se ut est carentia dispositionis ultimæ ad formam subsequentem, scilicet gratiam, sive ut impedimentum negativum ; quo proinde natura prius sublato, pro eodem signo utrumque sacramentum gratiam efficit.

Scholion 1. — Ad sacramentorum reviviscentiam subinde sola supernaturalis attritio sufficit ; subinde vel attritio cum sacramento Pœnitentiæ, vel perfecta contritio.

1. Ut Baptismus, quando cum obice negativo susceptus fuit, revi-

viscat ad remissionem peccati originalis, aliorumque personalium ante Baptismi susceptionem commissorum, sola sufficit attritio, si post Baptismum homo non peccaverit mortaliter ; quia in hoc casu impedimentum adæquatum gratiæ baptismalis est carentia illius dispositionis necessario prærequisitæ, quæ requirebatur ad percipiendum cum fructu sacramentum ; ideoque si postea ea dispositio ponitur, omne tollitur gratiæ impedimentum :—sed dispositio requisita et sufficiens in peccatore adulto ad obtinendam baptismalem gratiam est attritio ;—ergo. Insuper peccata personalia ante baptismum commissa eatenus solum sunt obex gratiæ, quatenus manent voluntaria : atqui per attritionem tolluntur in ratione voluntarii ; hæc enim illorum retractatio est : ergo.

2. Ut reviviscat sacramentum Baptismi, et tollatur obex negativus in eo, qui post Baptismum peccavit lethaliter, non sufficit ad obtinendam baptismalem gratiam ponere dispositionem antea omissam, seu attritionem ; sed requiritur necessario vel contritio perfecta, vel attritio cum sacramento Pœnitentiæ ; ut Theologorum communis sententia docet post S. Thomam, quæst 69. articu. 10. ad 3. Ratio est, quia ad delendum peccatum mortale post Baptismi susceptionem commissum necessitate medii requiritur sacramentum Pœnitentiæ vel in re, vel in voto, cum Baptismus institutus non sit ad delenda peccata post ipsum commissa, et hæc clavibus seu jurisdictioni Ecclesiæ subdita sint.

3. Similiter sufficiens non est attritio, ut tollatur obex culpabilis, seu formalis, quocum susceptus fuit Baptismus, — quod autem de Baptismo dicimus, de aliis sacramentis reviviscentibus dicendum est. Tunc contritio perfecta, vel sacramentum Pœnitentiæ requiritur, quia obex fuit mortale peccatum sacrilegii, et illud auferri nequit nisi per contritionem perfectam, aut per attritionem cum sacramento.—Nec dicas obicem in eo casu non esse aliquod peccatum quod post baptismum commissum fuit, ac proinde tolli posse per reviviscentiam ipsius sacramenti baptismi, elicita attritione sola quæ ad baptismum tamquam dispositio in subjecto requiritur, nec ut removeantur, necessariam esse contritionem perfectam aut sacramentum Pœnitentiæ. Etenim,—et loquimur de fictione non inchoata, sed perfecta, de ea nempe quæ perduraret usquedum sacramentum in suo esse perficeretur,—si quis culpabili fictione accipit Baptismum, hæc fictio quamvis sacramento valide suscepto tempore non sit posterior, est tamen natura, nam consummatur

in illo ultimo instanti quo prior natura est Baptismus quam fictio; quæ non impedit quominus sacramentum sit validum et characterem in anima imprimat indelebilem, sed quominus gratia, quæ conferri deberet, reapse conferatur. At per sacramentum susceptum fit homo subditus Ecclesiæ; ergo Ecclesiæ clavibus subjicere debet fictionem suam culpabilem, propter quam sacramentum salutifero caruit effectu.

SCHOLION 2.—Quæri potest utrum sacramenta, ablato obice, conferant semper æqualem gratiam; et hac de re duplex est sententia Theologorum. Prima, quam amplectitur Suarez, tenet semper dari æqualem et, cum agitur de Baptismo, illam conferri quæ infunditur parvulis: ratio autem est quia gratia, recedente fictione, datur a sacramento solo, et non secundum dispositionem subjecti, nam nulla in eo dispositio fuit quando Baptismum acceperat, et attritio subsequens nequit esse dispositio Baptismi jam suscepti.—Secunda sententia, quam defendit Cardinalis de Lugo, docet gratiam inæqualem conferri secundum inæqualem bonitatem actus, quo fictio tollitur. Momenta præcipua hujus sententiæ sunt, 1. verba Concilii Tridentini, sess. 14. c. 4. ubi de detestatione et retractatione peccatorum dicitur: "Fuit autem quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic contritionis motus necessarius:" ergo, concludit de Lugo, illa detestatio concurrit ad effectum baptismi, ut meritum de congruo; sed majorem vim ad merendum habet melior ac perfectior dolor de peccatis, quam minus perfectus: ergo effectus Baptismi inæqualis erit secundum perfectionem istius doloris. 2. Juxta doctrinam ejusdem Concilii, sess. 6. cap. 7. gratia confertur adultis secundum propriam cujusque dispositionem: porro actus, quo aufertur obex, est vera dispositio ad gratiam Baptismi recipiendam, et probatur,—tum quia Baptismus antea acceptus non habet vim remittendi peccata majorem quam Baptismus præsens; sed hic non remittit peccata absque dispositione suscipientis, ergo nec ille:—tum quia Baptismus antea susceptus conferre non potuit gratiam propter defectum dispositionis; ac proinde expeditus fieri nequit ad eam conferendam nisi posita dispositione; actus igitur, quo per remotionem obicis, Baptismus jam valet effectum sanctificantis gratiæ conferre, vera est dispositio.—Confer, si lubet, de Lugo, de sacramentis in genere, disp. 9. sect. 5.

ARTICULUS SEXTUS

De charactere sacramentali.

Character Græce idem est ac Latine figura, signaculum, nota, qua res quælibet insignitur: et quamvis id primo intelligatur de rebus sensibilibus, ita ut dicamus pecora, exempli gratia, charactere esse notata cum signum aliquod particulare distinctivum inustum habent; in spiritualibus tamen characteris nomen etiam adhibetur ad expressam imaginem significandam. "Character," ait S. Thomas (3. q. 63. a. 1. ad 2.), "vel signaculum dici potest, per quamdam similitudinem, omne quod configurat alicui, vel distinguit ab alio, etiamsi non sit sensibile: sicut Christus dicitur *figura*, vel *character paternæ substantiæ*, secundum Apostolum, Heb. I."—Usu ecclesiastico character est signaculum spirituale per sacramentum animæ perpetuo impressum, quo homo specialiter deputatur ad ea quæ sunt divini cultus.[1]

[1] In sacramentis novæ legis Doctores scholastici distinguere solent *sacramentum tantum*, *rem*, et *rem ac sacramentum*: in hac vero enumeratione, sacramenti nomen accipitur non stricto sensu, seu non id solum significat quod est signum practicum gratiæ, sed latiori acceptione indicat signum ad sacramentum pertinens, licet non sit pars intrinseca sacramenti, sed potius ejus effectus. Similiter quum Theologi aliquid in sacramentis appellant *sacramentum tantum* non ideo dicunt in eo solo consistere adæquatam rationem sacramenti, sed illud ita esse signum, ut simul non sit res per signum significata. Volunt ergo Scholastici hoc loquendi modo declarare in sacramentis aliquid esse quod significat et non significatur, atque hoc vocant *sacramentum tantum*; rursus aliquid esse quod significatur et non significat, vocantque istud *rem*; demum esse quod significat et significatur, et hoc dicunt esse *rem et sacramentum*.

In Baptismo, Confirmatione et Ordine, materia et forma dicuntur *sacramentum tantum*, significant enim gratiam, characterem et alios effectus; gratia *res sacramenti* dicitur, quia significatur et non significat; character autem dicitur *res et sacramentum*, quia significat gratiam et significatur ab ipso sacramento.

In Eucharistia eadem tria distinguuntur: species sunt sacramentum tantum, quia significant corpus Christi et gratiam, sed non significantur; gratia est quæ significatur et non significat; et corpus Christi, quia significat gratiam et significatur a verbis et speciebus, res est simul et sacramentum.—In Matrimonio etiam communiter distinguunt Doctores verba contrahentium, quæ sunt sacramentum tantum; gratiam sacramentalem, quæ est res; et vinculum, seu peculiaris indissolubilitas, quam participat matrimonium fidelium ex eo quod sacramentum sit, quod indissolubile vinculum dicunt esse rem et sacramentum.

Difficultas invenitur dum hæc eadem tria quæruntur in sacramentis Pœnitentiæ et Extremæ Unctionis. De Extrema Unctione duas opiniones refert Suarez, (disp.

Tria novæ legis sacramenta, Baptismum nempe, Confirmationem et Ordinem, valide suscepta, characterem imprimere, adeoque iterari non posse docuit semper Ecclesia; et contra Novatores XVI. sæculi, qui post Wicleff ausi sunt asserere id fuisse Innocentii Papæ III. novum inventum, ut dogma fidei definivit in Concilio Tridentino, sess. 7. c. 9.:—"Si quis dixerit, in tribus sacramentis, Baptismo scilicet, Confirmatione et Ordine, non imprimi characterem in anima, hoc est, signum quoddam spirituale et indelebile, unde ea iterari non possunt, anathema sit."—In Decreto ad Armenos a Concilio Florentino idem antea declaratum fuerat: "Inter hæc sacramenta [novæ legis] tria sunt: Baptismus, Confirmatio et Ordo, quæ characterem, id est, spirituale quoddam signum, a ceteris distinctivum, imprimunt in anima indelebile. Unde in eadem persona non reiterantur. Reliqua vero quatuor characterem non imprimunt, et reiterationem admittunt."

Valde discrepant inter se Theologi cum de natura disserunt characteris. Scotus eam reponit in relatione reali; alii ad figuræ speciem characterem revocant; quidam dixerunt eum esse patibilem qualitatem; alii asseruerunt esse habitum; alii potentiam. Durandus putavit characterem non esse quid reale distinctum ab anima, sed esse dumtaxat relationem rationis, seu denominationem externam, per quam homo deputatur ad sacras functiones, eo fere modo quo reges deputant cives ad publica munera exercenda, quin hac deputatione eis entitas aliqua intrinsece superaddatur.

41. sect. 3.); et prima quidem affirmat *rem et sacramentum* esse hilaritatem mentis, et roborationem internam, quæ appellatur etiam a quibusdam interna unctio: alia opinio dicit *rem et sacramentum* esse sanitatem corporis, quam illud sacramentum affert, si ad salutem animæ expedierit.—De Pœnitentia, postquam multas opiniones retulerit, Cardinalis de Lugo (disp. 2. sect. 8. num. 166.) sic concludit: "Igitur, ut defendamus illam communem divisionem in omnibus sacramentis, et assignemus aliqua ratione quidquam, quod in sacramento pœnitentiæ sit res et sacramentum simul, possumus id aliquo modo deducere ex doctrina Concilii Tridentini sess. 14. c. 3. ubi de re hujus sacramenti sic dicitur: 'Sane vero res, et effectus hujus sacramenti, quantum ad ejus vim, et efficaciam pertinet, reconciliatio est cum Deo, quam interdum in viris piis, et cum devotione hoc sacramentun suscipientibus, conscientiæ pax ac serenitas cum vehementi spiritus consolatione consequi solet.' In quibus verbis videtur Concilium eodem modo loqui de hac conscientiæ pace in ordine ad hoc sacramentum, sicut postea agendo de Extrema Unctione in eadem sess. c. 2. dixit, sanitatem corporis esse illius effectum et rem. . . . Sic eodem fundamento dicere possumus, in sacramento pœnitentiæ pacem illam internam esse rem et sacramentum, quia et significat et significatur; significat quippe pacem restitutam cum Deo per gratiam, et remissionem peccati: significatur autem per partes hujus sacramenti, nempe per materiam et formam."

Hanc Durandi sententiam Bellarminus (lib. 2. cap. 19.) dixit vix differre a doctrina hæreticorum, et Suarez (disp. 11. sect. 2.) putavit jam non posse vindicari ab errore in fide. Vasquez (disp. 134. c. 2.), vero aliique, etsi fateantur eam esse omnino rejiciendam, vindicant tamen a censuris, et conantur ostendere posse cum definitionibus Concilii Tridentini conciliari.

Thesi sequenti dogma catholicum propugnabimus, deinde in scholio de characteris natura aliquid attingemus.

THESIS XXIII.

Datur character sacramentalis; isque per tria dumtaxat sacramenta, Baptismum, Confirmationem et Ordinem, imprimitur.

I. Primum argumentum, idque per se solum sufficiens ad firmandam thesim, desumitur ex universali consensu Ecclesiæ in hac profitenda doctrina de charactere sacramentali.

Etenim, diu ante exortas hæreses sæculi XVI, immo et longe ante Wicleffi rebellionem,[1] ut indubitata res ab omnibus in Ecclesia admittebatur per sacramenta quædam imprimi in anima characterem.—Atqui consensus iste, ut declaravimus thesi VII., indubitanter ostendit Apostolicam traditionem illius doctrinæ; eamque revelatam esse manifestat. —Ergo.

Probatur major, tum Concilii Florentini apertissima, in Decreto ad Armenos, professione quam retulimus ; tum ex Decretalibus Gregorii IX. et Innocentii III.—Gregorius, anno 1228., Archiepiscopo Baranensi (Decret. lib. 1. t. 11. cap. 16.) scribebat: "Consultationi tuæ taliter respondeo quod eos qui extra tempora statuta sacros Ordines receperunt, *characterem* non est dubium recepisse ; quos pro transgressione hujusmodi (primo eis pœnitentia imposita competenti) sustinere poteris in susceptis Ordinibus ministrare."—Et Innocentius III., Decreto adversus Petrobrussianos, a nobis pro thesi XX. superius citato, de charactere, qui per baptismum imprimitur, diserte agit. — Interrogabat Summum Pontificem Archiepiscopus Arelatensis "utrum dormientibus

[1] Wicleff obiit anno 1384.

et amentibus sacramenti saltem character imprimatur, ut excitati a somno, aut ab ægritudine liberati, non sint denuo baptizandi."—Et Innocentius, anno 1250., respondet: qui est invitus, non absolute sed secundum quid, "talis et is qui ficte ad baptismum accedit, *characterem* suscipit Christianitatis impressum. . . . Ille vero qui numquam consentit, sed penitus contradicit, *nec rem, nec characterem* suscipit sacramenti." Amentes porro et dormientes, prosequitur summus Pontifex, qui prius, compotes sui, erant inviti "si fuerint sic immersi, *characterem* non suscipiunt sacramenti: secus autem si prius catechumeni extitissent, et habuissent propositum baptizandi." Et concludit: "Tunc ergo *characterem* sacramentalis imprimit operatio, cum obicem voluntatis contrariæ non invenit obsistentem."—Qua responsione evidenter patet fuisse tunc in Ecclesia notissimam de charactere doctrinam, juxta quam sacramenta quædam, si rite et fructuose suscipiantur *rem*, seu *gratiam*, conferunt et imprimunt characterem; sin autem cum obice ad gratiam, solum imprimunt characterem.

II. Sed et hanc eamdem doctrinam docuisse a primis Christianæ religionis sæculis Ecclesiam constat ex celeberrima concertatione habita in Africa, sæc. V., adversus errores Donatistarum, quos nomine omnium Catholicorum Præsulum impugnavit S. Augustinus. In quæstione tunc non erat utrum sacramenta tria hæc, Baptismus, Confirmatio, seu Chrisma, et Ordo, valide collata, iterum conferenda essent eis qui ab hæresi redirent ad Ecclesiam; sed concessa ab omnibus traditione Apostolica de sacramentis illis non repetendis, Donatistæ contendebant ritum sacramentalem, adhibitum etiam juxta Christi institutionem, sed a ministro fide carente, aut statu gratiæ, nullum esse, adeoque nullum producere effectum; catholici vero docebant una cum dogmate de non iteratione illorum sacramentorum, aliud quod intime cum eo conjungebatur, et ejus veluti ratio erat et fundamentum, nempe sacramenta hæc tria, si semel ubicumque, servatis institutionis a Christo factæ ritibus, conferantur, habere aliquem effectum in initiatis, independentem a gratia, perpetuo manentem etiam in rebellibus et fugitivis a Deo et ab Ecclesia; qui effectus, per tria sacramenta collatus, et permanens etiam in malis, est character.—Catholicam hanc doctrinam tam sæpe inculcat S. Augustinus, tam mirifice et copiose evolvit ac declarat, ut impossibile sit omnia, vel saltem præclariora referre testimonia Sancti Doctoris. Contentus ero paucis, quæ speciminis gratia, hic subjunguntur.

Enarratione in Ps. 39. n. 1. ait: "Sicut patribus nostris adversus leonem opus erat patientia, sic nobis adversus draconem vigilantia. Persecutio tamen sive a leone, sive a dracone numquam cessat Ecclesiæ: et magis metuendus est cum fallit, quam cum sævit. Illo tempore cogebat Christianos negare Christum; isto tempore docet Christianos negare Christum: tunc cogebat, nunc docet. . . . . . . Modo enim quid dicitur ab hæreticis hominibus [Donatistis] christiano catholico? Veni, esto christianus. . . . Et ille mirabili voce percussus, si nondum veneno penetratus est, respondet: Plane christianus sum. Si autem movetur, et dente draconis captus est, respondet: Quare mihi dicis, Esto christianus? quid enim, non sum christianus? Et ille, Non. Ergo non sum? Non. Ergo nunc fac me christianum, si non sum. Veni. Sed cum interrogari cœperis ab episcopo quis sis, noli dicere, Christianus sum, aut Fidelis sum, sed dic non te esse, ut possis esse. Cum enim audierit confessionem christiani fidelis, rebaptizare non audet: cum autem audierit quod non sit, dat illi tanquam quod non habebat; ut quasi ipse sit extra culpam, quia secundum vocem ejus facit. Ubi quæro abs te, hæretice, cur te extra culpam putas? Quid hac voce audio? quia non tu negas, sed ille negat? Si habet culpam qui negat, quid qui docet negare eum qui negat? Itane vero tu extra culpam es, quia facis docendo christianus, quod faciebat minando paganus? Et quid agis? Numquid tollis quod habet, quia negavit quod habet? Non facis ut non habeat, sed ut ad pœnam habeat. Quod enim habet, habet. Baptismus ille tamquam character infixus est: ornabat militem, convincit desertorem. Quid enim facis? Christum imponis super Christum."

In libro 2. contra Parmenianum (c. 13. n. 28.) de baptismo simul et de Ordinatione loquens, dicit: "Sicut Baptismus in eis, ita Ordinatio mansit integra: quia in præcisione fuerat vitium, quod unitatis pace correctum est; non in sacramentis, quæ ubicumque sunt, ipsa sunt. Et cum expedire hoc judicatur Ecclesiæ, ut præpositi eorum venientes ad catholicam societatem honores suos ibi non administrent; non eis tamen ipsa Ordinationis sacramenta detrahuntur, sed manent super eos. Ideoque non eis in populo manus imponitur, ne non homini, sed ipsi sacramento fiat injuria." Et deinde veritatem quam defendit confirmans exemplis, (n. 29.) addit: "Si enim aliqui furtim et extra ordinem, in monetis publicis aurum, vel argentum, vel æs percutiendo signave-

rint; cum fuerit deprehensum, nonne illis punitis, aut indulgentia liberatis, cognitum regale signum thesauris regalibus congeretur? Aut si quisquam, sive desertor, sive qui numquam omnino militavit, nota militari privatum aliquem signet; nonne ubi fuerit deprehensus, ille signatus pro desertore punitur, et eo gravius quo probari potuerit nunquam omnino militasse, simul secum punito, si eum prodiderit, audacissimo signatore? Aut si forte illum militiæ characterem in corpore suo non militans pavidus exhorruerit, et ad clementiam imperatoris confugerit, ac prece fusa, et impetrata jam venia, militare jam cœperit; numquid, homine liberato atque correcto, character ille repetitur, ac non potius agnitus approbatur? An forte minus hærent sacramenta christiana, quam corporalis hæc nota, cum videamus nec apostatas carere baptismate, quibus utique per pœnitentiam redeuntibus non restituitur, et ideo amitti non posse judicatur?"

In libro 2. contra litteras Petiliani (c. 104. n. 239.) de Confirmatione inquit: "In hoc argumento sacramentum Chrismatis vultis interpretari: quod quidem in genere visibilium signaculorum sacrosanctum est, sicut ipse Baptismus: sed potest esse in hominibus pessimis, in operibus carnis vitam consumentibus, et regnum cœlorum non possessuris."

In Symbolo (c. 8. n. 15.). "Quomodo desertor habet characterem, et isti baptismum: habent sed unde damnentur, non unde coronentur; et tamen si desertor ipse correctus incipiat militare, numquid audet quisquam characterem mutare?"—In I. Joan. tract. 5. n. 6.: "Ecce accepit sacramentum nativitatis homo baptizatus; *sacramentum habet*, et magnum sacramentum, divinum sanctum, ineffabile . . . . . attendat tamen in cor . . . videat si habeat caritatem. . . . . Si autem non habet, *characterem quidem impositum habet*, sed *desertor vagatur*."—Et hæc sufficiant.

III. Quod autem S. Augustinus tam strenue adversus Donatistas defendebat, alii Patres illi ætati suppares aut anteriores in catechesibus, in libris de mysteriis fidei nostræ tractantibus, et speciatim de sacramentis, in expositione Sacrarum Scripturarum, in concionibus, unanimiter docebant, et aptissimis comparationibus illustrabant.

S. Ambrosius (de Spiritu Sancto, c. 6. nn. 78. 79.) loquens de effectibus baptismi, et de ineffabili operatione Spiritus Sancti per aquam, in sacramento regenerationis, ait: "Numquid in aqua vivimus, sicut in

Spiritu? numquid in aqua signamur, sicut in Spiritu? In ipso enim vivimus, et ipse est pignus hæreditatis nostræ, sicut Apostolus scribens ad Ephesios ait: 'In quo credentes signati estis Spiritu promissionis Sancto, qui est pignus hæreditatis nostræ' (Eph. I. 13. 14.). Sancto igitur Spiritu signati sumus, non natura, sed a Deo, quia scriptum est: 'Qui unxit nos Deus, et qui signavit nos et dedit pignus Spiritum in cordibus nostris' (II. Cor. I. 21. 22.). . . . Spiritu signamur, ut splendorem atque imaginem ejus et *gratiam tenere possimus*, quod est utique spirituale signaculum; nam etsi specie signamur in corpore, veritate tamen in corde signamur, ut Spiritus Sanctus exprimat in nobis imaginis cœlestis effigiem."—S. Doctor duplicem hic baptismi effectum distinguit, gratiam et signaculum: et hoc non esse inquit sacramentum externe susceptum, sed quod significatur quidem exterius a sacramento; verum interius, in anima, a Spiritu Sancto imprimitur per sacramentum. —De signaculo Confirmationis loquitur S. Ambrosius in libris de sacramentis (l. 3. c. 2. Conf. etiam, de mysteriis, c. 8.).

S. Cyrillus Hierosolymitanus præclara testimonia de charactere habet sacramentali: imo et propriis notis distinguit eum qui per baptismum imprimitur ab eo qui est per sacramentum Confirmationis. Characterem Confirmationis vocat (Catechesi 18. n. 33.) *signaculum communicationis Spiritus Sancti*, baptismalem dicit (Catech. 1. n. 2.) esse illum quo *in lavacri regeneratione* rationabili Christi gregi accensemur: illum docet (Catech. 22. n. 7.) animæ imprimi dum foris oleo chrismatis fidelis inungitur: hunc (Catech. 3. n. 4.) appellat signaculum per aquam, *τὴν δι' ὕδατος σφραγῖδα*: unum, seu Confirmationis, significat (Catech. 18. n. 33.) post Baptismum esse collatum: alterum in ipso Baptismo impressum, ita ut uno eodemque tempore aqua corpus abluat, et Spiritus signet animam (Catech. 3. n. 4–12.). Ne nimius sim, referam duo tantum loca:—

In Protocatechesi, (n. 16.) declarat baptismi effectus: "Magna res est sane quod verbis proponitur baptisma: captivis pretium, peccatorum remissio, mors peccati, animæ regeneratio, luminosum indumentum, *signaculum sanctum indissolubile* (*σφραγὶς ἁγία ἀκατάλυτος*), vehiculum ad cœlum, paradisi deliciæ, regni obtinendi causa, adoptionis donum:" deinde sub finem orationis hortatur catechumenos ad susceptionem sacramenti his verbis: "Firmemus mentem, contendamus animam,

præparemus cor. . . . Deleat ille [Deus] chyrographum quod contra vos est, oblivionem autem tribuat vobis priorum delictorum; atque in Ecclesiam vos inserat, sibique milites allegat, arma vobis justitiæ circumponens: cœlestibus Novi Testamenti rebus repleat, et *Spiritus Sancti concedat signaculum indelebile in sæcula* (*καί Πνεύματος Ἁγίου σφραγίδα δῴη ἀνεξάλειπτον εἰς τοὺς αἰῶνας*)."—In Catechesi 1. (n. 2.): "Accedite," inquit, "ad mysticum signaculum, ut ab hero favorabiliter agnosci possitis;" et (n. 3.) prosequitur: "Salutare et admirabile sigillum confert, quod contremiscunt dæmones et agnoscunt Angeli; ita ut illi quidem fugitent abacti, hi vero ut familiarem et cognatum circumplectantur."

S. Basilius (Homilia in S. Baptisma n. 4.) hæc habet ad rem egregia: "Angeline te suscipient, an detinebunt qui jam tenent? In acie duces tesseram tribuunt sub se militantibus, ut et amici facile se invicem inclament, et si in conflictu fuerint cum hostibus commixti, queant citra confusionem sejungi. Agnoscet te nemo, nosterne sis, an hostium, nisi mysticis signis necessitudinem affinitatemque ostenderis, nisi signatum sit super te lumen vultus Domini. Quomodo vindicabit te angelus? quomodo eripiet ex hostibus, nisi agnoverit signaculum? Quomodo dicturus es tu, Dei sum, si notas ac insignia non exhibeas? An ignoras, exterminatorem domos signatas præteriisse, in his vero quæ signatæ non erant, primogenita occidisse? Thesaurus non obsignatus diripi a furibus facile potest: ovi signo carenti tuto struuntur insidiæ."—Et (n. 5.) effectus Baptismi enumerat dicens: "Baptismus captivis est redemptionis pretium, debitorum condonatio, mors peccati, regeneratio animæ, indumentum lucidum, *sigillum quod nullo conatu frangi potest*, vehiculum ad cœlum."

S. Gregorius Nazianzenus (Orat. 40. in S. Baptis. n. 4.) multiplices appellationes baptismi enumerat quia "multiplex hujus beneficii utilitas, multas quoque appellationes nobis peperit;" has autem vocat: "Donum, gratiam, baptismum, unctionem, illuminationem, incorruptionis indumentum, regenerationis lavacrum, sigillum" et significans qua ratione sigillum vocetur, ait: "quia conservatio est, ac dominationis obsignatio."

S. Joannes Chrysostomus (hom. 3. in II. ad Cor. n. 7.): "Quemadmodum," inquit, "nota quædam militibus, ita fidelibus quoque Spiritus

imponitur. Quo fit ut, si ordinem deserueris, perspicuus omnibus fias. Judæi enim signi loco circumcisionem habebant, nos autem pignus Spiritus."—S. Ephrem Syrus (in Bib. Orient. Assemani, t. 1. p. 94.): "Spiritus Sanctus," ait, "per oleum imprimit signum suum ovibus suis. Sicut annulus in cera imprimit suum sigillum, ita etiam signum occultum Spiritus per oleum imprimitur personis, quando unguntur in baptismo."

Porro ex hoc modo loquendi communiter a Patribus usurpato, ad significandum characterem tribus sacramentis impressum in anima fidelium, clarescit etiam sensus illorum testimoniorum, quæ in vetustioribus ecclesiasticis documentis eamdem veritatem brevius atque obscurius tradiderunt. Sic characterem intelligere debemus quando baptismus a Clemente Romano (Epist. II. ad Cor. cc. 7. 8.) exhibetur ut *sigillum immaculatum,* in Constitutionibus Apostolicis (l. 2. cap. 39.) ut *sigillum infragile,* in actibus Theclæ (cap. 8.) ut *signaculum in Christo,* a Tertulliano (de spect. cc. 4. 24.) ut *signaculum nostrum, signaculum fidei.*—Et in excerptis ex Theodoto apud Clementem Alexandrinum (n. 86.), hæc diserta de charactere nobis servata sunt: "Cum Domino numisma oblatum esset, non dixit: cujus est possessio, sed cujus est imago et superscriptio? Cæsaris: ut cujus esset, illi redderetur. Sic et fidelis Dei nomen per Christum sibi superscriptum habet, Spiritum autem veluti imaginem (*ἀπογραφην μεν ἔχει δια Χριστου το ὀνομα του θεου, το δε πνευμα ὡς εἰκονα*). Quandoquidem et muta animalia per signaculum ostendunt cujus unumquodque pecus sit, et ex signo hoc vindicantur: sic et anima fidelis, quæ veritatis sigillum accepit, stigmata Christi portat (*οὕτω και ἡ ψυχη ἡ πιστη τὸ τῆς ἀληθειας λαβουσα σφραγισμα τα στιγματα του χριστου περιφερει*)."—Verba autem S. Dionysii (de Eccl. Hier. cap. 2. p. 3. § 4.) si cum allatis hucusque testimoniis comparentur, similiter spectant characterem: "Sic adductum [eum, qui suscepturus est Baptismum] divina beatitudo ad sui admittit communicationem, propriæque lucis, instar signi cujusdam."

IV. Nec omnino desunt loca Scripturarum, in quibus, posita constanti doctrina Patrum, videri possit adumbratus character sacramentalis. Paulus enim ad Cor. (II. Cor. I. 21.) scribit: "Qui unxit nos Deus; qui et signavit nos (*ὁ και σφραγισάμενος ἡμᾶς*), et dedit pignus Spiritus in cordibus nostris:"—et ad Eph. (I. 13.): "Et credentes signati

estis Spiritu promissionis Sancto (*και πιστεύσαντες ἐσφραγίσθετε τῷ Πνεύματι τῆς επαγγελίας τῷ ἁγίῳ*)." Et in eadem Epist (IV. 30.): "Et nolite contristare Spiritum Sanctum Dei: in quo signati estis in diem redemptionis (*ἐν ᾧ ἐσφραγίσθετε εις ἡμέραν ἀπολυτρώσεως*)."—Non utique contendimus his Pauli sententiis, per se solis inspectis, demonstrari dogma de charactere sacramentali impresso in anima ex susceptione trium novæ legis sacramentorum; sed illud propugnamus, quod recte adnotat P. Franzelin, (de sacr. in gen. p. 155.) nempe, "supposita in Apostolis sententia de charactere sacramentali, qualis ex Traditione demonstratur, non potuisse Paulum Apostolum *sigillum cum gratia* ita, ut videmus, conjungere et distincte exprimere, quin ea sententia ipsa menti scribentis obversata et illis verbis expressa esse censeri debeat."

V. Ex non iteratione trium sacramentorum aliud communiter Theologi desumunt argumentum ad probandum per ea imprimi in anima characterem. Audiatur Bellarminus, (de sacram. in genere, l. 2. c. 22.): "Baptismus non potest repeti, si fuerit semel rite collatus, ut etiam Confirmatio et Ordo: cetera possunt repeti, ut notum est de Eucharistia et Absolutione. Sed vera causa non potest assignari hujus discriminis, nisi character: igitur necesse est fateri imprimi per sacramenta quædam characterem. Major propositio est recepta ab omnibus, etiam hæreticis hujus temporis, exceptis Anabaptistis. Minor probatur; nam in primis si ponatur character, perspicua erit ratio discriminis. Ideo enim quædam sacramenta non possunt repeti, quia semel data semper manent in suo effectu: alia repetuntur, quia non manent nec in se, nec in suo effectu; gratia enim, quæ est effectus solus aliorum sacramentorum, facile potest amitti, et sæpe amittitur. Præterea etiamsi aliquando non amittatur, tamen augeri potest, et sic sacramentum potest repeti, ut gratia augeatur. At character non potest augeri per iterationem sacramenti ejusdem. Adde, quod gratia non est sacramentum, sed effectus sacramenti tantum: character autem sacramentum est, et sacramenti effectus. Hæc igitur ratio recte ostendit, cur sacramenta illa non repetantur, et alia repetantur, ut Concilium Florentinum et Tridentinum docent. Si autem hæc ratio non admittatur, nulla alia sufficiens reddi potest."—Nec arduum est ostendere nullam solidam rationem afferri ab adversariis ad explicandam non reiterationem illo-

rum sacramentorum, quæ juxta fidem catholicam imprimunt characterem.

Etenim si, negando characterem, dicunt non iterationem eorum oriri ex divina prohibitione, recte interrogat Bellarminus, undenam ipsi sciunt Deum id prohibuisse? Scripturæ aperte hoc non dicunt; et traditio, ut vidimus, utrumque docet, nimirum, Deum voluisse tria sacramenta non iterari et hoc quia voluit per illa sacramenta characterem imprimi.

Si Calvinus (Institut. lib. 4. c. 18. § 19.) ait: Baptismum non repeti, quia est ingressus in Ecclesiam et initiatio quædam fidei, respondetur:— 1. qui ab hæreticis baptizantur, culpabiliter eis adhærentes, non initiantur ad fidem, nec membra fiunt Ecclesiæ, cum apud hæreticos neque Ecclesia sit, neque fides; et tamen ad frugem conversi, ad veram Ecclesiam venientes, non iterum baptizantur. 2. Qui in Ecclesia baptizantur, et postea ab ea discedunt per hæresim, aut apostasiam, cum debeant iterum venire ad Ecclesiam ut salventur atque iterum initiari fidei, deberent etiam, si vera esset ratio a Calvino allata, iterum baptizari, et tamen baptizari non possunt. 3. Ordinatio non est initiatio fidei, neque in Ecclesiam ingressus, et nihilominus non iteratur.

Si Chemnitius (2. p. Exam.) asserit Baptismum non iterari ex eo quod hoc sacramento repræsentatur mors quam Christus pro nobis semel tantum sustinuit; omnino infirma est hæc ratio, nam quod semel fit potest sæpius repræsentari, et Eucharistia, quæ etiam significat mortem Domini, repeti potest. Ceterum, Ordinatio non est repræsentatio mortis Christi, et tamen non potest repeti.—Si dicit, Baptismus est unicus quia institutus est ad delendum peccatum originis, quod est unicum; inanis etiam apparet hæc ratio cum baptismus attenditur collatus ei qui ficte suscipit sacramentum; nam ille non mundatur a culpa originis, non accipit gratiam regenerationis, et tamen postea pœnitens non poterit rebaptizari:—et præterea ratio quam dat Chemnitius nullo modo aptari potest sacramentis Confirmationis et Ordinis, quæ, ut Baptismus, non iterantur.—Si asserit pactum nobiscum a Deo initum esse perpetuum in Baptismo, ideoque Baptismum non esse iterandum: præter alia, respondere sufficit, Eucharistiam non minus continere pactum Dei et promissionem vitæ æternæ, et repeti tamen posse.

Neque juvat adversariis, adversus rationem desumptam ex non itera-

tione trium sacramentorum, opponere vitium argumenti, quasi diceremus sacramenta quædam ideo characterem imprimere quia iterari nequeunt, et vicissim probaremus sacramenta illa ideo iterari non posse quia imprimunt characterem.

Etenim rationem *a priori, cur quædam sacramenta iterari non possint, immediatam, et proximam* dicimus esse characterem: rationem vero *a priori cur detur character* esse voluntatem Christi, quam perpetua traditio Ecclesiæ nobis ostendit. Deinde *characterem* probare solemus etiam *a posteriori, ex eo quod sacramenta quædam iterari nequeant;* sed citra vitium argumenti, quia probatio ex diverso causæ genere deducitur, sicut aliquando effectus per causam, et causa per effectum probari potest. Sed et illud notetur, si de Baptismo sit sermo, objectio afferri nullo pacto potest ab adversariis contra quos pugnamus: nam circulus vitiosus est in argumento, quando unum per aliud probatur, et vicissim hoc per illud, *adversus eum qui neutrum concedit:* at vero Protestantes non utrumque negant, sed Baptismum iterari non posse plane fatentur.

Demum congruentia characteris impressi in tribus tantum sacramentis desumitur ex iis quæ fiunt in exercitu, vel familia principis; nam si ibi peculiaribus notis discernuntur ii, qui ad specialia munera vel obsequia deputantur; congruum erat sane ut etiam in familia Christi Regis, ejus famuli, milites et ministri, peculiaribus signis notarentur; idque fit in tribus sacramentis, Baptismo, Confirmatione, et Ordine. Revera in sacramentis ceteris homo non deputatur ad specialia munera in familia Christi, sed solum gratiam sacramentalem obtinet juxta speciales fines illorum sacramentorum: in sacramento enim Pœnitentiæ accipit gratiam ut liberetur a peccatis; in Eucharistia ut spiritualiter nutriatur et crescat; in Extrema Unctione ut a reliquiis peccatorum mundetur ac fortiter luctetur in extremo agone; in Matrimonio ut onera conjugii sancte et fideliter perferre queat.

Ut solvantur difficultates, hæc, quæ sequuntur, teneantur oportet,

1.—Sigillum dicitur dupliciter, *proprie* signum ipsum impressum, *metonymice* id quod signum imprimit, derivatione nominis ab effectu ad causam, ut sæpe fit. Patres ergo sigillum quandoque appellant, vel sacramentum imprimens characterem;—vel formam sacramentalem in

baptismo, quæ dat esse sacramento, per quod character imprimitur;—vel Christum Dominum, et ipsam Sanctissimam Trinitatem. In hoc ultimo sensu S. Thomas (3. q. 63. a. 3.) ait: "Character est distinctio a *charactere æterno* impressa animæ rationali, secundum imaginem consignans trinitatem creatam [animam cum suis facultatibus] Trinitati creanti et recreanti."

2.—Si quando Patres docent characterem exterius agnosci, et probari agnitum, id aiunt quia etsi character in se ipso immediate nequeat ab hominibus percipi, in causa tamen potest, nempe in sacramento valide suscepto, quod imprimit characterem.

3.—S. Augustinus, ait: (serm. ad plebem Cæsar. n. 2.) "Si Donatus in nomine Donati baptizaret, desertoris characterem infigeret," sed ex hypothesi loquitur impossibili, qua utitur ut ostendat Donatistis valorem sacramentorum a fide et probitate ministri non pendere. Quare ex verbis S. Doctoris nullo modo sic concludi potest: Augustinus comparat characterem Christi cum charactere Donati, et ait, Donatus, si baptizasset nomine suo, characterem suum impressisset; sed hic Donati character procul dubio non fuisset internus et spiritualis; ergo etiam character, qui imprimitur in Baptismo, juxta Christi institutionem collato, non est internus et spiritualis.—E contra, verba S. Augustini potius confirmant doctrinam quam vindicamus, et sensus eorum est: Si per absurdam hypothesim existeret aliquis baptismus Donati hæretici, efficacia similis baptismo Christi ad imprimendum characterem, talis baptismus datus in nomine Donati exprimeret characterem Donati desertoris, non Christi imperatoris; proinde in redeuntibus ad Ecclesiam ille character exterminandus esset, et character Christi imprimendus per baptismum Christi in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti At hæretici non suum, sed Christi baptismum conferunt; non in nomine Donati, sed in nomine sanctissimæ Trinitatis, juxta institutionem Christi, baptizant. Ergo sigillum impressum, character baptizati, non est character Donati, sed Christi, non desertoris, sed imperatoris; ac proinde etiam in errante extra Ecclesiam est agnoscendus, et redeunti ad Ecclesiam baptismus rite collatus non est iterum conferendus. "Ipse desertor [hæreticus] characterem fixit," ait Augustinus, "imperatoris sui. Ego . . . attendo

. . . fidem in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Iste est character imperatoris mei. De isto charactere militibus suis vel potius comitibus suis, ut hunc imprimerent eis quos congregabant castris suis, præcepit dicens: 'Ite baptizate in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.'"

4.—Veteres Scholastici non de existentia characteris, sed de ejus natura disputant, ac de genere probationis unde certo demonstrari possit illum per quædam sacramenta imprimi.—Magister sententiarum non adhibuit nomen characteris, sed rem hoc nomine significatam agnovit, cum, 4. sent. dist. 7., docuit Baptismum, Confirmationem et Ordinem iterari non posse ex eo quod consecratione quadam conferantur, et id auctoritate probavit Sancti Augustini. Petrus vero Pictaviensis, Magistri sententiarum discipulus, ejusque primus Commentator, et successor in Cathedra Theologica Parisiensi, dist. 24., de charactere impresso aperte loquitur; sicut et Gulielmus Episcopus Parisiensis, qui floruit anno 1240., et alii ætate Magistri posteriores.—Durandus (4. dist. 4. quæst. 1.) fatetur admittendum esse characterem: "Omnes moderni," inquit, "profitentur illum imprimi in aliquibus sacramentis."—Scotus (4. dist. 6. q. 9.) describit characterem ut "quoddam spirituale impressum a Deo suscipienti sacramentum non iterabile."—Gabriel Biel affirmavit existentiam characteris impressi, et solum addidit (4. dist. 6. qu. 2. a. 1. Concl. 1.): "Characterem esse *qualitatem absolutam* animæ impressam nec ratio necessaria demonstrat, nec evidens auctoritas probat."

5.—In Concilio Tridentino, dum de sacramentis definitionum schemata trutinæ subjiciebantur, quidam, teste Pallavicino[1] malebant doctrinam de charactere sacramentali, ut probabiliorem tantum, a Concilio esse proponendam; sed traditio Ecclesiæ non ex privata unius vel alterius theologi opinione dijudicatur: et illi quidem, quos indicat Pallavicinus, inspecta veritate, communem aliorum Concilii Patrum sententiam amplexi sunt, simulque cum eis definitionem fidei tulerunt de charactere.

---

[1] Hæc sunt verba Pallavicini: "E specialmente è notabile un luogo di Santo Agostino prodotto del Seripando, il quale vivamente pugnò che l'articolo si ricevesse non per più probabile, come alcuni volevano, ma per certo." Istoria del Concilio di Trento, lib. 9. c. 5. n. 3.

6.—Male contra argumentum, quo in præsenti quæstione ex non iteratione trium sacramentorum desumimus existentiam characteris per hæc impressi, objicitur: consecratio Ecclesiarum et calicum iterari nequit, character tamen in eis nullus imprimitur; idque dicendum est etiam de tonsura, et de Abbatum benedictione quæ non iterantur: quinimmo et de Matrimonio quod cum eadem persona iterari nequit. Responsio est obvia: — Consecratio Ecclesiarum et calicum amitti potest per execrationem et fractionem, ac postea repeti: præterea nulla paritas est inter has rerum materialium consecrationes, quibus, ut patet, nulla spiritualis potestas conferri potest, et consecrationes, quæ fiunt per sacramenta characterem imprimentia, hominemque signant famulum, militem, et ducem Christi imperatoris. — Prima tonsura nec sacramentum est, nec absolute repugnat eam iterari, ac proinde sola consuetudo Ecclesiæ facit ut non iteretur. Idem dicendum est de benedictione Abbatum, quæ similiter non est sacramentum, et ex Ecclesiæ institutione non iteratur.—Matrimonium quamvis cum eadem persona iterari nequeat, sublato tamen priori vinculo, iterari cum alia potest.

7.—Gratia habitualis charactere nobilior habet sui contrarium, et demeritorie destructivum, nempe peccatum; et sicut homini liberum est peccatum, ita libera est ei conservatio gratiæ. Sed character nihil sui contrarium et destructivum habet; ideoque in ipsa sacramenti susceptione impressus, nullo postmodum peccato deleri potest.

8.—Character in damnatis manet ad confusionem, in beatis vero ad gloriam, "sicut etiam," ait S. Thomas (3. q. 63. a. 5. ad 3.), "militaris character manet in militibus post adeptam victoriam, et in his qui vicerunt ad gloriam, et in his qui sunt victi ad pœnam."

9.—Nullum argumentum ad impugnandum dogma de charactere sacramentali deduci potest ex sacramentis veteris legis in animam non imprimentibus characterem. "Sacramenta veteris legis," inquit Doctor Angelicus (quæst. cit. art. 1. ad 3.), "non habebant in se spiritualem virtutem ad aliquem spiritualem effectum operandum; et ideo in illis sacramentis non requirebatur aliquis spiritualis character, sed suffi-

ciebat ibi corporalis circumcisio, quam Apostolus signaculum nominat. Rom. 4."

Scholion.—Quod si natura characteris sacramentalis inquiratur, illud in primis videtur uti certum esse statuendum, nimirum characterem non constitui, ut contendebat Durandus, mera rationis relatione, quam nos propter susceptum sacramentum inesse concipimus suscipienti, sed esse aliquid omnino reale inhærens animæ.—Atque id sane eruitur ex ipsa doctrina Patrum et Conciliorum, quam in thesi nuper vindicata, proposuimus ac declaravimus.

Etenim cum Patres affirmant sacramenta, quæ characterem imprimunt, perpetuo *inesse, manere, hærere* eis qui semel ea susceperint; cum veritatem hanc illustrant ex notis nummo, ovi, aut militi realiter impressis; cum aiunt hanc notam in animam imprimi Sancti Spiritus operatione interna et ineffabili; cum denique dicunt animam, per hanc Spiritus Sancti operationem, veluti effigiem exprimere Christi imperatoris, quam prævaricatores Angeli timent, fugiuntque, boni vero Angeli lætantes agnoscunt et venerantur; profecto docent characterem esse aliquid realiter in anima permanens, non extrinsecam tantummodo deputationem, et relationem rationis, quæ ex præterito sacramento suscepto mente concipiatur.—Similiter, verba Summorum Pontificum, Concilii Florentini in Decreto ad Armenos, et præsertim Concilii Tridentini, sess. 7. can. 9., nonnisi violenta et arbitraria prorsus detorsione intelligi de denominatione mere extrinseca, et de relatione rationis posse videntur. "Imprimi," ait Tridentina Synodus, "characterem *in anima;*" et quid vere sit explicat, addens: "hoc est, *signum* quoddam *spirituale et indelebile.*"—Præterea relatio rationis ex susceptione cujuslibet sacramenti resultat; et tamen sacramentum quodlibet characterem non imprimit, sed ex sacramentis solum tria illum imprimunt.—Insuper Tridentina Synodus voluit existentiam characteris definire quam negabant Novatores; at credibile non est eos negasse ex susceptione sacramenti oriri denominationem quandam extrinsecam, et relationem rationis, quæ per se ex deputatione alicujus ad quodvis munus semper resultat; ergo dicendum est Tridentinam Synodum dum characteris sacramentalis veritatem definivit, docuisse illum non esse meram relationem rationis et extrinsecam denominationem.

Rationes ex doctrina Patrum desumptæ et ex definitione Concilii Tridentini valent etiam contra sententiam quæ placuit Scoto, scilicet, characterem quidem esse realem, non tamen absolutum quid, sed solum relationem:—nam characterem imprimi et produci, non de relatione, quæ positis fundamento et termino resultat, proprie dicitur, sed de qualitate aliqua supernaturali ab anima realiter distincta, et divinitus ei infusa.—Sed aliunde et relationis realis, de qua loquitur Scotus, aliquod fundamentum assignari nequit, et sine fundamento tamen non potest intelligi. Etenim nec anima, nec ejus facultates dici possunt fundamentum hujus relationis, quia secus nemo non haberet characterem: nec gratia, nec alia dona divinitus infusa, quia sine his, in eis qui ficte ad sacramentum accedunt, imprimitur character; nec demum sacramentalis ipsa actio dici potest relationis fundamentum, quia character manet post actionem sacramentalem transactam, et relatio realis sine suo proximo fundamento remanere nequit.

Jam constat characterem ad categoriam qualitatis pertinere: at ad primamne speciem qualitatis revocari debet, an ad secundam? Estne dispositio vel habitus, non quidem talis qui frequentatione actuum facilem reddat potentiam, sed qualitas permanens, quæ subjectum in suo esse convenienter disponat, sine ullo ordine ad operationem; an potius dicendum est esse potentiam?

Primum defenditur a Suaresio (in 3. dist. 9. sect. 3. n. 14.), alterum ab aliis, qui sequuntur sententiam S. Thomæ, (3. q. 63. a. 2.) quam et nos amplectimur et operis pretium ducimus hic referre verbis ejusdem S. Doctoris:

"Sed contra est quod Philosophus dicit in 2. Ethic., cap. 5. in princ.: 'Tria sunt in anima, potentia, habitus et passio.' Sed character non est passio, quia passio cito transit; character autem indelebilis est, ut infra dicetur, art. 5. hujus quæst. Similiter etiam non est habitus, quia nullus habitus est qui se possit ad bene et male habere; character autem ad utrumque se habet; utuntur enim eo quidam bene, alii vero male: quod in habitibus non contingit: nam habitu virtutis nullus utitur male, et habitu malitiæ nullus bene. Ergo relinquitur quod character sit potentia.

Respondeo dicendum quod, sicut dictum est art. præc., sacramenta novæ legis characterem imprimunt, in quantum per ea deputantur

homines ad cultum Dei secundum ritum Christianæ religionis. Unde Dionysius in cap. 2. Eccles. Hierarch., a med., cum dixisset quod 'Deus in quodam signo tradit sui participationem accedenti ad Baptismum,' subjungit: 'Perficiens eum divinum et communicatorem divinorum.' Divinus autem cultus consistit vel in recipiendo aliqua divina, vel in tradendo aliis. Ad utrumque autem horum requiritur quædam potentia: nam ad tradendum aliquid aliis requiritur quædam potentia activa; ad accipiendum autem requiritur potentia passiva. Et ideo character importat quamdam, potentiam spiritualem ordinatam ad ea quæ sunt divini cultus. Sciendum tamen quod hæc spiritualis potentia est instrumentalis, sicut etiam supra, quæst. præc, a. 4., dictum est de virtute quæ est in sacramentis. Habere enim sacramenti characterem competit ministris Dei: minister autem habet se per modum instrumenti, ut Philosophus dicit in 1. Politic. c. 3. ad princ. Et ideo sicut virtus quæ est in sacramentis, non est in genere per se, sed per reductionem, eo quod est quiddam fluens et incompletum, ita etiam character non proprie est in genere vel specie, sed reducitur ad secundam speciem qualitatis."

Præterea cum quæritur in quo subjecto immediate resideat, juxta sententiam quam amplexi sumus de natura characteris, cum eodem Doctore Angelico (3. q. 63. art. 4.) consequenter concludimus: "Character est quoddam signaculum quo anima insignitur ad suscipiendum vel aliis tradendum ea quæ sunt divini cultus. Divinus autem cultus in quibusdam actibus consistit. Ad actus autem proprie ordinantur potentiæ animæ, sicut essentia ordinatur ad *esse*. Et ideo character non est sicut in subjecto in essentia animæ, sed in ejus potentia."—Et si adhuc quæratur in qua sit animæ potentia, respondebimus (ibid. ad 3.), "character ordinatur ad ea quæ sunt divini cultus, qui quidem est quædam fidei protestatio per exteriora signa. Et ideo oportet quod character sit in cognitiva potentia animæ, in qua est fides."

Ex hucusque de charactere disputatis perspicuum est per eum homines Christo Summo Sacerdoti quodantenus assimilari. Character secundum propriam sui rationem est, ait S. Thomas (3. q. 63. a. 3. ad 2.) "signum configurativum alicui principali, apud quem residet auctoritas ejus ad quod aliquis deputatur, sicut miles qui deputantur ad pugnam insigniuntur signo ducis, quo quodammodo ei configurantur. Et hoc

modo illi qui deputantur ad cultum christianum, cujus auctor est Christus, characterem accipiunt, quo Christo configurantur." Hæc autem configuratio in eo est quod ii quibus character imprimitur aliquam potestatem recipiant, circa ea quæ ad divinum cultum pertinent, participatam a sacerdotio Christi, ita ut "potestas sacerdotii ejus," juxta S. Thomam, (ead. quæst. a. 5.) "comparetur ad characterem, sicut id quod est plenum et perfectum ad aliquam sui participationem."—Hinc etiam patet characterem sacramentalem, quamvis non sit donum per se sanctificans, habere tamen cum gratia connexionem, quatenus Deus, quantum ex se est, potestati spirituali et characteri gratiam semper vult esse conjunctam, et si aliquando eidem non conjungatur id provenit solum ex culpa suscipientis.— Et inde est pariter quod Patres dicant characterem esse signaculum ad habendum splendorem imaginis Dei, ad obtinendum præsidium Angelorum, ad munimen et custodiam consequendam adversus tentationes :—exinde est adhuc quod Theologi characterem appellant *rem et sacramentum*, scilicet visibilis sacramenti effectum, et signum sanctificantem gratiam simul significans.

Christo Summo Sacerdoti, Redemptori nostro ac Regi, qui signaculo suo infragili obsignavit nos, honorem, laudem, gratias reddimus sempiternas.



DE BAPTISMO

Sacramentis N. L. in genere inspectis, ad ea in specie consideranda animum advertimus, ac primum de baptismo, per quem spiritualiter renati sumus, inquirentes, generales quasdam de eo notiones trademus, ejusdemque materiam, formam, necessitatem, ministrum, subjectum, atque effectus pertractabimus.

ARTICULUS PRIMUS

De baptismo generatim inspecto.

Baptismi nomen græco verbo βάπτω, vel βαπτίζω, derivatum, quamlibet immersionem vel ablutionem generatim significat, et in Scripturis tum pro communi et profana lotione, tum pro sacra purificationis cæremonia usurpatur. Sic de Judith (XII. 7.) legitur: "Et exibat noctibus in vallem Bethuliæ, et baptizabat se in fonte aquæ;"—de Judæis, tempore Christi, et præsertim de Pharisæis, in Evangelio Marci (VII. 3. 4.) scriptum est: "Nisi crebro laverint manus, non manducant, tenentes traditionem seniorum: et a foro, nisi baptizentur, non comedunt: et alia multa sunt, quæ tradita sunt illis servare, baptismata calicum et urceorum et æramentorum, et lectorum;"—et S. Paulus (ad Hebr. IX. 10.) purificationes legales commemorat dicens: "Munera et hostiæ offeruntur, quæ non possunt juxta conscientiam perfectum facere servientem, solummodo in cibis et in potibus, et variis baptismatibus, et justitiis carnis usque ad tempus correctionis impositis."

Sensu metaphorico idem baptismi nomen adhibetur in Scripturis ad significanda sive mala, sive bona, quæ nos undique veluti circumdant, et in quibus mergimur. Priori sensu Christus aiebat (Marc. x. 38.):

"Potestis bibere calicem, quem ego bibo, aut baptismo, quo ego baptizor, baptizari?" — posteriori autem (Act. I. 5.): "Baptizabimini Spiritu Sancto non post multos hos dies."

In præsenti tractatione, ut patet, baptismus sumitur pro ritu sacro ablutionis, qui unum ex septem N. L. sacramentis vere constituit.

Variis nominibus sacramentum hoc in Scriptura et a Patribus designatur; communius, a *materia* dicitur *aquæ lavacrum*, vel *sacramentum aquæ*;—a *forma*, quæ in se continet expressam SS. Trinitatis invocationem, et solemnem professionem fidei, vocatur *sacramentum Trinitatis*, vel *sacramentum fidei*;—*ab effectibus* appellatur *regenerationis et renovationis lavacrum*, et *sacramentum illuminationis*.

Baptismus, juxta Catechismum Concilii Tridentini "recte et apposite definitur, sacramentum regenerationis per aquam in verbo;"—et sane ea quæ ad essentiam hujus sacramenti pertinent, et quibus ab aliis N. L. Sacramentis discernitur, per hanc definitionem sufficienter exprimuntur. Distinctius vero his verbis definiri potest: "Sacramentum novæ legis a Christo Domino institutum ad spiritualem hominis regenerationem, per externam aquæ ablutionem cum expressa SS. Trinitatis invocatione." His verbis "sacramentum novæ legis a Christo Domino institutum," genus proximum omnibus novi fœderis sacramentis commune exprimitur: verba vero sequentia differentiam ultimam exhibent, qua baptismus a ceteris sacramentis distinguitur: solus enim est qui ad delendum peccatum originale, quod generatione carnali contraximus, institutus sit, et ad conferendam nobis, cum infusione gratiæ sanctificantis, spiritualem regenerationem, per quam ex statu filiorum iræ filii Dei adoptivi et membra Christi efficimur atque Ecclesiæ. Dum autem in definitione dicitur "per externam aquæ ablutionem" designatur duplex hujus sacramenti materia; remota, nempe, quæ est aqua, et proxima, quæ in ablutione per aquam consistit:—et dum additur: "cum expressa SS. Trinitatis invocatione" forma declaratur.

Hanc esse materiam et formam baptismi patebit inferius; eum vero novæ legis esse sacramentum a Christo institutum, pluries in superiori Tractatu demonstravimus, præsertim de ratione specifica N. L. sacramentorum agentes, et de eorum numero septenario (Conf. de Sacram. in gen., p. 1. aa. 3. et 4.):—ceterum et quæ dicemus, eamdem veritatem iterum confirmabunt.

Hic tamen animadverti debet, aliud esse de veritate institutionis sacramenti baptismi quærere; et aliud de tempore quo facta fuerit hæc institutio. Licet enim fide credamus, et meridiana luce clarius appareat, Christum instituisse sacramentum baptismi; circa tempus hujus institutionis Theologi inter se non conveniunt. Alii cum Estio (4. dist. 3. § 11.) putant baptismum institutum fuisse quando Christus Nicodemo dixerat (Joan. III. 5.): "Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei:"—alii cum Scoto (in 4. dist. 3. quæst. 4.) tenent Christum baptismum instituisse ante passionem suam, et fatentur ignotam prorsus esse aliam temporis determinationem:—et alii sunt qui cum Alexandro Alensi (de sacram. q. 8. m. 2. art. 4.) docuerunt institutionem baptismi factam fuisse quando Christus Apostolis præcepit (Matth. XXVIII. 19.), ut docerent omnes gentes, easque baptizarent in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.—Communior autem est sententia S. Thomæ (3. qu. 66. art. 2.), juxta quam baptismus institutus eo tempore dicitur, quo Christus ipse baptizatus fuit in Jordane.

Hæc sententia, præsertim prout a Suaresio (q. 66. a. 2. disp. 19. s. 2. n. 3.) exponitur, nimirum in eo sensu, quo statuat in baptismo Christi *indicatam fuisse materiam et formam hujus sacramenti, ita ut paulo post, tempore opportuno, vel facto, vel verbo, vel utroque simul dicat, tradidisse Christum hanc institutionem*, conformior videtur testimoniis Patrum. Sufficiat eorum tria hic citasse, speciminis gratia. S. Ambr. (in Lucam lib. 2. n. 83.) ait: "Baptizatus est ergo Dominus non mundari volens, sed mundare aquas; ut ablutæ per carnem Christi, quæ peccatum non cognovit, baptismatis jus haberent. Et ideo, qui ad Christi lavacrum venerit, peccata deponit."—S. Joannes Chrysostomus (in Matt. hom. 12. n. 3.) inquit: "Ideo Judaicum quidem baptisma abrogatur, nostrum autem exordium habet: atque idipsum quod in paschate, in baptismate quoque contigit. Nam cum utrumque Pascha celebraverit, unum abrogavit, alteri vero principium dedit; et hic rursum cum Judaicum baptisma implevit, tunc et Ecclesiæ baptismatis januas aperit: sicut tunc in una mensa, sic nunc in uno flumine, et umbram delineans, et veritatem addens."—Et in sermone 135. (alias 36. de tempore), inter opera S. Augustini edito, legimus: "Quale, inquam, Salvatoris est baptismum, in quo purgantur potius fluenta quam purgant? Novo enim

sanctificationis genere, Christum non tam lavit unda, quam lota est. Nam ex quo Salvator in aqua se mersit, ex eo omnium gurgitum tractus, cunctorumque fontium venas mysterio baptismatis consecravit: ut ubi quisque in nomine Domini baptizari voluerit, non tam illum mundi aqua diluat, quam Christi unda purificet."

ARTICULUS SECUNDUS

De materia remota baptismi.

Res quæ ad sacramentum conficiendum assumitur, et vocatur *materia remota*, pro baptismo est aqua:—idque tam evidenter in Scripturis revelatur, tam manifeste constat ex Traditione, ut nullum hac de re dubium videtur oriri potuisse. Nihilominus multæ etiam atque perniciosissimæ circa materiam baptismi hæreticorum aberrationes recenseri debent. Etenim præter Marcosianos, Quintillianos aliosque antiquiores hæreticos, qui omnia sensibilia signa gratiæ rejiciebant; et præter Manichæos, qui aquam, a principio malo conditam esse somniabant, et a baptismo aquæ abhorrebant;—Seleuciani et Herminiani ignem pro baptismo adhibendum esse statuebant; Flagellantes, sæculo XIII., contendebant unumquemque proprio sanguine, per flagellationem sibimetipsi inflictam, baptizari debere—incertum tamen manet utrum et ipsi baptismum aquæ prorsus rejecerint, necne;—et Quakeri eum tamquam ritum Judaicum, omnino repudiant.

Ex alia parte, non defuerunt qui, retenta aqua pro communi baptizandi usu, putaverunt, in casu necessitatis, baptismum alio liquore conferendum esse. Sic in Norvegia quidam, ut ex responsione Gregorii IX. ad Archiepiscopum Nidrosiensem constat, baptizabant, penuria aquæ, in *cervisia;*—inter Armenos, ut refert Valdensis, baptizabant *quidam in vino, quidam in lacte;*—et Lutherus, in colloquiis symposiacis, c. 17., ad quæstionem, utrum deficiente aqua liceret baptizare in lacte, respondit: *Quidquid balnei loco esse potest, illud aptum esse ad baptizandum.*—Pallavicinus autem (Hist. Conc. Tr. l. 9. c. 7.) hanc refert inter varias Lutheranorum et Calvinistarum propositiones: "*Aqua vera et naturalis non est de necessitate baptismi;* atque ideo verba illa Domini

nostri: 'Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto,' ad metaphoram detorqueri debent."

Hanc hæresim Tridentina Synodus, sessione 7. canone 2., damnavit, et perpetuam Ecclesiæ fidem, nova definitione, confirmavit, statuens: "Si quis dixerit, aquam veram et naturalem non esse de necessitate baptismi, atque ideo verba illa Domini nostri Jesu Christi: 'Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto,' ad metaphoram aliquam detorserit, anathema sit."

Subjungitur ergo

THESIS I.

Materia baptismi remota est omnis et sola aqua naturalis.

Prob. 1.—*Ex verbis Christi*, quæ referuntur apud Matt. (XXVIII. 18.): "Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii et Spiritus Sancti. . . . Et ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi."—Etenim his verbis mandavit Christus ut omnes gentes baptizentur:—sed baptizare, βαπτίζειν, juxta vim vocis, et communem Scripturarum usum, immersionem in aquam, vel per aquam ablutionem significat; et in loco citato, juxta obviam significationem sumi debet, quia neque res de qua agitur, neque contextus locutionis, neque loca parallela ostendunt metaphorice fuisse ibi usurpatum.—Ergo.

Argumentum istud illustratur adhuc et confirmatur ex aliis Redemptoris verbis, quæ leguntur apud Joannem (III. 5.): "Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei;"—hic enim expresse aqua, per quam in vitam spiritualem renascimur, nominatur.

Nec adversarii nostri dicant illud *et* vim quandoque habere particulæ expositivæ, et poni pro *id est;* ac proinde sensum verborum Christi sic esse intelligendum: "Nisi quis renatus fuerit ex aqua,—idest ex Spiritu Sancto mundante instar aquæ, per magisterium doctrinæ spiritualis,—non potest introire in regnum Dei."—Responsio est in promptu:—non ex eo quod particula copulativa *et* pro particula explicativa quandoque sumatur, ubi subjecta materia, et contextus aperte id exigunt, ideo eodem sensu in aliis etiam casibus, et in verbis Christi mox citatis, accipi debet. Testimonium quod adversarii afferunt ex Matt. (III. 11.): "Ipse

vos baptizabit in Spiritu Sancto et igni," minime eis patrocinari demonstravimus, tractatu *de Sacramentis in genere* (pag. 78.).

Præterea, juxta interpretationem adversariorum, *baptizare* significaret *doctrinam spiritualem docere, hac doctrina aliquem imbuere:*—at præpostera interpretatio hæc evidenter refutatur ab Apostolo Paulo. Etenim (I. ad Cor. I. 14–17.) S. Paulus scribit se omnibus Corinthiis Evangelium prædicasse, neminem vero eorum baptizasse, præter Crispum et Cajum et Stephanæ domum; se missum non fuisse a Christo "*baptizare, sed evangelizare*" (*οὐ γὰρ ἀπέστειλέ με Χριστὸς βαπτίζειν, ἀλλ' εὐαγγελίζεσθαι*):—baptismum ergo a prædicatione Evangelii omnino distinguit.

Prob. 2. *Ex praxi Apostolorum*, quæ luculenter constat ex Sacris Litteris. Petrus namque accersitus a Cornelio Centurione, cum cognoverit Spiritum Sanctum descendisse super "omnes, qui audiebant verbum," exclamavit (Act. X. 47.): "Numquid *aquam* quis prohibere potest, ut non baptizentur hi, qui Spiritum Sanctum acceperunt sicut et nos."—Aqua igitur necessaria erat ad baptismum; et hi, qui jam prædicationem doctrinæ fidei audierant, immo et Spiritum Sanctum acceperant, baptismo aquæ, juxta Christi mandatum, mundari debebant.

Similiter de Philippo, qui eunuchum Reginæ Candacis baptizavit, legimus (Act. VIII. 35–38.): "Aperiens autem Philippus os suum, et incipiens a Scriptura ista, evangelizavit illi Jesum. Et dum irent per viam, venerunt ad quamdam aquam; et ait eunuchus: Ecce aqua: quid prohibet me baptizari? Dixit autem Philippus: Si credis ex toto corde, licet. Et respondens ait: Credo, Filium Dei esse Jesum Christum. Et jussit stare currum; et descenderunt uterque in aquam, Philippus et eunuchus; et baptizavit eum."—Profecto aquam, de qua hic est sermo, naturalem esse et non metaphoricam, non ambigitur.

Prob. 3. *Ex perpetua Traditione.* Et quia supervacaneum foret pro re manifesta multa testimonia Patrum exscribere, duo solum hic referam.

S. Justinus Martyr, in Apologia I. pro christianis, quam circa annum 150. Antonino Pio Imperatori, ejusque filiis adoptivis M. Aurelio et Lucio Vero, necnon Senatui populoque Romano obtulit,—baptismum, quo

omnes Christifideles, juxta mandatum Domini initiabantur, describens, ait (n. 61.): "Quicumque persuasum habuerint et crediderint vera esse, quæ a nobis docentur et dicuntur, seque ita vivere posse promiserint, ii precari et jejunantes priorum peccatorum veniam a Deo petere docentur, nobis una precantibus et jejunantibus. Deinde eo ducuntur a nobis, ubi aqua est, et eodem regenerationis modo regenerantur, quo et ipsi sumus regenerati. Nam in nomine Parentis universorum ac Domini Dei ac Salvatoris nostri Jesu Christi et Spiritus Sancti lavacrùm in aqua tunc suscipiunt. Dixit enim Christus: 'Nisi regenerati fueritis, non intrabitis in regnum cœlorum.'"

Et Tertullianus adversus Quintillam, quæ Carthagine hæresim Cajanitarum disseminaverat, et necessariam in baptismo aquam non esse docuerat, sic *de baptismo* tractatum incipit: "Felix sacramentum aquæ nostræ, qua abluti delictis pristinæ cæcitatis, in vitam æternam liberamur." Deinde de Quintilla loquens, mox subjungit: "Nuper conversata istic quædam de Cajana hæresi vipera venenatisima, doctrina sua plerosque rapuit, imprimis baptismum destruens. Plane secundum naturam: nam fere viperæ et aspides, ipsique reguli serpentes arida et inaquosa sectantur. Sed nos pisciculi secundum *ΙΧΘΥΝ* nostrum Jesum Christum in qua nascimur, nec aliter quam in aqua permanendo salvi sumus. Ita Quintilla monstrosissima . . . . . . optime norat pisciculos necare, de aqua auferens."—Confer alios Patrum textus, quos attulimus *de Sacramentis in genere* loquentes (p. 82. et seq.).

Traditionem omnium ætatum libri liturgici Orientalis et Occidentalis Ecclesiæ, Conciliorum, et Summorum Pontificum Decreta pariter ostendunt. Exempli gratia, in Concilio Lateranensi IV. (an. 1215.) legitur: "Sacramentum baptismi, quoad ad invocationem individuæ Trinitatis, videlicet Patris et Filii et Spiritus Sancti consecratur in aqua . . . . . . proficit ad salutem."—In Concilio Florentino, Decreto pro Armenis, statuitur: "Materia hujus sacramenti [baptismi] est aqua vera et naturalis."—Gregorius IX., anno 1241., in rescripto ad Archiepiscopum Nidrosiensem (apud Raynaldum ad annum 1241. n. 42.) ait: "Cum sicut ex tua relatione didicimus, nonnumquam propter aquæ penuriam infantes terræ tuæ contingat in cervisia baptizari; tibi tenore præsentium respondemus, quod cum secundum doctrinam evangelicam oporteat ex aqua et Spiritu Sancto renasci, non debent reputari rite

baptizati, qui in cervisia baptizantur."—Et Innocentius IV., an. 1250. (Decr. Greg. l. 3. tit. 42. c. 5.), inquit; "Postulasti, utrum parvuli sint pro christianis habendi, quos in articulo mortis constitutos, propter aquæ penuriam, et absentiam sacerdotis, aliquorum simplicitas in caput ac pectus, ac inter scapulas, pro baptismo, salivæ conspersione linivit. Respondemus, quod cum in baptismo duo semper, videlicet verbum et elementum necessario requirantur, juxta quod de verbo Veritas ait: 'Euntes in mundum universum prædicate Evangelium omni creaturæ, et baptizate omnes gentes in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti;' eademque dicat de elemento: 'Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non intrabit in regnum cœlorum;' dubitare non debes, illos verum non habere baptismum, in quibus non solum utrumque prædictorum, sed eorum alterum est omissum."

Responsum Stephani II., quo approbasse dicitur baptismum in vino collatum, suppositium esse constat, cum e tribus codicibus, qui responsum illud continent, duo idipsum Stephano II. adscribant, unus Siricio; et inter se iidem codices circa facti narrationem non conveniant.

Scholion.—Quum aqua naturalis dicitur materia baptismi, intelligitur ea quæ veræ usualis aquæ nomine inter homines venit, sive marina sit, sive fluvialis, sive putei, sive paludis, limpida sit, vel turbida, frigida, vel calida: quidquid vero usualis aquæ rationem non participat, baptismi materia esse nequit.

Præterea, curandum est, ut qui baptizant, dum possunt, aqua benedicta utantur; non quasi de necessitate sacramenti id requiratur, sed quia rituales libri id præscribunt, et antiquissima praxis Ecclesiæ idipsum docet.

ARTICULUS TERTIUS

De materia proxima baptismi.

Materia proxima alicujus sacramenti consistit in usu, seu in applicatione ejusdem sacramenti materiæ remotæ: hinc materia proxima baptismi consistit in ablutione per aquam illius qui baptizatur. Cum autem ablutio hæc, *immersione* in aquam, aquæ *aspersione* aut *infusione* fieri

possit, quæritur quinam ex his abluendi modis ad validitatem baptismi sit necessarius. Antequam huic quæstioni, thesi apposita, respondeamus, ad meliorem ejus intelligentiam, quædam præmittimus.

Immersionem trinam in collatione baptismi primis XII. sæculis communiter fuisse in Ecclesia usurpatam, constat tum ex Patribus, tum ex antiquissimis Græcorum Euchologiis et Latinorum Ritualibus: immo sæculo XIII. S. Thomas (3. q. 66. a. 7.) aiebat: "Tutius esse baptizari per modum immersionis, quia hoc habet usus communior;" et relate ad trinam immersionem addebat (a. 8.) "graviter peccaret aliter baptizans, quasi ritum Ecclesiæ non observans." In Hispania tamen ritus immersionis *trinæ* initio sæculi VII. nonnihil immutatus fuit: cum enim Ariani, qui SS. Trinitatem dividebant, tres asserendo distinctas naturas, ad id significandum ter immergerent baptizandos, Catholici ad indivisam in Trinitate unitatem et consubstantialitatem divinarum Personarum significandam unica immersione uti cœperunt.

A sæculo XIV. in tota latina Ecclesia, abrogato immersionis ritu, alter per infusionem invaluit; quamvis hic illic adhuc immersio quandoque permissa et in usu fuerit. Hunc infusionis ritum, qui communiter in Ecclesia latina modo servatur, nonnulli schismatici græci post Concilium Florentinum damnarunt, asserentes trinam in aquam immersionem esse ad validitatem baptismi necessariam. Similiter necessitatem hujus immersionis in baptismi collatione *Baptistæ* asserunt, qui sæculo XVII., ab Anabaptistis ortum habuerunt, et nomen a ritu quo baptizabant.

De valore baptismi, per infusionem, vel per aspersionem collati, definitio specialis fidei lata non fuit:—in Rituali tamen Romano, Pauli V. jussu edito, legitur: "Baptismus, licet fieri possit aut per infusionem aquæ, aut per immersionem, aut per aspersionem; primus tamen, vel secundus modus, qui magis sunt in usu, pro Ecclesiarum consuetudine retineantur; ita ut trina ablutione caput baptizandi perfundatur, vel immergatur in modum Crucis uno et eodem tempore, quo verba proferuntur, et idem sit aquam adhibens et verba pronuntians:" et a Concilio Tridentino (sess. 7. can. 3.) definitur: "Si quis dixerit in Ecclesia Romana, quæ omnium Ecclesiarum mater est et magistra, non esse veram de baptismi sacramento doctrinam, anathema sit."

His præmissis, statuitur

THESIS II.

Ad valorem baptismi, quin necessaria sit trina vel unica immersio, sufficit exterior corporis ablutio a ministro facta per infusionem aut aspersionem.

I. Primum argumentum ad vindicandam thesim, desumitur, nec immerito, ex ipsa significatione vocis, quæ mandatum Domini nobis exhibet. Etenim βαπτίζειν lotionem dicit, modum vero quo fiat non determinat; ac proinde asseri minime potest, in verbis Christi: "baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti," divinum præceptum contineri, quo baptismus nonnisi per immersionem, eamque trinam, administretur.[1]

II. Apostolorum exemplum aliud non leve argumentum thesi nostræ suppeditat. Et sane, in Actibus Apostolorum (II. 41.) legitur tria hominum millia die Pentecostes fuisse ab Apostolis baptizata: "Qui ergo receperunt sermonem ejus [Petri], baptizati sunt: et appositæ sunt in die illa animæ circiter tria millia." Porro incredibile omnino videtur

---

[1] Ever since the Reformation and the rise of the Baptists as a distinct denomination, who hold that "baptizing is dipping, and dipping is baptizing," the meaning of the Greek words in question has been a matter of dispute, on which hundreds of volumes have been written. It is evidently impossible to enter on that discussion in these pages. All that can be attempted is a brief statement of the conclusions believed to be established, while the proofs, on which those conclusions rest, must be sought in works devoted to the subject. As to the classic use of the words in question, it is clear that βάπτω means, 1. To dip. 2. To dye by dipping. 3. To dye without regard to the mode in which it is done; as a lake is said to be baptized (i. e. dyed) by the blood shed in it; a garment is spoken of as baptized by colouring matter dropping on it. 4. It also means to gild; also to glaze, as when earthenware is covered with any vitreous matter. 5. To wet, moisten, or wash. 6. To temper, as hot iron is tempered; this may be done by plunging or pouring. "Tempered, ὑπὸ ἐλαίου," does not mean plunged into oil. 7. To imbue. The mind is said to be baptized with fantasies; not plunged into them, for it is ὑπὸ τῶν φαντασίων.

As to the classic use of βαπτίζω, it means, 1. To immerse, or submerge. It is very frequently used when ships are spoken of as sunk or buried in the sea. They are then said to be baptized. 2. To overflow or to cover with water. The sea-shore is said to be baptized by the rising tide. 3. To wet thoroughly, to moisten. 4. To pour upon or drench. 5. In any way to be overwhelmed or overpowered. Hence men are said to be baptized with wine (οἱ βεβαπτισμένοι are the intoxicated), with opium, with debts, with puzzling questions. Wine is said to be baptized by having water poured into it."—Hodge, *Systematic Theology*, vol. 3. p. 527.

illam hominum multitudinem unica die a duodecim Apostolis baptizatam fuisse per immersionem.—In iisdem Actibus Apostolorum (XVI. 25–33.) hæc habentur: "Media autem nocte Paulus et Silas orantes, laudabant Deum; et audiebant eos, qui in custodia erant. Subito vero terræmotus factus est magnus, ita ut moverentur fundamenta carceris. Et statim aperta sunt omnia ostia, et universorum vincula soluta sunt. Expergefactus autem custos carceris, et videns januas apertas carceris, evaginato gladio volebat se interficere, æstimans fugisse vinctos. Clamavit autem Paulus voce magna, dicens: Nihil tibi mali feceris: universi enim hic sumus. Petitoque lumine, introgressus est, et tremefactus procidit Paulo et Silæ ad pedes; et producens eos foras, ait: Domini, quid me oportet facere, ut salvus fiam? At illi dixerunt: Crede in Dominum Jesum, et salvus eris tu et domus tua. Et locuti sunt ei verbum Domini cum omnibus, qui erant in domo ejus. Et tollens eos in illa hora noctis, lavit plagas eorum; et baptizatus est ipse, et omnis domus ejus continuo."—Jam vero, quisnam, perpensis circumstantiis hujus narrationis, credibile putabit custodem carceris ceterosque de domo sua, fuisse media nocte in carcere baptizatos per immersionem?

III. Tertio, evincitur thesis ex antiquissimis Ecclesiæ monumentis. Etenim ex actis S. Laurentii martyris constat Romanum ab eo in palatio Decii, *aqua ex urceo effusa*, baptizatum fuisse: et similem ritum non raro adhibitum fuisse apparet ex actis S. Bacchi junioris, S. Gratiliani, et S. Lindgeri Episcopi, qui exhortabatur mulieres ut morituros infantes baptizarent *intinctos aqua, et superinfusos.*[1] Accedunt veteres picturæ et sarcophagi in quibus collatio baptismi per infusionem expressa cernitur.

Et baptismi ita collati validitatem confirmat praxis Ecclesiæ, quæ *Clinicos* in lectis suis urgente mortis periculo baptizatos, si quando sanitatem recuperassent, numquam iterum baptizandos esse sancivit.

IV. Confirmatur probatio nostra ex doctrina Patrum. Et primo quidem ex responso S. Cypriani ad Magnum, quod spectat Clinicos.

"Quæsisti etiam, filii carissime," scribit S. Cyprianus (ep. 76.), "quid mihi de illis videatur qui in infirmitate et languore gratiam Dei consequuntur, an habendi sint legitimi Christiani, eo quod aqua salutari non

[1] V. Martene, de ant. Eccl. rit. l. 1. c. 1. a. 14.

loti sint, sed perfusi. Qua in parte nemini verecundia et modestia nostra præjudicat, quo minus unusquisque quod putat sentiat et quod senserit faciat. Nos, quantum concipit mediocritas nostra, æstimamus in nullo mutilari et debilitari posse beneficia divina, nec minus aliquid illic posse contingere, ubi plena et tota fide et dantis et sumentis accipitur quod de divinis muneribus hauritur. . . . Unde apparet aspersionem quoque aquæ instar salutaris lavacri obtinere, et quando hæc in Ecclesia fiunt, ubi sit et accipientis et dantis fides integra, stare omnia et consummari et perfici posse, majestate Domini et fidei veritate."—In hoc autem testimonio, illud quod S. Cyprianus addit, nimirum, liberum esse cuilibet sentire quod vellet circa doctrinam quam proponit, non dubitationem Sancti Antitistis arguit; sed moderationem et humilitatem ejus commendat, qui ne videretur affectare dominatum, præscribere noluit, quæ nondum Ecclesiæ totius judicio et praxi erant eliquata. Sed insuper, animadvertatur oportet, quæstionem tunc motam fuisse non circa valorem baptismi Clinicis collati, sed circa mensuram gratiæ, quæ in tali susceptione sacramenti, recipiebatur. Omnes concedebant illos esse baptizatos, nemini dubium erat illos rebaptizari nec debuisse nec potuisse; unum tantum quærebatur, nempe, an pari gratia et juribus iisdem qui ita baptizati fuerant fruerentur ac ceteri, qui juxta communem illius temporis consuetudinem per immersionem baptizabantur. Hac de re interrogatus fuerat S. Cyprianus, et solutionem quæstionis modeste quidem, sed quantum ad se indubitanter prompserat. "Si autem baptizari non possunt," in eadem Ep. (n. 13. et 14.) prosequitur, "qui jam baptismo ecclesiastico sanctificati sunt, cur in fide sua et Domini indulgentia scandalizantur? An consecuti sunt quidem gratiam Dominicam, sed breviore et minore mensura muneris divini ac Spiritus Sancti, ut habeantur quidem christiani, non sint tamen ceteris adæquandi? Quin imo Spiritus Sanctus non ad mensuram datur, sed super credentem totus infunditur."

S. Augustinus (tract. 80. in Joan.) ait: "Hoc verbum fidei [invocatio SS. Trinitatis] tantum valet in Ecclesia Dei, nt per ipsum credentem, offerentem, benedicentem, tingentem etiam *tantillum*, mundet infantem."—Ergo juxta S. Augustinum sufficit etiam *tantillum* aqua tingere infantem, cum debita prolatione formæ baptismi, ut validum sit sacramentum, et effectus baptismi obtineatur; ac proinde sufficit ablutio quæ fiat per aspersionem, multoque magis per infusionem.

S. Gregorius Magnus, epist. ad Leandrum episcopum Hispalensem (l. 1. ep. 43.) docet *trinam* immersionem esse *ex consuetudine Ecclesiæ*. "De trina vero mersione baptismatis, nihil responderi verius potest quam ipsi sensistis, quia in una fide nihil officit Ecclesiæ sanctæ consuetudo diversa. Nos autem, quod tertio mergimus, triduanæ sepulturæ sacramenta signamus, ut dum tertio infans ab aquis educitur, resurrectio triduani temporis exprimatur. Quod si quis forte etiam pro Summæ Trinitatis veneratione æstimet fieri, neque ad hoc aliquid obsistit, baptizandum semel in aquis mergere, quia dum in tribus subsistentiis una substantia est, reprehensibile esse nullatenus potest infantem in baptismate vel ter vel semel mergere, quando et in tribus mersionibus personarum Trinitas, et in una potest divinitatis singularitas designari."

Et Walafridus Strabo, sæculo IX., in opere *de Rebus Ecclesiasticis*, cap. 26., aperte tradit ipsam immersionem, quæ communiter tunc in Ecclesia etiam Latina servabatur, non esse de necessitate sacramenti, sed juxta ecclesiasticam consuetudinem. "Notandum autem," ait, "non solum mergendo, verum etiam desuper fundendo, multos baptizatos fuisse, et adhuc posse ita baptizari si necessitas sit, sicut in passione Beati Laurentii quemdam urceo allato legimus baptizatum. Hoc etiam solet evenire cum perfectiorum granditas corporum in minoribus vasibus hominem tingi non patitur."

Hinc S. Thomas, juxta hanc Ecclesiæ traditionem, et perpetuum ejus magisterium, quamvis ratione consuetudinis illa ætate vigentis docuerit (3. q. 66. art. 8.): "Et ideo graviter peccaret aliter [ac trina immersione] baptizans:"—continuo tamen addidit: "Nihilominus tamen esset baptismus." Et in articulo præcedenti quærens "utrum immersio in aqua sit de necessitate baptismi," respondet: "quod aqua assumitur in sacramento baptismi ad usum ablutionis corporalis per quam significatur interior ablutio peccatorum. Ablutio autem fieri potest per aquam, non solum per modum immersionis, sed etiam per modum aspersionis vel effusionis. . . . . . Et ideo dicendum est quod immersio non est de necessitate baptismi."

V. Non pauci inter ipsos Orientales scriptores docent, deficiente sufficientis aquæ copia, posse baptismum administrari per infusionem,

ut videre est apud Renaudotium:[1] quinimmo ritus quem Græci, Goario teste,[2] in infantulis adhibent, non tam in aquam immersio, quam aquæ infusio censendus est.

VI. Demum adnotare non vacat divinæ pietati ac benignissimi cordis Jesus misericordiæ ineffabili consonum omnino fuisse, ut ablutio materia proxima sacramenti baptismi sive in immersione, sive in infusione, sive etiam in aspersione, constitueretur; sicque omni ætati, et conditioni hominum, necessitatis et instantis periculi casibus, longe melius provideretur, ac si deberet baptismus per solam immersionem, et quidem trinam, ex necessitate sacramenti administrari.

Ad solvendas difficultates,

Adnot. 1.—Quando Patres tradunt immersionis ritum ex Christi præcepto originem habuisse, præceptum illud non referunt ad necessitatem trinæ immersionis in aquam ut quis baptizetur, sed ad necessitatem baptizandi cum invocatione SS. Trinit.: trinam vero immersionem nonnisi per congruentiam addunt, ac si dicerent ex præcepto baptizari debemus in nomine SS. Trinitatis; nos igitur convenit ter mergi in aquam ad baptismum suscipiendum.—Hic est sensus Pelagii II. Papæ in ep. ad Gaudentium, cujus verba referuntur in cap. *Multi* dist. 4. de consecratione, hæcque sunt: "Evangelicum vero præceptum, ipso Deo et Domino Salvatore nostro Jesu Christo tradente, nos admonet, in nomine Trinitatis trina etiam mersione Sanctum Baptisma unicuique tribuere." In illa enim epistola ad Gaudentium Pelagius Papa rejicit baptismum Bonosianorum, qui formam vitiabant, baptizantes non in nomine SS. Trinitatis, sed in *mortem Christi;* propter quod etiam contendebant baptizandos semel tantum esse in aquam mergendos dum baptizabantur, nam Christus semel tantum mortuus est.—Contra illos tam longe a veritate aberrantes, Pelagius ait *præceptum evangelicum nos admoneri* ut baptismus conferatur in nomine Trinitatis; et ex hoc deducit baptismum *convenienter* ministrari trina immersione, non unica, ut docebant Bonosiani. Ceterum Pontifex declarat per solam pœnitentiam eos Ecclesiæ reconciliari, si *in nomine SS. Trinitatis* baptizati fuerint; quin trinam mersionem in baptismo adhibitam commemoret, atque requirat.

---

1) Perpétuité de la foi de l'égl. Cath. sur les Sacr. liv. 2. ch. 4.

2) V. Euchológ. In Bapt. off. not. n. 24.

Adnot. 2.—Patres nonnulli trinam immersionem dicunt esse ex apostolica Traditione: ita, ex. gr., S. Basilius, de Spiritu Sancto, cap. 27. n. 66., ait: "Alia quidem habemus e doctrina scripto tradita, alia vero nobis in mysterio tradita recepimus ex Traditione Apostolorum. . . . . . Jam ter immergi hominem unde haustum? Reliqua autem quæ fiunt in baptismo, veluti renuntiare Satanæ et angelis ejus, ex qua scriptura habemus?"—Et S. Hieronymus, dialogo contra Luciferianos, num. 8.: "Multa," inquit, "quæ per traditionem in Ecclesiis observantur, auctoritatem sibi scriptæ legis usurpaverunt, velut in lavacro ter caput mergitare."—Sed isti Patres, et alii qui eodem modo loquuntur, trinæ immersionis legem aiunt esse non ex Traditione *apostolica divina*, sed *mere apostolica*. Quæ enim ab Apostolis tradita sunt, alia spectant fidem et mores, ac substantiam sacramentorum, dicunturque *traditiones apostolico-divinæ*, quas numquam licet immutare, cum fides, et ea quæ ad fidem pertinent, reformari nequeant. Alia spectant disciplinam, Ecclesiæ regimen, ac ritum sacramenta administrandi, et appellantur *traditiones mere apostolicæ*, ab Apostolis tamquam Ecclesiæ pastoribus profectæ, quæ justis de causis mutationi sunt obnoxiæ. Sic quamvis traditio sit mere apostolica, ut bigami et neophyti a sacris ordinibus excludantur, ut Eucharistia non nisi a jejunis sumatur, atque ut fideles a sanguine et suffocato abstineant; Ecclesia tamen semper sibi integrum esse putavit ea vel retinere, vel in eis justis gravibusque de causis dispensare, vel etiam leges illas abrogare. Has inter traditiones secundi generis, nempe mere apostolicas, merito numeratur ritus immersionis in baptismo, utpote extrinsecus, accidentarius, et ad sacramenti solemnitatem tantummodo pertinens. Et ita Patres mox citatos sensisse contextus ipse ostendit.

Adnot. 3.—Pœnæ contra eos, qui semel tantum immergebant baptizandos, ideo antiquitus latæ fuerunt, quia ii a recepta tunc temporis disciplina recedebant: Eunomianorum vero baptismus non ob unicam immersionem, sed propter corruptam formam, declaratus fuit invalidus. —Demum si de baptismo *Clinicorum* nonnulli dubitaverunt, ut Cornelius Papa de baptismo Novatiani, dubium non spectabat baptismi validitatem, cum numquam baptismus eorum iteratus fuerit; sed dispositiones quas Clinici ad baptismum afferebant, ac proinde fructuosam baptismi susceptionem.

Adnot. 4.—Licet immersio expressius significet nos per baptismum consepultos esse cum Christo, expressior hæc significatio ad substantiam sacramenti non pertinet, ad quam satis est significatio efficax ablutionis internæ a sorde peccati, per gratiam sanctificantem; quam ablutionem significat et efficit ablutio externa rite cum prolatione formæ administrata, sive per infusionem, aut aspersionem, sive per immersionem.—Ceterum huic difficultati respondens S. Thomas (3. q. 66. a. 7. ad 2.) aiebat: "In immersione expressius repræsentatur figura sepulturæ Christi. . . . Sed in aliis modis baptizandi repræsentatur aliquo modo, licet non ita expresse: nam quocumque modo fiat ablutio, corpus hominis, vel aliqua pars ejus aquæ supponitur, sicut corpus Christi sub terra fuit positionem."

Adnot. 5.—Causæ quare ritus immersionis mutatus est in Ecclesia latina præcipuæ fuerunt sequentes: a) Mulierum pudicitia, præsertim postquam desiit in Ecclesia diaconissarum ministerium. *b*) Magnus non raro baptizandorum numerus. *c*) Incommoda, quæ in septentrionalibus regionibus cum ritu immersionis conjuncta erant.—Et hic etiam contigit, quod in ejusmodi mutationibus plerumque recurrere solet, nempe quod perfusionis ritus primum usu invaluerit, deinde lege ecclesiastica sanciretur.

ARTICULUS QUARTUS

De forma baptismi.

A primis Ecclesiæ sæculis, gravissimi prodierunt errores circa formam baptismi. Etenim Gnostici baptizabant *in nomine Patris ignoti universorum, in veritate matre omnium, in eo qui in Jesum descendit,* etc.; Montanistæ seu Cataphryges, baptismum conferebant *in nomine Patris et Filii et Montani et Priscillæ;* Sabelliani hæresim Sabellii, asserentis unicam esse in divinis personam, in collatione baptismi exprimebant; et similiter Paulianistæ, seu sectatores Pauli Samosateni, et Photiniani agebant.

Ex Novatoribus vero sæculi XVI. Lutherus aiebat, formam in Ecclesia consuetam non esse ad valorem baptismi necessariam, et "baptismum esse ratum quibuscumque verbis collatum, modo non in nomine

hominis, sed in nomine Dei detur :"—Zwinglius similiter negavit certam in administratione baptismi requiri formam :—Socinus vero asseruit, baptizari *in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti*, prout legitur apud Matth. XXVIII. 19. non esse baptizari cum invocatione seu expressione personarum SS. Trinitatis, sed idem esse ac doceri, instrui, initiari in fide Patris, Filii et Spiritus Sancti.

Præter hos errores, quos Ecclesia semper detestata est, hic commemorari debent opiniones paucorum quorumdam Catholicorum. Putarunt enim nonnulli theologi antiquiores, inter quos Magister Sententiarum (lib. 4. dist. 3.), baptismum in solo nomine Christi collatum esse validum; et hanc ipsam sententiam Cajetanus in Commentariis suis expressit, ex his tamen, jussu S. Pii V., in editione altera Romana expuncta fuit.

Quod isti doctores pro omni tempore asserebant, alii, numero plures, limitabant ad breve quoddam tempus, et dicebant Apostolos ex dispensatione divina baptizasse in nomine Christi : postea vero, sublata hac dispensatione, baptismum, nisi expresse invocatis tribus divinis Personis, non esse validum. Hanc sententiam amplexi sunt Albertus Mag., Altissiodorensis, Alensis, Scotus ; nec aliter sensit S. Thomas, qui (3. q. 66. a. 6.) postquam dixerit ex Christi institutione "sacramentum baptismi dari cum invocatione Trinitatis," addidit (in resp. ad 1.) : "Ex speciali Christi revelatione Apostoli in primitiva Ecclesia in nomine Christi baptizabant, ut nomen Christi, quod erat odiosum Judæis et Gentilibus, honorabile redderetur per hoc quod ad ejus invocationem Spiritus Sanctus dabatur in baptismo."

Adnotari hic etiam debet baptismi formam a Græcis usurpatam ab ea qua utuntur Latini differre, sed grammatica tantum locutione : hi enim dicunt : "Ego te baptizo in nomine Patris, et Filii et Spiritus Sancti ;" Græci vero : "Baptizatur servus (vel serva) Dei in nomine Patris, et Filii et Spiritus Sancti." [1] In utraque forma exprimitur actus ablutionis, apud Latinos per verbum *ego baptizo*, apud Græcos

[1] Quidam inter Scholasticos olim putaverunt Græcos uti forma deprecatoria, "*baptizetur* servus, vel serva Christi ;" et de valore hujus formæ disputatum fuit. Sed in omnibus ritualibus, et in perpetuo usu Græcorum est forma indicativa non deprecativa, *βαπτίζεσται*, non *βαπιζέσθω*. Valor autem formæ a Græcis adhibitæ, et nullo modo quoad substantiam a forma Latinorum discrepantis, indubius est ex approbatione Conc. Florentini, in Decreto pro Armenis, et ex definitione Leonis X. in Bulla "Accepimus nuper," an. 1521., necnon Clementis VII., Bulla "Provisionis nostræ." an. 1526.

per verbum *baptizatur* (βαπτίζεσται); designatur persona baptizandi a Latinis per pronomen *te*, a Græcis per nomen substantivum, *servus*, vel *serva;* indicatur unitas divinæ naturæ, dicendo *in nomine;* et tres divinæ Personæ expresse et singillatim enuntiantur.

His positis, ut veram de forma baptismi doctrinam distincte statuamus, primo probabimus actum baptismi esse necessario exprimendum, deinde ostendemus distinctam Trium Divinarum Personarum enuntiationem requiri ad validitatem baptismi, et tertio demonstrabimus hanc enuntiationem semper fuisse necessariam, nec ullam fuisse hac in re Apostolis concessam divinitus dispensationem.

Sit igitur

THESIS III.

In forma, ad sacramenti validitatem, exprimi est necesse ipsum baptismi actum, ideoque verba te baptizo, aut baptizatur servus (vel serva) Dei, aut æquivalentia de essentia sunt formæ: necessaria pariter est ad sacramenti valorem, Trium SS. Trinitatis Personarum distincta expressio; et ab hac expressione nulla umquam concessa fuit dispensatio, proinde baptismus in solo Christi nomine collatus, numquam in Ecclesia validus fuit.

I. Prima pars thesis, omnino certa, immo juxta Suarez (disp. 26. sect. 2. n. 1.) de fide censenda est, contra sententiam paucorum sæc. XII. theologorum, idest, Præpositivi, Stephani Tornacensis et quorumdam aliorum, qui asserebant verba illa "Ego te baptizo" esse ad sacramenti solemnitatem, ideoque baptismum sine illis collatum esse validum.

Probatur autem conclusio nostra ex Decretali Alexandri III., qui (cap. *Si quis* 1. Extra. de Baptismo). "Si quis," inquit, "puerum ter in aqua immerserit in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen; et non dixerit: ego baptizo te in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen, non est puer baptizatus."—Equidem post decretalem hanc adhuc Theologorum aliqui sunt oppositum tuiti; at excusandi sunt, eo quod hanc Decretalem ignoraverint, quæ tempore Greg. IX. primum in collectione Raymundi circa medium sæc. XIII. juris publici facta est.—Responsum Alexandri confirmavit Concilium Florentinum in Decreto, et Alexander VIII. inter plures propositiones damnans

hanc ordine 27.: "Valuit aliquando baptismus sub hac forma collatus, in nomine Patris et Filii, et Spiritus Sancti, prætermissis istis: Ego te baptizo."—Adde perpetuam Ecclesiæ tum Occidentalis tum Orientalis praxim, semper adhibentis in collatione sacramenti baptismi verba quæ baptismi actum exprimunt, nempe *baptizo*, vel *baptizatur*.

Rationem vero theologicam, ad veritatem quam defendimus confirmandam, indicat Angelicus 3. qu. 66. a. 5. ad 2.; et hæc est. Ablutio hominis in aqua cum variis de causis fieri possit, oportet, ut in baptismo determinetur per verba formæ:—sed per hæc tantum verba: "In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti," nondum sufficienter illa ablutio determinatur, ut sacramentalis sit; quia in nomine Trinitatis, ut pleræque actiones, etiam ablutio, sanitatis causa fieri potest; imo ut omnia hoc invocato nomine faciamus, nos hortatur Apostolus ad Coloss. 3.;—ergo in sacramenti forma actus baptismi debet exprimi.

II. Secunda pars thesis, ut certa, probatur ex verbis Christi "baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti." Quod enim per hæc verba Christus significare voluerit baptismum conferri debere expresse et distincte nominando Patrem, Filium et Spiritum Sanctum, constat ex perpetua doctrina et praxi Ecclesiæ. Nam

a) Ecclesia semper ut nullum habuit baptismum eorum, qui aliter ac illa expressa personarum divinarum invocatione baptizati fuerant, et jussit eos esse rebaptizandos.

Ita Concilium Arelatense I., an. 314. habitum, can. 8. quoad Afros, seu Arianos, statuit ut illi rebaptizentur, "qui baptizati non fuerint in Patre et Filio et Spiritu Sancto."—Concilium Nicænum I., anno 325., jussit, canone 8., non esse rebaptizandos Catharos, et, canone 19., rebaptizandos esse Paulianistas: ratio autem discriminis declaratur a Papa Innocentio I. (ep. 17. ad Episcopos Macedoniæ), qui "idcirco distinctum esse," inquit, "ipsis duabus hæresibus . . . . quia Paulianistæ in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti minime baptizant; et Novatiani iisdem nominibus tremendis venerandisque baptizant." (Vide *de Sacram. in Gen.* p. 198.).

Ita pariter Romanorum Pontificum Decreta semper definierunt. Pelagius II. Papa ad Gaudentium scribit (Decr. 3. p. de Consec. dist. 4. cap. 30.); "Si revera hi de hæreticis, qui in locis tuæ dilectioni vici-

nis commorari dicuntur, solummodo se in nomine Domini baptizatos fuisse forsan confitentur, sine cujusquam dubitationis ambiguo eos ad catholicam fidem venientes in SS. Trinitatis nomine baptizabis. Sin vero apud dilectionem tuam eorum, qui converti volunt, manifesta confessione claruerit, quod in nomine Trinitatis fuerint baptizati, sola reconciliationis impensa gratia, catholicæ sociare fidei maturabis."

S. Gregorius Magnus Quirico et ceteris in Hiberia Episcopis (lib. 9. ep. 67., al. 61.,—Migne P. L. tom. 77. p. 1205.) mandat: "Ab antiqua Patrum institutione didicimus ut quilibet apud hæresim in Trinitatis nomine baptizantur, cum ad sanctam Ecclesiam redeunt, aut unctione chrismatis, aut impositione manus, aut sola professione fidei ad sinum matris Ecclesiæ revocentur. Unde Arianos per impositionem manus Occidens, per unctionem vero sancti chrismatis ad ingressum sanctæ Ecclesiæ catholicæ Oriens reformat. Monophysitas vero et alios ex sola vera confessione recipit, quia sanctum baptisma, quod sunt apud hæreticos consecuti, tunc in eis vires emundationis recipit, cum vel illi per impositionem manus Spiritum Sanctum acceperint, vel isti propter professionem veræ fidei sanctæ et universalis Ecclesiæ visceribus fuerint uniti. Hi vero hæretici qui in Trinitatis nomine minime baptizantur, sicut sunt Bonosiaci et Cataphrygæ, quia et illi Christum Dominum non credunt, et isti Sanctum Spiritum perverso sensu esse quemdam pravum hominem Montanum credunt, quorum similes multi sunt alii, cum ad sanctam Ecclesiam veniunt, baptizantur, quia baptisma non fuit, quod in errore positi in SS. Trinitatis nomine minime perceperunt. Nec potest hoc ipsum iteratum dici baptisma, quod, sicut dictum est, Trinitatis nomine non erat datum."

S. Zacharias Bonifacio Episcopo (epist. 11. ad Bonifacium, Migne P. L. t. 89. p. 943.) dicit: "In illa [Synodo Anglorum] tale decretum et judicium firmissime præceptum et diligenter demonstratum esse dignoscitur, ut quicumque sine invocatione Trinitatis lotus fuisset, sacramentum regenerationis non haberet. Quod omnino verum est, quia si mersus in fonte baptismatis quis fuit sine invocatione Trinitatis, perfectus non est, nisi fuerit in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti baptizatus. . . . . Hoc quoque observasse in dicta Synodo sacerdotes, ut qui vel unam de Trinitate personam in baptismo non nominaret, illud baptisma verum esse non posset: quod pro certo verum est, quia qui

unam ex SS. Trinitate confessus non fuerit, perfectus Christianus esse non potest. Qui enim confitetur Patrem et Filium, si confessus non fuerit Spiritum Sanctum, nec Patrem habet, nec Filium: et qui confessus fuerit Patrem et Spiritum Sanctum, et Filium non fuerit confessus, nec Patrem habet, nec Spiritum Sanctum, sed vacuus est a gratia divina."

b) Patres omnium ætatum apertissime docent formam baptismi a Christo institutam continere Trium Personarum Divinarum enuntiationem, et sine ea baptismum esse invalidum.

S. Justinus, Apologia I. pro Christianis (n. 61.), de ritu baptismi loquens, ait: "Super eo, qui regenerari voluerit, et peccatorum pœnitentiam egerit, Parentis omnium et Domini Dei nomen pronuntiatur. . . . . . Sed in nomine Jesu Christi sub Pontio Pilato crucifixi, et in nomine Spiritus Sancti, qui per prophetas omnia ad Jesum spectantia prænuntiavit, is qui illuminatur, abluitur."

Tertullianus (lib. de bapt. cap. 13.) ait: "Lex tingendi imposita est, et forma præscripta: Ite, inquit, docete nationes, tingentes eas in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti."

Et adv. Prax. (c. 26.) inquit: "Novissime mandans, ut tingerent in Patrem et Filium et Spiritum Sanctum non in unum; nam nec semel, sed ter ad singula nomina in Personas singulas tingimur."

Origenes (in Ep. ad Rom. lib. 5. num. 8.) ita loquitur: "Requiras fortassis etiam hoc, quod, cum ipse Dominus dixerit ad discipulos, ut baptizarent omnes gentes in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, cur hic Apostolus solius Christi in baptismo nomen assumpserit dicens: 'Quicumque baptizati sumus in Christo;' cum utique non habeatur legitimum baptisma, nisi in nomine Trinitatis."

S. Cypr. (ep. 73. n. 12.) ad Jubaianum scribit: "Ubi post resurrectionem a Domino Apostoli ad gentes mittuntur, in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti baptizare gentiles jubentur. Quomodo ergo quidam dicunt foris extra Ecclesiam, imo et contra Ecclesiam, modo in nomine Jesu Christi, ubicumque et quomodocumque gentilem baptizatum remissionem peccatorum consequi posse, quando ipse Christus gentes baptizari jubeat in plena et adunata Trinitate."

Ad hæc trium priorum sæculorum testimonia, ne nimii simus, quædam tantum ex Græcis Latinisque Doctoribus sequioris ætatis selecta adjicimus:

S. Athanasius (ep. 4. ad Serapion. num. 12.) hæc habet: "Quod si sanctum lavacrum in nomine Spiritus Sancti tantum daretur, jure diceretur, baptizatos in Spiritum Sanctum dumtaxat peccare. Cum autem in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti detur, sicque singuli, qui baptizantur, initientur, consentaneum prorsus est, ut qui post baptisma prævaricantur, in sanctam et indivisam Trinitatem blasphement."

S. Gregorius Nazianzenus (Orat. 33. num. 17.) dicit: "Confessionem tuam memoria tene. In cujus nomine baptizatus es? Patris? recta; verum id adhuc judaicum: Filii? præclare; hoc jam minime judaicum, sed nondum tamen plenum et perfectum; Spiritus Sancti? optime; numeris omnibus absolutus est hic baptismus."

S. Joannes Chrysostomus (hom. 20. in epist. ad Eph. n. 2.) in illud "Mundans lavacro aquæ in verbo vitæ," ait: "Lavacro lavat ejus immunditiam; in verbo, inquit quonam? in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti."

Et ex Latinis Doctoribus, S. Ambrosius (de Mysteriis c. 4. nn. 20. 21.): "Credit etiam," inquit, "catechumenus in crucem Domini Jesu, qua et ipse signatur: sed nisi baptizatus fuerit in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, remissionem non potest accipere peccatorum, nec spiritualis gratiæ munus haurire... Tu autem baptizatus es in nomine Trinitatis, confessus es Patrem, recordare quid feceris, confessus es Filium, confessus es Spiritum Sanctum."—S. Augustinus, de baptismo (l. 6. cap. 15. et 47.) scribit: "Deus adest evangelicis verbis suis, sine quibus baptismus Christi consecrari non potest.... Ceterum quis nesciat non esse baptismum Christi, si verba evangelica, quibus symbolum constat, illic defuerint?" Quid vero per verba evangelica intelligat, jam dixerat l. 3. de bapt. (cap. 15.) scribens: "Si evangelicis verbis in nomine Patris et Pilii et Spiritus Sancti Marcion baptisma consecrabat integrum erat sacramentum."—Et S. Isidorus Hispalensis (l. 2. de Officiis Eccl. c. 25.), ait: "Si, omissa qualibet Trinitatis persona, baptisma detur, manifeste in regenerationis solemnitate nihil agitur, nisi tota Trinitas invocetur."

c) Insuper, constans Ecclesiæ Orientalis et Occidentalis consensus quoad expressam Trium Divinarum Personarum invocationem in baptismo faciendam, ut valide conferatur, apparet tum ex omnibus ritualibus Latinorum et Euchologiis Græcorum; tum ex Decreto Eugenii

IV. in Decreto pro Armenis, in quo explicite declaratur: "Forma autem [baptismi] est: Ego te baptizo in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Non tamen negamus, quia et per illa verba: Baptizetur [baptizatur] talis servus Christi in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti; vel, baptizatur manibus meis talis in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti; verum perficiatur baptisma: quoniam si exprimitur actus, qui per ipsum exercetur ministrum, cum SS. Trinitatis invocatione, perficitur sacramentum."

Demum et hoc adnotari liceat, nimirum, congruentiam formæ baptismi a Christo præscriptæ si natura et effectus sacramenti hujus spectentur, manifestam esse. Cum enim in baptismo, qui est sacramentum fidei et Ecclesiæ janua, professio fiat evangelicæ fidei, oportuit ut in eo expressa invocatio fieret SS. Trinitatis, quæ est primarium objectum et fundamentum totius fidei, et principalis causa tam ipsius baptismi, quam omnium mysteriorum legis novæ.

III. Tertia pars thesis, in qua defendimus numquam validum fuisse baptismum, in solo Christi nomine collatum, quamque ut probabiliorem saltem vindicamus, evincitur—*a*) evertendo fundamentum adversariorum. Etenim auctores, qui asserunt Apostolos, ex divina dispensatione, in solo Christi nomine baptizasse, quibusdam Scripturæ locis innituntur in quibus legimus multos baptizatos fuisse *in nomine Christi.* Ita, Act. II. 38. legitur: "Pœnitentiam agite et baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi;"—et VIII. 12.: "In nomine Jesu Christi baptizabantur viri ac mulieres;"—et ibid. v. 16.: "Baptizati tantum erant in nomine Domini Jesu:"—et similiter aliis in locis.

Sed respondetur 1. — *baptizari in nomine Christi,* non significat, in locis mox citatis, baptizari *invocato hoc nomine,* sed in fide virtute et auctoritate Christi, ac baptismo ab eo instituto baptizari; et id videtur erui ex Act. (XIX. 2–5.): "Dixitque [Paulus] ad eos: Si Spiritum Sanctum accepistis credentes? At illi dixerunt ad eum: Sed, neque si Spiritus Sanctus est, audivimus. Ille vero ait: In quo ergo baptizati estis? Qui dixerunt: In Joannis baptismate. Dixit autem Paulus: Joannes baptizavit baptismo pœnitentiæ populum, dicens: In eum, qui venturus esset post ipsum, ut crederent, hoc est in Jesum. His auditis, baptizati sunt in nomine Domini Jesu." His verbis dicitur,

illos baptismo quem instituit Christus baptizatos fuisse, qui antea solo baptismo Joannis baptizati fuerant.—Vel 2. *baptizari in nomine Christi* significat nomen Domini nostri Jesu Christi prolatum fuisse in forma baptismi, at non exclusis nominibus Patris et Spiritus Sancti. Exclusio enim hæc nullatenus ex citatis testimoniis deduci potest, sicut ex eo quod Act. II. et VIII. legitur Apostolos prædicasse Jesum Christum, admitti nequit illos fidem in Patrem et Spiritum Sanctum non inculcasse; et ex eo quod Apostolus I. ad Cor. I. 5. dicat nos baptizatos esse in Spiritu Sancto non concludimus baptismum esse conferendum, vel etiam aliquando fuisse collatum nomine solius Spiritus Sancti in baptismi forma expresso.

b) Quod nulla facta fuerit dispensatio pro Apostolis in forma sacramenti baptismi a Christo Domino instituta, quodque Scripturarum loca, ab adversariis allata, intelligenda sint juxta ea quæ modo diximus, Patres sine ambiguitate docent: nam et nullam exceptionem pro Apostolis factam commemorant;—et generatim ac absolute dicunt baptismum ex Christi mandato esse conferendum cum invocatione expressa SS. Trinitatis Personarum;—et verba Scripturæ quæ in specie contraria videri possunt diligenter, juxta sententiam quam tuemur, exponunt.

Præter testimonia, quæ adduximus ad demonstrandam secundam partem thesis, hæc attendantur.

S. Cyprianus, epist. 73., ad Jubaianum, n. 17., postquam citaverit verba Petri (Act. II. 38.): "Pœnitemini et baptizetur unusquisque vestrum in nomine Domini Jesu Christi in remissionem peccatorum" eadem explicans, addit: "Jesu Christi mentionem facit Petrus, non quasi Pater omitteretur, sed ut Patri quoque Filius adjungeretur."

S. Basilius, libro de Spiritu Sancto, c. 12., contra eos agit "qui dicunt sufficere baptismum tantum in nomine Domini," et refutat argumentum quod desumitur ex locutionibus Scripturarum, in quibus baptizati dicuntur fideles *in nomine Christi.* "Neminem vero in fraudem inducat," ait S. Doctor, "illud Apostoli, quod Patris et Spiritus Sancti nomen in baptizatis commemoratione frequenter omittit: neque ideo putet indifferentem esse nominum invocationem. 'Quicumque,' inquit, 'in Christum baptizati estis, Christum induistis;' et rursus: 'Quicumque in Christo baptizati estis, in mortem illius baptizati estis.'. . . . . Videtur tamen interdum Apostolus etiam solius Spiritus fecisse mentionem in

baptismate. *Omnes* enim, inquit, *in uno corpore in unum Spiritum baptizati sumus.* His et illud consonat, *Vos autem baptizabimini in Spiritu Sancto ;* et, *Ipse vos baptizabit in Spiritu Sancto.* At non ideo quis dixerit perfectum esse baptisma, in quo solum Spiritus nomen invocatum est. Oportet enim inviolabilem semper manere traditionem, quæ in vivifica gratia data est. . . . . . Proinde si in baptismo separare Spiritum a Patre et Filio, ut periculosum est baptizanti, ita baptismum accipienti inutile; quomodo nobis tutum fuerit a Patre et Filio distrahere Spiritum? Fides autem et baptisma duo sunt modi parandæ salutis, inter se cognati et inseparabiles. Nam fides perficitur per baptismum, baptismus vero fundatur per fidem, et utraque res per eadem nomina impletur. Sicut enim credimus in Patrem et Filium et Spiritum Sanctum, sic et baptizamur in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Ac præcedit quidem professio ad salutem perducens ; sequitur autem baptisma consignans assensum nostrum."

S. Augustinus Maximinum hæreticum Arianum, dicentem Spiritum Sanctum non esse creatorem, quoniam de Filio dictum est, "*Omnia per ipsum facta sunt,*"—quasi diceretur, "*omnia per ipsum facta sunt absque Spiritu Sancto*"—argumento hoc (l. 3. c. 17. n. 1.) perstringit: "Si autem quia non est nominatus, quod etiam per illum facta est creatura, quando de Filio dictum est, 'omnia per ipsum facta sunt,' ideo putas Dei Spiritum non esse Creatorem ; procul dubio nec in ejus nomine poteris baptizatos dicere quibus ait Petrus 'agite pœnitentiam et baptizetur unusquisque vestrum in nomine Domini Jesu Christi ;' quia non ait 'et Spiritus Sancti ;' nec in Patris nomine, quia nec ipse ibi est nominatus. Si autem etiam non nominatis Patre et Spiritu Sancto, in nomine Jesu Christi jussi sunt baptizari, et tamen intelliguntur non baptizati nisi in nomine Patris et Fili et Spiritu Sancti: cur non sic audis de Filio Dei 'omnia per ipsum facta sunt,' ut et non nominatum intelligas ibi etiam Spiritum Sanctum ?"—Quibus verbis S. August. et ut certum supponit, atque Maximino etiam persuasum, Apostolos numquam in solo Christi nomine baptizasse ; et hac veritate supposita, sic ratiocinatur: ex eo quod in Actibus Apostolorum legatur Apostolos baptizasse *in nomine Christi* non sequitur eos baptizasse non nominatis Patre et Spiritu Sancto ; ergo ex eo quod in c. 1. Joannis scriptum sit "*omnia facta esse per Verbum*" non sequitur facta simul non esse a Patre et Spiritu Sancto.

S. Joannes Chrysostomus (in II. ad Cor. hom. 30. n. 2.) ait: "Ad Corinthios [Paulus] scribens his verbis utitur: 'Sed abluti estis, sed sanctificati estis in nomine Domini Jesu Christi, et in Spiritu Dei nostri' (I. Cor. VI. 11.). Quid ergo, heus tu, annon isti in Patris nomine baptizati sunt? Ergo nec abluti nec sanctificati sunt. Atqui baptismo vere tincti fuerant. Cur ergo non dixit, Abluti estis in nomine Patris? Quia perinde illi erat, modo illius, modo alterius personæ meminisse: idque ipsi in plerisque epistolarum locis in usu fuisse reperies. Etenim in epistola ad Romanos ait: 'Obsecro igitur vos per miserationes Dei' (Rom. XII. 1.); atqui Filii quoque miserationes sunt: et, 'Obsecro autem per caritatem Spiritus' (Rom. XV. 30.); cum tamen Patris quoque sit caritas. Cur ergo nec Filii, cum de miserationibus loquitur, nec Patris, cum de caritate, mentionem fecit? Quod hæc perspicua atque indubitata essent."

Seriem testimoniorum, quæ ad exemplum protulimus, claudant S. Joannis Damasceni sequentia verba (de fide lib. 4. cap. 9.): "Qui in Sanctam Trinitatem baptizati non sunt, hi denuo baptizentur necesse est. Etsi enim Apostolus dicit: 'In Christum et in mortem ipsius baptizati sumus' (Rom. VI. 3.); non tamen hoc vult, baptismi invocationem ex his verbis constare debere, verum hoc demum, baptismum mortis Christi figuram præferre. . . . . . Quare in Christum baptizatum esse nihil aliud indicat, quam in illum credendo salutifera aqua tingi. Fieri non potest ut in Christum credamus, nisi Patris et Filii et Spiritus Sancti confessione imbuti simus. Christus enim est Filius Dei vivi, quem Pater unxit Spiritu Sancto, quemadmodum ait divinus David: 'Propterea unxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ præ consortibus tuis' (Ps. XLIV. 3.). Isaias quoque ex Domini persona loquens: 'Spiritus Domini super me, propter quod unxit me' (Isa. LXI. 1.). Enimvero quænam verborum forma adhibenda esset, Dominus discipulis suis exposuit: 'Baptizantes eos,' inquiens, 'in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti' (Matt. XXVIII. 19.)."

Adversus thesim, objicitur

1.—S. Hilarius (l. de Synod. n. 85.): "Ne postremo," inquit, "Apostoli reperiantur in crimine, qui baptizare in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti jussi, tantum in nomine Jesu baptizaverunt."

Resp. S. Hilarius invocationem aliarum personarum non excludit, nam in loco citato affert Evangelii et Actuum Apostolorum textus, sibi quoad apparentiam circa formam baptismi repugnantes, et contendit, non ideo eliminandos esse, quod apparens antilogia possit perversum sensum ingerere; indeque infert, nec ideo vocem ὁμοούσιος proscribendam esse, quod in pravum sensum detorqueri possit;—utrum vero Apostoli in *solo* baptizarint Christi nomine, hanc quæstionem ibidem non attingit. En textum integrum: "Pereant quoque, si videtur [quod non ego dixerim, sed responsionis necessitas], omnia divina illa et sancta Evangelia salutis humanæ, ne se invicem contraria dictorum opinionem compugnent: ne missurus Dominus Spiritum Sanctum ipse de Spiritu Sancto natus legatur: ne mortem gladio denuntiaturus usuris, emi gladium passurus indicat: ne ad inferos descensurus, in paradiso sit cum latrone: ne postremo Apostoli reperiantur in crimine" etc.—Quare sensus S. Doctoris est: etsi antilogia videatur esse Evangelium inter et Actus Apostolorum quoad baptismi formam, vera tamen antilogia non est; quia, etsi dicantur Apostoli in Christi baptizasse nomine, non tamen dicitur, aut sequitur, quod in hoc *solo* nomine baptizarint.

2.—S. Ambrosius (lib. 1. de Spiritu Sancto, cap. 3. nn. 43. 44.) ait: "Cum enim dicitur: 'In nomine Domini nostri Jesu Christi' per unitatem nominis impletum mysterium est; nec a Christi baptismate, Spiritus separatur. . . . Nunc consideremus utrum quemadmodum in Christi nomine plenum esse legimus baptismatis sacramentum; ita etiam Sancto tantum Spiritu nuncupato, nihil desit ad mysterii plenitudinem. Rationem sequamur; quia qui unum dixerit Trinitatem signavit."

Resp. S. Ambrosius in verbis citatis non agit de forma baptismi, sed de ejus effectu, qui toti Trinitati, ac proinde Spiritui Sancto etiam convenit; et alludit ad fidei professionem quam adulti antequam baptizarentur pronuntiare solebant; ita ut hæc mens sit Sancti Doctoris, nempe, declarare validum baptismum eorum qui de una solum persona SS. Trinitatis interrogati essent, et respondissent, dummodo rectam de eadem SS. Trinitate fidem haberent. Hinc ait: "Plenum est [baptismi sacramentum] si Patrem et Filium et Spiritum Sanctum fatearis, si unum neges totum subrues. Et quemadmodum si unum *in sermone* comprehendas, aut Patrem, aut Filium, aut Sp. S.: fide autem nec

Patrem, nec Filium, nec Sp. S. abneges, plenum est fidei sacramentum: ita etiam quamvis et Patrem et Filium et Spiritum Sanctum dicas, et aut Patris, aut Filii aut Spiritus Sancti minuas potestatem, vacuum est omne mysterium." Vacuum sane recipit mysterium (hoc est, absque sanctificationis effectu) qui unam e tribus divinis personis negat, at vacuum mysterium (hoc est, invalidum, nullum) non confert qui in nomine trium divinarum personarum baptizat, etsi in SS. Trinitatem fidem non habeat.

3.—S. Bernardus consultus ab Henrico Archidiacono Aurelianensi, ratusne baptismus esset periclitanti infanti sub hac forma datus: "Baptizo te in nomine Dei, et sanctæ et veræ crucis?" respondit, epistola 403., affirmative, additque: "Ut enim taceam, quod in nomine Dei unam expressit substantiam Trinitatis, in eo ipso quod addidit, sanctæ et veræ crucis, manifeste commendavit Dominicam passionem."

Resp. 1.—Multi epistolam citatam S. Bernardo abjudicant. 2.—Supposita ejus authenticitate, S. Bernardus sententiam suam tamquam probabilem profert, sed meliori judicio corrigendam: addit enim: "Breviter vobis de proposita quæstione respondemus, sine præjudicio tamen sanius sapientis."

4.—S. Stephanus I. decrevit valere baptismum collatum in Christi nomine, et approbavit baptismum Marcionis qui in hoc nomine baptizabat: utrumque colligitur ex ep. S. Cypr. 73. ad Jubaianum, n. 18.

Resp. 1.—Ex ep. citata non certo constat S. Cyprianum unum et aliud S. Stephano tribuisse, ait enim, dum illa refert, "quidam dicunt," at quinam illi sint non explicat. 2.—Si S. Stephano tribui debent, is non de baptismo in *solo* Christi nomine loquebatur, sed de baptismo collato *juxta ritum a Christo præscriptum,* seu cum SS. Trinitatis invocatione :—et cum baptismum Marcionis approbavit, id conditionate fecit, nempe, si Marcionitæ cum necessaria trium divinarum personarum invocatione baptizaverint, quo sensu idem aliquando asseruit ipse S. Augustinus, l. 3. contra Donatistas.—Conf. etiam quæ diximus in tractatu *de Sacram. in Gen.* p. 195. nota 4.

5.—Nicolaus I. in responso ad consulta Bulgarorum, cap. 104., de baptismo a quodam Judæo collato respondit: "Hi profecto si in nomine

SS. Trinitatis, vel tantum in nomine Christi, sicut in Actis Apostolorum legimus, baptizati sunt (unum quippe idemque est, ut Sanctus exponit Ambrosius) constat eos non esse denuo baptizandos."

Resp. Huic difficultati duplex a theologis solutio traditur. Multi enim respondent, Nicolaum non ut Pontificem definientem, sed ut privatum doctorem illud asseruisse; cum non de forma baptismi interrogatus fuerit, sed de ministro, utrum nempe baptismus valeret a Judæo collato, aut a pagano.—Respondent alii, et merito, ut videtur, in verbis Pontificis, duas partes esse distinguendas, quarum prior fidem spectat baptizandi, altera ministrum; testimonium autem quod objicitur ad partem quæ *baptizandi fidem* respicit esse referendum.

Et revera *a*) Nicolaus I. ad Actus Apostolorum (cc. II. VIII. etc.) et ad S. Ambrosium appellat;—illi vero non de forma baptismi agunt, sed de fide suscipientium, ut demonstravimus.

b) Idem Nicolaus I. ab iisdem consultus Bulgaris, num essent rebaptizandi, qui a Græco quodam se presbyterum fingente fuerant baptizati, respondet respons. 15. (Labb. tom. 8. pag. 523.): "Si in nomine summæ ac individuæ Trinitatis baptizati fuere, Christiani profecto sunt et eos . . . . . iterato baptizare non convenit." Hic Summus Pontifex certo de baptismi forma loquitur, nec addit valere etiam baptismum collatum "in nomine Christi;"—ergo sola illa verba evangelica Matth. ult.: "In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti" censebat Pontifex constituere baptismi formam; et dum resp. 104. hæc addidit: "*vel tantum in nomine Christi*," ea cum S. Ambrosio ad suscipientium fidem retulit.

c) In eodem resp. 104., de ministro agens, verbis perspicuis significat, sibi æque ac S. Augustino non aliud probari baptisma, quam quod verbis evangelicis consecratum. "Jam satis," inquit ex S. Augustino, ostendimus, ad baptismum, qui verbis evangelicis consecratur, non pertinere cujusquam vel dantis vel accipientis errorem, sive de Patre, sive de Filio, sive de Spiritu Sancto aliter sentiat, quam doctrina cœlestis insinuat." Verba autem evangelica sunt illa notissima Matt. ult. "In nomine Patris," etc. Non vero hæc: "In nomine Christi."—Quomodo igitur paucis ante lineis idem S. Pontifex de forma dixerit, ad hanc sufficere ista: "Vel in nomine Christi tantum?" Concludamus itaque oportet in parte priore S. Pontificem de suscipientis fide locutum esse;

ac proinde, dum inquit: "Hi profecto, si in nomine SS. Trinitatis, vel tantum in nomine Christi, sicut in Actis Apostolorum legimus, baptizati sunt (unum quippe idemque est, ut Sanctus exponit Ambrosius) constat eos non esse denuo baptizandos;" sensus hujus sententiæ est:—Hi profecto, si christiano more ac ritu abluti sunt, hoc est, si in baptismo interrogati se in Trinitatem credere confessi sint, vel tantum in Christum, sicut in Actis Apostolorum de Eunucho reginæ Candacis legimus, aliisque, unum enim idemque est juxta S. Ambrosium, non sunt rebaptizandi.

Nec dicatur, Pontificem de ministri fide interrogatum fuisse, non de fide suscipientis, ideoque de hujus fide verba objecta non posse intelligi.—Respondemus, non raro fieri ut plus in gratiam interrogantis dicatur quam petitur; quamobrem Nicolaus Pontifex in responsione sua ad Bulgaros, pro pleniori instructione gentis recentissime ad fidem conversæ, recte prius docuit quo ritu Bulgari profiteri debebant fidem, nimirum dicendo se credere in SS. Trinitatem, vel se credere in Christum,— quod sufficiebat si alias personas non negabant;— et deinde definivit ministrum, quicumque esset, valide, *verbis evangelicis* conferre baptismum.

ARTICULUS QUINTUS

De necessitate baptismi.

Duplici ratione potest aliquid necessarium esse ad salutem consequendam, necessitate nempe *medii* vel *præcepti.* Necessarium *necessitate medii* est illud, quo inculpabiliter etiam omisso, salus obtineri nequit, cum statuerit Deus hominem sine hoc medio æternam beatitudinem non adipisci: necessarium vero *necessitate præcepti* est illud quod *citra peccatum,* quo impeditur salus, omitti non potest; sed a peccato excusat tum præcepti ignorantia, tum impotentia implendi quod est præceptum; ideoque si istud *inculpabiliter* omittatur, absque eo salus etiam obtineri potest.

Necessarium esse baptismum, præter hæreticos quosdam antiquiores, quos superius commemoravimus, negaverunt Pelagiani, utpote qui peccati originalis dogma inficiati sunt; et ut vim argumentorum effu-

gerent, quibus a catholicis premebantur, necessarium baptismum esse dixerunt ad ingressum in regnum cœlorum, non autem ad vitæ æternæ assecutionem.

Ex recentioribus hæreticis baptismi necessitatem negaverunt Wiclefus, ut constat ex sess. 16. Concilii Constantiensis, Zwinglius, Bucerus, ac Sociniani omnes. Calvinus, lib. 4. Inst. c. 16., necessarium quidem baptismum esse fatetur; sed ad delendum originale peccatum omnibus sive adultis sive parvulis necessarium non esse contendit: non adultis, quia sola fide justificantur: non parvulis, quia si a parentibus christianis progeniti, aut de numero sunt prædestinatorum, virtute fœderis quod Deus cum Christianis pepigit, sancti sunt etiam sine baptismo, nec originaria labes eis imputatur. Idem cum Calvino sentiunt Lutherani, ut ex eorum Catechismis aperte colligitur.

Ex catholicis Cajetanus docuit parvulos fidelium, ex lege Dei, si baptismo non possunt ablui, precibus parentum et desiderio conferendi eis baptismum salvari posse, maxime si votum istud parentum exterius signo aliquo manifestetur. At S. Pius V. Pontifex Maximus ex Commentariis Cajetani articulos quibus is hanc sententiam tuebatur expungi jussit.

Præterea nonnulli antiquiores Doctores, inter quos adnumerari etiam debet S. Bonaventura (in 4. dist. 6. p. 2. a. 2. q. 1.), dixerunt de lege ordinaria parvulos etiam fidelium sine baptismo ex hac vita decedentes non salvari; sed probabiliter putari posse Deum clementissimum vel exaudire fidelium parentum vota pro salute parvulorum, vel supplere defectus essentiales baptismi, si qui sint ex parte materiæ, formæ et intentione ministri.

Verum, juxta catholicam doctrinam, baptismus agnosci debet pro omnibus, pro infantibus æque ac pro adultis, necessarius necessitate medii ad salutem; pro adultis vero necessarius etiam necessitate præcepti.—At, juxta eamdem doctrinam catholicam animadverti etiam debet baptismum quamvis omnibus necessarium necessitate medii, suppleri tamen posse duobus modis, scilicet per contritionem, aut caritatem perfectam, quæ saltem virtualiter et implicite continet votum, seu desiderium suscipiendi baptismum aquæ; et per martyrium pro fide Christi toleratum.—Et sane baptismus, licet necessarium sit salutis medium, non est tamen medium ejusdem salutis *internum*, ut est gra-

tia sanctificans, sed solummodo *medium externum* a Christo institutum ad hujus gratiæ consecutionem. Cum ergo Deus non sit exterioribus signis necessario alligatus, et gratia sanctificans per contritionem perfectam cum voto baptismi obtineri queat, baptismus aquæ suppleri potest per contritionem perfectam, ac multo magis per martyrium.

Hinc baptismi divisio in baptismum aquæ, flaminis et sanguinis, quæ usurpata invenitur non tantum apud Scholasticos, sed etiam a Patribus ut, ex. gr., a S. Gregorio Nazianzeno, Orat. 39. in Sancta Lumina, a S. Augustino, lib. 4. de Baptismo, a S. Bernardo, ep. 77. ad Hugonem Victorinum, et ab aliis. Per hanc vero divisionem, non asseritur tres *proprie* esse baptismos, nam *proprie* unus baptismus est, scilicet ille quo a peccatis abluimur "per aquam in verbo;" sed alii, quæ sacramenta non sunt, *improprie* tantum et *analogice* sic vocantur, quatenus baptismi aquæ vices supplent quoad principalem ejus effectum, nempe gratiam et remissionem peccatorum.

Quamobrem, juxta catholicam doctrinam, baptismus aquæ, extra casum martyrii, parvulis est in re necessarius necessitate medii, quia neque desiderii, seu baptismi flaminis, neque præcepti alicujus capaces sunt; ac proinde originalis maculæ emundationem, et vitam æternam consequi parvuli non possunt nisi actu collatus ipsis fuerit baptismus aquæ: — adultis vero baptismus aquæ vel in re, vel saltem in voto ac desiderio, necessarius est non tantum necessitate medii, sed etiam necessitate præcepti divini, quia ex divino præcepto quilibet homo rationis capax adhibere tenetur omnia media ad salutem consequendam necessaria. Si quis itaque adultus baptismi legem aut invincibiliter ignoraret, aut ipsi obsequi non posset ob defectum, ex. gr., aquæ, vel ministri, haud equidem reus foret violati præcepti; gratiam tamen sanctificantem non perciperet, nisi in casu martyrii, aut contritionis perfectæ, in qua saltem implicite includitur desiderium et voluntas servandi omnia Dei præcepta; et si mori tunc illum contingeret, æterna felicitate excludendus foret propter defectum gratiæ sanctificantis, quæ sola filios Dei adoptivos et hæredes regni constituit, et propter peccatum sive originale, sive personale nondum remissum.

Vindicationem hujus doctrinæ catholicæ, perspicuitatis gratia, divisim aggredimur et distintis paragraphis demonstrabimus primo necessarium esse baptismum pro omnibus in re, vel saltem in voto;—secundo bapti-

smum flaminis, seu perfectam cordis contritionem et quemcumque caritatis perfectæ actum, in quo saltem implicite baptismi votum continetur, supplere in adultis vices baptismi aquæ, quoad effectum ejus primarium, seu gratiam sanctificantem, quæ peccata remittit; — tertio, martyrium tum in infantibus, tum in adultis, supplere baptismum aquæ quoad effectum remissionis culpæ ac pœnæ.

§ I.

Omnibus baptismus aquæ necessitate medii est necessarius in re, vel saltem in voto; et adultis est etiam necessarius necessitate præcepti.

Ex documentis ecclesiasticis doctrinam Ecclesiæ circa necessitatem baptismi spectantibus seligimus quæ in Concilio Tridentino statuta fuere, eaque hic proferimus.

In sessione 5. Tridentina Synodus iterans, fere iisdem verbis, definitionem Concilii Milevitani II. contra Pelagianos, et Concilii plenarii Carthaginiensis an. 418., decrevit, can. 4.: "Si quis parvulos recentes ab uteris matrum baptizandos negat, etiam si fuerint a baptizatis parentibus orti; aut dicit in remissionem quidem peccatorum eos baptizari, sed nihil ex Adam trahere originalis peccati, quod regenerationis lavacro necesse sit expiari ad vitam æternam consequendam; unde fit consequens, ut in eis forma baptismatis, in remissionem peccatorum, non vera, sed falsa intelligatur; anathema sit: quoniam non aliter intelligendum est id quod dixit Apostolus: 'Per unum hominem peccatum intravit in mundum, et per peccatum mors; et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt,' nisi quemadmodum Ecclesia catholica ubique diffusa semper intellexit: propter hanc enim regulam fidei ex Traditione Apostolorum etiam parvuli, qui nihil peccatorum in semetipsis adhuc committere potuerunt, ideo in remissionem peccatorum veraciter baptizantur, ut in eis regeneratione mundetur, quod generatione contraxerunt. Nisi enim quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei."

In sessione 6. cap. 4. docuit: "Translatio ab eo statu, in quo homo nascitur filius primi Adæ, in statum gratiæ, et adoptionis filiorum Dei

per secundum Adam Jesum Christum Salvatorem nostrum . . . . . post Evangelium promulgatum, sine lavacro regenerationis, aut ejus voto, fieri non potest, sicut scriptum est: Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei."

Demum in sessione 7. canone 5. de baptismo, ait: "Si quis dixerit, baptismum liberum esse, hoc est non necessarium ad salutem, anathema sit."

Porro ex his definitionibus patet *de fide* esse credendum baptismum in re, aut saltem in voto, ad salutem assequendam medium esse omnino necessarium; ac proinde nos ut dogma fidei propugnare thesim, quam subjungimus; si tamen eo sensu intelligatur, quo non excludat extraordinariam providentiam Dei erga fidelium parvulos, quam nonnulli catholici scriptores, ut superius adnotatum fuit, admiserant. Quamvis enim horum doctorum sententia falsa sit, et iisdem argumentis, quibus necessitas ipsa baptismi defenditur, confutetur; ab Ecclesia tamen *conceptis verbis, ut hæretica*, damnata non fuit.

His adnotatis subjungitur

THESIS IV.

Baptismus, in re vel in voto, necessarius est adultis necessitate medii et præcepti, parvulis vero, extra casum Martyrii, est necessarius necessitate medii ad salutem.

Baptismum omnibus, sive adultis, sive parvulis, necessarium esse necessitate medii ad salutem, probatur

1. Ex apertissima sententia Salvatoris (Joan. III. 5.): "Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei."—Etenim illud est necessarium necessitate medii ad salutem, sine quo, etiamsi inculpabiliter omissum fuerit, obtineri non potest salus:—sed, ex verbis mox citatis, regeneratio ex aqua et Spiritu Sancto, seu baptismus, ita ad salutem ordinatus est ut eo inculpabiliter etiam omisso salus obtineri nequeat.—Ergo.

Minor hujus argumenti patet; sententia namque Christi generalis est, neminem excipiens, complectens æque parvulos atque adultos, et singulis imponens necessitatem regenerationis ex aqua et Spiritu Sancto

ut regnum Dei ingredi possint, ac salvi fieri. Agitur ergo de re, quæ tam necessaria sit, ut sine ea, etiamsi inculpabiliter omissa fuerit, salutem assequi non possimus.—Sane, qui neque in re, neque saltem in voto, baptismum suscepit, etiamsi inculpabiliter id contigerit, nullo tamen pacto regeneratus fuit "*ex aqua* [baptismi] *et Spiritu Sancto.*" Cum igitur Christus dixerit: "Si quis non est ex illa aqua et Spiritu Sancto regeneratus non potest assequi salutem ;" etiam ille qui licet inculpabiliter, reapse tamen regenerationem non habuerit "ex aqua et Spiritu Sancto," pervenire ad regnum Dei non poterit et salvari.

Præterea necessitas regenerationis, quæ ex verbis citatis imponitur omnibus, parvulis æque ac adultis, nequit dici necessitas sola præcepti, parvuli enim, præcepti prorsus incapaces, necessitate præcepti ligari nequeunt; — ergo necessitas regenerationis, a Christo imposita, non præcepti tantum, sed etiam necessitas medii pro omnibus dicenda est.

Demonstratio desumpta ex verbis Christi quæ apud Joannem referuntur (III. 5.), confirmatur ex verbis ibidem (vers. 6.) sequentibus: "Quod natum est ex carne caro est; et quod natum est ex Spiritu, spiritus est. Non mireris, quia dixi tibi: Oportet nasci denuo." In his verbis declaratur quare renasci debeat homo ex aqua et Spiritu Sancto ut regnum æternæ beatitudinis ingredi possit; et ratio quæ assignatur a Christo est, quia "quod natum est ex carne, caro est," seu quia homo, carnali generatione, carnalis nascitur et peccator, ideoque incapax regnum Dei ingrediendi:—at omnes homines, carnali generatione procreati, ita nascuntur:—ergo omnes homines carnali generatione nati, sive adulti jam sint, qui præcepti obligatione ligari etiam possint, sive parvuli qui præcepti sunt incapaces, per regenerationem "ex aqua et Spiritu Sancto" necessariam necessitate medii ad salutem, a peccatis emundari debent et spirituales fieri, ut admittantur in regnum Dei.

2. Altera probatio thesis desumitur ex Traditione, quæ perpetuo invariata elucet ex Conciliis, ex Patribus, et ex praxi totius Ecclesiæ.

Etenim dogma catholicum, quod vindicamus, et in Conc. Tridentino pluries fuisse definitum jam adnotavimus, definierunt adversus Pelagianos Concilium Milevitanum II. et Concilium Plenarium Carthaginiense: ideoque canon, qui inter horum Conciliorum definitiones sub numero 2. ponitur, fuit fere ad verbum transcriptum a Concilio Triden-

tino in canone 4. sess. 5. (vide Denzinger, Enchiridion symb. definit. Wirceb. 1865. p. 24.).—Concilium autem Milevitanum II. in epistola synodica ad Innocentum I. Pontificem Maximum scripsit (vid. epist. inter August. 176. al. 92.): "Pueros quoque parvulos, etsi nullis innoventur christianæ gratiæ sacramentis, habituros vitam æternam, nequam præsumptione [Pelagiani] contendunt, evacuantes quod dicit Apostolus: 'Per unum hominem peccatum intravit in mundum, et per peccatum mors, et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt."—Et Innocentius I. in sua ad Patres Milevitanæ II. Synodi epistola (inter August. 182. al. 93.), approbans damnationem ab eis latam adversus errores Pelagianorum, inter cetera, ait: "Illud vero quod eos [Pelagianos] vestra Fraternitas asserit prædicare, *parvulos æternæ vitæ præmiis etiam sine baptismatis gratia posse donari*, perfatuum est. . . . . . . Qui autem hanc [vitam æternam] in eis sine regeneratione defendunt, videntur mihi ipsum baptismum velle cassare; cum prædicant eos habere, *quod in eis creditur nonnisi baptismate conferendum.*"

Concilium Florentinum, Decreto pro Armenis; "Primum omnium," inquit, "Sacramentorum locum tenet sanctum baptisma, quod vitæ spiritualis janua est; per ipsum enim membra Christi, ac de corpore efficimur Ecclesiæ. Et cum per primum hominem mors introierit in universos, *nisi ex aqua et Spiritu renascimur, non possumus, ut inquit Veritas, in regnum cœlorum introire.*"—Et in Decreto pro Jacobitis: "Circa pueros vero propter periculum mortis, quod potest sæpe contingere, *cum ipsis non possit alio remedio subveniri, nisi per sacramentum baptismi*, per quod eripiuntur a diaboli dominatu et in Dei filios adoptantur, admonet" etc.—Definitiones Conc. Tridentini supra retulimus.

Patres uno ore ab initio eidem fidei testimonium reddiderunt.

Tertullianus (lib. de baptismo c. 12.) ait: "Præscribitur, *nemini sine baptismo competere salutem*, ex illa maxime pronuntiatione Domini, qui ait: Nisi natus quis ex aqua fuerit non habet vitam."—

S. Irenæus (lib. 3. adv. hæres. cap. 17. n. 2.) dicit: "Sicut de arido tritico massa una fieri non potest sine humore, neque unus panis: ita nec nos multi unum fieri in Christo Jesu poteramus sine aqua, quæ de cœlo est. Et sicut arida terra, si non percipiat humorem, non fructificat: sic et nos lignum aridum existentes primum, numquam fructifi-

caremus vitam, sine superna voluntaria pluvia. Corpora enim nostra per lavacrum illam, quæ est ad incorruptionem, unitatem acceperunt; animæ autem per Spiritum. Unde et utraque necessaria, cum utraque proficiunt in vitam Dei, miserante Domino nostro."

S. Cyrillus Hierosolymitanus (Catech. 3. de bapt. n. 10.) inquit: "Si quis baptisma non recipiat, salutem non habet, solis martyribus exceptis, qui etiam sine aqua regnum recipiunt. Qui enim orbem per crucem redemit Salvator, latus trausfixus sanguinem et aquam emisit; ut alii quidem pacis tempore per aquam, alii vero persecutionum temporibus propriis sanguinibus baptizarentur."

S. Basilius (hom. 13. in sanctum bapt. n. 2.) adhortans ad baptismi susceptionem dicit: "Judæus circumcisionem non differt propter comminationem illam: 'Omnis anima quæ non circumcidetur die octavo, peribit de populo suo' (Gen. XVII. 14.): tu vero circumcisionem non manu factam, sed quæ per baptisma in exspoliatione carnis perficitur, differs, posteaquam Dominum ipsum audivisti: 'Amen, amen dico vobis, nisi quis natus fuerit per aquam et Spiritum, non intrabit in regnum Dei' (Joan. III. 5.). . . . . . . Adoras eum qui pro te mortuus est? Sine igitur una cum ipso sepeliri te per baptisma. Si ei non fueris insertus per similitudinem mortis ejus, quomodo resurrectionis eris socius? . . . . Ingressus est ille [Israel] ad terram promissionis propter baptisma: tu vero quomodo reverteris in paradisum, nisi sis baptismate obsignatus."

S. Ambrosius (de Mysteriis c. 4.) hæc habet: "Credit Catechumenus . . . sed nisi baptizatus fuerit in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti remissionem non potest accipere peccatorum, nec spiritualis gratiæ munus haurire." Et de Abraham (l. 2. c. 11. n. 79.): "Nemo ascendit in regnum cœlorum, nisi per sacramentum baptismatis." Et ibid. (n. 84.), exponens Christi verba: "Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei," dicit: "Utique nullum excipit, non infantem, non aliqua præventum necessitate."

S. Augustinus (l. 3. de orig. anim. c. 9.) inquit: "Noli credere, nec dicere, nec docere, infantes, antequam baptizentur, morte præventos pervenire posse ad originalium indulgentiam peccatorum, si vis esse Catholicus." Et Ep. 166. al. 28. (c. 7. n. 21.) ad Hier. scribit: "Quisquis dixerit, quod in Christo vivificabuntur et parvuli, qui sine sacramenti ejus [baptismi] participatione de vita exeunt, hic profecto et

contra apostolicam prædicationem venit, et totam condemnat Ecclesiam, ubi propterea cum baptizandis parvulis festinatur et curritur, quia sine dubio creditur, alias eos in Christo omnino vivificari non posse."—Similiter in op. de pecc. merit. et remis. (l. 1. c. 16. n. 21.): "Quisquis ex concupiscentia carnis et lege peccati et mortis carnaliter generatur, regenerari spiritualiter opus habet, ut non solum ad regnum Dei perducatur, sed etiam a damnatione peccati liberetur."

Quapropter Gennadius (de Eccl. dogm. c. 74.) inter firmissima Ecclesiæ dogmata veritatem quam defendimus recenset, dicens: "*Baptizatis tantum iter salutis esse credimus:*"—et S. Fulgentius (de fide cap. 3. num. 41.) dixit: "Ex illo tempore, quo Salvator noster dixit: 'Si quis renatus non fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei, absque sacramento baptismatis, præter eos qui in Ecclesia catholica sine baptismate pro Christo sanguinem fundunt, nec regnum cœlorum potest quisquam accipere, nec vitam æternam."—Et deinde in eodem libro (c. 30.) regulam fidei proponens: "Firmissime tene," inquit, "et nullatenus dubites, exceptis illis qui pro nomine Christi suo sanguine baptizantur, nullum hominem accepturum vitam æternam, qui non hic a malis suis fuerit per pœnitentiam fidemque conversus et per sacramentum fidei et pœnitentiæ, id est per baptismum, liberatus. Et majoribus quidem necessarium esse, et pœnitentiam de malis suis agere, et fidem catholicam secundum regulam veritatis tenere, et sacramentum baptismatis accipere; parvulis vero, qui nec propria voluntate credere, nec pœnitentiam pro peccato quod originaliter trahunt agere possunt, sacramentum fidei et pœnitentiæ, quod est sanctum baptisma, quamdiu rationis ætas eorum capax esse non potest, sufficere ad salutem."

Hinc perpetua praxis Ecclesiæ, quæ semper sollicita fuit ut infantibus, prasertim iis quibus mors instaret, baptismus quam citissime conferretur: et licet ad solemnem baptismi administrationem statuta fuerint quædam in anno tempora, provisum tamen ab Ecclesia semper fuit ut quolibet tempore, si periculum immineret, per baptismi sacramentum ægrotantibus subveniretur, "ne," ut ait S. Siricius Papa in epistola ad Himerium Tarraconensem, c. 2., "ad nostrarum perniciem tendat animarum, si negato desiderantibus fonte salutari, exiens unusquisque de sæculo et regnum perdat et vitam."

3. Demum stabilitur thesis argumento quod desumimus ex S. Thoma. In tertia parte Summæ Theologicæ, qu. 68. art. 1., quærens: "Utrum omnes teneatur ad susceptionem baptismi," respondet: "Dicendum quod ad illud homines tenentur sine quo salutem consequi non possunt. Manifestum est autem quod nullus potest salutem consequi nisi per Christum. Unde et Apostolus dicit (Rom. v. 18.): 'Sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem, sic et per unius justitiam in omnes homines in justificationem vitæ.' Ad hoc autem datur baptismus ut aliquis per ipsum regeneratus incorporetur Christo, factus membrum ipsius; unde dicitur Gal. (III. 27.): 'Quicumque in Christo baptizati estis, Christum induistis.' Unde manifestum est quod omnes ad baptismum tenentur, et sine eo non potest esse salus hominibus."

Demonstravimus baptismum esse pro omnibus necessarium necessitate medii, superest ut ostendamus eum esse *adultis necessarium etiam necessitate præcepti*;—et hoc breviter cuique patebit in primis ex verbis Christi, quæ legimus apud Matthæum XXVIII. 19.—Etenim Christus obligat sub præcepto Apostolos ad baptizandas gentes—"Euntes docete omnes gentes baptizantes eos:"—ergo et præcipit gentibus ut baptismum suscipiant; unum namque et aliud correlativa sunt, sicut eodem loco, dum Apostolis mandat ut gentes doceant, his præceptum imponit ut illos audiant.

Accedit ratio, nam si baptismus est ad salutem necessarius omnibus necessitate medii, sequitur eum etiam necessarium esse necessitate præcepti 1. naturalis, cum quilibet ex præcepto naturali charitatis erga se ipsum teneatur adhibere media ad salutem necessaria:—2. divini, cum omne id, quod ex ordinatione divina est medium ad salutem absolute necessarium, etiam hoc ipso, si est in potestate nostra, sit ex præcepto divino necessarium; nihil enim potuit præcipi magis, quam illud, sine quo obtineri salus non potest:—3. etiam ecclesiastici, quod ex Traditione et constanti Ecclesiæ praxi intelligitur.

Adversus thesim mox vindicatam, objicitur

1.—Illud Christi (Marc. XVI. 16.): "Qui crediderit et baptizatus fuerit salvus erit; qui vero non crediderit condemnabitur."—Sed horum verborum Christi sensum exposuimus in tractatu *de Sacramentis in genere*, p. 90.

2.—Apud Joan. vi. 54. legitur: "Nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis;" et ex his verbis non deducitur Eucharistiam esse necessariam necessitate medii.—Ergo a pari nequit omnimoda necessitas baptismi deduci ex illis verbis: "Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei."

Resp. *N. Cons.*— Disparitas eruitur ex diversa forma utriusque sententiæ, ex diversitate rerum de quibus agitur, ex modo quo semper Ecclesia illas duas sententias intellexit.—Hæc tamen fusius declarabuntur in tractatu *de Eucharistia.*

3.—Filii parentum fidelium, hoc ipso quod ex fidelibus nascuntur filii adoptivi Dei sunt, nam ii dicuntur semen Abraham (ad Roman. iv. 11., et ad Gal. iii. 8.); Deus vero, Gen. xvii. promisit Abrahæ se Deum et ipsius et ejus seminis futurum. "Statuam pactum meum inter me et te, et inter semen tuum post te in generationibus suis fœdere sempiterno, ut sim Deus tuus et seminis tui post te."

Resp. *N. Assert.* et ad prob. *Dist.*—Dicuntur semen Abrahæ secundum carnem, sive ratione nativitatis corporalis *N.* secundum spiritum, vel ratione nativitatis spiritualis per baptismum *C.* Sic et Deus promisit se futurum Deum seminis Abrahæ, non secundum carnem sed secundum spiritum, id est eorum, qui haberent fidem Abrahæ, quam, sicut olim per circumcisionem, sic nunc infantes habitualiter habent per baptismum. Responsio in doctrina fundatur ipsius Apostoli ad Rom. ix. 6. dicentis: "Non enim omnes, qui ex Israel sunt, ii sunt Israelitæ; neque qui semen sunt Abrahæ, omnes filii; sed in Isaac vocabitur tibi semen: id est, non qui filii carnis, hi filii Dei; sed qui filii sunt promissionis æstimantur in semine." Filii autem promissionis sunt, qui habent fidem patris Abrahæ, ut idem docet Apost. ad Rom. iv. 10. et seqq.

4.—Apostolus ait (I. Cor. vii. 14.): "Sanctificatus est vir infidelis per mulierem fidelem, et sanctificata est mulier infidelis per virum fidelem; alioquin filii vestri immundi essent, nunc autem sancti sunt."—Ergo filii fidelium sunt Deo grati ante baptismum, et nihil obstat quominus absque baptismo etiam salventur.

Resp. *Neg. Conseq.*—S. Paulus non loquitur de sanctitate proprie

dicta, interna, quæ est ex gratia sanctificante nobis a Deo infusa.—Et sane, "non opinor," ait S. Augustinus (de pecc. mer. et rem. l. 2. c. 26.), quisquam tum infideliter intelligit, quodlibet in his verbis intelligat, ut ob hoc existimet etiam maritum non christianum, quia christiana fuerit uxor ejus, neque jam baptizari oportere, et ad peccatorum remissionem jam pervenisse, et in regnum cœlorum esse intraturum, quia sanctificatus dictus est in uxore."—Loquitur ergo Apostolus vel, juxta plures interpretes, de sanctitate in eo posita quod inter fidelem et infidelem matrimonium validum sit, et filii ex hac unione legitimi :—vel melius de sanctificatione, quæ sit præparatio quædam ad veram et internam. Sanctificatus ergo dicitur ab Apostolo vir infidelis per uxorem fidelem, quatenus hæc virum suum sensim ad conversionem disponit; et sancti dicuntur filii, quatenus conjux fidelis docet eos idola aversari, et eis veri Dei cognitionem et christianæ religionis amorem suaviter infundit, sicque eos precibus, adhortationibus, et exemplis, paulatim adducit ad assecutionem veræ ac internæ sanctificationis.—Quod ait Paulus respondet exhortationi quæ in I. Petri III. 1. 2. legimus : "Mulieres subditæ sint viris suis: ut et si qui non credunt verbo, per mulierum conversationem sine verbo lucrifiant, considerantes in timore castam conversationem vestram."

5.—Quod necessarium est necessitate medii non potest suppleri : sed baptismus, ut catholici fatentur, potest suppleri. Ergo.

Resp. *Dist. Min.*—Quod est necessarium necessitate medii summa, vel stricta ; sive, ut aliis loqui placet, tamquam medium salutis internum, non potest suppleri per aliud *C.* Quod est necessarium necessitate medii minus stricta, ut externum salutis medium *N.* Necessaria autem necessitate medii summa, vel stricta ad salutem sunt fides et gratia sanctificans, quia juxta præsentem Dei ordinationem requiruntur in re, nec in alio sui vicario haberi vel suppleri possunt : baptismum vero Deus suppleri posse voluit per votum ipsius, et martyrium ; unde hujus necessitas medii comparative ad priorem minus stricta est.

6.—Doctrina de absoluta necessitate baptismi, quæ in thesi defenditur, divinæ justitiæ et sinceræ voluntati, qua Deus omnes homines vult salvos fieri, repugnat : multi enim infantes, ex hac vita sine baptismo

decedentes, juxta hanc de absoluta baptismi necessitate doctrinam, in æternum absque sua culpa, beatitudine, privarentur.

Resp. *N. Ass. et probat.*— Etenim parvuli, qui absque baptismo moriuntur, *propter originalem culpam*, generatione carnali contractam, et regeneratione supernaturali non deletam, excluduntur ab æterna beatitudine, quæ *supernaturalis est et humanæ naturæ prorsus indebita* ; quare nihil est quod dogma a nobis defensum divinæ justitiæ repugnare dicatur. Nec divinæ voluntati salvificæ necessitas baptismi contradicit: nam parvulorum parentibus, vel aliis qui curam illorum infantium gerere debent, Deus auxilia confert, quibus si ii obsequuntur, parvuli ad baptismum adeoque ad salutis æternæ obtinendæ medium certo perveniunt. Sed difficultas hæc abundantius solvitur in Tractatu *de Deo.* — Ad statum vero parvulorum sine baptismo decedentium quod attinet, hic adnotare satis est ex Sancto Thoma (quæst. 5. de Malo, a. 3. ad 4.) : "Quod pueri in originali decedentes, sunt quidem separati a Deo perpetuo, *quantum ad amissionem gloriæ quam ignorant ; non quantum ad participationem naturalium bonorum, quæ cognoscunt.*" Et, juxta eumdem Doctorem (in 2. sent. dist. 33. qu. 2. art. 2. ad 5.) : "Quamvis pueri non baptizati sint separati a Deo, quantum ad illam conjunctionem, quæ est per gloriam, non tamen ab eo penitus separati sunt. Imo ipsi conjunguntur per participationem naturalium bonorum : et ita etiam de ipso gaudere poterunt, naturali cognitione et dilectione." —Hac de re specialis tractatio habetur cum agitur de peccati originalis effectibus in futura vita. Conf. P. Cam. Mazzella S. J. *de Deo Creante* disp. 6. art. 6.

7.—Per Christum via salutis hominibus non est arctata. Ergo sicut ante Christi adventum poterant homines salvari sine baptismo, ita etiam post Christi adventum.

Resp. *N. Cons.*—Ad rem optime S. Thomas (3. q. 68. a. 1. ad 1.) : "Dicendum quod numquam homines potuerunt salvari etiam ante Christi adventum, nisi fierent membra Christi, quia, ut dicitur Act. IV. 12., 'non est aliud nomen datum hominibus in quo oporteat nos salvos fieri.' Sed ante adventum Christi homines Christo incorporabantur per fidem futuri adventus, cujus fidei signaculum erat circumcisio, ut Apostolus dicit Rom. IV. ; ante vero quam circumcisio institueretur,

sola fide, ut Gregorius dicit, l. 4. Moral., c. 3. a princ., cum sacrificiorum oblatione, quibus suam fidem antiqui patres profitebantur, homines Christo incorporabantur. Post adventum etiam Christi homines per fidem Christo incorporantur, secundum illud Ephes. III. 17. : 'Habitare Christum per fidem in cordibus vestris.' Sed alio signo manifestatur fides rei jam præsentis, quam demonstraretur, quando erat futura, sicut etiam aliis verbis significatur præsens, præteritum et futurum."

NOTA I.—De Apostolorum baptismo Patres dubitare non sinunt, et S. Aug. ait (ep. 263. ad Seleuc., n. 4.) oppositam sententiam credi non posse absque erroris culpa. Evodius immediatus S. Petri in Ecclesia Antiochena successor in epistola, cujus fragmentum profert Nicephorus in Historia Ecclesiæ lib. 2. cap. 3. : "Christus," inquit, "manibus ipse suis Petrum tantummodo baptizavit, Petrus porro Andream et filios Zebedæi, ii deinceps reliquos Apostolos. Septuaginta autem illos Petrus et Joannes theologus dictus baptizarunt." Ex eadem epistola Evodii Clemens Alex. Tertulliano coævus l. 5. Hypotyposeon, explicans illud apostolicum dictum, Gratias ago Deo, quia neminem vestrum baptizavi : "Christus," ait, "dicitur Petrum solum baptizasse, Petrus Andream, Jacobum et Joannem, illi autem reliquos." Cf. hoc fragmentum apud Joan. Moschum in Prato spirituali cap. 176., ex quo illud refert Joan. Potterus episcopus Oxoniensis in sua edit. opp. Clementis Alexandr. Ven. 1756. t. 2. pag. 1016. Ad hanc Evodii et Clementis traditionem alludit Eutymius dum in verba Joan. III. 22. : "*Venit Jesus* etc., dicit viros Apostolis proximos scripsisse, Petrum a Christo baptizatum.

Quod ad Beatiss. Virginem Mariam spectat, non defuerunt qui negarunt eam baptismum suscepisse ; sed alii id factum fuisse affirmaverunt, nam etsi a peccati originalis labe ex singulari privilegio concepta fuerit immunis, et nulla vel levissima actualis noxa peccati se commaculaverit, potuit, et tamen juxta quosdam debuit, baptismum suscipere ad profitendam Christi fidem et ad cetera sacramenta percipienda. Confer Vasquez in 3. p. S. Thomæ, disp. 119. cap. 7. num. 65. ; et Trombelli—*Mariæ SS. vita et gesta,* t. 4. p. 1. diss. 34. q. 1.

NOTA II.—Si in prioribus Ecclesiæ sæculis plurimi usque ad provectam ætatem, immo ad senium et ad extremum vitæ terminum, baptismi

susceptionem protrahebant, perniciosissimus ille baptismum differendi abusus ab Ecclesiæ Pastoribus semper improbatus fuit, et acriter reprehensus, ut videre est apud S. Cyrillum Hierosolymitanum (catech. 3.) S. Gregorium Nyssenum (Orat. adversus eos qui differunt baptisma), S. Gregorium Nazianzenum (orat. 40. de baptismo), aliosque.—Quod autem in Ecclesia pro Catechumenis, ante baptismum defunctis, sacrificia oblata fuerint, id factum est, non quasi baptismum ad salutem esse necessarium Ecclesia non reputaverit, sed quia credidit baptismum aquæ suppleri posse per baptismum flaminis, de quo mox dicturi sumus, et in illis catechumenis contritionem perfectam præsumpsit cum baptismi voto.

§ II.

Baptismus flaminis supplet in adultis baptismum aquæ.

Baptismus flaminis dicitur perfecta caritas et cordis contritio, includens saltem implicitum baptismi votum : locum autem habet in adultis tantum, quia ut superius adnotavimus, et per se patet, actus caritatis et desiderii suscipiendi baptismum aquæ parvuli non sunt capaces.—Diximus *includens saltem implicitum votum* suscipiendi baptismum aquæ, tum quia in caritate perfecta, qua Deum super omnia propter infinitam ejus bonitatem diligimus, generale propositum implendi omnia quæ statuta sunt a Deo continetur ; tum quia *expressum* baptismi desiderium certe non requiritur in eo qui legem baptismi invincibiliter ignorat, nec etiam, juxta sententiam Suaresii (disp. 27. sect. 2. n. 8.) necessarium est pro eo qui jam habet baptismi fidem.

"Sicut is, qui caret notitia baptismi," inquit eximius doctor, "excusatur ab hoc expresso proposito propter ignorantiam ; ita, qui habet jam fidem hujus sacramenti, poterit excusari ab expresso desiderio propter actualem inconsiderationem. Fieri enim potest, ut subito excitetur ad considerationem divinæ bonitatis, et suorum peccatorum, quibus illam offendit, nihil prorsus tunc de baptismo considerans, atque ita movetur in Deum per veram conversionem, et pœnitentiam. Ergo tunc justificabitur sine alio explicito desiderio baptismi. Quin potius excogitari potest casus, in quo etiam si baptismus memoriæ occurrat, non oporteat propositum seu desiderium expli-

citum ejus concipere, ut si hujusmodi homo in extremo mortis articulo constituatur, in quo judicet sibi jam esse impossibile baptizari, ille certe tunc non tenetur absolutum propositum suscipiendi baptismum habere. Est enim illud impossibile, quia jam hic et nunc res judicatur impossibilis: neque etiam videtur necessarium, ut habeat propositum conditionale, scilicet, propono baptizari, si hoc periculo eripiar, vel aliter, vellem baptizari, si possem. Nam hujusmodi actus nullius fere momenti aut fructus sunt in eo casu, in quo apprehenditur conditio, ut impossibilis, et nunquam exequenda. Erit ergo tunc utilius in Dei amore, et peccatorum detestatione prorsus occupari. Non est ergo alius actus necessarius, neque afferri potest fundamentum sufficiens hujus necessitatis. Quocirca etiam extra prædictum necessitatis articulum, et posita cognitione et cogitatione baptismi, non videtur specialiter necessarius hic actus ex vi alicujus specialis præcepti, aut institutionis, propter quam, per se loquendo, sit necessarius hic actus ad justificationem, sicut sunt amor Dei, et dolor de peccatis, et propositum non peccandi de cetero. Quamvis moraliter vix fieri possit, quin homo jam credens, et amans Deum, et proponens illi placere in omnibus, si simul actu cogitet de baptismo, ejusque necessitate, statim illum desideret, ac proponat suscipere, cum primum possit. Hæc tamen moralis necessitas magis oritur ex propensione voluntatis suppositis prioribus actibus, quam ex speciali institutione, aut præcepto habendi statim talem actum, ut dixi: quia hoc revera neque est expresse traditum aut scriptum, nec necessario sequitur ex institutione ac necessitate baptismi, ut ostensum est."

His igitur præmissis, sequentem thesim proponimus, et tamquam certam propugnamus.

THESIS V.

Baptismus flaminis, seu perfecta in Deum charitas, vel perfecta contritio, vices baptismi aquæ in adultis supplet ad justificationem ac remissionem originalis peccati et actualium quæ cum eo conjuncta fuerint, obtinendam.

Prob. 1.—*Ex Scripturis.* Etenim, post sancitam necessitatem baptismi (Joan. III. 5.) Christus generaliter omnibus, qui caritatem et contritionem perfectam haberent, infallibiliter promisit gratiam sancti-

ficantem.—Ergo caritas et perfecta contritio supplent vices baptismi in adultis, ad obtinendam primam gratiam ac remissionem peccati originalis et actualium quæ cum eo conjuncta sint.

Antecedens constat, nam in cap. 14. Joannis, vers. 21., Christus ait: "Qui diligit me, diligetur a Patre meo, et ego diligam eum;"—et vers. 23.: "Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus et mansionem apud eum faciemus."

Consequentia patet, quia per gratiam sanctificantem homo fit Deo gratus, eique ineffabiliter conjungitur: et gratia sanctificans tantam cum peccato repugnantiam habet, ut non modo natura sua peccatum expellat, sed etiam impossibile de potentia Dei absoluta sit eam infundi et peccatum non remitti.—Id demonstratum hic supponimus ex *Tractatu de Gratia.*

Præterea thesis evincitur ex aliis Scripturæ locis in quibus ei, qui caritatem et perfectam contritionem habet, promittitur cum remissione peccatorum sanctificatio. Sic, ad exemplum, Ezech. XVIII. 21. dicitur: "Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis . . . vita vivet et non morietur;" vers. 27.: "Cum averterit se impius ab impietate sua quam operatus est, et fecerit judicium et justitiam: ipse animam suam vivificabit;" et vers. 30.: "Convertimini et agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris, et non erit vobis in ruinam iniquitas."—Et Luc. VII. 47.: "Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum."

Prob. 2.—*Ex Patribus.* Celebre hac in re est testimonium quod nobis exhibet S. Ambrosius, in oratione habita pro obitu Valentiniani II., qui antequam baptismum susciperet, adhuc catechumenus, impie necatus fuit. "Audio vos dolere," ait S. Ambrosius, "quod non acceperit sacramenta baptismatis. Dicite mihi, quid aliud in nobis est nisi voluntas, nisi petitio? Atqui etiam dudum hoc votum habuit, ut, antequam in Italiam venisset, initiaretur, et proxime baptizari se a me velle significavit, et ideo præ ceteris causis me accersendum putavit. Non habet ergo gratiam, quam desideravit? non habet, quam poposcit? certe quia poposcit, accepit. . . . Quod si [Martyres] suo abluuntur sanguine, et hunc sua pietas abluit et voluntas."

S. Augustinus perspicue ac plenissime totam doctrinam, quam tuemur,

exponit. In libro 4. de baptismo (c. 22.) inquit: "Invenio, non tantum passionem pro nomine Christi id, quod ex baptismo deerat, posse supplere, sed etiam fidem conversionemque cordis, si forte ad celebrandum mysterium baptismi in angustiis temporum succurri non potest." Tum, adducto boni Latronis exemplo, sic pergit: "Quantum itaque valeat etiam sine visibili sacramento baptismi, quod ait Apostolus: 'Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem, in illo Latrone declaratum est. Sed tunc impletur invisibiliter, cum ministerium baptismi non contemptus religionis, sed articulus necessitatis excludit." Et ibid. [cap. 25. nu. 32.) scribit: "Aliud esse sacramentum baptismi, aliud conversionem cordis, sed salutem hominis ex utroque compleri: nec si unum horum defuerit, ideo putare debemus consequens esse, ut et alterum desit, quia et illud sine isto potest esse in infante, et hoc sine illo potuit esse in latrone, complente Deo sive in illo, sive in isto, quod non ex voluntate defuisset. Cum vero ex voluntate alterum horum defuerit, reatu hominem involvit; et baptismus potest quidem inesse, ubi conversio cordis defuerit [in infante]: conversio autem cordis potest quidem [adulto] inesse non percepto baptismo, sed contempto baptismo non potest. Neque enim ullo modo dicenda est conversio cordis ad Deum, cum Dei sacramentum contemnitur."

S. Bernardus (ep. 77. ad Hugonem Victor., seu tract. de baptismo c. 2. n. 6.) ait: "Si quis voluerit et petierit baptizari, sed mortis præoccupatus articulo forte obtinere nequiverit, dum non desit fides recta, spes pia, caritas sincera, huic ego ob solam aquam, si defuerit, nequaquam omnino possum desperare salutem, nec vacuam credere fidem, nec confundere spem, nec excidere caritatem, tantum si aquam non contemptus, sed sola, ut dixi, prohibeat impossibilitas." Productis deinde testimoniis S. Ambrosii et S. Aug., ait n. 8.: "Ab his duabus columnis difficile avellor; cum his, inquam, me aut errare aut sapere fateor, credens et ipse, sola fide posse hominem salvari cum desiderio percipiendi sacramenti, si tamen pio implendi desiderio mors anticipans, seu alia quæcumque vis invincibilis obviaverit."

Prob. 3.—*Ex Decretis Romanorum Pontificum.* Innocentius III. (l. 3. Decretal. Tit. 42. c. 4.) interrogatus, quid sentiendum esset de quodam Judæo, qui morti proximus seipsum baptizaverat, respondit, quod cum

inter baptizantem et baptizatum debeat esse discretio, Judæus hic denuo sit baptizandus ab alio: tum addit: "Quamvis, si talis continuo decessisset, ad cœlestem patriam protinus evolasset propter sacramenti fidem, etsi non propter fidei sacramentum." Et ibid. (tit. 43. c. Apostolicam) de presbytero non baptizato sic loquitur: "Presbyterum, quem sine unda baptismatis extremum diem clausisse significasti, quia in S. Matris Ecclesiæ fide et Christi nominis confessione perseveravit, ab originali peccato solutum et cœlestis patriæ gaudium esse adeptum, asserimus incunctanter."—S. Pius V. et Gregorius XIII. has damnarunt Baii propositiones—31.: "Caritas perfecta et sincera, quæ est ex corde puro et conscientia bona et fide non ficta, tam in Catechumenis, quam in pœnitentibus potest esse sine remissione peccatorum." 32.: "Caritas illa, quæ est plenitudo legis, non est semper conjuncta cum remissione peccatorum." 33.: "Catechumenus juste, recte et sancte vivit, et mandata Dei observat ante obtentam remissionem peccatorum, quæ in baptismi lavacro demum percipitur."

Prob. 4.—*Ex Concilio Tridentino.* Siquidem sessione 6. de justificatione c. 4. declaravit: "Post Evangelium promulgatum numquam fieri translationem a statu veteris Adam ad statum gratiæ sine lavacro regenerationis, *aut ejus voto.*" Ergo cum *lavacri votum,* quando contritio et caritas perfecta adest, translatio illa fit de qua Concilium loquitur, seu, cum peccatorum remissione, justificatio habetur.—Hinc idem Conc. sess. 7. can. 4. ait: "Si quis dixerit, sacramenta novæ legis non esse ad salutem necessaria, sed superflua, et sine eis, *aut eorum voto,* per solam fidem homines a Deo gratiam justificationis adipisci, licet omnia singulis necessaria non sint; anathema sit."—Denique sess. 14. cap. 4. docet, per contritionem perfectam justificari peccatorem jam baptizatum ante realem sacramenti pœnitentiæ susceptionem. Ergo etiam peccator non baptizatus per contritionem perfectam justificatur ante realem susceptionem baptismi, cum eadem sit pro utroque sacramento ratio; de sacramento enim pœnitentiæ Trid. Synodus (sess. 14. cap. 2.) dicit: "Est autem hoc sacramentum pœnitentiæ lapsis post baptismum ad salutem necessarium, ut nondum regeneratis ipse baptismus."

§ III.

Baptismus sanguinis supplet baptismum aquæ tum in adultis tum in infantibus.

Baptismus sanguinis est martyrium, quod juxta vim vocis testimonium significat, et ex usu Ecclesiæ definitur *perpessio mortis, aut lethalis cruciatus ob catholicam fidem, vel ob alicujus christianæ virtutis exercitium patienter tolerata.*

Dicitur 1. *perpessio mortis, vel cruciatus lethalis:*—quia stricte loquendo martyribus non accensentur qui solum fervens pro Christi fide moriendi desiderium habent, aut cruciatum non lethalem perpetiuntur, aut etiam ex charitate, ministrando eis qui peste infecti jacent, mortem oppetunt.[1] Ex alia parte, martyrium adest si a tortore causa ponatur quæ certam inferat mortem, et hanc Deus impediat per miraculum: quare Joannem Evangelistam ut martyrem Ecclesia colit, quia in ferventis olei dolio, in quo immersus fuerat in odium fidei, naturaliter occumbere debebat.

Dicitur 2. *ob catholicam fidem:*—quia juxta celeberrimum S. Augustini effatum (serm. 2. in Ps. 34. num. 13.): "Martyres non facit pœna, sed causa;" et illi qui assertores fidei sunt, in nullo a recta fide pertinaciter dissentire debent: unde hæreticus, etsi pro aliquo fidei articulo vitam profundat, haud tamen est martyr.

Dicitur 3. *vel ob alicujus christianæ virtutis exercitium:*—quia inter martyres coluntur qui vel ob asserta Ecclesiæ jura, ut S. Thomas Cantuariensis, fortes vitæ jacturam fecerunt; vel ob servatum sacramentale sigillum, ut S. Joannes Nepomucenus; vel, ut innumeræ virgines, ob castitatis amorem, passi sunt mortem. Hi omnes testimonium Christo exhibent, quatenus legem ejus, et doctrinam ab eo de virtutibus traditam, sanguine signant.

Dicitur 4. *patienter tolerata:*—quia ut gloria martyrii coronetur, non debet martyr vi a tyranno illatæ resistere, ac vitam suam defendere; Christus enim, martyrum exemplar "sicut ovis ad occisionem ductus est;"—et Tertullianus (contra Marcionem, lib. 4. cap. 39.): "Nemo,"

---

[1] V. Benedictus XIV., de Serv. Dei Beatificatione, l. 3. c. 11. n. 7.

inquit, "oves appellat eos qui in bello armati, et ipsi eadem feritate certantes cadunt; sed qui in sua proprietate, atque patientia, dedentes potius semetipsos quam vindicantes, trucidantur."

Porro, martyrium tum quoad adultos, tum quoad parvulos supplere vicem baptismi aquæ, seu præstare id quod baptismus aquæ si susciperetur conferret, ablutionem nempe ab omni culpa et pœna, inferius demonstrabimus. Nunc paucis declarare præstat quo sensu veritatem quam defendimus intelligi debeat.

Et primo animadverti debet martyrium in parvulis non spectari ut actum virtutis,—hunc enim actum elicere nequeunt parvuli,—sed quatenus est ipsa mors quam parvuli pro Christo patiuntur, quæque ex Christi promissione in eis, quoad peccati originalis remissionem et gratiæ sanctificantis infusionem, operatur effectum baptismi aquæ.

Quod vero ad adultos attinet, cum dicitur martyrium in eis supplere baptismi vices, non affirmatur voluntarie hunc omitti posse ex eo quod necessitas martyrium sustinendi immineat; nam certum est, adultum teneri, si in ejus potestate sit, antequam mori pro Christo cogatur, ad suscipiendum baptismum aquæ; et si hunc negligat, quamdiu in hac voluntate perseveret, ad martyrium non est idoneus, et fructum ejus non recipiet.—Privilegium martyrii pro adultis ad consequendam remissionem peccatorum et salutem, tum unice locum habet, cum ille qui jam Christi fidem confitetur, ad martyrium pro hac fide rapitur, antequam baptismo aquæ possit ablui.

At in eo dispositiones quædam requiri ad obtinendum martyrii effectum indubium est. Hæ autem consistunt in acceptatione mortis pro Christo, saltem *habitualiter* voluntaria, ex motivo supernaturali, absque voluntate se defendendi; et insuper in pœnitentia quæ sit *saltem* attritio, includens detestationem omnium peccatorum et propositum servandi omnia mandata Dei, adeoque *implicitum etiam votum baptismi aquæ.* Attritio hæc certe *requiritur*, quia ut adultus justificetur per propriæ voluntatis actum, a peccato se avertere et ad Deum se convertere debet (cf. *de Sacr. in Gen.*, p. 286.):—et dicimus attritionem *saltem* requiri ad effectum martyrii consequendum; quia, juxta communiorem et probabiliorem Theologorum sententiam, martyrium per se, et independenter ab actu charitatis vel contritionis perfectæ, *quasi per modum operis operati*, ex singulari privilegio, vim habet justificandi adultos. Et sane, Patres

martyrium æquiparant baptismo aquæ, ut mox patebit;—ergo sicut baptismus non requirit perfectæ charitatis actum ut deleat in adultis, ceteroquin rite dispositis, culpam et pœnam omnem, ita et martyrium. Nec distinguendus esset baptismus flaminis a baptismo sanguinis, si semper ad obtinendum effectum martyrii pro remissione peccatorum et justificatione, contritio perfecta requireretur:— tunc enim mors pro Christo fortiter perpessa nihil, quod haberet rationem baptismi, superadderet actui charitatis, cum per martyrium non aliter peccata delerentur, quam per quodcumque aliud bonum ex charitate peractum.

Sed jam ad efficacitatem martyrii vindicandam, sit—

THESIS VI.

Baptismus sanguinis seu martyrium supplet vices baptismi aquæ in infantibus et in adultis quoad remissionem omnis culpæ et pœnæ.

Prima pars thesis, quæ infantes respicit, probatur—

1. *Ex promissione Christi* (Matth. x. 32. 39.): "Omnis ergo qui confitebitur me coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo, qui in cœlis est.... Qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam."—Ex his namque verbis S. Augustinus (de Civ. Dei, l. 13. c. 7.) doctrinam Ecclesiæ totius tradens, deducebat: "Quicumque, etiam non recepto regenerationis lavacro, pro Christi confessione moriuntur, tantum in eis valet ad dimittenda peccata, quantum si abluerentur fonte baptismatis. Qui enim dixit: 'Nisi quis renatus fuerit,' etc., alia sententia istos fecit exceptos, ubi non minus generaliter dixit: 'Qui me confessus fuerit,' etc.; et 'Qui perdiderit animam suam,'" etc.

Nec dicatur, verba Christi non spectare infantes, quia hi eum nequeunt confiteri;—nam utique infantes *ore* Christum non confitentur, verum *opere* id faciunt; et de infantibus ab Herode occisis Ecclesia dicit eos esse "*qui non loquendo, sed moriendo Christum confessi sunt.*"

2. *Ex doctrina Patrum et praxi Ecclesiæ.* Etenim semper, ut martyres, Ecclesia coluit Bethlemiticos pueros ab Herode interfectos, et Patres victoriam eorum cumulatis laudibus celebrarunt. "Horum memoria," scribebat Origenes, tertio æræ christianæ sæculo, "semper,

ut dignum est, in Ecclesiis celebratur." Et eadem ætate S. Cyprianus ad Thiberitanos (ep. 56.): "Christi nativitas a martyriis infantum statim cœpit, ut ob nomen ejus a bimatu et infra qui fuerant, necarentur. Ætas, necdum habilis ad pugnam, idonea extitit ad coronam."

His testimoniis, addantur cetera multa posterioris ætatis, pro quibus valeant ad exemplum sequentia S. Augustini, S. Leonis Magni et S. Bernardi.—S. Augustinus (de Symb. serm. 3. c. 4.) ita loquitur: "Necdum loquuntur, et Christum confitentur. Necdum motibus membrorum valent suscipere pugnam, et victoriæ jam efferunt palmam. . . . Præstitit eis Christus, ut pro Christo morerentur; præstitit, ut suo sanguine ab originali peccato diluerentur. Nati sunt ad mortem, sed continuo mors eos reddidit vitæ."—S. Leo M. (serm. 1. de Epiph. cap. 3.) ait: "Necari omnes Bethlehemi pueros jubet. . . . Sed quod rex impius eximit mundo, Christus inserit cœlo, et quibus nondum sanguinis sui impendit redemptionem, jam martyrii tribuit dignitatem."—S. Bernardus (ser. de Innoc. n. 2.) inquit: "Ille pro Christo trucidatos infantes dubitet inter martyres coronari, qui regeneratos in Christo non credit inter adoptivos filios numerari."

Objicies, parvulos Bethlemiticos in cæde Innocentium trucidatos, per circumcisionem, non per mortis perpessionem obtinuisse emundationem a peccato originali et sanctificationem; sed huic sententiæ apertissima testimonia Patrum, quæ attulimus, atque alia his similia et sensus Ecclesiæ contradicunt. Pueri enim occisi in persecutione Herodis dicuntur salutem consecutos fuisse et gloriam, non quia circumcisi fuerant, sed quia Christum *moriendo* confessi sunt, et *sanguine suo* a peccato originali emundati fuerunt.—Præterea nisi illi propter martyrium adepti fuissent sanctificationem et gloriam, Ecclesia non potuisset eos *omnes*, ut vere beatos, colere; cum inter illos pueros aliqui inveniri potuissent, et id admodum probabile est, qui nondum acceperant circumcisionem. Si ergo Ecclesia illos *omnes* generatim, sine ulla exceptione colit, ut reapse colit; non ob circumcisionem, nec ob gratiam, quam in ea acceperant, nec quia putat jam eos per circumcisionem a peccato originis fuisse purgatos, sed ob mortem pro Christo susceptam eos veneratur; hæc enim sola causa, et titulus venerationis erat illis omnibus communis.

Ex hoc autem facto Innocentium pro Christo occisorum, recte dedu-

citur efficacia martyrii pro omnibus pueris ad delendum in eis peccatum originale, ad eos sanctificandos, et beatorum cœtibus inserendos :—eadem est enim ratio in ceteris infantibus ac fuit in illis Innocentibus, quin immo qui postea in odium fidei Christi et christianæ religionis fuerunt occisi, videntur quodammodo magis expresse ac Innocentes, qui necati fuerunt dum puerus Jesus a persecutore quærebatur, sanguine suo esse Christum confessi.

Secunda pars thesis, quæ spectat adultos, et statuit in eis martyrium supplere vices baptismi quoad remissionem omnis culpæ et pœnæ, constat 1.—*Ex promissione Christi* (Matth. x. 32. 39.) quæ procul dubio adultos comprehendit :—et *ex locis Patrum mox citatis*, qui dum extollunt gloriam martyrii et ejus efficacitatem loquendo de parvulis pro Christo occisis, a fortiori thesim nostram confirmant quoad adultos.

2.—*Ex aliis testimoniis* Patrum innumeris, in quibus effectus, quem defendimus, martyrio tribuitur. Ita, e. g., Tertul. (l. de bapt. c. 16.) ait: "Est quidem nobis etiam secundum lavacrum, unum et ipsum, sanguinis scilicet . . . hic est baptismus, qui lavacrum et non acceptum repræsentat, et perditum reddit." Et (in Scorpiaco, c. 6.) : "Posuit [Deus] secunda solatia, et extrema præsidia, dimicationem martyrii, et lavacrum sanguinis exinde securum . . . proprie enim martyribus nihil jam reputari potest, quibus in lavacro ipsa vita deponitur."

S. Cyprianus (epist. 73. n. 15. ad Jubian.) scribit: "Numquid potest vis baptismi esse major aut potior, quam passio, ut quis coram hominibus Christum confiteatur et sanguine suo baptizetur ? . . . Sciant, Catechumenos [pro fide occisos] non privari baptismi sacramento, utpote qui baptizentur gloriosissimo et maximo sanguinis baptismo, de quo et Dominus dicebat, se habere aliud baptisma baptizari. Sanguine autem suo baptizatos et passione sanctificatos consummari et divinæ sollicitationis gratiam consequi, declarat in Evangelio idem Dominus."

Eusebius Cæsar. (Hsst. Eccles. l. 6. c. 4.) de martyribus loquens ait: "Sed et ex mulierum numero Herais quædam adhuc catechumena, per ignem baptismum adepta ex hac luce migravit."

S. Cyrillus Hier. (Catech. 3. n. 10.) inquit: "Si quis baptisma non recipiat, salutem non habet præter solos martyres, qui etiam sine aqua regno cœlesti potiuntur. Redimens enim terram Salvator per crucem

et in latere vulneratus sanguinem et aquam emisit, ut alii quidem pacis tempore in aqua baptizarentur, alii vero tempore persecutionis in propriis sanguinibus abluantur."

S. Basilius (l. de Spir. Sanc. ad Amphil. c. 15. n. 36.) dicit: "Sunt nonnulli, qui in certaminibus pro pietate revera non imitatione mortem pro Christo perpessi, nihil symbolis, quæ sunt in aqua, opus habuerunt ad salutem nimirum in proprio baptizati sanguine."

S. Joannes Chrysostomus (hom. in S. Mart. Lucian. n. 2.) ita loquitur: "Non miremini, quod baptismum martyrium nuncuparim: nam et hic Spiritus advolat cum multa ubertate, ac peccatorum abolitio et animæ fit purgatio quædam mirabilis ac stupenda; et sicut ii, qui baptizantur aquis, ita qui martyrium patiuntur, proprio sanguine abluuntur."

Et S. Prosper (epigr. 86.) canit:

"Fraudati non sunt sacro baptismate Christi
Fons quibus ipsa sui sanguinis unda fuit.
Et quidquid sacri fert mystica forma lavacri
Id totum implevit gloria martyrii."

3.—Ex perpetua praxi Ecclesiæ eos colendi, qui antequam baptizarentur, martyrium pro Christi nomine passi sunt:—pro eis nec preces funduntur, nec sacrificia offeruntur, his enim non indigent, sed potius eos in cœlo corona fulgentissima redimitos laudibus in terris efferimus, eorumque auxilium apud Deum pro nobis effusis precibus flagitamus. "Injuria," aiebat S. Augustinus (serm. 17. de Verbis Apost.), "est pro martyre orare, cujus nos debemus orationibus commendari." Et alibi (tr. 84. in Joan.): "Ideo quippe ad ipsam mensam non sic eos [martyres] commemoramus, quemadmodum alios, qui in pace requiescunt, ut etiam pro eis oremus, sed magis ut ipsi pro nobis, ut eorum vestigiis inhæreamus."

4.—Demum congruentia optima, qua intelligamus martyrii excellentiam et gratias ex divino beneplacito illi adnexas, invenitur in maxima operis arduitate, et in eo quod per illud homo non in signo aliquo, sed re Christo configuratur.

Concludamus verbis Sancti Cypriani Martyris (lib. de Laude Mart. c. 23.): "Nihil itaque tam magnum atque venerandum quam quod liberat a morte et facit vivere et dat perpetuo regnare. Sanctis Dei hoc aptum, miseris necessarium, omnibus gratum, quo lætantur boni, rele-

vantur abjecti, coronantur electi. Etenim Deus omnium cultor velut quoddam martyrio remedium vitæ dedit, quando aliis illud pro merito eorum tribuit, aliis pro misericordia sua tradidit. Vidimus quippe ad hunc nominis titulum fide nobiles venisse plerosque, ut devotionis obsequium mors honestaret. Sed et alios frequenter aspeximus interritos stetisse, ut admissa peccata redimentes, cruore suo loti haberentur in sanguine, et reviviscerent interempti qui viventes computabantur occisi. Mors quippe integriorem facit vitam, mors amissam invenit gloriam. Nam hoc spes jam amissa percipitur, hoc salus cuncta reparatur. Sic cum arentibus campis sementa defecerint, et herbis terra morientibus æstuarit, supinis e collibus fluvium juvit elicere et scaturientibus rivis arva sitientia temperare, quo se in uberes culmos victa agri jejunitas funderet, et pluviali imbre mentito seges densior inhorreret."

SCHOLION.—Quæstioni de necessitate baptismi altera conjungitur de tempore quo cœpit baptismus ad salutem esse necessarius. Et quidem S. Bernardus refert (epistola 77.), quosdam suo tempore asseruisse baptismum tum cœpisse ad salutem esse necessarium cum Christus dixit Nicodemo: "Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei."—Sed hæc opinio, falsa omnino est; nam certe baptismus cœpit esse necessarius, necessitate medii, ab eo tempore quo cœpit Evangelium esse sufficienter promulgatum. Id in epist. mox citata docet S. Bernardus, et colligitur ex verbis ipsis Concilii Tridentini (sess. 6. c. 4.) ubi ait: "Quæ quidem translatio [in statum gratiæ et adoptionis filiorum Dei], *post Evangelium promulgatum,* sine lavacro regenerationis, aut ejus voto, fieri non potest, sicut scriptum est: "Nisi quis renatus fuerit," etc.

Ratio vero a priori est, quia baptismus non incepit esse medium ad salutem necessarium, antequam fuerit, ut tale, juxta legem Christi promulgatum; promulgatio enim de intrinseca ratione legis est, sive de essentia ejus dicatur, sive necessaria conditio ejus sit ad obligationem inferendam. Promulgatio autem baptismi, facta non fuit ante promulgationem Legis Evangelicæ, cum verba illa "Nisi quis renatus fuerit," etc. Christus non protulerit ut promulgaret legem pro omnibus, sed, ut privato colloquio, ostenderet regenerationis per aquam et Spiritum Sanctum necessitatem, non quidem pro tempore quo ipse tunc loquebatur, sed

pro tempore futuro in lege nova, postquam cæremoniæ cessarent legis antiquæ.

Porro promulgationem legis Evangelicæ factam fuisse in die Pentecostes communiter cum S. Thoma, Bellarminus (controv. de Bapt. l. 1. c. 5.), Suarez (de Bapt. disp. 27. s. 4., et de Legibus, l. 10. c. 4.) aliique docent. Revera lex Evangelica solemniter promulgari non debuit nisi completis omnibus mysteriis redemptionis; et concioni primæ, quam S. Petrus habuit ipso die Pentecostes, conveniunt omnes conditiones solemnis promulgationis legis novæ; cum habita fuerit in urbe regia Hierusalem, præsentibus ex omni regione hominibus, ut S. Lucas testatur, a præcone summo Evangelii atque Vicario Christi in terris, annunciante capita religionis christianæ præcipua. Hinc statim ab illo die cœpit usus Sacramentorum.

Quod si dicatur, morte Christi legem veterem cessasse, et circumcisionem non amplius profuisse, ac proinde ex illo die necessarium fuisse baptismum, secus nullum tunc adfuisset remedium a Deo institutum et necessarium ad delendum originale peccatum:—respondetur:—lex vetus ideo in morte Christi cessavit, quia ex illa morte manavit ablatio veteris legis, et tunc posita fuit causa hujus effectus; hic vero non unico momento sed paulatim perfectus fuit, ut lex illa vetus cum honore, ut aiunt Patres, sepeliretur: circumcisio itaque, quamdiu lex vetus mortua *mortifera* non fuit, ad deletionem peccati originalis adhuc ut antea vim habere, prout declaravimus in tractatu *De Sacramentis in Genere*, et prodesse potuit. Similiter sacramentum legis naturæ, ut remedium ad emundationem a peccato originis, permansisse dicendum est usque ad promulgationem legis Evangelicæ pro eis qui non erant ex gente Judaica, et inter Judæos pro feminis, ac pro pueris, qui circumcidi non poterant et in periculo mortis versabantur.

Sed jam ulterius inquirendum est, utrum in die Pentecostes lex evangelica, tunc primo promulgata, statim obligaverit omnes Judæos, idest non tantum eos qui erant Hierosolymis,—eos enim certum est obligari illa lege tunc cœpisse,—sed etiam omnes qui vel in Judæa, vel in diversis orbis regionibus, dispersi erant. Aliqui affirmant, sed nihilominus, "verius," ait Suarez (De Legibus, lib. c. n. 15.), "censeo, hanc legem non simul obligasse Judæos ubique existentes, sed incœpisse tunc obligare, et postea successu temporis obligationem fuisse diffusam

per totam Judæam, Samariam et alias provincias." Hanc vero sententiam, Patribus consentaneam, confirmat Suarez ex necessitate promulgationis legis Evangelicæ, quæ promulgatio, ut pro omnibus sufficiens esset, tempus sufficiens erat opus ut notitia legis, seu ejus promulgatio ad longinqua loca deferretur.

Ad gentes vero quod attinet, certum est, ex dictis, legem evangelicam non obligasse Gentiles ante diem Pentecostes, ideoque eos non obligatos fuisse ante illum diem ad baptismum suscipiendum ;—sed incœpitne eodem tempore in die Pentecostes lex nova obligare Gentiles sicut et Judæos ?—Huic quæstioni respondet idem eximius doctor, statuendo in primis Apostolos numquam ignorasse legem gratiæ universalem esse pro omnibus gentibus, sed tamen ipsos Apostolos, juxta ea quæ in Scripturis V. T. legebantur, et ex divina inspiratione hunc ordinem servasse in promulgatione Evangelii, nempe per aliquot annos legem Christi Judæis prædicasse et non gentibus, usque ad revelationem factam Petro, quæ refertur in capite x. Actuum Apostolorum.

Hoc autem semel statuto, Suarez infert (n. 23.) "legem novam non incepisse obligare Gentiles per se, ac proprie usque ad revelationem Petro factam Actor. 10." Et conclusionem istam probat, "quia lex non promulgata aliquibus, seu pro aliquibus, eos non obligat, sed lex nova non fuit promulgata gentibus usque ad illud tempus: ergo neque illos obligavit. Consequentia evidens est, et utraque præmissa sufficienter est in superioribus probata. Dices, esto verum sit, Apostolos illo tempore non prædicasse directe gentibus, nihilominus fieri non potuisse, quin multi Gentilium habitantes, vel peregrinantes inter Judæos, eorum doctrinam audirent, et signa viderent ; ergo hoc satis erat, ut obligarentur legem Christi suscipere. Respondeo, potuisse fortasse aliquos Gentiles illo modo obligari ad credendum, et colendum verum Deum, vel etiam Christum, et ad sperandum salutem per ipsum, et consequenter ad illa omnia moralia, quæ lex nova præcipit, quatenus per rationem fide illustratam necessaria esse ostenduntur. Nihilominus tamen non obligabantur per se, ac proprie ad observationem legis novæ, ut est positiva divina, quia non solum non proponebatur illis necessitas baptismi, verum etiam neque offerebatur, quia tunc nullus Gentilium habens præputium admittebatur ad baptismum, usque ad Cornelium ; ergo

fieri non poterat, ut obligarentur ad illum: ergo nec ad reliqua præcepta hujus legis, cum baptismus sit reliquorum fundamentum."

Demum ex præmissis infert etiam (n. 24.), "ex eo tempore quo facta est Petro dicta revelatio, cœpisse Apostolos libere prædicare Evangelium gentibus, ipsosque Gentiles cœpisse per hanc legem obligari, non tamen fuisse obligatum totum orbem, sed successive prout Evangelium promulgabatur. Prior pars manifesta est ex dictis, quia accedente promulgatione nihil amplius desiderari potest ad talem obligationem. Altera vero pars patet etiam ex dictis proxime de modo, quo hæc lex obligavit populos Judæorum: nam eadem est proportionalis ratio de populis gentium."

At cum eodem Suaresio hic diligenter animadverti debet potuisse quidem evenire ut notitia Evangelii, in die Pentecostes et deinceps ab Apostolis promulgati, per longum tempus non pervenerit ad multas mundi provincias; sed hoc non obstitisse quominus lex Christi totum mundum obligaverit, postquam sufficiens tempus ad notitiam illius legis diffundendam elapsum fuerit. "Unde etiam distinguendum est," prosequitur idem doctor (n. 25.) id quod est per se, ab eo, quod est per accidens, et distinguenda est excusatio a carentia obligationis. Per se enim promulgatio publica cum tempore sufficiente ad integram divulgationem est necessaria ad integram obligationem; per accidens autem potest illa divulgatio, aut notitia impediri, inde tamen non impedietur obligatio, quamvis oriri possit excusatio. Et ita concedo, potuisse plures gentes excusari multo tempore a transgressione hujus legis, quia licet lex de se jam eos obligaret, ignorantia poterat a culpa excusare. Non tamen potuit ignorantia impedire necessitatem baptismi, nec irritationem alterius remedii: nam hunc effectum lex per se ipsam operatur independenter a notitia subditorum. Quod non est inconveniens, nec contra divinam providentiam, quando solum per accidens contingit, et sufficiens promulgatio cum necessaria temporis amplitudine præcessit, quia omnibus legibus hoc commune est, ut ex dictis in superioribus constat."

ARTICULUS SEXTUS

De ministro baptismi.

Duplex distinguenda est sacramenti baptismi administratio, una publica et solemnis, olim certis affixa temporibus Paschatis et Pentecostes; altera privata quæ ex necessitate, quovis tempore et loco sine cæremoniis ecclesiasticis fieri potest. Hinc duplex baptismi minister, *solemnitatis* et *necessitatis;* ille qui cum ritibus ab Ecclesia statutis baptismum confert, iste, qui urgente necessitate, prætermissis cæremoniis, baptizat.

Baptismi solemniter conferendi potestatem feminis attribuerunt Marcionitæ, aliiqui hæretici, quos S. Epiphanius commemorat (hæres. 42. 49. 79.); Calvinus vero (lib. 4. Inst. c. 15. § 20.) laicum baptizare nec in necessitate posse contendit.—Inter hos contrarios errores immota manet catholica veritas, quæ in sequenti thesi proponitur et vindicatur.

THESIS VII.

Omnis et solus sacerdos est minister solemnitatis ordinarius pro baptismo, et minister extraordinarius ex delegatione est diaconus:—at quilibet homo ratione utens, sive vir, sive mulier, catholicus sit, hæreticus, aut infidelis, adhibitis essentialibus, nimirum materia, forma et intentione, semper valide, et in necessitate licite, baptizat.

Tres partes sunt in hac thesi, prima spectat ministrum *solemnitatis* ordinarium, secunda ministrum *solemnitatis* extraordinarium et ex delegatione, tertia ministrum *necessitatis.*

Prob. 1. pars. Et primo Episcopos esse ministros ordinarios baptismi evidenter constat ex verbis Christi Matt. XXVIII.: "Docete . . . . . *baptizantes:*"—hæc enim spectant Apostolos et Episcopos Apostolorum successores.—Hinc semper in Ecclesia baptizandi jus primarium Episcopis adjudicatum fuit. "Non licet sine Episcopo," scribebat S. Ignatius Martyr, (epist. ad Smyr. num. 8.) neque baptizare, neque agapem celebrare:" et Tertullianus (de bapt. c. 17.) "Dandi quidem [baptismi] habet jus summus sacerdos, qui est episcopus, dehinc presbyteri, et diaconi."

Sed quamvis ministri baptismi ordinarii sint episcopi, in dubium tamen revocari non potest presbyteros etiam hujus sacramenti ministros esse ordinarios. Etenim vi ordinationis sacerdotalis presbyter potestatem accipit ad consecrandam Eucharistiam, et in eo statu ponitur, ut pastor ordinarius animarum esse possit:—ergo vi ordinationis suæ eamdem potestatem accipit ad sacramentum regenerationis conferendum, quo jus acquiritur ad Eucharistiam.—Verum presbyteri non æque ac Episcopi, ministri sunt ordinarii, nam ex jure divino in ministeriis sacris episcopi presbyteris antecellunt, ac proinde hi illis, quoad usum potestatis quam habent, subordinantur.

Confirmatur doctrina quam defendimus ex perpetuo usu Ecclesiæ, quæ etiam in Concilio Florentino, decreto pro Armenis, apertis verbis declaravit: "Minister hujus sacramenti [baptismi] est sacerdos, cui ex officio competit baptizare."

Prob. 2. pars thesis, ostendendo prius diaconos ordinaria potestate baptizandi minime pollere. Id unanimiter docent Patres. Ita S. Epiphanius (hæres. 79. n. 4.) inquit: "Neque Diaconus ullum in ecclesiastico ordine sacramentum perficere conceditur: sed hoc dumtaxat, ut eorum, quæ [ab Episcopis, vel Presbyteris] perficiuntur, sint ministri." S. Gelasius I. (ep. ad Episc. Lucaniæ c. 7.) ita loquitur: "Diaconos constituimus propriam servare mensuram, nec ultra tenorem a paternis Canonibus deputatum quidpiam tentare permittimus. . . . . . Absque Episcopo, vel Presbytero baptizare non audeant, nisi prædictis ordinibus fortasse longius constitutis, necessitas extrema compellat." S. Isidorus Hisp. (l. 2. de offic. c. 24. n. 9.) scribit: "Constat baptisma solis sacerdotibus esse tractandum; ejusque ministerium nec ipsis Diaconis explere est licitum, absque Episcopo vel Presbytero, nisi his procul absentibus, ultima languoris necessitas cogat."

Ratione theologica S. Thomas (3. qu. 67. art. 1.) idipsum ostendit: "Sicut cœlestium ordinum proprietates et eorum officia ex eorum nominibus accipiuntur, ut Dionysius dicit, c. 7. cœlest. Hierarch., in princ., ita etiam ex nominibus ecclesiasticorum ordinum accipi potest quid ad unumquemque pertineat ordinem. Dicuntur autem diaconi, quasi ministri, quia videlicet ad diaconos non pertinet aliquod sacramentum principaliter et quasi ex proprio officio præbere, sed adhibere ministerium aliis majoribus in sacramentorum exhibitione. Et sic ad diaco-

num non pertinet, quasi ex proprio officio, tradere sacramentum baptismi, sed in collatione hujus sacramenti et aliorum assistere, et ministrare majoribus. Unde Isidorus dicit in epist. ad Laudefred.: 'Ad diaconum pertinet assistere sacerdotibus et ministrare in omnibus quæ aguntur in sacramentis Christi, in baptismo scilicet, in chrismate, in patena et in calice.'"

Quod autem diaconi baptismi ministri sint ex delegatione extraordinarii, patet tum ex testimoniis Patrum jam citatis, tum ex usu Ecclesiæ, tum ex verbis, quæ in ordinatione diaconi episcopus ex Pontificale Romano dicit: "Cogitate magnopere ad quantum gradum Ecclesiæ ascenditis: diaconum enim oportet ministrare ad altare, baptizare et prædicare."

In tertia thesis parte, probari solum debet laicum virum, vel etiam mulierem ministrare baptismum *valide*, et in casu necessitatis *licite*:—nullam enim fidem in ministro necessariam esse ad valorem sacramenti probavimus in Tract. *de Sacram. in Gen.* p. 2. a. 7.

Jam vero enunciatum, quod probandum assumimus, ex Traditione perpetua et constanti praxi Ecclesiæ constat.

Tertullianus (de bapt. c. 17.), inquit: "Baptismus æque Dei census ab omnibus exerceri potest;" quod de necessitatis casu intelligit, ut ex eodem libro et cap. evincitur, ubi in casu necessitatis de laico inquit: "Reus erit perditi hominis, si supersederit præstare, quod libere potuit."

S. Hieronymus Dial. adversus Luciferian. n. 9.: "Si necessitas cogit, scimus etiam licere laicis [baptizare]; ut enim accipit quis, ita et dare potest."

S. Augustinus lib. 2. contr. epist. Parmeniani cap. 13. n. 29.: "Etsi laicus aliquis pereunti dederit [baptismum] necessitate compulsus, quod cum ipse acciperet, quomodo dandum esset addidicit, nescio, an pie quisquam dixerit esse repetendum. Nulla enim cogente necessitate si fiat, alieni muneris usurpatio est: si autem necessitas urgeat, aut nullum, aut veniale delictum est. Sed etsi nulla necessitate usurpetur, et a quolibet cuilibet detur, quod datum fuerit non potest dici non datum, quamvis recte dici possit illicite datum." Nec obest, ut Calvinus putat, illa disjunctiva,, "nullum, aut veniale delictum;" nam et venialiter peccare possunt laici, non eo quod baptizent in necessitate, sed ob non

adhibitam omnem diligentiam in inquirendo, vel accersendo presbytero; hac vero adhibita, non peccant.

S. Nicolaus I. in resp. ad consulta Bulgarorum (cap. 104.) ait: "A quodam Judæo, nescitis, utrum Christiano an Pagano, multos in patria vestra baptizatos asseritis, et quid de his sit agendum consulitis. Hi profecto, si in nomine SS. Trinitatis . . . baptizati sunt, constat, eos non denuo esse baptizandos." Urbanus II. epist. ad Vitalem (ap. Gratian. cap. *super quibus*, causa 30. q. 3.) hæc habet: "Super quibus consuluit nos tua Dilectio, hoc videtur nobis ex sententia respondendum, ut et baptismus sit, si instante necessitate femina puerum in nomine Trinitatis baptizaverit." S. Gelasius Epist. ad Episc. Lucan. (cap. 7.) cum dixisset, diaconos solum in extremæ necessitatis casu licite baptizare, addit: "Quod et laicis christianis facere plerumque conceditur." S. Isidorus Hisp. (l. 2. de offic. eccl. c. 24.) docet, solis episcopis et presbyteris licitum esse baptizare; "nisi illis procul absentibus ultima languoris necessitas cogat; quod et laicis fidelibus plerumque permittitur, ne quisquam sine remedio salutari de sæculo evocetur."

Præterea veritatem quam defendimus, Concilia definierunt. Etenim in Conc. Lateranense IV. c. *Firmiter*, legitur: "Sacramentum baptismi quod ad invocationem individuæ Trinitatis, Patris et Filii et Spiritus Sancti consecratur in aqua, tam parvulis quam adultis in forma Ecclesiæ a quocumque rite collatum, proficit ad salutem:" quibus verbis validus declaratur baptismus, a *quocumque* ergo etiam a laico, imo et ab hæretico, vel infideli rite collatus.—Et Conc. Florentinum, decreto pro Armenis, clarissime docet: "Minister hujus sacramenti est sacerdos cui competit ex officio baptizare. In casu autem necessitatis non solum sacerdos, vel diaconus, sed etiam laicus, vel mulier, imo etiam paganus et hæreticus baptizare potest, dummodo formam servet Ecclesiæ, et facere intendat, quod facit Ecclesia."

Demum etsi ratio a priori qua quilibet homo minister constitutus fuerit pro valida, et in casu necessitatis etiam licita, collatione baptismi, reponenda sit in voluntate Christi, ita instituentis; congruam tamen hujus voluntatis rationem ex ipsa necessitate baptismi oriri quisque intelligit.—"Ad misericordiam ejus qui vult omnes homines salvos fieri pertinet," ait S. Thomas (3. q. 67. a. 3.), "ut in his quæ sunt de necessitate salutis, homo de facili remedium inveniat. Inter omnia autem

sacramenta maximæ necessitatis est baptismus, qui est regeneratio hominis in vitam spiritualem, quia pueris aliter omnino subveniri non potest, et adulti non possunt aliter quam per baptismum plenam remissionem consequi et quantum ad culpam et quantum ad pœnam. Et ideo ut homo circa remedium tam necessarium defectum pati non possit, institutum est ut et materia baptismi sit communis, scilicet aqua, quæ a quolibet de facili haberi potest, et minister baptismi etiam sit quicunque non ordinatus, ne propter defectum baptismi homo salutis suæ dispendium patiatur."

Ea quæ thesi objiciuntur facile purgabimus.

1.—Christus Dominus *solum* Apostolis, eorumque in sacerdotio successoribus potestatem atque mandatum dedit baptizandi.—Ergo eos solos instituit baptismi ministros.

Resp. *Dist. Ant.*—Baptizandi potestate ordinaria *solemniter C.* Baptizandi *exclusive* tum *solemniter* tum *privatim*, in omni casu *N.*—Et *Dist. Cons.* Ergo omnes et soli sacerdotes instituit ministros *solemnitatis* ordinarios *C.* Sacerdotes instituit *exclusive* ministros in omni casu *N.*—Secus, nec diaconi ullo modo baptizare possent, et e contra Act. VIII. Philippum diaconum baptizasse legimus.—Sicut igitur, non obstantibus his verbis Domini (Matt. ult.): "Euntes docete," laicus potest res fidei docere privatim alios, ita et baptizare.

2.—Plerique Patres antiquiores feminas a ministerio sacro, et in specie baptismi, absolute excludunt.—Sic Tertull. lib. de bapt. cap. 17. in eas invehitur: "Petulantia mulieris, quæ usurpavit docere, utique non etiam tingendi jus sibi pariet? nisi si quæ nova bestia evenerit similis pristinæ [Quintillam intelligit], ut quemadmodum illa baptismum auferebat, ita aliqua per se eum conferat." S. Epiph. hær. 79. n. 3. ut feminas a baptismi ministerio contra Collyridianos repellat, inquit: "Si sacerdotium mulieribus mandatum foret, aut canonicum quiddam præstare in Ecclesia liceret, nulli potius quam Mariæ, illud in Novo Testamento committi . . . . . . debuit; cui tantus honor est habitus, ut gremio, sinuque suo regem omnium, ac cœlestem Deum, Deique Filium exciperet . . . . . . verum longe aliter Deo est visum: ac ne baptizandi quidem potestas est illi facta."

Resp. *Dist.* — Excludunt feminas a ministerio sacro exercendo publice, solemniter, in Ecclesia *C.* Ab omni functione sacra, quæ pri-

vatim, in necessitate fieret *N.*—Excluduntur utique feminæ a ministerio baptismi, sicut a functione docendi, nimirum, solemni publica ut ait Apostolus, *in Ecclesia:* at feminis prohibitum etiam esse, ne quempiam privatim in rebus ad salutem pertinentibus instruant, nemo hactenus theologorum opinatus est. Et sane Act. XVIII. Aquila et Priscilla uxor ejus, Judæo cuidam, Apollo nomine, *diligentius exposuerunt viam Domini.*

Tertullianus in eas solas invehitur feminas, quæ baptizandi publice, citra necessitatis casum, more sacerdotum, sibi jus et munus arrogabant. Has quippe ubique persequitur, uti lib. de Præscript. cap. 41.: "Ipsæ mulieres hæreticæ, quam procaces, quæ audeant docere, contendere, exorcismos agere, forsitan et tingere" nimirum sacerdotii munia exercentes apud Marcionitas, Cataphrygas et Pepuzianos, qui, testibus S. Epiph. hær. 42. et 49. ac Aug., lib. de hær. cap. 27. dabant "tantum mulieribus principatum, ut sacerdotio quoque apud eos honorarentur." Idem mulieribus apud Collyridianos concessum fuit; ideoque S. Epiph. hær. 79. eas perstringit, ut probant ipsa ejus verba quæ in objectione citantur.

3.—S. Hieronymus, (dial. adv. Luciferianos n. 11.) tanquam certum supponit, baptismum a laicis datum esse nullum; ex hoc enim, ceu fundamento, evincit contra Luciferianos, qui negabant Arianos habere veros sacerdotes, ipsos etiam ex paritate rationis rejicere debere Arianorum baptisma, quod tamen Luciferiani admittebant, vel pariter admittere et habere ratas Arianorum ordinationes.—Ergo.

Resp. *N. Ant.*—S. Hieronymus impugnat Luciferianos ex eorum principio, et contra eos arguit *ad hominem.* Hæc est enim Sancti Doctoris ratiocinatio:—vos Luciferiani non admittitis baptisma laicorum, et tamen admittitis Arianorum baptisma; ergo ex principio vestro Arianorum sacerdotes non sunt laici; ergo vel eorum simul admittatis ordinationes oportet, vel simul rejiciatis baptisma. Itaque nullo modo Hieronymus, loco citato, negat *absolute* laicis conferendi baptismum potestatem.

4.—S. Gregorius M. (l. 1. ep. 33.) hortatur Romanum, tum temporis Italiæ Exarcham, ut ad suam diœcesim remittat Blandum episcopum, quem Ravennæ detinebat; et rationem adducit ne infantes moriantur sine baptismo.—Ergo.

Resp. *N. Cons.*—Si ex verbis S. Doctoris posset deduci quod inferunt adversarii, sequeretur etiam presbyteros, qui certe in diœcesi, cujus episcopus erat Blandus, inveniebantur, baptizare non potuisse infantes ; quod evidenter est falsum.—Ratio ergo cur S. Gregorius urget reditum episcopi ad suam diœcesim, allegando necessitatem baptizandi pueros, est quia tunc temporis episcopi sibi reservabant munus solemniter baptizandi, et quidem in festo Paschatis et Pentecostes : parentes vero cupientes ut baptismus parvulis suis solemniter administraretur, differebant spiritualem regenerationem illorum parvulorum, eosque exponebant periculo moriendi absque baptismo.

5.—Concilium Eliberitanum (an. 305. c. 38.—Labbe, t. 1. p. 974.) declarat posse "fidelem . . . baptizare in necessitate infirmitatis positum catechumenum," sed addit si, "lavacrum suum integrum habeat, nec sit bigamus."—Ergo.

Resp.—Concilium illud statuit quia, si plures aderant qui baptizare poterant, fidelis præferri debebat, qui vita et moribus dignior fuerat ; ac proinde de eo loquitur qui inter laicos non tantum valide, sed et licite et digne baptismum valeat administrare.

Tandem adnota rebaptizantes, seu qui baptismum hæreticorum rejecerant, rejecisse etiam baptismum laicorum :—sed eorum errores ex iisdem principiis profluentes, Patres, Romani Pontifices, et Ecclesia damnavit universa.—Confer etiam quæ habentur *de Sacramentis in genere*, pag. 205. n. II. et seq.

NOTA.—Licet omnis sacerdos vi ordinationis suæ potestatem habeat baptizandi, non potest tamen ea *licite* uti, etiam privatim, extra casum necessitatis, nisi jurisdictionem ordinariam, vel delegatam habeat.—In casu vero necessitatis, hic ordo inter ministros baptismi servandus est, ad licitam sacramenti administrationem : si adsit sacerdos, diacono præferatur, diaconus subdiacono, clericus laico, et vir feminæ, nisi pudoris gratia deceat feminam, potius quam virum baptizare infantem non omnino editum, vel melius femina sciret formam et modum baptizandi. —Hæc ex Rituali Romano, *de ministro baptismi.*

ARTICULUS SEPTIMUS

De subjecto baptismi.

Ex demonstrata necessitate baptismi tamquam medii ad salutem, perspicuum fit omnes homines capaces esse baptismi recipiendi, ideoque subjectum sacramenti baptismi esse omnem hominem nondum baptizatum, sive adultum, sive infantem. Quia tamen errores hæreticorum hac etiam in re confutari debent, et præterea nonnullæ quæstiones de parvulorum baptismo sunt elucidandæ, specialem de eorum baptismo tractationem habebimus, eamque sectione duplici distinctam.

§ I.

An baptizandi sint pueri?

Infantes ad suscipiendum baptismum non esse idoneos dixerunt, inter antiquiores hæreticos, Petrobrussiani, Waldenses, aliique ; et sæc. XVI. Nicolaus Storckius, Balthazar Pacimontanus et Thomas Munzerus, qui nullum esse docebant puerorum baptismum, ideoque iterum in adulta ætate baptizandos esse contendebant illos qui jam in infantia baptizati fuerant. Hinc origo Anabaptistarum. Baptistæ cum eis in hoc conveniunt: discrepant vero ab eis Episcopales, Presbyteriani et Methodistæ, qui fatentur pueros baptizari posse.

Concilium Tridentinum, ut Anabaptistarum profligaret errores, sess. 7., statuit sequentes canones. Can. 12.: "Si quis dixerit, neminem esse baptizandum, nisi ea ætate, qua Christus baptizatus est, vel in ipso mortis articulo; anathema sit." Can. 13.: "Si quis dixerit, parvulos, eo quod actum credendi non habent, suscepto baptismo inter Fideles computandos non esse; ac propterea, cum ad annos discretionis pervenerint, esse rebaptizandos; aut præstare omitti eorum baptisma, quam eos, non actu proprio credentes, baptizari in sola fide Ecclesiæ; anathema sit."

Quamobrem, juxta pepetuam Ecclesiæ traditionem, atque Tridentinæ Synodi definitionem, statuitur sequens

THESIS VIII.

Infantes non modo capaces sunt baptismi, sed et eos baptizari expedit, et necesse est.

Prob. 1.—*Ex Scripturis.*—Etenim, qui capaces sunt regni cœlorum, ii quoque capaces sunt baptismi, sine quo ad regnum cœlorum nequeunt pervenire. Atqui infantes capaces sunt regni cœlorum. Ergo.—Major patet; demonstravimus enim baptismum esse necessarium necessitate medii ad salutem.—Minor constat, 1. generatim ex omnibus Scripturæ locis, quibus, ut in Tractatu *de Deo* plenissime ostenditur, voluntas Dei salvandi omnes homines,—nulla exceptione facta pro parvulis—demonstratur.—2. Speciatim ex verbis Christi (Matth. XIX. 14.): "Sinite parvulos venire ad me, et nolite eos prohibere ad me venire; talium est enim regnum cœlorum." Idem legitur apud Marc. (X. 14.) et Luc. (XVIII. 16.).

Nec dicant Anabaptistæ, in illis verbis sermonem esse de parvulis non ætate, sed humilitate et innocentia; nam etsi Christus, in persona puerorum, innocentem vitam commendare voluerit; significavit tamen, et quidem primario, infantilem ætatem capacem esse regni cœlorum. Sane, ex historia evangelica, locis citatis, evidenter apparet eos fuisse a parentibus Christo oblatos, qui *ætate* erant *parvuli*, ut ipsis benediceret. Etenim in Evangelio S. Lucæ vocantur *βρέφη*, *βρέφος* autem est infans tenellus (Luc. I. 41–44.); et idem Evangelista notat illos puerulos non per se venisse ad Christum, sed parentes eos attulisse (*προσέφερον δέ αὐτῷ και τα βρέφη*):—insuper juxta eamdem historiam evangelicam benedictione illa, quam Christus peramanter eis impertivit, significatur infantes gratiæ esse capaces et regni cœlorum. "Et complexans eos, et imponens manus super illos, benedicebat eos" (Marc. X. 16.).—Quare verba Christi, ut recte in hunc locum adnotat a Lapide, intelligenda sunt quasi Magister dicat: Mea dignitate indignum non est pueris benedicere, quia per meam benedictionem apti fiunt regno cœlorum, cum vos, o Judæi adulti, qui toties me docentem audistis, ob superbiam, aliaque vitia in quibus occalluistis, ad illud adhuc inepti sitis. Ut apti fiatis, hos parvulos imitandos vobis statuo; omnis enim animi volentis

se præparare ad regnum cœlorum per gratiam meam obtinendam, exemplar esse debet puerilis simplicitas.

Præterea ex alio N. L. testimonio S. Thomas (3. qu. 68. a. 9.) probat thesim quam defendimus:—"Sicut Apostolus dicit, Rom. v. 17.: 'Si unius delicto mors regnavit per unum,' scilicet per Adam, 'multo magis abundantiam gratiæ, et donationis, et justitiæ accipientes, in vita regnabunt per unum Jesum Christum.' Pueri autem ex peccato Adæ peccatum originale contrahunt; quod patet ex hoc quod sunt mortalitati subjecti, quæ per peccatum primi hominis in omnes pertransiit, ut Apostolus ibidem dicit. Unde multo magis pueri possunt per Christum gratiam accipere, ut regnent in vita æterna. Ipse autem Dominus dicit, Joan. III. 5. quod 'nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei.' Unde necessarium fuit pueros baptizari, ut sicut per Adam damnationem incurrerunt nascendo, ita per Christum salutem consequantur renascendo."

Demum, in lege veteri infantes circumcidi debebant:—ergo et in nova lege recte baptizantur; baptismus enim successit circumcisioni, quæ baptismum præfigurabat, ut ex doctrina Apostoli ad Col. II. 11. 12.) et ex communi interpretatione Patrum, in tractatu *de Sacramentis in genere*, p. 1. art. 2. pag. 36. et seq., demonstravimus.—Et si in V. L. ætas puerilis impedimentum non fuit quominus remedium contra originale peccatum parvulis applicaretur, atque illo posito, gratia eis conferretur; multo minus in lege gratiæ ætas impedimentum esse in parvulis potest ne applicetur eis ad delendum peccatum originis remedium, quod non amplius ut circumcisio per modum *conditionis* requisitæ ad infusionem gratiæ, sed tamquam vera causa *ex opere operato* mundat animam et gratiam confert.

Prob. 2.— *Ex perpetua Ecclesiæ Traditione.* Ad eam demonstrandam sufficiant, ex innumeris, sequentes testes.

S. Irenæus (l. 2. adv. hæreses, c. 22. n. 4.) ait: "Omnes venit [Dominus] per semetipsum salvare; omnes, inquam, qui per eum renascuntur in Deum, infantes et parvulos et pueros, et juvenes et seniores. Ideo per omnem venit ætatem, et infantibus infans factus, sanctificans infantes, in parvulis parvulus sanctificans hanc ipsam habentes ætatem."

Origenes (in ep. ad Rom. l. 5. n. 9.) inquit: "Ecclesia ab Apostolis

traditionem suscepit, etiam parvulis baptismum dare. Sciebant enim illi quibus secreta mysteriorum commissa sunt divinorum, quod essent in omnibus genuinæ sordes peccati, quæ per aquam et Spiritum Sanctum ablui deberent."

S. Cyprianus, nomine suo et LXVI. episcoporum qui in Conc. Carthaginiensi, anno 253. congregati fuerant, scribit (epist. 59.) ad Fidum Episcopum, et ait: "In hoc quod tu putabas esse faciendum, [infantes ante octavum diem post nativitatem non esse baptizandos], nemo consensit, sed universi potius judicavimus, nulli hominum nato misericordiam Dei et gratiam denegandam:" et cum varias hujus sententiæ rationes adduxisset, concludit: "Hæc fuit in Concilio nostra sententia, a baptismo atque a gratia Dei, qui omnibus misericors et benignus et pius est, neminem per nos debere prohiberi. Quod cum circa universos observandum sit atque retinendum, tum magis circa infantes ipsos et recens natos observandum putamus."

Hanc autem sententiam, tamquam testimonium perpetuæ Ecclesiæ fidei redditum, esse agnoscendam, S. Augustinus, ea de re ad Hieron. scribens (ep. 166. al. 28. n. 23.), testatus est. "B. Cyprianus," ait, "non aliquod decretum condens novum, sed Ecclesiæ fidem firmissimam servans, ad corrigendum eos, qui putabant ante octavum diem nativitatis non esse parvulum baptizandum . . . . . mox natum rite baptizari posse cum suis quibusdam coepiscopis censuit."—Et de hac Ecclesiæ fide circa baptismum infantibus conferendum, idem S. Augustinus passim in concertationibus adversus Pelagianos loquebatur, et ex ea argumentum etiam deducebat invictum ad revincendos illos hæreticos qui pervicaciter peccati originalis existentiam negaverant. "Quia parvulos," ait S. Doctor (de pecc. merit. et remis. lib. 1. c. 26.), "baptizandos esse concedunt [Pelagiani], qui contra auctoritatem universæ Ecclesiæ, procul dubio per Dominum et Apostolos traditam, venire non possunt; concedant oportet eos egere illis beneficiis Mediatoris, ut abluti per sacramentum, charitatemque fidelium, ac sic incorporati Christi corpori, quod est Ecclesia, reconcilientur Deo, ut in illo vivi, ut salvi, ut redempti, ut illuminati, fiant."

S. Joan. Chrysost. (hom. 40. in Gen. n. 4.) sic est elocutus: "Nostra circumcisio seu baptismatis gratia medicinam habet citra dolorem, innumeraque bona nobis affert, Spiritus Sancti gratia nos implet, et nul-

lum definitum tempus habet sicut illic [id est, octavum diem in V. T.]; sed licet et *in prima* et in media et in ultima ætate hanc non manufactam circumcisionem recipere, in qua non sustinetur labor, sed peccatorum deponuntur onera."—Et in hom. ad Neophytos (ap. S. August. l. c. Julian. c. 6.): "Hac de causa etiam infantes baptizamus, quamvis peccata [personalia] non habeant, ut eis addatur sanctitas, justitia, adoptio, hæreditas, fraternitas Christi, ut ejus membra sint."

Accedunt his testimoniis Decreta Summorum Pontificum et Conciliorum, quæ baptizandos esse infantes constanter docent atque præcipiunt. Ut ad exemplum pauca proferamus, S. Siricius, in epistola ad Himerium, superius citata: "Infantibus," inquit, "qui necdum loqui poterunt per ætatem . . . sacri unda baptismatis omni volumus celeritate succurri."—Et Innoc. III. adver. Petrobrussianos decreta statuens (l. 3. Decr. tit. 42. c. 3., *Majores*), dicebat: "Asserunt parvulis inutiliter baptisma conferri. . . . Absit, ut universi parvuli pereant, quorum quotidie tanta multitudo moritur, quin et ipsis misericors Deus, qui neminem vult perire, aliquod remedium procuraverit ad salutem."

Ad Concilia vero quod attinet, Milevitanum II., can. 2. sancivit: "quicumque parvulos recentes ab uteris matrum baptizandos negat . . . anathema sit."—Concilium Gerundense, anno 517. canone 5. statuit: "De parvulis, qui nuper materno utero editi sunt, placuit constitui, ut si infirmi, ut assolet, fuerint, et lac maternum non appetunt, etiam eadem die, qua nati sunt (si oblati fuerint) baptizentur." Conc. Bracarense II. an. 572. can. 7. inquit: "Placet, ut unusquisque Episcopus per Ecclesias suas hoc præcipiat, ut hi, qui infantes suos ad baptismum offerunt, si quid voluntarie pro suo offerunt voto, suscipiatur ab eis: si vero per necessitatem paupertatis aliquid non habent, quod offerant, nullum illis pignus violenter tollatur a Clericis; nam multi pauperes hoc timentes filios suos a baptismo retrahunt."—Concilium Lateranense IV. cap. *Firmiter*, definivit: "Sacramentum baptismi . . . tam parvulis, quam adultis in forma Ecclesiæ a quocumque rite collatum proficit ad salutem."—Concilium Viennense, anno 1311. pronuntiavit (Denzinger, Enchirid. p. 173.): "baptisma . . . . . credimus esse, tam adultis quam parvulis communiter, perfectum remedium ad salutem."—Conc. Flor., decreto pro Jacobitis (op. mox cit. pag. 211.) sancivit: "Circa pueros propter periculum mortis, quod potest sæpe contingere, cum ipsis non

possit alio remedio subveniri, nisi per sacramentum baptismi, per quod eripiuntur a diaboli dominatu et in Dei filios adoptantur admonet, non esse per quadraginta, aut octoginta dies, seu aliud tempus juxta quorumdam observantiam, sacrum baptisma differendum; sed quamprimum fieri potest, debere conferri: ita tamen, quod mortis imminente periculo mox sine ulla dilatione baptizentur, etiam per laicum vel mulierem, in forma Ecclesiæ, si desit sacerdos, quemadmodum in decreto Armenorum plenius continetur."—Conc. Trident. definitiones dedimus supra, p. 390.

Prob. 3.—*Ex ratione theologica,* quæ sic se habet:—si infantes incapaces baptismi essent, id proveniret vel ex parte Dei, eos baptizare prohibentis; vel ex parte sacramenti; vel ministri; vel subjecti, seu infantis; vel Ecclesiæ, quæ per baptismum jus acquirit in baptizatos. Atqui nullum ex his obstat. Ergo.—Minor probatur per partes. Non obstat 1. prohibitio divina, talis enim nulla exstat; sed potius contrarium ex Scriptura et traditione colligitur, ut antea dictum est. 2. Non sacramentum, quod, quantum est de se, ex opere operato producit effectum. 3. Non minister; is enim materiam et formam eodem modo applicat parvulo, ac adulto. 4. Non sujectum; nam quod in adultis requiratur dispositio, est partim quia sicut hi, ob peccata eorum actualia, se actualiter a Deo averterunt, ita et actualiter se ad eum debent convertere; partim quia Deus se creaturis, et harum naturæ atque exigentiæ accomodat, cum causis necessariis agens necessario, cum liberis libere, ac proinde adultos, ratione ac arbitrio libero pollentes, sine horum consensu in amicitiam suam non recipit:—sed parvuli et peccatorum actualium, et actualis consensus incapaces sunt; sicut igitur habitualiter solum aversi a Deo sunt, ita, citra dispositionem actualem, ad Deum *habitualiter* converti possunt. 5. Non demum obligatio, et subjectio, quæ ex baptismo respectu Ecclesiæ contrahitur; nam ad hanc contrahendam per se obligarentur infantes, cum ad sufficientem rationis usum pervenirent; præceptum enim fidei generale est, et eo mediante omnes Ecclesiæ submittere se tenentur.

Contra thesim, objicitur

1.—Baptismus iis conferri debet qui instructi sint, credant, et pœnitentiam agant, nam dixit Christus (Matt. ult.): "Docete omnes gentes, baptizantes eos;" et (Marc. ult.): "Qui crediderit et baptizatus fuerit

salvus erit;" Petrus vero in prima Evangelii prædicatione (Act. II.): "Pœnitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum." Ergo.

Resp. *Dist. Ant.*—Si sermo sit de adultis, ut *fructuose* baptismus recipiatur, sic conferri debet *C.* — Ut ab adultis *valide* recipiatur, et ut cuicumque conferri possit *N.*—Textus citati spectant adultos: quæ enim habentur, Matt. ult. et Marc., dicta sunt cum Apostoli mittebantur ad convertendos Gentiles populos ad fidem Christi, et eos necesse erat prius doceri; Petrus vero illos alloquebatur qui concione ejus et gratia Dei compuncti petebant: "Quid faciemus viri fratres."—Cum autem de fide sermo sit, illud etiam non est prætermittendum, quod de parvulis aiebat Sanctus Augustinus (de verbis Apost. serm. 14. cap. 18.): "Absit ut ego dicam non credentes infantes."—Quomodo credentes? quia, juxta ejusdem S. Doctoris, loco citato, declarationem, "credit in altero, qui peccavit in altero." Atque id sane congruum est, addit Augustinus; sic enim: "Per verba aliena salvatur, quia per factum alienum vulneratur."

2.—Christus baptismum suum distulit ad annum ætatis suæ trigesimum.—Ergo.

Resp. *Neg. Cons.*—Christus enim, qui solum baptismum Joannis accepit, nulla indigebat sanctificatione, qua egent parvuli.—Præterea si Anabaptistæ ad exemplum Christi recurrunt, quare non attendunt Jesum infantem qui voluit circumcidi?

3.—In Scripturis nullum habemus exemplum de baptismo parvulorum.—Ergo.

Resp. *Trans. Ant.*—*N. Cons.*—In Actibus Apost. (XVI.) narratur Lydiam purpurariam, et custodem carceris cum tota familia, a Paulo baptizatos fuisse; porro longe verisimilius est aliquos infantes inter illos qui tunc baptizati fuerant extitisse. Sed etiamsi nullum hac in re apertum exemplum Scriptura suppeditaret, nihil exinde adversus thesim deduci posset: praxis enim baptizandi parvulos constat ex perpetua Traditione.

4.—Tertullianus ait (de bapt. cap. 18.) differendum esse baptismum parvulis, et S. Greg. Nazianzenus (orat. 40. n. 28.) censuit non esse eis conferendum antequam ad tertium ætatis annum perveniant.—Ergo.

Resp. Neutrum validum esse baptismum parvulis collatum negabant,

nec singularem suam propriam opinionem, ab aliis communiter rejectam, extendebant ad casus in quibus vita infantium periclitaretur.

5.—S. Hieronymus, in c. 28. Matt. vers. 19., ait: "Non potest fieri, ut corpus baptismi recipiat sacramentum; nisi ante anima fidei receperit veritatem." Ergo.

Resp. *Dist. Ant.*—Id profert loquens de adultis *C.* Absolute, de omnibus qui baptismum suscipere valeant *N.*—Aliud S. Hieronymus sensisse quoad parvulos patet tum ex ipsius epistola 107. ad Lætam, in qua parentes graviter monet, ut curent infantes sui sine mora baptizari; tum ex lib. 3. contra Pelagianos, ubi ex baptismo parvulorum existentiam probat peccati originalis.

6.—Per baptismum infantes graves incurrunt obligationes.—Atqui iniquum est eas imponere non consentientibus, et tales sunt parvuli.—Ergo.

Resp. *N. Min.* Jugum enim Christi, ceteroquin omnino suave, inevitabile est omnibus qui salvari cupiunt: hinc nulla injuria fit parvulis, sed potius magnum beneficium eis confertur, cum baptizantur.—Hic etiam attendatur exemplum circumcisionis, quæ baptismum præfigurabat. Infantes circumcisi non censebantur passi injuriam, nec liberi ab observatione legis Mosaicæ.

Verum, ad pleniorem evolutionem responsionis nostræ, et ad abundantiorem solutionem difficultatis, quæ magni fit ab adversariis,—immo movit Erasmum ut diceret homines in infantia baptizatos, ubi adoleverint, interrogandos esse an ratum habeant, quod in eorum nomine promissum fuit, et si ratum non habeant, suo arbitrio esse dimittendos; contra quem errorem, anathema pronuntiavit Concilium Tridentinum (sess. 7. de Baptismo, can. 14.)—præstat verba exscribere Bellarmini (Controv. de Baptismo, l. 1. c. 8. in fine):

"Denique non obstat obligatio, quæ nascitur ex baptismo. Nam imprimis non obligatur nisi ad ea, ad quæ alioqui obligatus, vel obligandus erat. Nam ad legem divinam servandam, ad abrenunciandum diabolo et pompis ejus, omnes tenentur, etiam sine baptismo. Rursus omnes tenentur suscipere baptismum, idque divino mandato, et proinde omnes tenentur se subjicere Ecclesiæ, et ejus præceptis. Hoc solum inter adultos et infantes interest, quod illi, quia sui juris sunt, debent

propria voluntate se Ecclesiæ subjicere; et nisi faciant, peccant: isti quia non sunt juris sui, sed parentum, possunt eorum voluntate Ecclesiæ subjici. Itaque est illis aliena voluntas loco rectæ rationis, quam habere deberent si essent adulti: proinde nulla eis fit injuria, sed ingens beneficium, cum baptizantur, licet inde consequatur obligatio obediendi Ecclesiæ. Sed neque infantes illi, qui carent parentibus et tutoribus, et ab aliquo extraneo baptizantur, queri postea possunt. Nam qui illos baptizant, agunt eorum causam; sicut si quis incideret in hominem læthaliter vulneratum, qui usu linguæ et rationis careret, eumque in domum aliquam portari, et a medicis curari juberet, certe non posset ille postea queri de isto homine, quod eum obligasset ad solvendam medicis mercedem: et si quereretur, ac solvere nollet, ab omni justo judice damnaretur."

§ II.

An baptizandi sint pueri invitis parentibus?

Obstaculum nullum in ætate infantium inveniri quominus aqua baptismi regenerari possint, demonstravimus:—at potest ne voluntas obstare parentum illorum, non quominus *valide* baptizari possint,—nam si baptismus eis, cum debita materia et forma, a quocumque habente saltem intentionem faciendi quod facit Ecclesia, conferatur, omnibus gaudet quæ ad validatem sacramenti requiruntur, ideoque validus est[1]—sed quominus *licite* baptizentur?

[1] Durandus (in 4. dist. 4. q. 7. art. 13.) contendit baptismum collatum hebræorum aut infidelium filiis absque parentum consensu esse irritum:—sed, ut loquitur Benedict. XIV. in Decr. *De Bapt. Judæorum*, (n. 23.) data 28 Februarii 1747, singularis opinio hæc Durandi "numquam aut plausum, aut existimationem nacta est; quod revera constet baptismum esse ratum, ac validum, quotiescumque baptizantis voluntas cum forma et materia necessaria accedat. Quamobrem Durandi sententiam, Suarez falsam, Cajetanus a ratione alienissimam esse affirmant. Præfati argumenti, validitatem baptismi collati sine consensu patris contra Durandum comprobantis, Silvius auctor est, doctissimus S. Thomæ sectator in 4. tom. in 3. part. S. Thomæ q. 68. a. 10.: '*Si filiis quorumque infidelium conferatur baptismus, erit validus etiamsi parentes sint inviti, quia subjectum est capax, et minister cum debita intentione adhibet ei materiam et formam. Nihil autem aliud requiritur, ut baptisma parvulorum teneat; nam intentio parentum est impertinens.*' Et Frassen eximius Scotista tom. 10. sui Scoti Academici, tr. 10. disp. 1. a. 2. q. 3., Durandi sententiam refellens, et ejusdem argumento, hoc est, in baptismo infantium voluntatem deesse, si parentum vel offerentium voluntas desit, respondens admonet, Ecclesiæ voluntatem semper inesse: '*Quid si nullus offerat, sed solus minister baptizet? Recte intelligitur respon-*

Quæstioni huic respondebimus, distinguendo, ut par est, varios casus qui occurrere possunt,—nam supponi possunt infantes natos ex parentibus fidelibus vel infidelibus; ex illis qui a suscepta jam fide catholica recesserunt, vel ab eis qui numquam fidem amplexi sunt; et insuper supponi potest uterque parens invitus, vel unus tantum.

Itaque dicimus

1.—Si agatur de pueris fidelium, patet, eos baptizari posse invitis parentibus: parentes enim cum sint Ecclesiæ subditi, cogi possunt ut infantes suos offerant baptismo, ac proinde a fortiori infantes, parentibus renitentibus, baptizari.

2.—Filios hæreticorum posse, absolute loquendo, invitis parentibus baptizari constat, quia et ipsi parentes ratione baptismi suscepti, et infantes ratione nativitatis ex parentibus baptizatis, Ecclesiæ subjiciuntur.

3.—Licitus est baptismus filiorum quorumcumque infidelium, invitis parentibus, si jam rationis usu præditi baptismum petant; nam in his quæ ad religionem pertinent, jam sunt sui juris.

4.—Si vero agatur de pueris infidelium, communiter Theologi docuerunt filios infidelium qui Christianorum essent mancipia, potuisse invitis parentibus baptizari: licet enim, aiunt, dominium quod habet quis in

---

dere tota Mater Ecclesia, quæ in sanctis est; quia tota omnes, tota singulos parit per voluntatem ministri, suo, et Christi nomine baptizantis.' Quæ quidem responsio S. Augustino auctoritatem debet, qui in memorata epistola ad Bonifacium sic scribit: '*Offeruntur ad percipiendam spiritalem gratiam non tam ab eis, quorum gestantur manibus, quam ab universa societate sanctorum, atque fidelium. Ab omnibus namque offerri recte intelliguntur, quibus placet quod offeruntur, et quorum sancta, et individua charitate ad communionem Sancti Spiritus adjuvantur. Tota ergo Mater Ecclesia, quæ in sanctis est, pueros gestat, et offert, quia tota omnes, tota singulos offert.*' "

Idem Pontifex in citata Decretali validitatem baptismi collati filiis infidelium, invitis parentibus, confirmat plurimis Congregationis Sancti Officii responsionibus.

Sed jam ex hac validitate baptismi semel statuta, corollarium quoddam non mediocris momenti deduci debet. Etenim, baptizatus puer, etiamsi *illicite* collatus ei baptismus supponatur, membrum effectum fuit Ecclesiæ catholicæ et juribus gaudet quibus in Ecclesia Christi frui licet: manifestum est igitur ecclesiasticam auctoritatem jus habere adhibendi media quibus periculum perversionis illius pueri amoveat, eumque custodiat ita ut juxta characterem indelebilem, quem accepit per baptismum in animæ impressum, vivere possit.—Hinc patet quam injuste, ac sacrilege debacchati sint illi qui viginti ab hinc annis invictissimum Pontificem Pium IX. magnis clamoribus impetierunt eo quod judæum puerulum Edgardum Mortara, jam in periculo mortis, ab ancilla baptizatum, curaverit, postquam certitudo baptismi rite collati habita fuerit, auferendum e domo paterna, et Romæ in domo catechumenorum educandum.—Vide, si lubet, quoad hoc factum, effemeridem, cui titulus *La Civiltà Cattolica*, an. 9, 1858., s. 3, v. 12. p. 385.

servum non det illi jus directum et immediatum in ordine ad supernaturalia, jus tamen tribuit ad separandos filios a parentibus, qua separatione posita, nihil obstat quominus pueri illorum mancipiorum baptizari possint. Confer Suarez (de Baptismo, disp. 25. sect. 4.); et Sylvium (in D. Thomæ, q. 68. a. 11. concl. 7.).

5.—Si puer, a parentum custodia ablatus fuerit, ita ut nulla sit pro eo spes reditus ad illos, baptizari potest; nam tunc parentes censentur mortui relate ad parvulum, et in eum amisisse saltem usum juris paterni, quo uti nequeunt.—Si vero puer a parentibus derelictus fuit, tunc potiori etiam ratione baptizari potest; ait enim Greg. IX. cap. 1. de *infantibus, et languidis expositis:* "Si a Patre, sive ab alio, sciente ipso, aut ratum habente (relegato pietatis officio), infans expositus extitit, hoc ipso a potestate fuit patria liberatus."

6.—Licite baptizantur pueri infidelium, si alteruter parentum ad fidem conversus in baptismum prolis consentiat. Id colligitur ex decreto Gregorii IX. cap. 2. *ex litteris, de conv. infid.* Ratio est, quia tunc consensus datur ab eo qui habet jus naturale in puerum; et quamvis alter repugnet, prævalere debet consensus, qui cedit in favorem fidei, et in utilitatem pueri.—Idem dicatur si mortuo patre pueri, avus consentiat, reclamante matre.

7.—Si puer in proximo mortis periculo versetur, potest secreto baptizari, parentibus inconsultis: tunc enim nec puer periculo apostasiæ, moraliter loquendo, exponitur; nec injuria, in tali casu, saltem secundum prudentum existimationem, videtur parentibus irrogari. Benedictus XIV. in Decr. superius citata, n. 8., licitam omnino, immo rem oppido laudabilem, Deoque gratissimam hanc esse expresse docet, et S. Francisci Xaverii praxi ac monitis confirmat.

8.—Quod vero ad pueros attinet eorum infidelium, qui aut legibus suis vivunt, aut christianorum imperio civiliter tantum subjecti sunt, disputatum in utramque partem olim fuit inter Scotisticam scholam et Thomisticam, doctoribus illius scholæ affirmantibus— hujus vero scholæ negantibus—licitum baptismum eis collatum:—sed rem extra dubitationem jam positam fuisse videtur, Decretali Benedicti XIV. sæpius citata, qua declaravit Pontifex illicitum omnino esse pueros illorum infidelium, extra periculum mortis, parentibus non consentientibus, baptizare.

Etenim postquam Pontifex dixerit, prævaluisse in ecclesiasticis Tribunalibus sententiam Sancti Thomæ, et quasdam Sacrarum Romanarum Congregationum resolutiones commemoraverit, ita (num. 31.) prosequitur: "In quibusdam præfatis resolutionibus innuitur, eum, qui Hebræorum filios sine parentum consensu baptismo lustrare ausus fuerit, exceptis iis casibus, in quibus hoc liceat, eum, inquam, pœna mulctandum esse; baptismum autem unius testimonio comprobari. Ut primæ parti hujus nostræ instructionis extrema manus accedat, nihil aliud restat, quam prædictarum resolutionum judicium confirmare; et quidquid in eisdem continetur, nostra quoque sententia stabilire. Baptizantis mentem esse sanctam, rectamque non dubitamus; modus autem omnino illicitus habendus est; et ea quicumque facit, quæ Ecclesia fieri vetat, pro Judicis prudentia mulctari debet, pœna scilicet aut mitiori, vel severiori, juxta circumstantias."

Hæc vero Pontificis declaratio respondet praxi et sensui Ecclesiæ, unde argumentum optimum S. Thomas deducebat ad suam sententiam confirmandam. In 2. 2. qu. 10. art. 12. hæc docet Angelicus: "Maximam habet auctoritatem Ecclesiæ consuetudo, quæ semper est in omnibus æmulanda; quia et ipsa doctrina catholicorum doctorum ab Ecclesia auctoritatem habet. Unde magis standum est auctoritati Ecclesiæ quam auctoritati vel Augustini, vel Hieronymi, vel cujuscumque doctoris. Hoc autem Ecclesiæ usus numquam habuit quod Judæorum filii invitis parentibus baptizarentur; quamvis fuerint retroactis temporibus multi catholici principes potentissimi, ut Constantinus et Theodosius, quibus familiares fuerunt sanctissimi episcopi, ut Sylvester Constantino, et Ambrosius Theodosio; qui nullo modo prætermisissent ab eis impetrare, si hoc esset consonum rationi."

Et idem Angelicus Doctor duobus aliis rationibus invictis eamdem conclusionem confirmat.

In articulo citato, "hujus," inquit, "ratio est duplex: una quidem propter periculum fidei. Si enim pueri nondum usum rationis habentes baptismum susciperent, postmodum cum ad perfectam ætatem pervenirent, de facili possent a parentibus induci ut relinquerent quod ignorantes susceperunt; quod vergeret in fidei detrimentum.

Alia vero ratio est, quia repugnat justitiæ naturali. Filius enim naturaliter est aliquid patris; et primo quidem a parentibus non distin-

guitur secundum corpus, quamdiu in matris utero continetur; postmodum vero, postquam ab utero egreditur, antequam usum liberi arbitrii habeat, continetur sub parentum cura, sicut sub quodam spirituali utero; quamdiu enim usum rationis non habet puer, non differt ab animali irrationali; unde sicut bos vel equus est alicujus, ut utatur eo cum voluerit, secundum jus civile, sicut proprio instrumento; ita de jure naturali est quod filius, antequam habeat usum rationis, sit sub cura patris. Unde contra justitiam naturalem esset, si puer antequam habeat usum rationis, a cura parentum subtrahatur, vel de eo aliquid ordinetur invitis parentibus. Postquam autem incipit habere usum liberi arbitrii, jam incipit esse suus; et potest quantum ad ea quæ sunt juris divini vel naturalis, sibi ipsi providere; et tunc est inducendus ad fidem non coactione, sed persuasione; et potest etiam invitis parentibus consentire fidei, et baptizari; non autem antequam habeat usum rationis. Unde de pueris antiquorum patrum dicitur, quod salvati sunt in fide parentum; per quod datur intelligi, quod ad parentes pertinet providere filiis de sua salute, præcipue antequam habeant usum rationis."

Nec dicas—*a*) Ecclesia accepit potestatem baptizandi quoscumque, non exclusis infantibus infidelium, etiamsi parentes obsistant, nam in illis verbis: "Docete omnes gentes, baptizantes," præceptum generale invenitur, sicut collata potestas baptizandi. Si ergo parentes obstent quominus eorum pueri baptizentur, contra Christi præceptum hoc faciunt et contra potestatem Ecclesiæ concessam; et hac de causa merentur ipsi privari potestate quam habent in filios.

Respondemus:—verba illa "Docete omnes gentes, baptizantes eos," directe ac primario respiciunt adultos, qui sunt capaces doctrinæ, per quam trahendi sunt ad baptismum: infantes vero, qui per se capaces non sunt doctrinæ, per parentes trahendi sunt, quorum voluntati sunt commissi, ut per eam gubernentur. Atque ita, licet baptismus respectu illorum sit medium necessarium, applicandum tamen eis est convenienti modo, et servato justitiæ ordine. Similiter quamvis præceptum baptismi sit generale, directe tamen non cadit in infantes ante usum rationis, quia pro illo tempore non sunt capaces præcepti: pertinet ergo ad illos, mediis parentibus, qui tenentur et fidem suscipere, et filios suos in ea instituere, et per baptismum eos fidei initiare. Licet autem parentes

hoc præceptum violent, non possunt ab Ecclesia puniri, aut ad illud servandum cogi; quia cum non sint subditi Ecclesiæ, in illos non habet Ecclesia vim coactivam.

b) Dominus (Luc. XIV. 23.) præcepit servo "compelle intrare ut impleatur domus mea;" nomine autem Domini et domus significatur Deus et Ecclesia.—Ergo infideles compelli possunt ad procurandum pueris suis baptismum, quo Ecclesiam ingredi valeant.

Respondemus:—parabola respicit adultos, et illud "compelle" non significat gentes vi cogendas esse ad fidem, sed monet eas, prædicationis efficacia, ad Ecclesiam adducendas esse.

c) Parentes nullum jus habent impediendi suorum infantium baptismum:—ergo parentibus invitis, infantes baptizari possunt.

Responsio in promptu est:—licet parentes jus non habeant impediendi quominus baptismus conferatur infantibus suis, et, hunc impediendo, agant contra jus supernaturale; jus tamen parentes habent ut liberi, quos genuerunt, quamdiu rationis usu non fruuntur, sub eorum cura et potestate maneant.

d) Quilibet homo magis est Dei, a quo habet animam, quam patris carnalis, a quo habet corpus. Injustum ergo non est si filii infidelium carnalibus parentibus auferantur, et Deo per baptismum consecrentur.

Respondet S. Thomas (art. cit. ad 4.): "Homo ordinatur ad Deum per rationem, per quam eum cognoscere potest. Unde puer, antequam usum rationis habeat, naturali ordine ordinatur in Deum per rationem parentum, quorum curæ naturaliter subjacet; et secundum eorum dispositionem sunt circa ipsum divina agenda."

e) Magis debet homini subveniri circa periculum mortis æternæ, quam circa periculum mortis temporalis. Sed si aliquis videret hominem in periculo mortis temporalis, et ei non ferret auxilium, peccaret. Cum ergo filii Judæorum et aliorum infidelium sint in periculo mortis æternæ, si parentibus relinquuntur, qui eos in sua infidelitate informant, videtur quod sint eis auferendi, et baptizandi, et in fide instruendi.

Huic etiam difficultati respondet Angelicus (ad 2.): "Dicendum quod a morte naturali non est aliquis eripiendus contra ordinem juris civilis: puta si quis a suo judice condemnetur ad mortem temporalem, nullus debet eum violenter eripere; unde nec aliquis debet rumpere ordinem juris naturalis, quo filius est sub cura patris, ut eum liberet a periculo mortis æternæ."

SCHOLION. — Cum de subjecto baptismi agunt, quærunt doctores utrum in periculo mortis baptizari possit infans in utero matris:—et quidem quæstio non in eo posita est, nimirum utrum valere possit pro baptismo infantis ablutio matris: infans enim in utero adhuc manens, persona cum sit a matre distincta, certe per ablutionem, immo per baptismum matri collatum, non baptizatur.—Agitatur ergo quæstio pro casu in quo, reserato uteri ostio, nulla quidem pars corporis infantuli in lucem prodierit, infans tamen in utero positus aqua baptismi profundi posset.

Negant plures id non solum licite, sed etiam valide posse fieri; et adducunt pro se tum verba Christi (Joan. III. 5.): "Nisi qui *renatus* fuerit," tum auctoritatem Sancti Augustini, Sancti Isidori Hispalensis et Sancti Thomæ; tum demum Rituale Romanum, in quo, cap. *de baptizandis pueris,* legitur: "Nemo in utero matris clausus baptizari debet."—Verum, his theologis nec numero pauciores nec auctoritate minores contradicunt; inter quos adnumerari debet Suarez, et etiam, ut videtur, Benedictus XIV., immo et Sanctus Alphonsus de Liguori (lib. 6. tom. 2. cap. 1. num. 107.)—Et argumentis adversariorum satisfaciunt, quia 1. vere dici potest *natus* non solum is qui egreditur ex utero, sed etiam ille, qui sufficienter in utero maturus, reserato uteri ostio, aqua baptismi attingi valet, cum dici possit, saltem aliquo modo, in lucem editus:—2. Quia in Conc. Trid. (sess. 5. c. 4.) textus Joannis (III. 5.) declaratur, dum dicitur baptismus omnino necessarius esse parvulis: "Ut in eis regeneratione mundetur, quod generatione contraxerunt." Sicut igitur peccatum originale per solam generationem contrahitur; ita pariter, ut homo per gratiam regeneretur, sufficit, ut sit jam generatus; et ideo a Concilio baptismus vocatur *regeneratio.*—3. Quia S. Augustinus et alii Patres, quos citant adversarii, immo ipsum Rituale Romanum, negando puerum posse in utero *clausum* baptizari, loquuntur de infante, qui in utero ita sit clausus, ut aqua baptismi attingi nequeat. Quod si ablui aliquo modo queat manu, aut instrumento, baptizari eum posse certe non negant.

Ad praxim quod attinet, cum S. Alphonso (loco citato) dicimus: "In casu necessitatis omnino infantem (sub conditione tamen) baptizandum esse."

ARTICULUS OCTAVUS

De effectibus baptismi.

Hominem baptizatum amplius non peccare Jovinianus, sæculo IV., asseruit, et sæc. XVI., Calvinus Jovinianum saltem ex parte secutus est, dicens veram fidem semel habitam amitti non posse, baptismo autem, tamquam Dei chirographo certum reddi baptizatum de perpetua adoptionis gratia. Eidem doctrinæ assensit Lutherus, et in libro de captivitate Babylonica, capite de baptismo, docuit baptizatum non posse gratiam amittere, quantumcumque peccet, nisi nolit credere.—His erroribus, Novatores posteriores addiderunt alios, et statuerunt, vel baptismum liberare ab observantia legis divinæ, eo quod baptizato transgressio illius legis, etsi peccatum sit, non imputatur, si modo fidem habeat; vel baptismum, in memoriam revocatum, delere peccata post ejus susceptionem admissa. — Refutatio harum hæresum fit propriis locis, in aliis Theologiæ partibus.

Nos, juxta fidem catholicam, veros baptismi effectus, de quibus jam multa hucusque diximus, sequenti thesi recensemus.

THESIS IX.

Baptismus, secluso obice, 1.—*omnia peccata delet, tam originale, quam personalia;* 2.—*pœnam peccatis debitam remittit;* 3.—*gratiam sanctificantem, virtutes ac dona supernaturalia infundit, simulque imprimit characterem in anima, et baptizato jus ad specialia gratiæ actualis auxilia confert ut assequatur baptismi finem;* 4.—*Christo tamquam capiti baptizatum ut membrum conjungit, et eum potestati Ecclesiæ subjicit.*

Prob. 1. pars thesis. Ex Scripturis.—Effectum istum baptismi, qui indicatur verbis Christi "Nisi quis renatus fuerit," expressum etiam habemus sequentibus Scripturæ locis.—Act. II. 38. legimus: "Pœnitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum in remissionem peccatorum."—Act. XXII. 16., Paulo dicitur: "Exurge et baptizare, et ablue peccata tua."—I. ad Cor. VI., post enumerationem gravissimorum peccatorum, Apostolus subjungit (vers. 11.): "Et hæc quidem fuistis, sed

abluti estis, sed sanctificati estis, sed justificati estis."—Et testimoniis his alia addi possent.

Ex Patribus habeas pauca.—Tertullianus (de Bapt. c. 1.): "Felix," ait, "sacramentum aquæ nostræ, qua abluti delictis pristinæ cæcitatis, in vitam æternam liberamur."

Origenes in Genesim, hom. 13. num. 4.: "Si delinquas, ipse tibi conscribis peccati chirographum. Sed vide quia cum semel accessisti ad crucem Christi, et ad gratiam baptismi, chirographum tuum cruci affixum, et in fonte baptismatis deletum est."

S. Zeno Veronensis (l. 2. tract. 42.): "Salvete hodie, nati fratres in Christo, acceptæque indulgentiæ regale beneficium diligenter, fortiter ac fideliter custodite; etenim vester contractus omnis [debitum scilicet culpæ et pœnæ] ablatus; securi gaudete; nihil jam seculo debetis."

S. Hier., ep. 69. ad Oceanum (n. 3. 4.). "Omnia scorta," inquit, "et publicæ colluvionis sordes, impietas in Deum, parricidium, et incestus in parentes, atque in extraordinarias voluptates utriusque sexus mutata natura, Christi fonte purgantur. . . . . . Omnia nobis baptismate condonata sunt crimina; nec post indulgentiam, Judicis metuenda est severitas, dicente Apostolo: Et hæc quidem fuistis, sed abluti estis," etc.

S. Augustinus in Enchiridio ad Laurentium, cap. 64.: "Baptismatis munus," inquit, "contra originale peccatum donatum est, ut quod generatione attractum est, regeneratione detrahatur; et tamen activa quoque peccata quæcumque corde, ore, opere commissa invenerit, tollit. Hac ergo excepta magna indulgentia, unde incipit hominis renovatio, in qua solvitur omnis reatus," etc. Et l. 3., seu serm. de Symbolo ad catechumenos, c. 10.: "Omnia," inquit, "prorsus delicta delet sanctum baptisma, et originalia et propria; dicta, facta, cogitata, cognita, incognita, omnia dimittuntur. Innovat hominem, qui fecit hominem; donat delicta, qui non quærit merita." Denique, l. 2. de peccatorum Meritis et Remissione, c. 28.: "Si," inquit, "continuo post baptismum sequatur ex hac vita emigratio, non erit omnino quod obnoxium hominem teneat, solutis omnibus quæ tenebant."

Merito igitur Concilium Tridentinum, sess. 5. can. 5. definivit: "Si quis per Jesu Christi Domini nostri gratiam, quæ in baptismate confertur, reatum originalis peccati remitti negat; aut etiam asserit non tolli totum id, quod veram et propriam peccati rationem habet; sed illud

dicit tantum radi, aut non imputari; anathema sit. In renatis enim nihil odit Deus, quia nihil est damnationis iis qui vere consepulti sunt cum Christo per baptisma in mortem; qui non secundum carnem ambulant, sed, veterem hominem exeuntes, et novum, qui secundum Deum creatus est, induentes, innocentes, immaculati, puri, innoxii, ac Deo dilecti effecti sunt, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi, ita ut nihil prorsus eos ab ingressu cœli remoretur."

Prob. 2. pars.—*a*) Ex Conc. Tridentino, verbis modo citatis, definiente *nihil prorsus* esse in renatis per baptismum, quod *eos ab ingressu cœli remoretur*:—ex Conc. Florentino, Decreto ad Armenos, ubi ait: "Effectus [baptismi] est remissio omnis culpæ originalis et actualis, omnis quoque pœnæ."

b) Ex testimoniis Patrum quæ pro 1. parte attulimus; dicunt enim *omnem contractum debitum* [culpæ scilicet et pœnæ] *per baptismum fuisse ablatum;* et *si continuo* [post baptismum] *consequatur ex hac vita emigratio, non esse omnino quod obnoxium hominem teneat.*

c) Ex perpetua praxi Ecclesiæ. Licet enim, primis sæculis, ante baptismum varia arduaque virtutis exercitia Ecclesia indiceret catechumenis, sive ut probarentur magis, sive ut melius dispositi uberiorem gratiam in sacramenti susceptione reciperent; numquam tamen eis, pro peccatis ante baptismum commissis, opera satisfactoria injunxit; et si quis ob mortis periculum baptizatus, postea convaluisset, nulli satisfactioni subjiciebatur, quamvis catechumenatus spatium non percurrisset. E contra pœnitentes in periculo mortis reconciliati, recuperata valetudine, tenebantur in eam revertere pœnitentium classem, in qua eos morbus deprehenderat.

Prob. 3. pars.—Quoad characterem, videsis quæ habentur in tractatu *de Sacr. in Gen.* p. 3. a. 6.; quoad jus in baptismo collatum ad auxilia specialia obtinenda, confer etiam quæ tradidimus, *eod. tract.* p. 3. a. 2.—Quoad infusionem gratiæ sanctificantis, virtutum ac donorum supernaturalium, Concilium Tridentinum, sess. 6. c. 7. ait justificationis, "*quæ non est sola peccatorum remissio, sed et sanctificatio et renovatio interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiæ et donorum . . . causa . . . . instrumentalis est sacramentum baptismi.*" Idipsum tradunt Patres in testimoniis supra citatis;—illis addere liceat unum pulcherrimum.

In cat. 1. ad Illum. S. Jo. Chry. (n. 3.) ait: "Quemadmodum scintilla mediam in pelagi voraginem incidens, statim extinguitur et evanescit, aquarum vi demersa: sic et omnis humana nequitia, cum in piscinam divinorum fluentorum inciderit, citius faciliusque quam scintilla demergitur et deletur. At cur, inquies, si peccata nobis omnia lavacrum remittit, non lavacrum remissionis peccatorum, non lavacrum purgationis, sed lavacrum regenerationis vocatur? Quia non solum nobis peccata remittit, neque solum delicta purgat, sed ita id præstat ac si denuo generati essemus. Etenim nos denuo creat, et format, non ex terra rursum effingens, sed ex alio elemento, aquarum scilicet natura, creans; non enim vas simpliciter abstergit, sed totum conflat denuo..... Quemadmodum si quis auream statuam, tempore, fumo, pulvere, rubigine fœdatam, denuo conflaverit, eam nobis purissimam atque fulgentem restituit; sic et naturam nostram Deus, peccati rubigine fœdatam multoque affectam delictorum fumo, illa pulchritudine destitutam, quam ipsi ab initio indiderat, denuo conflavit, et in aquas ceu in conflatorium injiciens, et pro igne Spiritus gratiam immittens, hinc renovatos, cum solaribus radiis splendore decertantes educit, contrito veteri homine, novo autem splendidiore, quam vetus erat, condito."

Prob. 4. pars.—In Epist. ad Gal. III. 27. legimus: "Quicumque in Christo baptizati estis, Christum induistis;"—et in ep. 1. ad Cor. VI. 15.: "Nescitis, quoniam corpora vestra membra sunt Christi?"—De illis vero qui post primam concionem Petri baptizati fuerant, ait Scriptura (Act. II. 41.): "Qui receperunt sermonem ejus [Petri] baptizati sunt; et [hac ratione] appositæ sunt [Ecclesiæ] animæ circiter tria millia."

Dicamus itaque cum S. Greg. Nazianz. (orat. 40. n. 3.): "Baptismus carnis est abjectio, spiritus assectatio, Verbi participatio, figmenti correctio, peccati diluvium, lucis communicatio, tenebrarum oppressio. Baptismus vehiculum ad Deum, peregrinatio cum Christo, fidei adminiculum, mentis perfectio, cœlestis regni clavis, vitæ commutatio, servitutis depulsio, vinculorum solutio, compositionis in meliorem statum conversio. Quid plura commemorare attinet? Baptismus omnium Dei beneficiorum præclarissimum est et præstantissimum."

DE CONFIRMATIONE

Renatos aqua baptismatis, Sacramentum Confirmationis roborat, eosque perfectos reddit Christi milites, augens gratiam et tribuens eis ut tentationibus contra fidem irruentibus viriliter resistant, eamdemque fidem, spretis minis ac blanditiis sæculi, libere ac strenue profiteantur. De hoc Sacramento agentes, ejus existentiam vindicabimus, materiam, formam ac ministrum ejus ostendemus, et in fine quædam breviter addemus quæ ad complementum tractationis requiri possent.

ARTICULUS PRIMUS

De sacramenti confirmationis existentia.

Variis in Ecclesia nominibus, Sacramentum, de quo loquimur, appellatum fuit:—a materia, apud Patres, præsertim antiquiores, vocatur *Impositio manuum*, et *Unguenti mysterium, Sacramentum chrismatis, Chrisma Sanctum, Chrisma salutis*:—ratione characteris, quem in anima imprimit, et signi crucis, quo Sacramentum suscipiens, dum ungitur, signatur in fronte, dicitur *Sigillum Domini, Signaculum Dominicum, spirituale, regium*:— ratione effectus nominatur *perfectio, consummatio, plenitudinis gratiæ Sacramentum.*—Ipsum quoque vulgatum nomen *Confirmationis* apud antiquissimos ecclesiasticos scriptores, non modo æquivalenter, sed expresse etiam invenitur.

Confirmationem e Sacramentorum albo expunxerunt omnes sæculi XVI. Novatores, et acerrime Calvinus, qui eam nonnisi conviciis, cachinnis et blasphemiis designavit. Quoniam vero negari non poterat Confirmationis ritum a remotissima ætate in Ecclesia viguisse, illum Protestantes dixerunt fuisse meram cæremoniam, qua adolescentes solemniter coram Episcopo rationem fidei suæ reddebant, et deinde benedictione ab Episcopo accepta dimittebantur.

Hanc hæresim Concilium Tridentinum, sess. 7. canone 1. de Confirmatione, speciali definitione confixit,—statuens: "Si quis dixerit, Confirmationem baptizatorum otiosam cæremoniam esse, et non potius verum et proprium sacramentum; aut olim nihil aliud fuisse quam catechesim quamdam, qua adolescentiæ proximi fidei suæ rationem coram Ecclesia exponebant; anathema sit."

Hoc itaque dogma fidei, de sacramenti Confirmationis existentia, a Tridentina Synodo definitum, vindicat

THESIS I.

Confirmatio est verum ac proprie dictum N. L. Sacramentum.

Prob. 1. *Ex Scriptura.*—Etenim in Actibus Apostolorum (c. VIII. vv. 14. 15.) legimus: baptizatis a Philippo diacono Samaritanis "cum audissent Apostoli, qui erant Jerosolymis, quod recepisset Samaria verbum Dei, miserunt ad eos Petrum et Joannem; qui, cum venissent, oraverunt pro ipsis, ut acciperent Spiritum Sanctum: nondum enim in quemquam illorum venerat; sed baptizati tantum erant in nomine Domini Jesu. Tunc imponebant manus super illos, et accipiebant Spiritum Sanctum." Et (Act. XIX. 6.): "Cum imposuisset illis [duodecim discipulis recens baptizatis] manus Paulus, venit Spiritus Sanctus super eos, et loquebantur linguis et prophetabant."

Jam vero, hac posita narratione, ita argumentamur:—Ad verum et proprie dictum N. L. Sacramentum, requiritur signum sensibile, collativum gratiæ, institutum divinitus et permanenter.—Atqui signum tale est impositio manuum super baptizatos, de qua scriptor sacer in testimoniis allatis loquitur. Ergo impositio illa manus super baptizatos est verum et proprie dictum N. L. Sacramentum; ideoque Confirmatio, quæ eumdem ritum designat, est vere et proprie Sacramentum.

Major constat ex his quæ exposuimus in tractatu *De Sacramentis in Genere*, p. 1. aa. 2. et 3.—Minor probatur: et 1.—Constat impositionem manuum super baptizatos, de qua loquuntur Acta Apostolorum, esse signum sensibile. 2.—Hoc signum esse gratiæ collativum apparet ex verbis citatis; dicitur enim baptizatos *accepisse Spiritum Sanctum*, ideo-

que gratiam sanctificantem,—et dicitur eos accepisse Spiritum Sanctum, *vi* illius signi; nam legitur "*imponebant* [Petrus et Joannes] *manus super illos, et accipiebant Spiritum Sanctum;*" et "*cum imposuisset illis manus* [Paulus], *venit Spiritus Sanctus super eos.*" 3.—Impositionem manuum signum esse divinitus institutum patet, quia Apostoli non habebant potestatem instituendi signa collativa gratiæ; et ideo imponebant manus "ut daretur Spiritus Sanctus," quia institutionem illius signi a Domino factam cognoscebant, atque ab eo acceperant per illud signum baptizatos esse perficiendos et roborandos.—Demum idem signum fuisse a Domino permanenter institutum, et idem nomine Confirmationis in Ecclesia designari, patebit ex testimoniis Traditionis mox afferendis.

Ut demonstratio, quam ex Scripturis deducimus, magis clarescat, et argumentum, modo propositum, plenius evolvatur; ex his quæ diximus duo paulo fusius elucidanda sunt, nempe,—1um *gratiam sanctificantem* esse in textibus citatis significatam illa locutione "accipiebant Spiritum Sanctum;"—et 2um baptizatos, de quibus Scriptura loquitur, illam gratiam accepisse *ex virtute signi*, quod habebat rationem causæ instrumentalis relate ad illum effectum.

Primum evincitur ex animadversionibus Doctoris Angelici.—"Divinæ personæ," ait S. Thom. (1. p. q. 43. a. 3.), "convenit mitti, secundum quod novo modo existit in aliquo; dari autem, secundum quod habetur ab aliquo; neutrum autem horum est nisi secundum gratiam gratum facientem. Est enim unus communis modus quo Deus est in omnibus rebus per essentiam, potentiam et præsentiam, sicut causa in effectibus participantibus bonitatem ipsius. Super istum modum autem communem est unus specialis, qui convenit naturæ rationali, in qua Deus dicitur esse sicut cognitum in cognoscente, et amatum in amante. Et quia cognoscendo et amando creatura rationalis sua operatione attingit ad ipsum Deum, secundum istum specialem modum Deus non solum dicitur esse in creatura rationali, sed etiam habitare in ea sicut in templo suo. Sic igitur nullus alius effectus potest esse ratio quod divina persona sit novo modo in rationali creatura, nisi gratia gratum faciens. Unde secundum solam gratiam gratum facientem mittitur et procedit temporaliter persona divina. Similiter illud solum habere dicimur quo libere possumus uti, vel frui. Habere autem potestatem fruendi divina persona est solum secundum gratiam gratum facientem. Sed tamen in

ipso dono gratiæ gratum facientis Spiritus Sanctus habetur, et inhabitat hominem. Unde ipsemet Spiritus Sanctus datur et mittitur. . . . Operatio miraculorum est manifestativa gratiæ gratum facientis sicut et donum prophetiæ, et quælibet gratia gratis data. Unde I. Cor. XII. gratia gratis data nominatur manifestatio Spiritus. . . . Si autem daretur solum signum gratiæ gratum facientis sine gratia, non diceretur dari simpliciter Spiritus Sanctus; nisi forte cum aliqua determinatione, secundum quod dicitur quod alicui datur spiritus propheticus, vel miraculorum, in quantum a Spiritu Sancto habet virtutem prophetandi, vel miracula faciendi."

Alterum, quod proposuimus, scilicet, illos quibus Apostoli manus imposuerunt, accepisse Spiritum Sanctum *vi signi* seu impositionis manuum; infertur optime ex particula causali *ut*, quæ apponitur in textu (Act. VIII. 15.): "Oraverunt pro ipsis [fidelibus Samariæ] *ut* acciperent Spiritum Sanctum;" et ex effectu secuto, posita impositione manuum, "tunc *imponebant manus et accipiebant* Spiritum Sanctum." In hunc ergo finem ritum illum adhibebant, ut *per illum*, tamquam per signum efficax, instrumentaliter conferens gratiam, fideles eam reciperent.—Atque id egregie confirmatur ex versu immediate sequenti (v. 18.): "Cum vidisset autem Simon, quia *per impositionem manus* Apostolorum *daretur Spiritus Sanctus,* obtulit eis pecuniam dicens: Date et mihi hanc potestatem, *ut cuicumque imposuero manus, accipiat Spiritum Sanctum.*" Particula illa *per* veram causalitatem designat; et Simon non deceptus fuit agnoscens in Apostolis potestatem dandi *per signum sensibile gratiam,* sed in hoc quod credidit hanc ipsam potestatem pecunia obtineri posse; quare Petrus istud reprobavit, illud vero, non negavit, sed potius probavit addens, potestatem dandi *per impositionem* manus Spiritum Sanctum esse donum Dei, quod obtineri pecunia nullo modo potest. "Pecunia tua," ait, "tecum sit in perditionem; quoniam donum Dei existimasti pecunia obtineri."

Præterea, ut optime notat Estius (in 4. sent. dist. 7. § 3.), "ex eo intelligitur fuisse illud signum [ab Apostolis adhibitum] *gratiæ operatorium,* et non tantum instar orationis quæ fit super hominem, quia Philippus diaconus, illud exhibere non potuit, sed ejus administrandi gratia Hierosolymis Apostolos evocari oportuit; cum alioqui nihil prohibebat, diaconum super baptizatos orationem fundere, etiam adhibito ritu aliquo externo."

Demum verba, quæ superius citavimus ex Actibus Apostolorum c. 19. v. 6., vim probationi novam afferunt, si in contextu orationis perpenduntur. Etenim Paulus veniens Ephesum, invenit, ut refertur Act. 19. v. 1., discipulos quosdam, se asserentes esse jam baptizatos:—"Factum est autem . . . . ut Paulus peragratis superioribus partibus veniret Ephesum, et inveniret quosdam discipulos."—Quærit ab eis, num Spiritum Sanctum acceperint postquam baptizati fuerint; poterat enim dubitari utrum illum acceperint necne, eo quod a quovis ministro conferri non possit:—"Dixitque ad eos: Si Spiritum Sanctum accepistis credentes" [et ut hic notat Theod. Beelen, Comm. in Acta Apos., vis locutionis græcæ ita redditur: "Num, postquam credidistis, idest facti estis Christiani, Spiritum Sanctum accepistis."]—Cum autem ex eorum responso rescisset, ipsos ne baptizatos quidem fuisse, primo eos movet ad baptismum suscipiendum, et baptizat:—"His auditis baptizati sunt in nomine Domini Jesu."—Deinde eis *per impositionem manuum* confert gratiam Spiritus Sancti:—"Et cum imposuisset illis manus Paulus, venit Spiritus Sanctus super eos."—En effectum supernaturalem, nempe gratiam sanctificantem, baptizatis omnibus collatam, per signum externum, seu per impositionem manuum, quæ proinde verum et proprie dictum est N. L. Sacramentum.

Prob. 2. *Ex Traditione.*— Tertullianus testimonium clarissimum veritati, quam tuemur, exhibet. In libro de Baptismo, distinguens baptismum a sacramento Confirmationis, quo Spiritum Sanctum baptizati accipiunt, ait (c. 6.): "Non quod in aquis Spiritum Sanctum consequamur, sed in aqua emundati, sub angelo, Spiritui Sancto præparamur." Et c. 7. prosequitur: "Exinde egressi de lavacro perungimur benedicta unctione. . . . Sic et in nobis carnaliter currit unctio, sed spiritualiter proficit: quomodo et ipsius baptismi carnalis est actus, quod in aqua mergimur, spiritualis effectus, quod delictis liberamur." Et addit c. 8.: "Dehinc manus imponitur, per benedictionem advocans et invitans Spiritum Sanctum."—Idem de Resurrect. Carnis, cap. 8., dicit: "Caro abluitur, ut anima emaculetur. Caro ungitur, ut anima consecretur. Caro signatur, ut anima muniatur. Caro manus impositione adumbratur, ut et anima spiritu illuminetur. Caro corpore et sanguine Christi vescitur, ut et anima de Deo saginetur."—Igitur sicut ablutioni in

baptismo, et sicut sumptioni corporis et sanguinis Christi in Eucharistia, ita unctioni et manus impositioni,—quæ utraque occurrit in Confirmatione,—spiritualem effectum, seu collationem gratiæ supernaturalis adscribit.—Denique lib. de Præscript. cap. 40., observat, dæmonem in idolorum mysteriis æmulari res sacramentorum nostrorum; ait enim: "Tingit et ipse quosdam utique credentes et fideles suos, et expiationem de lavacro repromittit; et si adhuc memini, Mithra signat illic in frontibus milites suos, celebrat et panis oblationem"—Tertullianus ergo apertissime Confirmationem tam vere et proprie Novæ Legis esse Sacramentum agnovit ac baptismum et Eucharistiam.

S. Cyprianus, in epistola 73. ad Jubaianum, dum errorem rebaptizantium propugnat, de Confirmatione, quæ in Ecclesia frequentabatur, diserte loquitur. "Illi enim," inquit, "qui in Samaria crediderant, fide vera crediderant, et intus in Ecclesia, quæ una est, et cui soli gratiam baptismi dare et peccata solvere permissum est, a Philippo diacono, quem iidem Apostoli miserant, baptizati erant. Et idcirco quia legitimum et ecclesiasticum baptismum consecuti fuerant, baptizari eos ultra non oportebat, sed tantummodo quod deerat, id a Petro et Joanne factum est, ut oratione pro eis habita, et manu imposita invocaretur et infunderetur super eos Spiritus Sanctus. Quod nunc quoque apud nos geritur; ut qui in Ecclesia baptizantur, præpositis Ecclesiæ offerantur, et per nostram orationem ac manus impositionem Spiritum Sanctum consequantur et signaculo Dominico consummentur."—Ex his S. Cypriani verbis elucet 1.—Ætate hujus sanctissimi Præsulis, sæculo III., in Ecclesia ab Episcopis manus fuisse impositas baptizatis ut acciperent Spiritum Sanctum, eodem modo ac manus impositas ab Apostolis ad eumdem effectum legimus in Actibus: ergo ille ritus non fuit transitorius, sed permanenter institutus et perpetuo usurpatus in Ecclesia Christi. 2.—Impositione illa manuum, de qua loquuntur Actus Apostolorum, et quæ perenniter in Ecclesia adhibebatur, institutum fuisse, ut eis qui renati essent per sacramentum baptismi, plenitudo gratiæ Spiritus Sancti conferretur, iidemque Christi milites redderentur.—"Ut qui in Ecclesia baptizantur .... per nostram orationem ac manuum impositionem *Spiritum Sanctum consequantur, et signaculo dominico consummentur.*"

Ceterum in monumentis quæ extant controversiæ sæculo III. excitatæ

de baptismo hæreticorum, passim testimonia occurrunt quæ ostendunt communem Ecclesiæ fidem quoad sacramentum Confirmationis. Unum et aliud hic proferam ad exemplum.—In epistola synodica Concilii Carthaginensis, de baptismo primi, anno 255. sub Cypriano celebrati, legimus (Migne P. L. t. 3. pag. 1078.): "Ungi quoque necesse est eum qui baptizatus sit, ut accepto chrismate, id est Unctione, esse *unctus Dei et habere in se gratiam Christi* possit."—Et in ep. S. Cypriani ad Pompeium (t. c. p. 1178.): "Porro autem *non per manus impositionem quis nascitur,* quando accipit Spiritum Sanctum, sed in Ecclesiæ baptismo, ut *Spiritum Sanctum jam natum* accipiat.... Nec enim potest accipi Spiritus, nisi prius fuerit qui accipiat."

S. Cyrillus Hierosolymitanus, ex quinque catechesibus mystagogicis, primam et secundam de Baptismo, tertiam de Confirmatione, quartam et quintam de Eucharistia exaravit, tribus illis Sacramentis, quæ eodem die percipiebantur a neophytis. Et si jam inde apparet, Cyrillum Confirmationem verum ac proprium Sacramentum habuisse, quoniam eam in eodem numero cum Baptismo et Eucharistia collocat; idem etiam disertis enuntiat verbis, scribens (Catech. 3. num. 1. et 3.): "Vobis quoque similiter, postquam ex sacrorum laticum piscina adscendistis, datum est chrisma, illius antitypum, quo unctus est Christus: quod est nimirum Spiritus Sanctus.... Sicut panis Eucharistiæ, post invocationem Sancti Spiritus, non est communis panis, sed corpus Christi: ita et sanctum istud unguentum, non amplius nudum, neque commune unguentum est post invocationem; sed Christi donarium, et Spiritus Sancti, præsentia divinitatis ejus, efficiens factum. Quod quidem symbolice fronti, aliisque sensibus tuis illinitur. Ac dum unguento visibili inungitur corpus, sancto et vivifico Spiritu anima sanctificatur."

S. Ambrosius (de Myst. c. 6.) declarat ritum quo conferebatur Sacramentum Confirmationis illis qui mox renati fuerant Sacramento baptismi: "Post hæc utique ascendisti ad Sacerdotem: considera quid secutum sit, nonne illud quod ait David: 'Sicut unguentum in capite, quod descendit in barbam, barbam Aaron.'" Et postea (cap. 7. num. 42.) concludit: "Unde repete quia accepisti signaculum spiritale, spiritum sapientiæ et intellectus, spiritum consilii atque virtutis, spiritum cognitionis atque pietatis, spiritum sanctum timoris: et serva quod accepisti.

Signavit te Deus Pater, confirmavit te Christus Dominus; et dedit pignus Spiritus in cordibus tuis (II. Cor. 9. 2.), sicut apostolica lectione didicisti."—Et in opere de Sacramentis (l. 3. c. 2. n. 8.): "Sequitur," ait, "spiritale signaculum, quod audistis hodie legi; quia post fontem superest, ut perfectio fiat; quando ad invocationem Sacerdotis Spiritus Sanctus infunditur, Spiritus sapientiæ et intellectus, Spiritus consilii atque virtutis, Spiritus cognitionis atque pietatis, Spiritus sancti timoris."

S. Hieronymus, in dialogo contra Luciferianos (n. 8.), sic hujus sectæ quendam loquentem inducit: "*An nescis etiam Ecclesiarum hunc esse morem, ut baptizatis postea manus imponantur, et ita invocetur Spiritus Sanctus? Exigis, ubi scriptum sit? In Actibus Apostolorum. Etiamsi Scripturæ auctoritas non subesset, totius orbis in hanc partem consensus instar præcepti obtineret.*" Ad hæc quid S. Doctor? Rem totam ultro concedit. "*Non quidem,*" inquit, "*abnuo, hanc esse Ecclesiarum consuetudinem, ut ad eos, qui longe a majoribus urbibus per Presbyteros et Diaconos baptizati sunt, Episcopus ad invocationem Spiritus Sancti manus impositurus excurrat.*"

S. Augustinus (l. 3. de Baptismo, c. 16. n. 21.) ait: "Quis nunc hoc exspectat, ut ii, quibus manus ad accipiendum Spiritum Sanctum imponitur, repente incipiant linguis loqui? Sed invisibiliter et latenter intelligitur propter vinculum pacis eorum cordibus divina charitas inspirari, ut possint dicere: Quoniam charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis."—Et de Trinitate (l. 15. c. 25. n. 46.): "Neque aliquis discipulorum ejus dedit Spiritum Sanctum. Orabant quippe, ut veniret in eos, quibus manus imponebant, non ipsi eum dabant. Quem morem in suis Præpositis etiam nunc servat Ecclesia."—Et contra litt. Petiliani (l. 2. c. 104.): "Sacramentum chrismatis . . . in genere visibilium signaculorum sacrosanctum est, sicut ipse Baptismus: sed potest esse et in hominibus pessimis.—Discerne ergo visibile Sacramentum, quod esse et in bonis et in malis potest, illis ad præmium, illis [istis] ad judicium, ab invisibili unctione charitatis, quæ propria bonorum est [quam in solis bonis visibile Sacramentum producit]."

S. Cyrillus Alexandrinus (in Joel. 2. 23.) dicit: "Data est nobis ceu in pluvia aqua vivens sacri baptismatis, et tamquam in frumento panis vivus, et tamquam in vino sanguis. Accessit item usus olei, qui per

S. baptisma in Christo justificatis ad consummationem conferret."—Et Theodoretus (in Cant. Cantic. c. 1. v. 2.): "In quo [baptismate] qui initiantur post tyranni abnegationem, et Regis confessionem veluti signo ac nota regia, spiritualis unguenti chrismate inuncti, sub ea visibili unguenti specie invisibilem Sanctissimi Spiritus gratiam accipiunt."

Demum S. Innocentius I. epistola ad Decentium, c. 3. (Labbe t. 2. p. 1246.): "De consignandis," inquit, "vero infantibus manifestum est, non ab alio quam ab episcopo fieri licere; nam presbyteri, licet sint sacerdotes, pontificatus tamen apicem non habent. Hæc autem pontificibus solis deberi, ut vel consignent, vel Paracletum Spiritum tradant, non solum consuetudo ecclesiastica demonstrat, verum et illa lectio Actuum Apostolorum, quæ asserit, Petrum et Joannem esse directos, qui jam baptizatis traderent Spiritum Sanctum. Nam presbyteris (seu extra episcopum, seu præsente episcopo baptizent) chrismate baptizatos ungere licet, sed quod ab episcopo fuerit consecratum; non tamen frontem ex eodem oleo signare, quod solis debetur episcopis, cum tradunt Spiritum Paracletum."—His autem verbis nihil est pro thesi, quam propugnamus, apertius. Etenim Pontifex 1. docet unctionem confirmatoriam distinctam esse ab altera baptismali; cum hæc fiat in vertice, et a simplici presbytero; prior vero fieri debeat in fronte, et a solo episcopo. 2.—Unctionem illam esse eamdem Innocentii tempore cum illa Apostolorum Act. 8. 3.—Per illam confirmatoriam unctionem conferri Spiritum Santum; hoc autem cæremoniæ tantum ecclesiasticæ convenire non potest.

Et hæc sufficiant: si enim cetera prosequi vellem in immensum series hæc excresceret testimoniorum.

Documentis Patrum accedunt Conciliorum definitiones, quarum antiquiores tantum brevitatis causa commemoramus. In Concilio Eliberitano, initio sæculi IV., can. 38. (Labbe, t. 1. p. 974.), statuitur: "Peregre navigantes, aut si Ecclesia in proximo non fuerit, posse fidelem, qui lavacrum suum integrum habet, nec sit bigamus, baptizare in necessitate infirmitatis positum catechumenum, ita ut, si supervixerit, ad episcopum eum perducat, ut per manus impositionem perfici possit."—In Concilio Laodiceno, circa an. 363., can. 48. (Labbe, t. 1. p. 1524.), rursus decernunt Patres: "Oportet baptizatos, post baptismum chrismatis quoque cœlestis et regni Christi participes fieri."—In Concili Aure-

lianensi I. an. 511. (in Decret. c. 6. *Ut jejun.* de consecrat. d. 5. 3. p.) præcipitur: "Ut jejuni ad confirmationem veniant perfectæ ætatis, ut moneantur confessionem prius facere, ut mundi donum Sanc. Spiritus valeant accipere."

Definitiones Conciliorum posterioris ætatis, aliaque hac de re monumenta ecclesiastica, invenies in Tractatu *de Sacram. in gen.*, pag. 101. et seq.—Objectiones vero quæ ab adversariis contra Confirmationem proponuntur, in ipsa evolutione argumentorum ad vindicandam thesim, præoccupavimus.

ARTICULUS SECUNDUS

De materia et forma confirmationis.

Duplex in sacramento confirmationis conferendo ritus externus adhibetur, impositio manus, et chrismatio, seu unctio chrismatis in fronte. Præterea duplex etiam impositio manus fit: *prima,* quæ a chrismatione sejuncta est ac diversa, dum episcopus, extensis super confirmandos manibus, oratione præscripta, Spiritum Sanctum advocat; *secunda,* quæ chrismationi conjuncta est, nec ab ea distinguitur, dum episcopus imposita capiti confirmandi manu, pollice frontem signat, ungitque dicens: *Signo te signo crucis et confirmo te chrismate salutis in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.*—Quænam ex his materia est essentialis Confirmationis?—Multum, cum quæstioni huic respondent, theologi inter se discrepant; sed præcipuæ sententiæ quatuor sunt. *Prima* est eorum qui, post Petrum Aureolum, dixerunt solam impositionem manuum materiam esse Confirmationis, unctionem vero chrismatis ad sacramentum pertinere, sed non essentialiter.—*Secunda* sententia, huic prorsus opposita, tenet, cum Bellarmino, Maldonato, Estio, materiam essentialem Confirmationis in sola chrismatis unctione esse collocandam.—*Tertia,* quæ paucorum fuit, docuit manus impositionem et chrismationem materiam esse hujus sacramenti; sed nunc utramque simul, nunc alterutram tantum fuisse adhibitam, juxta variam locorum et Ecclesiarum consuetudinem: ubi vero utraque simul adhibetur, nihil plus conferri, quam si alterutra adhibeatur.—Demum *quarta* utramque statuit materiam esse essentialem Confirmationis, impositionem nempe manus et

chrismationem, ita ut si unum ex his prætermissum fuerit sacramentum sit nullum. Hæc est sententia quam communiter sequuntur Theologi recentiores; quamvis inter eos etiam dissidium occurrat, nam nonnulli primam manus impositionem, quæ a chrismatione distincta est, ad sacramenti valorem necessariam esse censent; alii vero impositionem manus, quæ chrismationi adjungitur, tenent solam requiri, et cum chrismatis unctione sacramenti materiam essentialem constituere.

Juxta diversas has sententias, variæ sunt etiam, ut patet, opiniones circa Confirmationis formam.

Nos, communiorem doctrinam amplectentes, sequentem thesim statuimus.

THESIS II.

Materia essentialis confirmationis est chrismatio et impositio manus, quæ chrismatis unctionem comitatur:—forma vero sunt verba, quæ unctioni respondent; apud Latinos: "Signo te signo crucis et confirmo te chrismate salutis in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti;" apud Græcos: "Signaculum doni Spiritus Sancti."

Prob. 1. pars thesis *de materia confirmationis*,

Quoad *chrismationem.* Ex Traditione PP. et Conciliorum, quorum testimonia, de chrismate in hoc sacramento adhibito, retulimus in thesi præcedenti.—Præterea, juxta perpetuam in Ecclesia traditionem, Concilium Florentinum, Decreto pro Armenis, declaravit: "Secundum sacramentum est Confirmatio, *cujus materia est chrisma* confectum ex oleo, quod nitorem significat conscientiæ, et balsamo, quod odorem significat bonæ famæ, per episcopum benedicto."—Et Concilium Tridentinum, sess. 7. can. 2. definivit: "Si quis dixerit, injurios esse Spiritui Sanctu eos, qui sacro Confirmationis *chrismati virtutem* aliquam tribuunt, anathema sit."

His autem verbis Concilium Tridentinum sat clare indicat chrismatis unctionem materiam esse essentialem sacramenti: ideoque eodem sensu cetera Concilia, et Patres, qui de chrismate loquuntur, intelligenda sunt. —Sed et idipsum eos sensisse ex eorum testimoniis *directe* demonstratur, nam

1. Chrismationi *vim* conferendi gratiam tribuunt, ut cuique legenti loca superius citata manifeste apparet.

2. Chrismationem appellant, stricto et proprio sensu, sacramentum et eam baptismo et Eucharistiæ æquiparant. Confer textus allatos Tertulliani, S. Cyr. Hierosol., S. Cyr. Alexandrini, S. August., Theodoreti. His addantur, inter ceteros, S. Pacianus (serm. de baptismo): "Lavacro peccata purgantur, chrismate Sanctus Spiritus superinfunditur . . . atque ita totus homo renascitur et innovatur in Christo." Et S. Maximus in scholiis ad capit. 2. libri S. Dionysii de ecclesiastica hierarchia, postquam multa præclara de Confirmatione dixerit, concludit: "Perficit omnia divinum unguentum, cum effunditur, quemadmodum sumptio sancti corporis et sanguinis."

3. Docent unctionem hanc iterari non magis posse ac baptismum. Ita S. Augustinus, contra ep. Petiliani, jam citatus; et S. Optatus, de schismate Donatistarum (l. 7. c. 4.).

Quoad *impositionem manus.* Hanc esse essentialem evincitur 1. ex eo quod eam adhibuisse Apostolos constat, dum sacramentum Confirmationis conferebant.

2. Ex doctrina PP. et Conc. superius, articulo primo, exposita.—Addas testimonia Ven. Beda (in exposit. Ps. XXVI.): "Illa unctio, quæ *per manus impositionem* ab episcopis fit, Confirmatio dicitur;"—Rabani Mauri (de inst. cleric. l. 1. c. 28.): "Episcopus baptizatum, *per manus impositionem* cum ipso chrismate, consignat;"—Amalarii Fortunati (de offic. eccles. lib. 1. cap. 27.): "Ut ab episcopis solis inungantur *per manus impositionem*, ab Apostolis assumptum est;" et c.—Addas quoque in professione fidei præscripta Waldensibus ad Ecclesiam reducibus (anno 1210.), declaratum fuisse: "Confirmationem ab episcopo factam, id est *impositionem manuum*, sanctam et reverende esse accipiendam censemus."—Et ad recentiora tempora devenientes, Concilium Coloniense, an. 1536. p. 7. cap. 8. (Labbe t. 14. p. 533.) declaravit: "Omnes fideles . . . . . per manus impositionem episcoporum Spiritum Sanctum post baptismum accipere debent, ut pleni Christiani inveniantur." Cui consonat Conc. Rhemense an. 1583. in c. 9. (Labb. t. 15. p. 891.), de Confirmatione ita disserens: "Quamvis unusquisque per Baptismum catologo fidelium sit adscriptus . . . tamen . . . nonnisi per impositionem

manuum episcopi, plus roboris et gratiæ recipit." Et Narbonense an. 1609. cap. 15. (Labb. ibid. pag. 1587.), affirmans, "sanctorum Patrum institutionibus constare . . . post baptismum in hoc sacramento, quo per impositionem manuum episcopi Spiritus Sanctus diffunditur in corda fidelium, robur atque fortitudinem dari."

Et hæc sufficiant.

Quod *impositio manus*, ad validitatem sacramenti necessaria, sit *illa quæ cum chrismatione conjungitur*, patet

1. Ex documentis mox citatis;

2. Ex Pontificali Romano, quod post extensionem manus primam cum oratione *Omnipotens sempiterne Deus*, etc. præscribit, ut "Pontifex sedens super faldistorium, vel etiam, si multitudo confirmandorum exegerit, illis dispositis. . . . . . . Pontifex stans cum mitra illos confirmat genuflexos. . . . . . Et Pontifex inquirat sigillatim de nomine cujuslibet confirmandi." Ex quibus verbis recte infertur: ergo antea, post impositionem manus primam, non erant confirmati; ac proinde impositio illa manus essentialis non erat.

3. Ex praxi Ecclesiæ græcæ, quæ nullam impositionem aliam manus adhibet, præter eam, quæ est chrismationi annexa, ut constat tum ex eorum Euchologiis tam antiquis, quam recentibus a Goario editis; tum ex Greg. Thessalonicensi, et Mich. Palæologo, qui in professione fidei, quam anno 1274. ad Gregor. X. misit, diserte ait: "Aliud est sacramentum confirmationis, quod per manuum impositionem episcopi conferunt chrismando renatos."

Idipsum confirmabitur ex probatione 2. partis theseos.

Prob. 2. pars thesis *de forma confirmationis.*

1. Quia oratio respondens præviæ impositioni manus super confirmandos nullo modo pertinet ad essentiam formæ:—nam *a*) forma materiæ respondet, eique conjungitur; sed demonstravimus primam impositionem manus episcopi super ordinandos non esse neque partialem materiam sacramenti confirmationis: ergo oratio quæ huic impositioni manus respondet, non est forma.—Præterea in Ecclesia græca non habetur nisi impositio manus quæ fit cum chrismatione; ac proinde nonnisi huic respondere potest forma. Oratio vero ad invocandum Spiritum Sanctum, in administrando hoc sacramento apud Græcos nulla occurrit.

b) forma non potest proferri ab alio, præterquam a ministro;—oratio autem prævia, de qua agimus, aliquando recitari consuevit a presbytero baptizante, statim post baptismum, antequam episcopus ad confirmandum accederet. Id ex codicibus antiquissimis ostendit Martene.

2. Quia directe demonstratur formam apud Latinos esse verba hæc, quæ a ministro, dum chrismate ungit confirmandum, proferuntur: *Signo te signo crucis et confirmo te chrismate salutis in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.* Etenim *a*) forma sacramenti consistit in verbis quæ materiam determinant ad significandum et producendum ejusdem sacramenti effectum:—atqui id faciunt verba citata. Ergo.—*Prob. min.* Effectus confirmationis est roborare fidelem ad christianam militiam, ita ut strenue nomen Christi portet et ejus fidem profiteatur: jam vero hunc effectum significant, ut patet, verba prædicta.—*b*) Forma hæc "signo te" etc. non solum assignatur a Concilio Florentino, in Decreto pro Armenis, sed invenitur in antiquissimis ritualibus; et quia non legitur ab aliquo Concilio, aut Pontifice invecta atque præscripta, eam fuisse in usu, initio ipso Ecclesiæ, dicendum est.

Ad Græcos, quod attinet, forma hæc, *signaculum doni Spiritus Sancti,* subintelligendo, *tibi datur,* vel *ecce,* antiquissima est, et approbata a Pontificibus Romanis et a Conciliis. Etenim asseritur in Conc. Const. I. Œcumenico, can. 7. (Labbe t. 2. pag. 952.) ubi inquit: "Arianos . . . . signatos, sive unctos primum sacro chrismate et frontem, et oculos, et nares, et aures. Et eos signantes dicimus: signaculum doni Spiritus Sancti." Neque hic Concilium de sola hæreticorum reconciliatione agit; nam S. Cyrillus (catech. 18. num. 33.) verba illa Confirmationi tribuit; nec unquam Græci chrismationem adhibuerunt, nisi in Confirmatione sola, ut ex eorum liquet Euchologiis a Goario divulgatis. Deinde quoties in Conciliis de unione Græcorum actum est, nunquam hæc eorum forma vel ad crisin vocata est, etsi Marcus Ephesinus in Conc. Florent. retulisset, Græcos sub ea forma administrare confirmationem. Quin deputata Cardinalium Congregatio ad examen Ritualis Græcorum ab Urbano VIII., quoad Græcorum materiam et formam in Confirmatione nihil censuit innovandum; unde quoad hoc caput recusum fuit Rituale integrum.

Insuper forma hæc Græcorum effectum sacramenti exprimit, cum significet gratiam Spiritus Sancti ad profitendam viriliter fidem, sicut

decet Christi militem. Hinc etiam, ob rationem allatam, nihil significatione differt forma hæc Græcorum a forma quam in Latina Ecclesia solam veram esse propugnavimus.

Difficultates quæ urgentur adversus alias circa materiam confirmationis sententias ea quam propugnamus vitat, nec impugnatur nisi argumentis negativis, quibus opponimus positiva atque gravissima.—Aiunt adversarii, Scripturam non memorare unctionem cum chrismate tamquam materiam confirmationis: sed respondemus chrisma esse materiam evidenter constare ex Traditione. Allegant quosdam Patres, qui de confirmatione loquentes, solum nominant impositionem manus; alios Patres afferunt, qui de impositione manus silent, et chrisma confirmationis laudibus extollunt. Reponimus adversariis: Patres unam materiam commemorantes aliam non excludunt; et dum modo unam, modo aliam designant, indubie ostendunt utramque ejusdem sacramenti esse materiam.

ARTICULUS TERTIUS

De ministro confirmationis.

Minister confirmationis alius est *ordinarius*, qui potestatem habet vi Ordinis sui completam ad hoc sacramentum valide conferendum: alius vero *extraordinarius*, qui vi ordinis *nonnisi inchoatam* potestatem habet ad baptizatos confirmandos; quæ, proinde, ut hoc facere possit, dispensatione legitima compleri debet.

Ordinarium Confirmationis ministrum esse presbyterum contendit Photius, sæculo nono, Græcorum schismaticorum antesignanus; eumque in hoc errore secuti sunt Waldenses, Wicleffitæ, Hussitæ, necnon Calvinus et alii, qui licet Confirmationem e sacramentorum numero deleant, cum illis tamen hæreticis antiquioribus negant episcopum solum, ut ministrum ordinarium, confirmare posse.—Tridentina Synodus fidei definitionem de Confirmationis ministro tulit, sessione 7. can. 3., his verbis: "Si quis dixerit, sanctæ Confirmationis ordinarium ministrum non esse solum Episcopum, sed quemvis simplicem sacerdotem; anathema sit." Et sess. 23. postquam in capit. 4. declaraverit episcopos "presbyteris superiores esse; ac sacramentum Confirmationis conferre, ministros Ecclesiæ ordinare, atque alia pleraque peragere

ipsos posse, quorum functionum potestatem reliqui inferioris Ordinis nullam habent;" in can. 7. statuit: "Si quis dixerit, episcopos non esse presbyteris superiores, vel non habere potestatem confirmandi et ordinandi: vel eam, quam habent, illis esse cum presbyteris communem . . . anathema sit."

De ministro confirmationis extraordinario lis fuit olim non minima inter doctores, multis cum S. Thoma affirmantibus, sacramentum hoc a presbytero administrari posse, si dispensatio accederet Summi Pontificis,—negantibus paucis, et inter eos erat Estius. Verum communior sententia semper firmior evasit decursu temporis, et nunc eam, si de fide non dicimus, ut Dominicus Soto et Gregorius de Valentia asseruerunt, certam tamen, et omnino tenendam esse propugnamus.

His breviter adnotatis, apponitur

THESIS III.

Minister confirmationis ordinarius est solus episcopus; extraordinarius vero potest esse presbyter ex dispensatione Sedis Apostolicæ.

Prob. 1. pars thesis. 1.—*Ex Scripturis.* Etenim, Act. VIII. legimus missos fuisse Petrum et Joannem Apostolos ut per impositionem manuum Spiritum Sanctum darent illis quos Philippus baptizaverat: et cap. 19. pariter legimus Paulum Apostolum confirmasse eos quos alii baptizaverant.—Atqui nulla ratio assignari potest, cur soli Apostoli manus imposuerint et ex uno loco ad alium venerint ut baptizatos confirmarent, nisi quia istud munus ad primum ecclesiasticum gradum, idest ad episcopalem, pertinet. Ergo.

Dices, undenam constat Apostolos manus imposuisse ut episcopos, non ut presbyteros? Primo, ex eo quod in Scriptura numquam legimus presbyteros confirmasse: secundo, et certo, ex Traditione.

2. Hæc autem *traditio* manifesta apparet in documentis quæ citavimus pro thesi I.—Liquet etiam ex sequentibus Summorum Pontificum factis atque Decretis. Cum Photius ordinariam confirmandi potestatem presbyteris tribueret, Nicolaus I. errorem non tulit nec dissimulavit, sed Bulgaros a Photianis presbyteris confirmatos iterum jussit confirmari, quia isti ordinariam potestatem non habuerant, et delegari non poterant a Patriarcha Constantinopolitano, cum Bulgari subessent Occidentali. Hoc factum colligimus ex epistola Photii ad omnes Ori-

entis episcopos, ubi de Nicolai decreto acerbe queritur. Idem factum narratur in epistola synodica ad Adrianum directa a Concilio generali VIII.—Innocentius III. eundem græcorum abusum ætate sua damnavit: etenim in epistola ad Lucium, Legatum Constantinopolitanum, ita loquitur: "Pervenit ad audientiam nostram, quod quidam simplices sacerdotes apud Constantinopolim ea sacramenta præsumant fidelibus exhibere, quæ ab Apostolorum tempore rite fuerunt solis Pontificibus reservata, ut est sacramentum Confirmationis, quod chrismando renatos soli debent episcopi per manus impositionem conferre. . . . . . Discretioni tuæ mandamus, quatenus omnibus Latinis presbyteris apud Constantinopolim constitutis districte prohibeas, ne talia de cetero sua temeritate præsumant." Gregorius IX. in epistola ad Barensem episc. repetit et confirmat decretum Innocentii III.—Innocentius IV., consultus de ritibus Græcorum, in epist. ad Othonem Card. Legatum in regno Cypri, de Confirmatione sic respondet: "Soli episcopi consignent chrismate in frontibus baptizatos, quia hujus unctio non debet nisi per Episcopos exhiberi; quoniam soli Apostoli, quorum vices gerunt episcopi, per manus impositionem, quam confirmatio vel frontis chrismatio repræsentat, Spiritum Sanctum tribuisse leguntur."

3. Ex aptissima convenientia confirmatur thesis. Confirmatio est perfectio baptismi; a primario igitur ministro Ecclesiæ est conferenda:—in Confirmatione miles Christi nuncupatur; confirmat ergo episcopus, quia nuncupatio militum summis ducibus reservatur.

Prob. 2. pars thesis.—1. *Ex Conciliis.*—Nam Concilium Tridentinum, in canone superius citato, et Conc. Florentinum, in Decreto ad Armenos, declarant *Ordinarium* Ministrum Confirmationis esse Episcopum.—Ergo saltem innuunt alium esse ministrum ejusdem sacramenti extraordinarium. Et conclusio roboratur 1. ex eo quod in aliis sacramentis, pro quibus non datur minister extraordinarius, ut in pœnitentia, extrema unctione, etc. Concilia citata statuant simpliciter sacerdotem esse ministrum. 2.—Ex clausula, quam Concilium Florentinum apposuit declarationi factæ de ministro ordinario confirmationis: "Legitur tamen," addit Concilium, "aliquando per Sedis Apostolicæ dispensationem, ex rationabili et urgente admodum causa, simplicem Sacerdotem chrismate per Episcopum confecto hoc administrasse Confirmationis Sacramentum."—Illud vero quod adversarii adnotant, nempe, Concilium

dum ait "*dispensationem legi*," non affirmare eam vere aut legitime fuisse factam, nullius momenti est:—utrumque enim implicite Florentinam Synodum declarare non est dubium, cum dicat *legi id ex rationabili et urgenti causa fuisse factum;* quam causam profecto expenderat, ante promulgationem illius Decreti, quod latum fuit nonnisi "post non mediocrem testimoniorum inspectionem .... et earum de quibus agebatur rerum inspectionem."

2.—*Ex praxi et auctoritate Summorum Pontificum* certo ostenditur presbyteros posse ex dispensatione Sedis Apostolicæ conferre Confirmationem. Et revera Romani Pontifices Gregorius M., Nicolaus IV., Joannes XXII., Urbanus V., aliique quos commemorat Benedictus XIV. (de Syn. l. 7. cap. 7. nn. 5. 6.) dispensationem illam concessere. Exemplum hoc secuti sunt ipse Benedictus XIV. et posteriores Pontifices; et in hac regione, ut refert Kenrick (tract. de Confirm. cap. 3.) eadem potestas Joanni Carroll S. J. facta fuit, antequam ad Episcopatus honorem primus in Federatis Statibus Americæ Septentrionalis eveheretur. Immo nunc ordinarie datur Præfectis Apostolicis, qui non sunt Episcopi.

3.—Demum *ex consuetudine apud Græcos vigente,* quod contendimus, confirmatur: in Ecclesia enim Græca, longe ante schisma Photianum, consuetudo introducta fuit, ut presbyteri infantibus baptizatis, tamquam ministri extraordinarii, conferrent sacramentum Confirmationis; et Ecclesia Latina praxim hanc Græcorum non reprobavit, cum in Conciliis Œcumenicis Lugdun. II. et Florentino ad suam communionem Græcos admiserit, et Confirmationem, a græcis presbyteris collatam, invalidam non pronuntiaverit.

Merito hic citari debent verba Benedicti XIV. (op. cit. c. 9. n. 3.): "Aliis in locis, in quibus chrismatio data a sacerdotibus græcis non est a Sede Apost. expresse improbata, ea pro valida est habenda ob tacitum saltem privilegium a Sede Apostolica illis concessum; cujus quidem privilegii præsumptionem inducit ipsamet conniventia et tolerantia Romanorum Pontificum, qui prædictum morem Græcorum scientes non contradixerunt, nec unquam illum damnarunt."

Contra thesim difficultates, quæ proponuntur, nullo negotio solvi possunt.

Dicitur 1.—Ananias, cum Episcopus non esset, imposuit Saulo manus

ut impleretur Spiritu Sancto (Act. 9. 17.).—Ergo Confirmationis non est solus Episcopus minister ordinarius.

Resp. *Trans. Ant. N. Cons.*—Paulus non erat adhuc baptizatus, ideoque impositio illa manus non potuit esse ad conferendum sacramentum confirmationis. Fuit autem ad baptismi, in quo Paulus impleri debebat Spiritu Sancto, præparationem; et ad obtinendum visum Paulo, juxta illud quod in eodem cap. 9. Act. (v. 12.) legimus: "Et vidit [in spiritu] virum Ananiam nomine, introeuntem, et imponentem sibi manus, ut visum recipiat."

2.—Plura Concilia particularia permittunt presbyteris confirmare baptizatos.—Ergo.

Resp. *Dist. Ant.*—Ut ministris extraordinariis *C.* secus *N.*—et sic etiam intelligitur quare alia Concilia, quæ citavimus, dicant Episcopos solos conferre sacramentum Confirmationis.

3.—Sacerdotibus baptizare licet ex officio et Eucharistiam conficere. Ergo et confirmare: qui enim potest majus, potest et minus.

Resp.—*N. Cons.* Tunc enim valet axioma, quod in objectione allegatur, quando majus includit minus; id vero locum non habet in re præsenti, quia Eucharistiæ consecratio non includit confirmationem; et uti ait S. Thomas (3. p. q. 72. a. 11. ad 2.), licet baptismus efficacior sit quantum ad remotionem mali, Confirmatio tamen est efficacior quantum ad proficiendum in bono.

4.—Innocentius III., et Innocentius IV. in declarationibus, quas supra retulimus, statuunt a solis Episcopis administrandum esse confirmationis sacramentum, et distincte prohibent ne presbyteris hoc munus sibi usurpent. Similiter Clemens VIII. (Instruct. de Ritibus Græcor.) non solum presbyteris confirmare vetuit, sed Episcopis latinis præcepit ut sub conditione confirmarent eos qui a presbyteris græcis Confirmationem acceperant.

Resp.—Innocentii III. decretum spectabat presbyteros latinos qui Constantinopli degebant, et absque dispensatione Summi Pontificis sibi jus arrogabant conferendi sacramentum chrismatis:—Innocentius IV. pro Cypriis providebat, et solum vetabat, ad jurgia vitanda inter Græcos et Latinos in insula Cypri degentes, ne presbyteri græci in posterum confirmarent:—demum Clementis VIII. Instructio respicit Italo-Græcos

Latinis subjectos, pro quibus merito dubitari poterat an presbyteri qui sacramentum Confirmationis administraverant, legitimam habuerint dispensationem necne.

SCHOLION 1.— Administratio Confirmationis jure ordinario et ex officio, solius Ordinis, vel consecrationis episcopalis, actus est; jure extraordinario autem et ex delegatione actus est Ordinis presbyteralis, quo confertur presbytero potestas confirmandi inchoata, incompleta, quæ delegatione legitima perficitur. Hinc dum ad confirmandum delegatur sacerdos, non ei committitur actus ordinis episcopalis, sed sui proprii sacerdotalis, quatenus per delegationem potestas illa inchoata fit libera, expedita, completa, quæ sine delegatione erat quasi ligata, impedita et incompleta. Ex hisce simul fluit (quia potestas confirmandi jure ordinario actus est episcopalis ordinis), episcopum electum, ante consecrationem, confirmare invalide, ut communis Theologorum sententia docet; e contra validam esse Confirmationem, quam episcopus consecratus administrat in aliena diœcesi.

SCHOLION 2.— Controversum fuit inter Doctores utrum delegatio Summi Pontificis requiratur semper ut presbyter *valide* confirmare possit, an vero sufficiat delegatio Episcopi?—Benedictus XIV. (de Syn. lib. 7. cap. 8.) postquam retulerit rationes quæ hinc inde afferuntur a patronis utriusque sententiæ, affirmantis et negantis, concludit (n. 7.): "Ceterum, quidquid sit de hac difficili, et valde implexa controversia, omnibus in confesso est, irritam nunc fore Confirmationem a simplici presbytero latino, ex sola Episcopi delegatione, collatam, quia Sedes Apostolica id juris sibi unice reservavit; quam quidem reservationem non tantum a consuetudine in tota Ecclesia Latina jamdiu recepta tacite inductam arbitramur .... sed jam ante IX. sæculi finem expresse factam colligimus ex epist. 70. Nicolai I. ad Hincmarum, et ceteros Archiepiscopos, atque Episcopos, in Regno Caroli constitutos, in qua legitur, Græcorum Imperatores, qui illis parebant, calumniari sanctam Romanam Ecclesiam, immo omnem Ecclesiam, quæ Latina utitur lingua, 'quia Presbyteros sortiri conjuges prohibemus, et quoniam eosdem presbyteros chrismate linire baptizatorum frontes inhibemus' (tom. 5. Coll. Harduini, col. 309.). Posita autem reservatione facultatis, de qua est sermo, a Summo Pontifice sibi facta, nec licite, nec valide potest Episcopus Latinus illa uti: nam, quamvis confirmare sit actus Ordinis Epi-

scopalis, cujus firmitas et validitas a Pontificis nutu non pendet, delegare tamen simplici presbytero potestatem exercendi ejusmodi actum, potius ad jurisdictionem, quam ad Ordinem, pertinet; Episcoporum vero jurisdictio, sive sit immediate a Christo Domino, sive a Summo Pontifice, ita semper huic subest, ut, consentientibus omnibus Catholicis, ejusdem auctoritate, et imperio limitari, atque ex legitima causa omnino auferri possit. . . . Quamobrem Clemens VI. priusquam ad Catholicam communionem reciperet Consolatorem, Armenorum Patriarcham, certior fieri voluit, an cum Ecclesia Romana sentiret etiam in hisce articulis, expressis in Apostolicis litteris ad eumdem Patriarcham datis, quæ habentur apud Raynaldum ad an. 1331. num. 12. nimirum: 'Primo de consecratione chrismatis, si credis, quod per nullum sacerdotem, qui non est Episcopus, chrisma potest rite et debite consecrari. Secundo, si credis, quod Sacramentum Confirmationis per alium, quam per Episcopum, non potest ex officio ordinarie ministrari. Tertio, si credis, quod solum per Romanum Pontificem, plenitudinem potestatis habentem, possit dispensatio Sacramenti Confirmationis presbyteris, qui non sunt Episcopi, committi. Quarto, si credis, quod chrismati per quoscumque sacerdotes, qui non sunt Episcopi, neque a Romano Pontifice super hoc commissionem, seu concessionem aliquam receperunt, iterum per Episcopum, vel Episcopos sint chrismandi.' Quæ verba perpendant, oportet, qui potestatem, de qua disserimus, Episcopis attribuunt."

ARTICULUS QUARTUS

Quibusdam de confirmatione quæstionibus satisfit.

1. Subjectum Confirmationis est omnis et solus homo baptizatus, nec obstat infantilis ætas, quia "anima," ait S. Thomas (3. q. 72. a. 8.) "ad quam pertinet et spiritualis nativitas et spiritualis ætatis perfectio, immortalis est, et potest sicut tempore senectutis spiritualem nativitatem consequi, ita tempore juventutis aut pueritiæ consequi perfectam ætatem, quia hujusmodi corporales ætates animæ non præjudicant."—Juxta præsentem disciplinam, pueri non confirmantur ante usum rationis, nisi urgeat mortis periculum, vel gravis ratio suadeat.

2. Quoad necessitatem Confirmationis, certum est apud omnes eam non esse necessariam necessitate medii ad salutem ;—an ex præcepto fideles illam recipere teneantur, in dubium a Theologis revocatum fuit. S. Alphonsus (Theol. mor. l. 6. t. 2. c. 2. n. 182.) refert duplicem hac de re sententiam :—sed addit: "Verumtamen postquam hæc scripsi invenio declaratum a Benedicto XIV. in Bulla, *Etsi pastoralis* (in bull. t. 1. bull. 57. § 3. n. 4.) . . . admonendos esse [eos qui invalidam receperant Confirmationem] de obligatione gravi suscipiendi cum possint, Confirmationem ab episcopis. En verba Pontificis : 'Monendi sunt ab ordinariis locorum, eos gravis peccati reatu teneri, si (cum possint) ad Confirmationem accedere renuunt, ac negligunt.' Quapropter secunda opinio supra relata, nimirum non teneri fideles sub gravi ad Confirmationem suscipiendam, hodie non videtur satis probabilis."

3. Ad chrisma quod attinet, inter Theologos controvertitur utrum, *necessitate sacramenti*, confici debeat oleo olivarum admiscendo balsamum, an validum chrisma haberi possit etiamsi balsamum omittatur: —indubium tamen est chrisma requiri benedictum ab episcopo, jure saltem ordinario, et necessitate ad minus præcepti.

4.—Confirmatio imprimit characterem, auget gratiam sanctificantem, et confert jus ad auxilia specialia qua fortiter fidem Christi profiteamur.

De his confer ea quæ diximus *De Sacramentis in Genere*, p. 1. art. 3.; p. 3. a. 2. et 6.

"Spiritus Sanctus, qui super aquas baptismi salutifero descendit illapsu, in fonte plenitudinem tribuit adi nnocentiam, in Confirmatione augmentum præstat ad gratiam ; et quia in hoc mundo tota ætate victuris inter invisibiles hostes et pericula gradiendum est, in baptismo regeneramur ad vitam, post baptismum confirmamur ad pugnam ; in baptismo abluimur, post baptismum roboramur." S. Euchar. Lugd. hom. in die Pentec.

LIBER SECUNDUS

De Eucharistia.

DE EUCHARISTIA

NOTIO ET DIVISIO TRACTATUS.

Eucharistia est sacramentum in quo sub speciebus panis et vini corpus et sanguis Christi continentur ad spiritualem animarum nostrarum refectionem. Cum ergo de Eucharistia loquimur, novæ legis sacramentum spectamus omnium præstantissimum, quo nihil sublimius, nihil utilius, suaviusque nihil theologicis investigationibus attingi potest.

Et quidem in ceteris sacramentis est virtus a Christo ad homines sanctificandos participata; in Eucharistia adest sanctificationis nostræ Ipse Auctor et Consummator: per sacramenta cetera disponimur, ut docet S. Thomas,[1] ad suscipiendam, vel consecrandam Eucharistiam; hæc vero, quæ spiritualem vitam sustentat, fovet, ac perficit, finis est ceterorum omnium sacramentorum. Nec solum sacramentum est Eucharistia, sed et sacrificium; quo cruentum illud semel in cruce peractum repræsentatur, Deus incruenta oblatione victimæ infiniti valoris colitur, et a nobis sacrificii crucis fructus uberrime percipiuntur. Quamobrem in admirationem rapti de augustissimo hoc mysterio exclamare cum Psalmista[2] debemus: "Memoriam fecit mirabilium suorum, misericors et miserator Dominus;" et cum Patribus Concilii Tridentini profiteri,[3] Christum omnes in Eucharistia divitias divini amoris sui erga nos veluti effudisse.

In ea enim magnificentissima divinarum perfectionum manifestatio est. Et primo omnipotentia Dei maxime elucet in Eucharistia: nam ibi et substantias transmutat, et accidentibus alium existendi modum tribuit, et corpus ad similitudinem spiritualis substantiæ præsens efficit,

[1] 3. q. 73. a. 3. [2] Ps. 110. [3] Sess. 13. c. 2.

illudque constituit in dissitis locis, et tam multa operatur, ut absolutum Dei dominium in res creatas omnes ineffabiliter prorsus reveletur. Quid autem de divina sapientia dicam quæ clarissime fulget in mysterio Altaris? Hic, fidelis corpore et sanguine Christi roboratur ut adversus omnes salutis hostes munitus, firmo ac celeri gressu properare possit ad cœlum; et ne abhorreat a cruenta carnis Christi comestione, atque a potione rubescentis ejus sanguinis, corpus et sanguinem Christi sub earum rerum specie recipit, quarum quotidiano et communi alimento maxime delectatur. In hoc perdifficili mysterio fides nostra exercetur et crescit: in eo spes erigitur, et præsertim caritas inflammatur, dum in eo pignus nobis datur quo nihil majus concipi potest ad ostendendam infinitam Christi erga nos homines dilectionem.

Habet autem Eucharistia multiplicem analogiam cum mysterio Incarnationis, cujus non immerito dici quodantenus posset adumbratio quædam et continuatio. "Sicut in mysterio Incarnationis," ait Suarez,[1] "humana natura proprio supposito caruit, ita hic accidentia privantur subjecto suo; et sicut ibi Verbum sub humanitate latuit factum homo, ut nos redimeret, ita Verbum incarnatum sub accidentibus panis continetur, factum cibus et panis cœlestis animarum, ut eas reficiat. Unde sicut per Incarnationem factum est ut Verbum in humanitate assumpta sit in tempore genitum, et injuriis temporis ac hominum expositum, ipso Verbo in se impassibili et immutabili permanente; ita Verbum incarnatum, quatenus sub hoc sacramento continetur, quotidie conficitur, et in loco humili interdum jacet, et a pravis hominibus injuriis afficitur, ipso nihilominus Verbo, ejusque humanitate gloriosa impassibili ac immutabili permanente." Demum, ne alias prosequar similitudines, ut Incarnatio nobis exhibet Unigenitum Filium Æterni Patris in sinu Matris Virginis naturam nostram hypostatica unione sibi copulantem, ita Eucharistia ostendit eum in sinu Ecclesiæ singulos fideles sibi arctissime unientem, eisque vitam suam communicantem.

Has mysterii, de quo loquimur, prærogativas, figuræ V. T. jam antea prænuntiaverunt, et nomina quibus in Ecclesia decoratum fuit, ut possunt, indicant.

Ad figuras quod attinet, Eucharistia, prout est res subjecta sensibus, panis et vini species exhibens, præsignata fuit tum per *oblationem Melchisedech* (Genesis XIV. 18.), tum per *panes propositionis* (Lev.

[1] In 3. p. S. Thomæ, disp. 46. sect. 7. n. 7.

XXIV. 5.), tum per *panem subcinericium* (III. Reg. XIX. 6.), quem Elias manducavit, et quo roboratus ambulavit usque ad montem Dei Horeb: — prout realiter sub speciebus corpus ac sanguinem Christi continet, Eucharistiam adumbraverunt Sacrificia omnia veteris legis:— mirabiles ejus effectus, originem, et suavitatem *manna* præfiguravit (Exod. XVI. 14.). Sed præcipua Eucharistiæ figura fuit *agnus paschalis; agnus* enim significavit Christum non tantum ut hostiam, sed etiam ut cibum, quia agnus ille non modo immolari debuit sed manducari: *agni sanguis*, quo olim Hebræi a devastante Angelo et ab Ægyptiaca servitute liberati fuerunt, effectum redemptionis Christi nobis per Eucharistiam applicatæ designavit: et *panis azymus* quocum agnum ex Dei præcepto Hebræi manducabant, materiam ex qua conficitur sacramentum repræsentavit.[1]

Nomina vero varia et præclara, quibus hoc mysterium in Ecclesia significatur, præstantiam illius ac perfectiones quas complectitur aperte ostendunt.—Frequentius tum a Græcis, tum a Latinis vocatur *Eucharistia* quod latine audit *gratia*, et *gratiarum actio:* sive quia Christum continet, qui "plenus est gratia," et est fons omnium gratiarum; sive quia hoc sacramentum est pignus vitæ æternæ, quæ, ut ait Apostolus (Rom. VI. 23.), est gratia Dei; sive quia in institutione hujus mysterii Christus Deo egit gratias; sive demum quia ad gratias Deo referendas pro omnibus beneficiis ab eo acceptis nihil hoc mysterio dignius est, vel esse potest.

Præterea, a ritu qui in conficienda Eucharistia adhibetur, vocatur *benedictio* et *fractio panis;*—a materia ex qua conficitur *panis* dicitur, licet etiam sic appelletur sive ratione speciei externæ, sive ratione virtutis qua vitam spiritualem conservat et auget. Quinimmo non solum panis, sed et *panis cœlestis, panis mysticus, panis animæ substantialis, panis Christi, panis Angelorum, panis sanctus vitæ æternæ*, frequentissime nuncupatur:—et apud græcos scriptores sæpe vocatur *donum*, tum quia ex oblationibus panis et vini, quas fideles ad Ecclesiam afferebant, confici solebat; tum quia donum continet, nempe Christum, qui cetera omnia dona longe superat ac antecellit.

A re quæ in Eucharistia continetur, sacramentum hoc dicitur *Corpus Christi*, aut *sanguis Christi*, aut *celebratio corporis et sanguinis Christi:*

[1] V. S. Thomas. 3. q. 73. a. 6.

et exinde est quod simul etiam vocetur *sacramentum sacramentorum*, aut *sanctissimum sacramentum*, aut *sanctum Domini;* imo per antonomasiam *sacramentum*, vel *mysterium*, vel, in plurali, *mysteria.*—Ab institutionis tempore et loco, Eucharistiæ sacramentum appellatur *cœna, cœna dominica, mensa Domini, Pascha, Novum Testamentum.* — Ab adjunctis, *Agapa* dictum est, quia convivia caritatis Eucharistiam comitabantur. —Denique ab effectibus vocatur *Communio, synaxis, sacramentum pacis et caritatis, Viaticum, ipsa Vita.*

Est itaque Eucharistia totius Christiani cultus centrum et gloria, sanctificationis nostræ consummatio, peregrinationis nostræ mortalis sustentaculum, præsidium atque solamen. At inimicus homo, eadem de causa, bonum semen cœlestis tritici eradicare si umquam posset, vel saltem corrumpere, præsertim his ultimis Ecclesiæ temporibus, irrito sed vehementi conatu molitus est.

Nos ad pretiosissimum Christi donum melius intelligendum, ardentius amandum, sapienterque adversus hostium impetus defendendum, hanc de Eucharistia tractationem, quam aggredimur, in tres partes dividimus; quarum prima erit de reali Christi præsentia in hoc mysterio, secunda de eodem prout est sacramentum, tertia de eo ipso ut est sacrificium. In prima parte Eucharistiæ veritatem, juxta catholicam fidem, demonstrabimus; in aliis naturam, proprietates, effectus Augustissimi Sacramenti hujus et sacrificii contemplabimur.

PARS PRIMA

DE REALI CHRISTI PRÆSENTIA IN EUCHARISTIA

ARTICULUS PRIMUS

De hæresibus et de catholica veritate circa hoc mysterium.

Realem Christi præsentiam in Eucharistia *indirecte* impugnaverunt quotquot fuerunt hæretici, qui veritatem carnis Christi inficiati sunt. Tales fuerunt ab initio Ecclesiæ Simoniani, Menandriani, Manichæi. His vero et similibus omissis, ille qui *directe* hanc fidem realis præsentiæ corporis Christi in Sacramento altaris primus negavisse videtur fuit Joannes Scotus Erigena, sæculo IX.: scripsit enim de *Eucharistia* librum, et in eo, ut Hincmarus refert,[1] docuit: "Sacramentum altaris non esse verum corpus et verum sanguinem Domini, sed tantum memoriam veri corporis et sanguinis." Idem de Scoti errore narrat Ascelinus in epistola sua ad Berengarium: et certum est, librum Scoti in Vercellensi Concilio, an. 1050., fuisse damnatum, et iterum, circa idem tempus, a Concilio Parisiensi, et tertio a Concilio Romano, an. 1059.

Illa ætate, circa annum 1047., Berengarius, Archidiaconus Andegavensis Ecclesiæ, venena hæresis suæ circa Eucharistiæ veritatem spargere cœperat, nam dixerat *Eucharistiam non esse vere substantialiter Corpus et Sanguinem Domini, sed sola voce sic appellari pro eo quod tamquam umbra et figura significativa sit Corporis et Sanguinis Domini.* Verum realis Christi præsentia in Eucharistia, admissa fuit, ut videtur, a Berengario, et negata transubstantiatio, quia nonnulli Berengarii discipuli, ait Guitmundus,[2] qui docebant corpus Domini vere esse in Eucharistia sed simul cum pane, asserebant hanc Berengarii fuisse *doctrinam subtiliorem.* Damnata pluries fuit ejus hæresis, in conciliis nempe Vercellensi, Parisiensi et Romano jam citatis; iterum atque iterum in Concilio Turonensi, an. 1055.; in Romano, an. 1059.; Rothomagensi an. 1073.; Pictaviensi, an. 1075.; in duplici Romano sub Gregorio VII.,

[1] L. de prædest. c. 31.

[2] L. 1. contra Berengarium.

annis 1078. et 1079.: Berengarius vero pœnitens obiit in insula S. Cosmæ in Diœcesi Turonensi, die 6. Januarii anni 1088.

Sæculis insequentibus pervicaciores hæretici adversus augustissimum Sacramentum insurrexerunt.—Petrus de Bruis, ex quo Petrobrussiani, dixit, anno circiter 1140., Christum Dominum verum corpus et sanguinem suum in ultima cœna discipulis suis dedisse, sed deinde meram esse deceptionem in eo quod circa Eucharistiam a sacerdotibus docetur et creditur a fidelibus.—Negaverunt pariter realem Christi præsentiam in sacramento Albigenses, circa annum 1208., Flagellantes, anno 1350. —An idem senserit Wicleffus a quibusdam revocatur in dubium, cum modo realem præsentiam, modo potius transubstantiationem impugnare videatur: articulus tamen tertius doctrinæ ejus, a Concilio Constantiensi damnatus, veritatem præsentiæ Christi in Eucharistia indubie negat.[1]

Decimosexto sæculo Andreas Carlostadius, Archidiaconus Wirtembergensis, reali Christi præsentiæ in Sacramento bellum indixit, in hoc recedens a præceptore suo Luthero, qui fatetur quidem se diu multumque animo volvisse qua via posset dogma istud convellere, sed evidentia tamen verborum Christi compulsum se fuisse agnoscit ad admittendam realem corporis et sanguinis Christi præsentiam in Eucharistia, quamquam cum panis et vini substantia,—quod hujus hæresiarchæ in re præsenti constituit specialem errorem. Carlostadio accesserunt Huldricus Zwinglius Tigurinus pastor, et Joannes Œcolampadius apostata ex monaco birgittano ; eosque deinde multi secuti sunt.

Calvinus, in fallendi arte magister, verba sic composuit ut totus aliquando a Zwinglio recedere in doctrina videatur, et tamen in modo loquendi sed non in re ab eo differt. Calvini sententia hæc complectitur :—

1. Docet in terra esse solum symbola Cœnæ, corpus autem Christi nonnisi in cœlo esse: proinde tanto intervallo abesse Christi corpus a pane et vino quanto a cœlo abest terra.—2. Statuit symbola et corpus Christi, licet inter se loco plurimum distent, conjuncta tamen esse, non solum ratione signi, sed etiam quia Deus vere nobis exhibet corpus Christi et sanguinem, quo anima nostra alatur in vitam æter-

[1] Articulus damnatus a Concilio sic habet: "Christus non est in eodem sacramento identice et realiter propria præsentia corporali."

nam.—3. Addit, cum hæc duo capita doctrinæ inter se pugnare videantur, non posse comprehendi, sed fide sola teneri quomodo conjunctio fiat rerum tam distantium, symbolorum nempe Cœnæ et corporis Christi. "Etsi autem incredibile videatur," ait Calvinus,[1] "in tanta locorum distantia penetrare ad nos Christi carnem ut nobis sit in cibum; meminerimus, quantum supra sensus omnes nostros emineat arcana Spiritus Sancti virtus, et quam stultum sit ejus immensitatem modo nostro velle metiri. Quod ergo mens nostra non comprehendit concipiat fides, Spiritum vere unire quæ locis disjuncta sunt."—4. Declarat non ipsum Christi corpus nobis copulari, sed quamdam vim ex ejus carne et sanguine ad nos derivari per Spiritum Christi: et id illustrat exemplo solis cujus radiis tellus fœcundatur. "Vinculum istius conjunctionis," inquit Calvinus,[2] "est Spriritus Christi, cujus nexu copulamur; et quidem veluti canalis, per quem quidquid Christus ipse et est, et habet, ad nos derivatur. Nam si solem conspicimus radiis in terram emicantem ad generandos, fovendos, vegetandosque ejus fœtus, suam quodammodo substantiam ad eam trajicere; cur inferior spiritus Christi esset irradiatio ad communionem carnis et sanguinis ejus in nos traducendam?"—5. Communicationem hanc, ex Calvini sententia, dicitur per fidem solum fieri, ideoque solos prædestinatos percipere symbolum cum re per symbolum significata, quia soli prædestinati, juxta Calvinum, habent veram fidem.

Sociniani et Arminiani, ulterius adhuc progressi, asseruerunt Eucharistiam esse *sterile ac vacuum* signum quod nullam habet annexam promissionem gratiæ et ad hoc tantum valet ut mortem Christi nobis revocet in memoriam. Cum his sentiunt Anabaptistæ, Mennonitæ et alii: Quakeri ipsum ritum Eucharisticum prorsus rejiciunt.

Adversus hos omnes errores catholica veritas definita fuit in Concilio Tridentino, sess. 13. can. 1. his verbis: "Si quis negaverit in sanctissimæ Eucharistiæ sacramento contineri *vere, realiter* et *substantialiter* corpus et sanguinem, una cum anima et divinitate Domini nostri Jesu Christi, ac proinde totum Christum; sed dixerit tantummodo esse in eo ut *in signo*, vel *figura*, aut *virtute:* anathema sit."—Hæc autem verba, *vere, realiter, substantialiter*, distincte adhibuit Sancta Synodus, ut varia Novatorum placita his damnarentur: dum enim dicit *vere* corpus et

[1] Lib. 4. Instit. c. 17. § 10.

[2] Ibid. c. 17. § 12.

sanguinem Christi in Eucharistia contineri, excludit Christi præsentiam in sacramento, quæ tantum esset per imaginem ac per figuram; dum addit *realiter*, damnat eos qui contendunt Christum esse in Eucharistia præsentem tantum per fidem; et voce illa *substantialiter* præsentiam corporis et sanguinis Christi in mysterio altaris proscribit, quam Calvinus invexit, nempe per virtutem quamdam e cœlo diffusam.

Hoc itaque dogma fidei de reali corporis et sanguinis Christi præsentia in Eucharistia, sequentibus articulis vindicabimus, et primo ex Sacris Litteris.

ARTICULUS SECUNDUS

De promissione Eucharistiæ.

In Evangelio Joannis, capite sexto, communiter Protestantes contendunt sermonem non esse de Eucharistia, sed metaphorice Christum loqui de manducatione corporis sui ac potatione sanguinis, et significare fidem in seipsum, qui se appellat *panem vivum* et *panem cœlestem*. Catholici, fere universi, e contra tenent Christum in illo capite promisisse carnem suam vere et proprie ad manducandum, et sanguinem suum ad bibendum, seu promisisse[1] Eucharistiam suo tempore dandam, in qua vere, realiter ac substantialiter continerentur corpus et sanguis Domini in cibum et potum fidelium ad nutriendam vitam gratiæ. Diximus hanc esse doctrinam *fere* omnium catholicorum, quia paucis quibusdam Doctoribus caput sextum Joannis exponere placuit de spirituali dumtaxat, non de sacramentali manducatione et potatione corporis et sanguinis Domini in Eucharistia.

Verum hanc paucorum sententiam omnino improbandam communi-

[1] Christus de mysteriis et miraculis insignioribus, quæ ad salutem omnium patrare decreverat, prius commonefacere discipulos suos solitus fuit, ut facilius ea crederent cum adimplerentur. Sic, antequam baptismum institueret, dixit: "Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei" (Joan. III. 5.); antequam morti traderetur sæpius mortem suam discipulis prænuntiavit, et dixit: "Filius hominis tradetur . . . et condemnabunt eum morte, et tradent eum gentibus ad illudendum, et flagellandum, et crucifigendum, et tertia die resurget" (Matt. XX, 18. 19.); Ascensionem suam prædixit illis verbis: "Modicum et jam non videbitis me, et iterum modicum et videbitis me, quia vado ad Patrem" (Joan. XVI. 16.); Spiritum Sanctum promisit, inquiens: "Ego rogabo Patrem et alium Paraclitum dabit vobis ut maneat vobiscum in æternum" (Joan. XIV. 16.).

ter censent Theologi, et judicio subscribunt Maldonati, qui eam declarat temerariam, et gravioribus etiam condemnasset verbis, ait, nisi "compertum haberet homines bene Catholicos, errore magis animi quam vitio, in hæreticorum sententiam impegisse."

Dum autem catholici conveniunt in admittenda promissione Eucharistiæ a Domino facta in capite Joannis sexto, et defendunt a v. 48. illius capitis usque ad finem de sacramentali manducatione et potatione corporis et sanguinis Christi sermonem esse, non omnes tamen admittunt de Eucharistia loqui etiam Christum in 2. parte capitis, quæ est a v. 25. ad 48.:—de prima enim parte, quæ primos 24. versus complectitur nulla est controversia, cum evidenter spectet miraculum multiplicationis quinque panum, et referat sedulitatem turbarum in conquirendo Jesu. Probabilior nobis videtur sententia quæ unicum agnoscit scopum totius contextus a ver. 25. ad finem capitis, ubi eadem fere est phraseologia, et ubi Christus multa de fide disserit, non ut eam dicat esse cibum quem ipse erat daturus, sed ut explicet necessariam esse ad illum cibum cœlestem comparandum, quem promittit, nempe Eucharistiam.

Ut appareat nexus totius orationis, et præ oculis habeantur verba Salvatoris, ex quibus argumentum desumimus ad vindicandam realem ejus præsentiam in Eucharistia, subjicimus Evangelicæ narrationis brevem analysim.

Christus in deserto quinque panibus et duobus piscibus satiat quinque virorum millia; et postea super mare ambulans, transit Capharnaum. Eo convolat multitudo populi, non tam Christi dilectione atque cupiditate salutis ducta, quam potius quia iterum ab eo, a quo jam saturata fuerat, sperabat saturari.—"Quæritis me," ait Dominus, "non quia vidistis signa sed quia manducastis ex panibus et saturati estis" (v. 26.): ut carnale hoc desiderium arceat, animosque erigat ad excellentiorem cibum inquirendum, addit:—"Operamini non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam, quem Filius hominis dabit vobis. Hunc enim Pater signavit Deus" (v. 27.).—Quærunt Judæi quid operari debeant ad hunc cibum cœlestem sibi comparandum, et respondet Jesus necessarium esse ut in se credant: ad hoc Judæi miraculum aliquod insigne petunt, commemorando prodigia a Moyse patrata, qui cibo de cœlo per quadraginta annos in deserto pavit patres eorum. Jesus ait:—"Amen amen dico vobis: non Moyses dedit vobis panem de

cœlo, sed Pater meus dat vobis panem de cœlo verum. Panis enim Dei est, qui descendit de cœlo et dat vitam mundo" (vv. 32. 33.).

Tunc quærentibus Judæis panem hunc, Dominus dicit se esse illum panem :—"Ego sum," inquit, "panis vitæ ; qui venit ad me, non esuriet ; et qui credit in me non sitiet umquam" (ver. 35.). Reprehendit autem Judæorum incredulitatem, et, illis murmurantibus, quia dixerat se esse panem vivum qui de cœlo descenderat, iterum confirmat se esse panem qui manducandus est ut vita æterna obtineatur : immo declarat qua ratione panis ille cœlestis sit manducandus, et dicit id fieri manducando carnem suam, seu illud ipsum corpus, quod immolabitur pro salute mundi :—"Amen, amen dico vobis : qui credit in me, habet vitam æternam. Ego sum panis vitæ. Patres vestri manducaverunt manna in deserto, et mortui sunt. Hic est panis de cœlo descendens, ut, si quis ex ipso manducaverit, non moriatur. Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi. Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum, et panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita" (vv. 47–52.).

Hoc audito, litigare incipiunt Judæi ad invicem quærentes quomodo possit Jesus carnem suam dare ad manducandum ; Christus vero mentem suam clarius adhuc aperit :—"Dixit ergo eis Jesus : Amen, amen dico vobis : nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, habet vitam æternam, et ego resuscitabo eum in novissimo die. Caro enim mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus : qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in illo. Sicut misit me vivens Pater, et ego vivo propter Patrem : et qui manducat me, et ipse vivet propter me. Hic est panis, qui de cœlo descendit : non sicut manducaverunt patres vestri manna, et mortui sunt. Qui manducat hunc panem, vivet in æternum" (vv. 54–59.).

Verba Salvatoris multos discipulorum adeo offendunt, ut ea dicerent esse sermonem durum quem nemo posset audire : quare Jesus ad eos :— "Hoc vos scandalizat ? Si ergo videritis Filium hominis ascendentem ubi erat prius ?" (vv. 62. 63.)—quasi dicat, an tunc etiam illud fieri non posse arbitramini ? vel quasi, objurgans eorum incredulitatem, sensum hunc proferat : hoc vos scandalizat cum adhuc vobiscum sim et facilius intelligi possit me vobis carnem meam dare ad manducandum, præsen-

tem præsentibus? Quid facietis cum videritis me in cœlum ascendentem? quanto magis scandalizabimini cum videatis me in cœlo, vos esse in terra? Addit ergo:—"Spiritus est qui vivificat: caro non prodest quidquam: verba quæ ego locutus sum vobis, spiritus et vita sunt" (v. 64.). Id est: humanus et carnalis sensus mysteria divina non assequitur; Spiritus Sanctus est enim qui dat eorum intelligentiam: quæ autem verba dixi vobis spiritualia et vivifica sunt, et nonnisi ab homine spirituali apprehendi possunt.

Sed jam multi post illam cœlestis cibi revelationem, Dominum relinquunt: Christus, ad Apostolos conversus, eos interrogat:—"Numquid et vos vultis abire?" (vers. 68.)—Respondet Petrus: "Domine ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes. Et nos credidimus, et cognovimus, quia tu es Christus, Filius Dei" (vv. 69. 70.).

His præmissis, demonstramus in sermone, quem Joannes refert Evangelii sui capite sexto, Christum promisisse se daturum corpus suum sanctissimum et sanguinem suum pretiosissimum in cibum et potum ad spiritualem animarum nostrarum refectionem.

THESIS I.

Institutionem Eucharistiæ, in qua vere, realiter et substantialiter caro Christi manducetur, ejusque sanguis bibatur, promissam fuisse verbis Evangelii Joannis, VI. 48–59., *probatur invicte.*

Omnis probatio thesis ad hoc unicum argumentum reduci potest:—Vera, realis, ac substantialis præsentia corporis et sanguinis Christi in Eucharistia, ad salutarem refectionem fidelium animarum, promissa fuit Joan. VI. 48–59., si non metaphorico sensu, quo significent "credere in Christum, fide, spe et caritate amplecti Christum pro nobis passum et mortuum," sed vero et proprio sensu intelligi debeant hæc verba Christi: "Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita; nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis ejus sanguinem non habebitis vitam in vobis; caro mea vere est cibus et sanguis meus vere est potus; qui manducat me, et ipse vivet propter me." Atqui vero et proprio sensu debent intelligi. Ergo.—Major evidens est, et admissa

ab omnibus, nam tam perspicua sunt verba illa, ut, si proprio accipiantur sensu, nemo in dubium revocare possit iis annuntiatam fuisse et promissam a Christo veram, realem ac substantialem sumptionem corporis et sanguinis sui.—Minor probatur sequenti pacto.

I. Loquitur Christus, (ver. 52.), de cibo novo futuro, a se exhibendo—"panis, quem ego dabo."—Atqui fides in Christum, imo in ejus passionem ac mortem pro salute hominum, non erat novi quidpiam, quod Christus deinceps exhibendum Judæis promitteret: hæc enim in Christum fides jam vigebat apud Judæos, eamque Christus illis frequenter jam commendaverat.—Ergo non de fide in seipsum, metaphorica locutione, loquitur Christus, sed sine metaphora de pane novo, quem ipse erat daturus, ac proinde de Eucharistia.

II. Eodem versu 52., Christus declarat quinam sit ille cibus futurus, et ait esse *carnem suam*, eam *ipsam carnem, quam daturus erat* [in cruce] *pro mundi vita.* Ergo loquitur de vera carne, quam daret manducandam sub specie panis.—Evidentior adhuc sensus verborum Christi apparet in textu græco:—"et panis autem quem ego dabo, caro mea est, quam ego dabo pro mundi vita." [1]

III. Christus accurate distinguit inter *manducare carnem*, et *bibere sanguinem*:—"Nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis ejus sanguinem non habebitis vitam in vobis" (v. 54.): "Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem habet vitam æternam" (v. 55.): et eamdem distinctionem repetit (vv. 56. et 57.)—Atqui, si Christus metaphorice de fide loqueretur, inanis prorsus foret ista cibi potusque distinctio, cum in metaphorica sumptione Christi per fidem unum omnino sit *manducare* et *bibere*. Ergo.

IV. Locutiones istæ, manducare carnem, et bibere alicujus sanguinem, non habent translatum sensum nisi in malam partem, et apud Judæos, frequenti omnium usu, significabant persecutione, insidiis, calumniis aliquem impetere.—Ergo necessario excludendus est ex illis

[1] καὶ ὁ ἄρτος δὲ ὃν ἐγὼ δώσω, ἡ σάρξ μοῦ ἐστιν, ἣν ἐγὼ δώσω, ὑπὲρ τῆς τοῦ κόσμου ζωῆς.

locutionibus sensus translatus, et unice admittendus sensus proprius et immediatus de vera nempe et reali manducatione carnis et potatione sanguinis. Antecedens constat ex multis locis Scripturarum, et ex communi consensu philologorum. Ut quædam Sacrarum Litterarum citemus exempla, legimus in Ps. (XXVI. 1. 2.): "Dominus illuminatio mea, et salus mea, quem timebo? Dominus protector vitæ meæ, a quo trepidabo? Dum appropiant super me nocentes, ut edant carnes meas. Qui tribulant me inimici mei, ipsi infirmati sunt et ceciderunt."—Apud Job (XIX. 22.) habetur: "Quare persequimini me sicut Deus, et carnibus meis saturamini."—In Prophetia Michææ (III. 3.) est: "Qui comederunt carnem populi mei, et pellem eorum desuper excoriaverunt." —In Novo Testamento quod, apud Lucam (XVI. 1.), legitur "diffamatus est," Syrus vertit, "comedebant ei frustra [carnes] ejus;" et illud apud Matth. (XXVII. 12.) "cum accusaretur a principibus sacerdotum" in versione Syriaca similiter redditur "cum frustra [carnes] ejus comederent principes sacerdotum." [1]

V. Auditores Christi verba, quibus promiserat carnem suam ad manducandum, intellexerunt in sensu obvio de manducatione vera et reali, quamvis circa modum illius manducationis erraverint; et cum audirent illam realem manducationem carnis Christi, vehementer scandalizati sunt:—Christus vero non correxit opinionem eorum quoad oralem et veram manducationem carnis suæ, nec dixit se locutum fuisse metaphorice de fide in eum habenda; sed e contra eumdem sensum manducationis oralis maximopere confirmavit. Atqui, hoc agendi modo, Christus evidenter ostendit verba sua intelligenda esse proprio ac immediato sensu, non tropico ad significandam fidem. Ergo.—

[1] V. Card. Wiseman, Lectures on the real presence etc. L. 2.—Difficultas aliqua oriri posset ex illis Job XXXI. 31.: "Si non dixerunt viri tabernaculi mei: quis det de carnibus ejus ut saturemur?" At hujus loci multiplex est interpretatio. Quidam aiunt verba esse odii domesticorum adversum Job; alii, odium etiam in illis verbis intelligentes, referunt pronomen *ejus* ad hostes Job; quidam non de carnibus Job aut inimicorum ejus, sed de victu a Job liberaliter egentibus ac hospitibus ejus suppeditato intelligunt, ita ut sensus sit, quis inveniet qui non fuerit ex ejus victu saturatus; —et juxta has varias interpretationes nihil ex versu illo desumitur quod infirmet significationem superius propositam locutionis de qua nunc agimus. Si autem apud aliquos Patres verba citata de flagranti amore erga Job explicantur; et in Officio de *Corpore Christi* usurpantur ad significandum ardens desiderium suscipiendi illud mysterium, id solum ostendit verba fuisse etiam accepta sensu non metaphorico, sed typico atque prophetico.

Major, quoad primum enunciatum, patet ex verbis: "Litigabant ergo Judæi ad invicem dicentes: quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum" (ver. 53.); ex verbis *discipulorum* Christi paulo infra: "Durus est hic sermo et quis potest eum audire?" (v. 61.) et ex v. 67.: "Ex hoc multi *discipulorum ejus* abierunt retro, et jam non cum illo ambulabant." Propter spiritualem vero manducationem aut potationem per fidem a Christo propositam nullo modo potuissent auditores scandalum pati; et multo minus potuissent spiritualem illam manducationem impossibilem reputare.

Quoad secundum enunciatum, eadem Major manifesta est cuique legenti verba Christi a ver. 54. ad finem.—Etenim, non modo Dominus noster quod dixerat repetit cum affirmatione emphatica: "Amen, amen dico vobis, nisi manducaveritis carnem Filii hominis;" sed addit quod horrendum erat Judæis,[1] nempe debere eos *bibere ejus sanguinem*;—"et biberitis ejus sanguinem;"—manducationem hanc carnis et potationem sanguinis proponit sub comminatione mortis spiritualis: "Nisi manducaveritis . . . non habebitis vitam in vobis;"—declarat effectus mirabiles illius manducationis, quam iterum atque iterum inculcat; excludit omnem significationem figuratam: "caro enim mea *vere est cibus* et *sanguis meus vere est potus*" (v. 56.);—ait cibum istum esse *manna* præstantiorem, quod non posset dici si de fide ageretur, cum non minus per manna, aut per quemlibet alium cibum, tamquam per nudum signum, fides Christi excitari posset;—opinionem audientium de orali manducatione carnis miraculo suæ Ascensionis, ut mox declarabimus in sequenti argumento, firmat, difficultatem maxime corroborans et augens in animis Judæorum natam, quomodo nempe posset carnem suam dare ad manducandum;—et demum incredulos discipulos, quibus hæc manducatio videbatur impossibilis et horrenda, permittit abire.

Minor argumenti propositi, nimirum, hunc modum agendi ex parte Christi ostendere verba ejus intelligenda esse in sensu proprio et non metaphorico, videtur aperta. Num Christus, mitissimus ac misericors Salvator hominum, qui potuisset uno verbo errorem auditorum gravissimum depellere, eum non depulisset? Num illud verbum non solum noluisset proferre, sed etiam magis ac magis inducere voluisset audi-

[1] Judæi prohibebantur manducare carnes cum sanguine, et bibere sanguinem etiam ex animali mundo. Lev. III. 17.; VII. 26.; XVII. 10. etc—Confer Sap. XI. 7.; Isa. XLIX. 26.; Apoc. XVI. 6.

tores ad sensum quem intellexerant retinendum? Num permisisset potius discipulos suos deficere a sui sequela quam explicare verba quæ metaphorice essent intelligenda, sed quæ ab eis, propter claram eorumdem verborum significationem ad designandam veram manducationem carnis, proprio et obvio sensu intellecta fuerant?—Et argumentum confirmatur ex modo quo agere solebat Salvator noster cum obscure quid proponeret: illud enim explicabat; ut fecit (Matt. XIII.) quoad parabolas seminantis et zizaniorum; et (Joan. III.) quoad regenerationem hominis et miram per sacramentum aquæ nativitatem; et (Joan. X.) quoad parabolas pastoris, ovium, ostii; et simili modo alias.[1] Hic autem non explicuit aliter, sed dixit iis qui non recesserant: "Vultis et vos abire?" quasi diceret, non habeo aliud

[1] "From these examples, three whereof, like that under the discussion, refer to images drawn from food, we may, I think, deduce a very certain corollary, or canon; that whenever our Saviour's expressions were erroneously taken in their literal sense, and he meant them to be figurative, it was his constant practice instantly to explain himself, and let his audience understand, that his words were to be taken figuratively. The eighth chapter of St. John, from which I have quoted three examples, is a striking proof, that even when malice and perverseness were the sources of misinterpretation, he was not to be wearied out by its repeated recurrence, but undeviatingly adhered to this mild, prudent, and conciliating rule, of ever correcting the misapprehensions of his audience.

Let us now examine our Saviour's practice in the opposite case. Secondly, therefore, I say, that when his words were *rightly* understood in their literal sense, and that correct interpretation gave rise to murmurs or objections, it was his custom to stand to his words, and repeat again the very sentiment which had given the offence. The following instances well demonstrate this rule.

Matt. IX. 2. Jesus "said to the man sick of the palsy; Son, be of good heart, thy sins are forgiven thee." The hearers took these words in their literal meaning, and were right in doing so; still they expressed their displeasure with them, saying; "this man blasphemeth." Our Lord does not abate the least in the expression, which, being rightly understood, had caused the objections, but in his answer repeats it again and again. "Which is easier to say, *thy sins are forgiven thee*, or to say, rise up and walk. But that you may know that the Son of man hath power on earth *to forgive* sins," etc.

Jo. VIII. 56. Our Redeemer said to the Jews: "Abraham your father rejoiced that he might see my day: he saw it and was glad." His auditors *correctly* took his words in their literal import, as equivalent to an assertion that he was coeval with Abraham; and they murmured accordingly. 'The Jews then said to him; thou art not yet fifty years old, and hast thou seen Abraham?' Our Saviour, though he foresaw that personal violence would be the consequence of his conduct, did not seek to modify his words, but exactly repeated with his usual intrepidity the very sentiment which had caused so much offence. 'Jesus said to them, Amen, amen, I say to you, before Abraham was made, I am'" etc. Wiseman, Lectures on the real presence. Lect. 3.

quod faciam: quod proposui, ut verba sonant, credi debet; qui autem acquiescere non vult, abeat.

VI. In argumento præcedenti diximus Christum confirmasse quod Judæi crediderant de manducatione non metaphorica, sed vera et reali carnis suæ, appellando ad miraculum insigne suæ Ascensionis in cœlum post resurrectionem; præstat nunc quod innuimus paululum declarare.

Ex vv. 62. et 63. constat Christum, perspecta Judæorum repugnantia ad credendum se vere daturum carnem suam in cibum, dixisse eis: "Hoc vos scandalizat? Si ergo videritis Filium hominis ascendentem ubi erat prius?" Porro interrogatio hæc, secundum duplicem quam habet expositionem, confirmat thesim.

Et revera, una expositio est, quod voluerit Christus rem mirabilem ab ipso Judæis annuntiatam, alia pariter mirabili confirmare, ut alias fecit; et hæc expositio thesim confirmat, quia si Dominus non promisisset veram carnem suam se daturum in Sacramento, et noluisset ostendere Judæis incredulis et murmurantibus esse omnino admittendum illud quod putabant impossibile, non fuisset opus appellare ad Ascensionem suam futuram, et ex hac potentiam suam eis manifestare, propter quam credere debebant eum efficere posse quod promittebat, etsi illud arduum valde et difficillimum videretur.

Altera vero expositio, et probabilior, est, quod Dominus reprehenderit discipulorum incredulitatem, ac dixerit: Hoc vos scandalizat quod carnem meam vobis ad edendum dare velim? quid ergo facietis, quando in cœlum ascendero, et tam procul a vobis abierit corpus meum? si enim hominem hominis in terra degentis carnem manducare non posse putatis, multo minus credere poteritis, utpote longe difficilius, hominem posse hominis in cœlum sublati manducare carnem. Ex hac autem expositione, novum argumentum exurgit ad thesis propositæ vindicationem. Nam si Dominus solum promisisset corpus suum fide percipiendum, non difficilius profecto, sed facilius, fuisset illud ita sumere post Ascensionem;—Ascensio enim, quæ in fide discipulos roboravit, faciliorem non difficiliorem reddebat manducationem carnis Christi per fidem percipiendæ; et tamen multo difficiliorem reddebat ejusdem carnis manducationem in terra realem.

VII. Hucusque Evangelica verba perpendimus, et in illis clarissimam vidimus significationem contentam de promissione facta a Christo corporis sui nobis tradendi in cibum et sanguinis sui in potum: hanc ipsam significationem in verbis Christi, absque ulla ambiguitate expressam, agnovit perpetua Ecclesiæ traditio, cujus testimonia quædam hic afferimus.

Concilium Alexandrinum refert S. Cyrilli, ejusdem Concilii præsidis, ad Nestorium Epistolam, in Œcumenica Synodo Ephesina lectam et approbatam, in qua hæc habentur: "Ad benedictiones mysticas [Eucharistiam] accedimus, et sanctificamur participes sancti corporis et pretiosi sanguinis Christi, omnium nostrum Redemptoris, effecti; non ut communem carnem percipientes (quod absit) nec ut viri sanctificati, et Verbo conjuncti secundum dignitatis unitatem, aut sicut divinam possidentis habitationem; sed vere vivificatricem et ipsius Verbi propriam factam. Vita enim naturaliter ut Deus existens, quia propriæ carni unitus est, *vivificatricem eam esse professus est.* Et ideo quamvis ad nos dicat: "Amen, amen dico vobis, nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis ejus sanguinem," etc.; non tamen eam ut hominis unius ex nobis existimare debemus . . . . sed ut vere propriam ejus factam, qui propter nos Filius hominis et factus est et vocatur."

In Concilio Nicæno II., seu Œcumenico VII., Actione 6., Epiphanius Diaconus sic legit: "Nullus aliquando tubarum Spiritus, sanctorum videlicet Apostolorum, aut illustrium patrum nostrorum, incruentum sacrificium nostrum, quod in commemorationem Christi Dei nostri ac omnis dispensationis ejus efficitur, dixit imaginem corporis ejus. Neque enim acceperunt a Domino sic dicere vel confiteri, sed audiunt evangelice dicentem eum: "Nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis ejus sanguinem non intrabitis in regnum cœlorum." Et, "Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem in me manet et ego in eo."

Tertullianus revincit hæreticos negantes veritatem carnis Christi ex verbis ipsius Christi quibus in Evangelio Joannis cap. 6. carnem suam promittit ad manducandum; et cum hæretici illi effutirent "carnem factam esse animam ut anima ostenderetur," arguit:[1] "Omnia pericli-

[1] L. de carne Christi, c. 13.

tabuntur aliter accipi quam sunt, et amittere quod sunt dum accipiuntur, si aliter quam sunt cognominantur. . . . In Christo vero invenimus animam et carnem simplicibus et nudis vocabulis editas, id est animam animam, et carnem carnem; nusquam animam carnem, aut carnem animam: quando ita nominari debuissent, si ista fuissent: sed etiam sibi quamque substantiam divise pronuntiatas ab ipso, utique pro duarum qualitatum distinctione, seorsum animam, et seorsum carnem. Quid 'anxia est,' inquit (Matt. XXVI. 37.), 'anima mea usque ad mortem?' et (Joan. VI.): 'Panis quem ego dedero pro salute mundi, caro mea est.' . . . . Quod si una caro et una anima, illa tristis usque ad mortem, et illa panis pro mundi salute, salvus est numerus duarum substantiarum, in suo genere distantium."

S. Cyprianus Dominicam Orationem explicans ad verba "panem nostrum," ait:[1] "Hunc autem panem dari nobis quotidie postulamus, ne qui in Christo sumus, et Eucharistiam quotidie ad cibum salutis accipimus, intercedente aliquo graviore delicto, dum abstenti et non communicantes a cœlesti pane prohibemur, a Christi corpore separemur, ipso prædicante et monente: 'Ego sum panis vitæ qui de cœlo descendi. Si quis ederit de meo pane, vivet in æternam. Panis autem quem ego dedero caro mea est pro seculi vita' (Joan. VI. 51. seqq.). Quando ergo dicit in æternum vivere si quis ederit de ejus pane, ut manifestum est eos vivere qui corpus ejus attingunt et Eucharistiam jure communicationis accipiunt, ita contra timendum est et orandum ne, dum quis abstentus separatur a Christi corpore, procul remaneat a salute, comminante ipso et dicente: 'Nisi ederitis carnem Filii hominis et biberitis sanguinem ejus, non habebitis vitam in vobis.'"

S. Hilarius Patrem et Filium unum esse natura, non voluntatis tantum consensu, probat ex eo quod vere nos carne Christi vescimur in sacramento; et nos vere cœlestem hunc cibum sumere demonstrat ex promissione Christi quæ legitur apud Joannem, VI. 56. 57. Testimonium hoc insigne Sancti Doctoris ita habet:[2] "Eos nunc qui inter Patrem et Filium voluntatis ingerunt unitatem, interrogo utrumne per naturæ veritatem hodie Christus in nobis sit, an per concordiam voluntatis? Si enim vere Verbum caro factum est, et vere nos Verbum carnem cibo dominico sumimus; quomodo non naturaliter manere in

[1] L. de Oratione Dominica, c. 18.

[2] L. 8. de Trinitate nn. 13. 14.

nobis existimandus est, qui et naturam carnis nostræ jam inseparabilem sibi homo natus assumpsit, et naturam carnis suæ ad naturam æternitatis sub sacramento nobis communicandæ carnis admiscuit? Ita enim omnes unum sumus, quia et in Christo Pater est, et Christus in nobis est. . . . Si vere igitur carnem corporis nostri Christus assumpsit, et vere homo ille, qui ex Maria natus fuit, Christus est, nosque vere sub mysterio carnem corporis sui sumimus (et per hoc unum erimus, quia Pater in eo est, et ille in nobis); quomodo voluntatis unitas asseritur? . . . Quæ scripta sunt legamus, et quæ legerimus intelligamus: et tum perfectæ fidei officio fungemur. De naturali enim in nobis Christi veritate quæ dicimus, nisi ab eo didicimus, stulte atque impie dicimus. Ipse enim ait: 'Caro mea vere est esca, et sanguis meus vere est potus. Qui edit carnem meam, et bibit sanguinem meum, in me manet, et ego in eo' (Joan. VI. 56. 57.). De veritate carnis et sanguinis non relictus est ambigendi locus. Nunc enim et ipsius Domini professione, et fide nostra vere caro est, et vere sanguis est. Et hæc accepta atque hausta id efficiunt, ut et nos in Christo, et Christus in nobis sit."

S. Ambrosius,[1] ex ipsis verbis Christi in Evangelio Joannis, VI., ostendit præstantiam Eucharistiæ præ manna. "Revera mirabile est," inquit, "quod manna Deus pluerit patribus, et quotidiano cœli pascebantur alimento. Unde dictum est: 'Panem angelorum manducavit homo' (Ps. LXXVII. 25.). Sed tamen panem illum qui manducaverunt, omnes in deserto mortui sunt: ista autem esca quam accipis, iste panis vivus qui descendit de cœlo, vitæ æternæ substantiam subministrat; et quicunque hunc manducaverit, non morietur in æternum: et est corpus Christi. Considera nunc utrum præstantior sit panis Angelorum, an caro Christi, quæ utique corpus est vitæ. Manna illud e cœlo, hoc supra cœlum: illud cœli, hoc Domini cœlorum: illud corruptioni obnoxium, si in diem alterum servaretur; hoc alienum ab omni corruptione, quod quicunque religiose gustaverit, corruptionem sentire non poterit. Illis aqua de petra fluxit, tibi sanguis e Christo: illos ad horam satiavit aqua, te sanguis diluit in æternum. Judæus bibit, et sitit: tum cum biberis, sitire non poteris: et illud in umbra, hoc in veritate."

---

[1] De mysteriis c. 8. nn. 47. et 48.

S. Augustinus, cujus patrocinio adversarii gloriantur, clarissime docet verba Christi quæ capite 6. Joannis referuntur, et ex quibus demonstravimus promissionem Eucharistiæ, seu realis et oralis manducationis et potationis corporis et sanguinis Domini, ita esse, obvio et immediato sensu, intelligenda.

Etenim Pelagiani, peccatum originale negantes, conabantur, ut refert S. Augustinus,[1] "parvulis non baptizatis innocentiæ merito *salutem* ac *vitam* æternam tribuere; sed, quia baptizati non sunt, eos a *regno cœlorum* facere alienos." Sanctus Doctor hoc effugium hæreticis præcludit inquiens:—"Auferatur ergo dubitatio: jam Dominum audiamus, non suspiciones conjecturasque mortalium; Dominum audiamus, inquam, non quidem hoc de sacramento lavacri dicentem, sed de sacramento sanctæ mensæ suæ, quo nemo rite nisi baptizatus accedit: 'Nisi manducaveritis carnem meam, et biberitis sanguinem meum, non habebitis vitam in vobis.' Quid ultra quærimus? Quid ad hoc responderi potest, nisi pertinacia pugnaces nervos adversus constantiam perspicuæ veritatis intendat?"—Proponit autem sibi S. Doctor adversariorum responsionem, et eam refutat: "An vero quisquam etiam hoc dicere audebit, quod ad parvulos hæc sententia non pertineat, possintque sine participatione corporis hujus et sanguinis in se habere vitam: quia non ait, Qui non manducaverit, sicut de Baptismo, 'Qui non renatus fuerit;' sed ait: 'Si non manducaveritis,' velut eos alloquens qui audire et intelligere poterant, quod utique non valent parvuli? Sed qui hoc dicit, non attendit quia nisi omnes ista sententia teneat, ut sine corpore et sanguine Filii hominis vitam habere non possint, frustra etiam ætas major id curat. . . . Et ubi est quod eodem loco de hac ipsa re ait: 'Panis quem ego dedero, caro mea est pro sæculi vita?' (Joan. VI. 52.) Secundum hoc enim etiam ad nos pertinere illud sacramentum intelligimus, qui tunc nondum fuimus quando ista dicebat; quia non possumus dicere ad sæculum nos non pertinere, pro cujus vita Christus suam carnem dedit."

Et in eodem libro primo *de peccatorum meritis et remissione* ostendit tam certam apud christianos fuisse interpretationem, quam defendimus, verborum Christi, ut ex ea nomen *vitæ* originem haberet Sacramento datum. "Optime," ait,[2] "Punici. . . . . Sacramentum corporis Christi

[1] De peccatorum meritis et remissione, l. 1. c. 20. [2] Ibid. c. 24.

nihil aliud quam *Vitam* vocant. . . . Quid aliud tenent, qui Sacramentum mensæ Dominicæ Vitam vocant, nisi quod dictum est, 'Ego sum panis vivus qui de cœlo descendi;' et 'Panis quem ego dedero, caro mea est pro sæculi vita;' et 'Si non manducaveritis carnem Filii hominis, et sanguinem biberitis, non habebitis vitam in vobis."

Quod vero S. Augustinus, in his locis citatis, significare noluerit Eucharistiæ sumptionem *necessariam* esse *necessitate medii*, et mox patebit in solutione difficultatum, et plenius suo loco, cum de necessitate sacramenti hujus ad salutem sermo erit.[1]

Duo alia solummodo documenta ex Græcis proferam:—S. Cyrillus Hierosolymitanus, Catechesi 22., ait: "Quare cum omni persuasione tamquam corpus et sanguinem Christi [Eucharistiam] sumamus. Nam in figura panis datur tibi corpus, et in figura vini datur tibi sanguis: ut cum sumpseris corpus et sanguinem Christi, concorporeus et consanguis ipsi efficiaris. Sic enim et Christiferi efficimur, distributo in membra nostra corpore ejus et sanguine.... Olim Christus, cum Judæis disserens, aiebat: 'Nisi manducaveritis meam carnem, et biberitis meum sanguinem, non habebitis vitam in vobis ipsis."

Demum S. Joannes Chrysostomus significationem exponens ver. 63. capitis 6. Joannis, sic præoccupat ac solvit adversariorum nostrorum difficultates, ut simul nullum possibile dubium relinquat de promissione ibidem nobis a Christo facta veræ, realis ac substantialis manducationis carnis suæ et potationis sanguinis sui in Eucharistia. Audiatur S. Do-

---

[1] Præteriri hic non debet aliud S. Augustini testimonium egregium pro thesi quam vindicamus. Adversus eos loquitur, qui verba quædam V. T., veluti impura exhorrescentes, exagitabant; et ait: "Videte si non sunt isti ex isto genere hominum, qui, loquente Christo de *Sacramento corporis et sanguinis sui*, dixerunt: 'Durus est hic sermo; quis potest eum audire?' Nisi quod excusabiliores sunt qui verba divina quæ non intelligebant, non in maledictione, sed in benedictione, horribilia non ferebant. Mirum enim non est, si maledictum, quando auditur, horretur; nec exigendum est ut verbis non horrendis dicatur, quod ad hoc dicitur, ut ab exhorrente timeatur: Dominus autem talia dicebat, quæ amari præciperet, non timeri; et tamen quæ infidelitas sufferat, 'Caro mea vere cibus est, et sanguis meus vere potus est;' et, 'Nisi manducaveritis carnem meam, et biberitis sanguinem meum, non habebitis vitam in vobis?' (Joan. VI. 56. 54.) Si ergo Dei sapientia, verbis *Sacramento* congruis pascens animam credentem, non curavit insipientiam nauseantem; quanto magis eadem ipsa sapientia, ubi locus et tempus timoris fuerat, non amoris, salubrem volens importare terrorem, non curavit insipientis errorem, quamvis ejus prævideret horrorem?" Contra Advers. legis et prophet. l. 1. c. 24. n. 52.

ctor,[1] qui "ob inhærentem sententiæ Sacrorum Librorum explanationem" maxime celebratur:—

" '*Spiritus est,*' inquit, '*qui vivificat, caro non prodest quidquam:*' hoc est, Quæ de me dicuntur, spiritualiter sunt accipienda: nam qui carnaliter audit, nihil lucratur, nihil proficit. Carnale erat dubitare quomodo de cœlo descendisset, putareque ipsum esse filium Josephi; necnon illud, '*Quomodo potest nobis carnem suam dare ad manducandum?*' Hæc omnia carnalia; quæ oportebat mystice et spiritualiter intelligere. Et quomodo poterant, inquies, intelligere quid esset carnem comedere? Oportebat certe opportunum tempus expectare et interrogare, nec desistere. '*Verba quæ ego loquutus sum vobis, spiritus et vita sunt;* id est, divina et spiritualia sunt, nihil habent carnale, nec naturalem consequentiam. . . . . Sicut ergo hoc loco spiritum pro spiritualibus dixit, sic cum carnem dicit, non carnalia intelligit; sed carnaliter eos audire subindicat, qui semper carnalia cupiebant, cum oportuisset spiritualia appetere. Si quis enim hoc carnaliter accipiat, nihil lucratur. Quid ergo? an caro ejus non est caro? Est certe. Quomodo ergo dixit, '*Caro non prodest quidquam?* Non de carne sua intelligit, absit; sed de iis qui dicta carnaliter acciperent. Quid est autem carnaliter intelligere? Proposita simpliciter intelligere, neque ultra quidpiam excogitare. Hoc est carnaliter videre. Non oportet autem de iis quæ videntur ita judicium ferre, sed omnia mysteria interioribus oculis perspicere, id est, spiritualiter. An is qui non manducat carnem ejus, nec bibit ejus sanguinem, non habet vitam in semetipso: quomodo ergo caro non prodest quidquam, sine qua non possumus vivere? Non de carne ipsius hoc dictum esse vides, sed de carnali audiendi modo."

Difficultates præcipuas adversus thesim vindicatam, proponimus hic et solvimus.

1.—Adversarii dicunt: idem est sensus verborum Christi, quæ leguntur versu 52.: "Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum; et panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita;" ac illorum quæ habentur eodem capite 6. Joannis, v. 35.: "Ego sum panis vitæ; qui venit ad me non esuriet, et qui credit in me non sitiet unquam." Sed

[1] In Joannem, hom. 47. al. 46. n. 2.

hæc verba intelligenda sunt sensu metaphorico de fide in Christum. Ergo et illa.

R.—Solutio difficultatis diversa est juxta diversam sententiam quam quis amplectitur circa sensum verborum Christi in Evangelii Joannis capite sexto a ver. 25. ad 48.—Etenim inter catholicos interpretes Scripturarum alii dicunt, ut prænotavimus, hanc capitis partem intelligendam esse de fide in Christum et non de Eucharistia; alii vero tenent Christum etiam illis versibus, a 25. ad 48., de Eucharistia loqui, quamvis in versibus insequentibus, seu in tertia parte ejusdem capitis, clarius et expressius promittat se hominibus daturum corpus suum in cibum et sanguinem suum in potum.

Qui primam sententiam defendunt, solvunt difficultatem propositam *negando Majorem* argumenti, etsi Minorem putent esse concedendam. —"Duæ sunt," ait P. Franzelin,[1] "totius orationis [ver. 35–59.] partes sensu diversæ. Sensus diversus in eo est, quod in priori parte *panis vitæ* declaratur in sensum metaphoricum, quatenus Christus est objectum fidei et per fidem nutrit vitam supernaturalem animæ. . . . . In parte altera *panis vitæ* explicatur in sensum proprium, proprium, inquam, non significatione specifica *panis*, sed significatione generica *cibi*; quamvis, ut ex hujus promissionis complemento in institutione Eucharistiæ elucet, sit ratio cur Christus se potius *panem vitæ* dixerit quam solum generice *cibum vitæ*, quia sub visibilibus speciebus *panis* se cibum facit."—Verum, et id probe animadvertendum est, auctores qui hanc sententiam docent, non asserunt duas sermonis Christi partes esse inter se, sine ulla correlatione, prorsus disjunctas; quinimmo aperte fatentur "ad postremam partem totum quod in eodem sermone præcedit referri veluti præparationem et introductionem."

Qui autem sententiam alteram sequuntur respondent argumento adversariorum concedendo Majorem, qua statuitur eumdem esse sensum ver. 52. ac v. 35.; sed *negant Minorem*, in qua dicitur Christum v. 35. de fide in seipsum habenda locutum fuisse.—Christus, aiunt, Judæis postulantibus panem alentem in vitam æternam, illum offert, asseritque esse seipsum, qui in Eucharistia et sub specie panis, animæ famem satiat, et, ut panis materialis quoad vitam corporis, supernaturalem animæ vitam nutrit, sustentat, exhilarat: hic autem cibus, seu panis

[1] De Eucharistia, p. 20.

de quo loquitur Christus, fide agnoscitur, fide quæritur, et fidem, ut salubriter suscipiatur, omnino requirit: quare in verbis Christi a v. 35. ad 49., *fides* non est cibus qui promittitur, et qui vocatur panis, sed fides proponitur ut conditio necessaria ad illum cibum salutariter capiendum qui promittitur, nempe Eucharistiam.

"Quia Judæi," ait S. Cyrillus Alexandrinus[1] exponens verba Christi apud Joannem VI. 35., "ipsum [Christum] quodammodo spernebant, et singulari fastu Moysen legislatorem identidem jactabant, ejusque præcepta magis quam Christi sequenda esse plerumque asserebant, et Moysen supra omnes ipsumque Salvatorem nostrum Christum honoris obtinere principatum inde maxime probari putabant, quod manna populo præbuisset, et e saxo aquarum scaturiginem eduxisset, necessario demum ad consuetam methodum revertitur: neque vero palam et aperte dicit se Moyse præstantiorem esse, propter auditorum effrenatam audaciam et furorem: sed ad rem ipsam quæ admirationem præbebat convertitur, et a comparatione majoris minus indicat: 'Qui enim venit ad me, inquit, non esuriet; et qui credit in me, non sitiet unquam.' Esto enim, inquit, ipse quoque vobis assentiar datum esse manna per Moysen: sed qui comederunt, esurierunt. Dicam vero datam esse vobis ex petra aquam 'doloris:' sed qui biberunt, sitierunt, et istorum largitio temporarium usum præbuit: 'Qui autem ad me venit, non esuriet unquam: et qui credit in me, non sitiet unquam.' Quidnam ergo Christus pollicetur? Nihil quidem corruptibile, sed *Eulogiam* potius illam, quæ est in participatione sanctæ carnis ac sanguinis, quæ integrum hominem ad incorruptionem revocat, ita ut nullo eorum indigeat quæ mortem arcent a corpore, cibo nimirum et potu."

2.—Christus loquitur de manducatione quæ fieri poterat cum loquebatur et ab iis quibus loquebatur, nam, in præsenti, ait v. 57.: "Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem."—Sed Eucharistia cum adhuc instituta non esset, non poterat manducari. Ergo non loquitur Christus de Eucharistia.

R.—*N. M.*—Christus enim cœlestem et vivificum cibum, de quo loquebatur, promittebat pro futuro tempore, ut patet ex his quæ antea dixerat versu 52.:—locutio ergo quam adhibet, vv. 57. 58., non indicat

[1] In Joan. Evangelium, lib. 3. (Migne P. G. t. 73. p. 519.).

præsentem manducationem illius cibi, sed solum mirabiles ejus effectus declarat.

3.—Christus, ver. 57., ait: "Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in illo." At mansio hæc Christi in nobis corporalis non est, sed spiritualis.—Ergo et manducatio.

R.—*N. min.*—Christus enim per Eucharistiam et corporaliter, dum species incorruptæ permanent, et spiritualiter manet in suscipientibus. — Sed præterea adnotandum est, nullo modo concludi posse ex mansione Christi in nobis spirituali, seu per gratiam sanctificantem et caritatem, ad manducationem carnis Christi spiritualem dumtaxat et metaphoricam: nam in sacramentis institutis a Christo, per actionem externam sensibilem et corporalem effectus internus et spiritalis producitur. Quare sicut male ratiocinaretur qui diceret: talis est ablutio baptismi, qualis est regeneratio quæ per baptismi ablutionem efficitur; sed hæc regeneratio est plane spiritualis: ergo spiritualis est ablutio baptismi; ita pariter male ab adversariis nostris pro Eucharistia illud tamquam principium assumitur ad ratiocinandum: talis est manducatio Christi, qualis mansio ejus in nobis est.

4.—Christus de ea manducatione loquitur, quæ infallibiliter conferat vitam æternam. Atqui hoc de Eucharistiæ manducatione dici nequit, nam multi sunt qui ore sumunt Eucharistiam, et "judicium sibi manducant et bibunt." Ergo.—

R.—*D. M.*—Quæ infallibiliter vitam æternam conferat, spectata rei natura *C.* quæcumque sit subjecti conditio *N.* Verba enim Christi intelligi debent cum conditione, nempe, si rite panis hic vitæ manducetur: quia panis iste, quod ad se attinet, utique semper vivificat, et hoc significant verba Salvatoris; sed tamen aliunde impediri potest effectus salutaris, scilicet ex indispositione illius, qui accedit ad Eucharistiam. Id autem commune est promissionibus similibus. In Prophetia Joelis (II. 32.) dicitur: "Omnis qui invocaverit nomen Domini salvus erit;" et tamen in libro Proverbiorum habemus (I. 28. 29.): "Tunc invocabunt me, et non exaudiam . . . . . eo quod exosam habuerint disciplinam, et timorem Domini non susceperint." Apud Lucam (XI. 10.) Dominus ait: "Omnis qui petit, accipit;" et Apostolus Jacobus (IV. 3.) declarat: "Petitis et non accipitis, eo quod male petatis." Et apud Marcum

(ult. 16.) legimus: "Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit;" attamen post baptismum et justificationem, quis propria sua culpa perire potest.

5.—Christus loquitur de cibo sine quo non potest obtineri salus. Atqui sine Eucharistiæ sumptione, vita æterna obtineri potest, ut patet in parvulis. Ergo Christus non loquitur de Eucharistia.

R.—*D. M.*—Absolute, quasi sit ille cibus de necessitate medii ad salutem, et quidem quoad actualem ejus sumptionem *N.* A quibusdam, sua culpa contra Domini mandatum Eucharistiam non sumentibus *C.* De necessitate hujus sacramenti loquemur inferius: hic solum adnotamus Christum loqui de *manducatione* cibi vivifici, non de medio quo homo supernaturaliter *regenerari* debet, et primo acquirere vitam supernaturalem. Hinc illa verba "non habebitis vitam in vobis" non significant "non acquiretis vitam" sed "non retinebitis vitam, eam amittetis:" ac proinde spectant eos qui jam regenerati fuerant, et acquisierant vitam, quam, si non sustentetur et foveatur, amittere possunt; non autem eos qui nondum regenerati sunt per baptismum, aut regenerati amittere vitam supernaturalem propria culpa non possunt, ut sunt parvuli.—Ceterum, dicant ipsi adversarii, qui contendunt verba illa intelligenda esse de manducatione spiritali per fidem, quomodo infantes cibum, de quo loquitur Dominus, manducabunt per fidem, cujus incapaces prorsus sunt?

Nec prodest quidquam Protestantibus illud quod Augustinus sæpe repetit, infantes nempe manducare Domini carnem in baptismo, quatenus fidei communicant; nam S. Doctor non dicit idem esse *baptizari* et *manducare carnem* Christi; sed e contra aperte demonstrat hoc præceptum: "*nisi manducaveritis*" distingui a præcepto Baptismi etiam in infantibus, ut constat ex testimonio (de peccatorum meritis et rem. l. 1. c. 20.) in probatione thesis commemorato. "Dominum audiamus," inquit, "*non quidem hoc de sacramento lavacri* dicentem, sed *de sacramento sanctæ mensæ suæ*, quo nemo rite nisi baptizatus accedit: 'Nisi manducaveritis carnem meam, et biberitis sanguinem meum, non habebitis vitam in vobis.'"—Quum ergo S. Augustinus ait infantes manducare carnem Domini in baptismo nec posse vitam æternam consequi sine illa manducatione, et alludit ad disciplinam tunc temporis in Ecclesia vigentem,

juxta quam sacramentum Eucharistiæ cum baptismo infantibus conferebatur; et docet infantes, cum baptizantur, in ipso baptismo comedere carnem Domini, quia jus accipiunt ad Eucharistiam suo tempore percipiendam qua nutriantur et foveantur in vitam æternam. Sicut omnis qui nascitur naturaliter appetit cibum suo tempore opportune sumendum, sic illi qui in Christo renascuntur, appetunt cibum renatorum.

6.—Si illa Christi verba: "Nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis ejus sanguinem" de Eucharistia accipi debeant, tunc hæc omnibus sub utraque specie esset necessaria. Sed juxta catholicam doctrinam non omnibus necessaria est Communio sub utraque specie.—Ergo.

R.—*N. M.*—Vis hujus præcepti non in modo sumendi, sed in re ipsa est, quæ sumi debet:—sed de hoc præcepto loquemur in proprio loco.

7.—Capharnaitæ Christi mentem non sunt assecuti; putaverunt enim eum agere de manducatione carnis suæ eo modo quo animalium carnes per frusta discissæ manducantur: Christus vero eorum errorem non correxit. Ergo non licet inferre eum de orali aliqua manducatione locutum fuisse, ex eo quod Capharnaitas, ita intelligentes ejus verba, non correxerit.

R.—*D. A.* quoad 1. membrum, Capharnaitæ mentem Christi non sunt assecuti quoad veram et realem manducationem carnis suæ *N.* Quoad modum illius manducationis *C.* Quoad 2. *D.* Capharnaitas non correxit Christus quoad realem corporis sui manducationem, et id fuit quia recte intellexerant verba ejus *C.* Non correxit carnalem sensum quo intellexerant illam realem manducationem *N.* Et *neg.* conseq. Etenim in verbis Christi duo, ut antea diximus, intellexerant Capharnaitæ: primum, manducandam esse Christi carnem realiter; alterum, hanc quidem manducandam esse modo visibili, carnali, quo carnes aliæ, quæ in macello veneunt, concisæ vulgariter manducari solent. Primum non correxit Christus, sed sub juramento firmavit: alterum correxit his verbis: "Caro non prodest quidquam," nimirum manducata solum carnaliter. Quod vero Christus per ea verba corrigere manducationem suæ carnis realem in sacramento noluerit, inde patet, quod nihilominus post hanc Christi sententiam capere non possent Judæi ac discipuli, quomodo

dare carnem suam posset ad manducandum, adhuc scandalizarentur, imo a Christo discederent; si enim per hæc: "Caro non prodest quidquam," etc. indicare voluisset, carnem suam non realiter, sed spiritualiter dumtaxat per fidem manducandam esse, nihil aliud tunc captu fuisset difficile, nulla amplius ratio, cur scandalizarentur; præterea, cur a Christo discederent; cum eum jam spiritu per fidem, in ipsum credendo, manducassent.

Egregie responsum confirmant verba S. Augustini[1] in hunc locum: "*Spiritus est qui vivificat, caro non prodest quidquam?*—O Domine, Magister bone, quomodo *caro non prodest quidquam,* cum tu dixeris, '*Nisi quis manducaverit carnem meam et biberit sanguinem meum non habebit in se* vitam? An vita non prodest quidquam? . . . . quid est ergo, *non prodest quidquam caro?* Non prodest quidquam, sed quomodo illi intellexerunt; carnem quippe sic intellexerunt, quomodo in cadavere dilaniatur, aut in macello venditur, non quomodo spiritu vegetatur. Proinde sic dictum est: Caro non prodest quidquam; quomodo dictum est: Scientia inflat. Jam ergo debemus odisse scientiam? Absit. Et quid est, scientia inflat? Sola, sine caritate; ideo adjunxit: Caritas vero ædificat. Adde ergo scientiæ caritatem, et utilis erit scientia, non per se, sed per caritatem. Sic etiam nunc caro non prodest quidquam, sed sola caro: accedat spiritus ad carnem, quomodo accedit caritas ad scientiam, et prodest plurimum. Nam si caro nihil prodesset, Verbum caro non fieret. . . . . . *Spiritus* ergo *est qui vivificat,* caro autem non prodest quidquam: *sicut illi* intellexerunt carnem, *non sic ego do ad manducandum carnem meam.*"

8.—Christus sæpius neglexit corrigere errores eorum qui sua verba perperam intellexerunt. Sic petentibus Pharisæis signum ejus auctoritatis, dixit: "Solvite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud. Dixerunt ergo Judæi: Quadraginta et sex annis ædificatum est templum hoc, et tu in diebus tribus excitabis illud? Ille autem dicebat de templo corporis sui" (Joan. II. 19–21.). Sic etiam quum dixisset (Matt. XV. 11.): "Non quod intrat in os, coinquinat hominem;" et Pharisæi, his verbis male intellectis, scandalum paterentur; nullam rationem eorum erroris haberi voluit, ac discipulis cupientibus ut offen-

[1] Tract. 27. in Joan. n. 5.

sionis tolleretur occasio, respondit: "Sinite illos: cæci sunt, et duces cæcorum;" nec nisi precibus specialibus Petri indulsit, ut mentem suam explicaret.

R.—Necesse non erat ut Christus corrigeret errores auditorum qui ex perversa ipsius verborum interpretatione oriebantur, quando ex adjunctis mens ejus facile colligebatur, nec verba talia erant ut de se errorem deberent ingerere. Loquens de corpore suo, vocavit illud templum, figura non inusitata: anima enim non infrequenter dicitur habitare in corpore veluti in templo, et hunc modum loquendi communem fuisse apud Judæos, aliosque populos orientales clare demonstrat Cardinalis Wiseman;[1] quod vero ad Christum attinet, Deus ipse, secunda Trinitatis persona, in corpore, veluti templo sibi electo, hypostatica tamen unione, inhabitabat. Quod Judæi verba ejus ad templum, in quo prolata sunt, retulerint, errore contigit, quem facillime vitare potuissent si attendissent: nec oportebat ut Christus eos corrigeret, quum resurrectionem suam e mortuis indicare, potius quam perspicuo prædicere præstaret. Ceterum non omnino eos latuit ejus mens: nam ex hujusmodi dictis sumpserunt occasionem a Pilato postulandi custodiam, ne tertia die resurgere crederetur. Discipuli autem post resurrectionem, horum verborum recordati, in fide firmati sunt; quod ostendit eos vel vim verborum, quum dicerentur, animadvertisse, vel saltem iis quid arcanum enuntiari intellexisse. Præterea liquet nullum perniciosum errorem ex illis Christi verbis auditoribus oriri potuisse, et omnem errandi occasionem posteris ademptam explicatione quam Joannes in Evangelio, eodem loco citato (II. 21.) præbet. At non ita dicendum sane est de concione relata in sexto Joannis capite: nam verba de se nata sunt ad notionem oralis manducationis ingerendam, et Christus ea plurimis vehementioribus confirmavit, et nihil a Sacro Scriptore adnotatum est ut lectores sensum translatum detegere valeant.—Alio loco objecto sensus facile colligi poterat ex occasione dicendi: nam Scribæ et Pharisæi murmurabant de discipulis haud lavantibus manus antequam cibum sumerent. Quod igitur dixit Christus: "Non quod intrat in os, coinquinat hominem;" intelligendum erat de cibi immunditia, attactu manuum illotarum; et merito recusavit amplius suam explicare mentem Pharisæis, qui animo maligno dicta ejus omnia et res gestas interpretabantur.

---

[1] Lectures on the real presence, etc. L. 3.

9.—Patres nonnulli, et præsertim S. Augustinus exponunt verba Christi de manducatione metaphorica, seu de unione cum Christo per fidem, spem et caritatem.—Ergo.

R.—*D. Ant.:* admissa prius significatione de vera et reali manducatione carnis Christi et sanguinis potatione in Eucharistia *C.* Illa significatione exclusa *N.*—Quod spectat S. Augustinum, abunde constat ex textibus supra citatis, eum intellexisse verba Christi, ex quibus argumentamur, in sensu proprio non metaphorico.

In tractatibus 25. 26. et 27. in Joannem hac significatione præsupposita, S. Doctor abundantius de dispositionibus ad fructuosam susceptionem Sacramenti loquitur, et de ejus effectibus in suscipiente, ex quibus colligi potest utrum debita cum dispositione hic ad Sacramentum accesserit nec ne. Sine ambiguitate S. Doctor[1] mentem suam aperit expositionem totius capitis concludens his verbis: "Hoc totum quod Dominus de carne et de sanguine suo locutus est, et quod in ejus distributionis gratia vitam nobis promisit æternam, et quod hinc voluit intelligi manducatores et potatores carnis et sanguinis sui, ut in illo maneant et ipse in illis, et quod non intellexerunt qui non crediderunt, et quod spiritualia carnaliter sapiendo scandalizati sunt . . . . hoc ergo totum ad hoc nobis valeat, dilectissimi, ut carnem Christi et sanguinem Christi *non edamus tantum in Sacramento,* quod et multi mali; *sed usque ad Spiritus participationem manducemus et bibamus,* ut in Domini corpore tamquam membra maneamus, ut ejus spiritu vegetemur, et non scandalizemur, etiam si modo nobiscum manducant et bibunt temporaliter Sacramenta, qui habebunt in fine æterna tormenta."—Manducationem ergo *spiritualem* S. Augustinus non opponit manducationi reali et *corporali,* sed *carnali manducationi,* quæ fiat sine debitis dispositionibus.

Eadem ratione, quum manducatio carnis Christi in sacramento, non fiat ut manducatio carnium quæ communiter ab hominibus sumuntur pro sustentatione vitæ corporalis, illam dicit non esse *propriam,* sed *figuratam.* Hinc, libro 3. de Doctrina Christiana, cap. 16., ait: "*Nisi manducaveritis carnem Filii hominis.* . . . Facinus vel flagitium videtur jubere: figura ergo est, præcipiens Passioni Dominicæ esse communicandum, et suaviter atque utiliter in memoria recondendum, quod caro ejus pro nobis crucifixa et vulnerata sit." Certe verba Christi sensu

[1] Tract. 27. in Joannem, n. 11.

Capharnaitarum intellecta flagitium et facinus sonant; et hic sensus excluditur a S. Doctore:—sensu vero quem Christus expressit, et Catholici confitentur, non flagitium significant, sed salutiferam manducationem carnis Christi vivificæ in sacramento, quæ supernaturali fide credi debet; et hic sensus admittitur a S. Augustino, et dicitur *figuratus*.

Quoad alios Patres attinet, citatur ab adversariis Clemens Alexandrinus, qui in libro 1. Pædagogi, c. 6. manducationem carnis Christi et potationem sanguinis figurata significatione explicat:—sed ipse jam prius in eodem capite statuit proprium sensum illius locutionis, qui est de vera et orali corporis ac sanguinis Domini manducatione atque potatione: "Verbum est omnia infanti, et pater et mater, et pædagogus et altor. *Comedite*, inquit, *meam carnem et bibite meum sanguinem.* Hæc convenientia alimenta nobis suppeditat Dominus, et carnem præbet et effundit sanguinem; et ad incrementum nihil deest infantulis. O admirabile mysterium! Veterem et carnalem nos jubet exuere corruptionem, quemadmodum et vetus nutrimentum; alterius autem novæ Christi diætæ effectos participes, illum, si fieri possit, recipientes, in nobis ipsis reponere et *Salvatorem intra pectus condere*, ut carnis nostræ affectus componamus. At non vis *sic* intelligere, sed fortasse communius. *Hoc quoque* modo audias. Carnem nobis *allegorice* Sanctus significat Spiritus."

Origenem pro se invocant Protestantes; at etiam ille, etsi mysticarum Sacrorum voluminum expositionum cupidissimus, aperte tamen fatetur Christum loqui in cap. 6. Joannis de Eucharistia, seu de vera manducatione carnis suæ in sacramento. In eadem homilia XVI. in Numeros, quam citant Protestantes, Origenes ait; "Bibere autem dicimur sanguinem Christi, *non solum sacramentorum ritu*, sed et cum sermones ejus recipimus, in quibus vita consistit:"—et hom. VII. in Numeros: "Lex Dei jam non in figuris, et in imaginibus sicut prius, sed in ipsa *specie* veritatis agnoscitur; et quæ prius in *ænigmate* designabantur, nunc in *specie* et veritate complentur. . . . Antea in ænigmate fuit baptismus in nube et in mari, nunc autem in *specie* regeneratio est in aqua et in Spiritu Sancto. Tunc in *ænigmate* erat manna cibus; nunc autem in *specie* *caro Verbi Dei* est verus cibus, sicut et ipse dicit, quia 'caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus.'"

S. Basilius, ep. 8. n. 4. expositionem aliquam verborum Christi in

sensu translato, quasi significarent etiam vitam et doctrinam Verbi incarnati, dubitanter proponit: "Et hæc est *fortasse illius dicti sententia*:—sed idem S. Pater in ep. 93. alias 289.[1] sine ulla controversia ait: "Singulis etiam diebus communicare, ac participem esse sancti corporis et sanguinis Christi bonum est et perutile: cum ipse *perspicue* dicat: *Qui comedit meam carnem et bibit meum sanguinem, habet vitam æternam.* Quis enim dubitat quin vitæ continenter esse participem nihil aliud sit quam multiplici ratione vivere? Nos quidem quater singulis hebdomadibus communicamus, Dominica die, quarta die, in parasceve et Sabbato, et aliis diebus, si Sancti alicujus memoria recolatur."

S. Hieronymus, ut ceteri Patres, statuta prius veritate verborum Christi de orali manducatione carnis ejus, verba mystice exponit de lectione Sacrarum Scripturarum.—"Quia caro Domini," ait,[2] "verus est cibus, et sanguis ejus verus est potus, juxta ἀναγωγήν, hoc solum habemus in præsenti sæculo bonum, si vescamur carne ejus, et cruore potemur, *non solum* in mysterio (Eucharistia), *sed etiam* in Scripturarum lectione."

Nota.—Concilium Tridentinum noluit *definire* verba Christi, quæ in Evangelio Joannis leguntur, c. 6., intelligenda esse de sacramentali manducatione et potatione corporis et sanguinis Domini in Eucharistia. —Agebatur in sess. 21. de communione sub utraque specie recipienda, et decreta statuebantur adversus hæreticos, qui contendebant eos etiam, qui non conficiebant Eucharistiam, adstringi jure divino ad communionem sic accipiendam; et ad hunc errorem defendendum innitebantur verbis Salvatoris prout a Joanne referuntur in Evangelio. Concilium ergo decrevit nullum argumentum, ut præcepta omnibus a Domino ostenderetur communio sub utraque specie, desumi posse ex verbis Christi, Joan. 6., sive de Eucharistiæ sacramento intelligantur; sive aliis mysticis significationibus accipiantur: at *damnare* noluit opinionem paucorum quorumdam Catholicorum, qui contendebant Christum apud Joannem, capite 6. sacramentum Eucharistiæ non promisisse. Ut hæc intentio Concilii manifesta fieret, addita fuit, illa sessione, schemati, et tandem approbata clausula declarativa quæ in capite primo legitur, quamque nos hic prout est illi inserta capiti, referimus, *typis italicis*:

[1] Migne P. G. t. 32. p. 483.

[2] Migne P. L. t. 23. p. 1092.

"Sed neque ex sermone illo, apud Joannem sexto, recte colligitur utriusque speciei communionem a Domino præceptam esse, *utcumque juxta varias sanctorum Patrum et Doctorum interpretationes intelligatur:* namque qui dixit: 'Nisi manducaveritis' etc."—Conf. Pallavicini, Istoria del Concilio di Trento, t. 3. l. 17. nn. 7. 11. 13. 22.

ARTICULUS TERTIUS

De institutione Eucharistiæ.

Quod verbis a Joanne in capite sexto Evangelii relatis Christus promiserat, id pro fidelitate sua infinita amanter præstitit. In ultima namque Cœna, discessurus ex mundo ad Patrem, Salvator noster, postquam agnum paschalem cum discipulis suis manducaverit, atque eorum pedes laverit, mensæ iterum accumbens, sacramentum Eucharistiæ instituit, in quo fidelibus corpus suum sanctissimum dedit ad manducandum, et sanguinem suum pretiosissimum ad bibendum.

Institutionem Eucharistiæ ita refert S. Mattheus (XXVI. 26–29.):—"Cœnantibus autem eis, accepit Jesus panem, et benedixit, ac fregit, deditque discipulis suis, et ait: Accipite et comedite: 'Hoc est corpus meum.' Et accipiens calicem gratias egit, et dedit illis, dicens: Bibite ex hoc omnes. 'Hic est enim sanguis meus novi Testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.' Dico autem vobis: non bibam amodo de hoc genimine vitis, usque in diem illum, cum illud bibam vobiscum novum in regno Patris mei." Græcus textus verba consecrationis sic refert: *τοῦτό ἐστι τὸ σῶμά μου—τοῦτο γάρ ἐστι τὸ αἷμά μου, τὸ τῆς καινῆς διαθήκης, τὸ περὶ πολλῶν ἐκχυνόμενον εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν.*

S. Marcus (XIV. 22–25.) ait:—"Manducantibus illis, accepit Jesus panem; et benedicens fregit, et dedit eis, et ait: Sumite, 'Hoc est corpus meum.' Et accepto calice, gratias agens dedit eis: et biberunt ex illo omnes. Et ait illis: 'Hic est sanguis meus novi Testamenti, qui pro multis effundetur.' Amen dico vobis, quia jam non bibam de hoc genimine vitis usque in diem illum, cum illud bibam novum in regno Dei." Græcus textus: *τοῦτό ἐστι τὸ σῶμά μου—τοῦτό ἐστι τὸ αἷμά μου τὸ τῆς καινῆς διαθήκης, τὸ περὶ πολλῶν ἐκχυνόμενον.*

S. Lucas de eadem re hæc habet (XXII. 14–20.):—"Et cum facta esset hora, discubuit, et duodecim Apostoli cum eo. Et ait illis: Desiderio desideravi hoc pascha manducare vobiscum, antequam patiar. Dico enim vobis, quia ex hoc non manducabo illud, donec impleatur in regno Dei. Et accepto calice, gratias egit, et dixit: Accipite, et dividite inter vos. Dico enim vobis, quod non bibam de generatione vitis, donec regnum Dei veniat. Et accepto pane, gratias egit, et fregit, et dedit eis, dicens: 'Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur:' hoc facite in meam commemorationem. Similiter et calicem, postquam cœnavit, dicens: 'Hic est calix Novum Testamentum in sanguine meo, qui pro vobis fundetur.'" Textus habet: *Τοῦτό ἐστι τὸ σῶμά μου, τὸ ὑπὲρ ὑμῶν διδόμενον· Τοῦτο τὸ ποτήριον, ἡ καινὴ διαθήκη ἐν τῷ αἵματί μου τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνόμενον.*

S. Paulus, ad Corinthios scribens (I. Cor. XI. 23–25.), de Eucharistiæ institutione dicit:—"Ego enim accepi a Domino, quod et tradidi vobis, quoniam Dominus Jesus, in qua nocte tradebatur, accepit panem, et gratias agens fregit, et dixit: Accipite et manducate: 'Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur:' hoc facite in meam commemorationem. Similiter et calicem, postquam cœnavit, dicens: 'Hic calix Novum Testamentum est in meo sanguine: hoc facite, quotiescumque bibetis, in meam commemorationem." In textu: *Τοῦτό μου ἐστὶ τὸ σῶμα τό ὑπερ ὑμῶν κλώμενον· τοῦτο ποιεῖτε εἰς τὴν ἐμὴν ἀνάμνησιν—τοῦτο τὸ ποτήριον, ἡ καινη διαθήκη ἐστὶν ἐν τῷ ἐμῷ αἵματι· τοῦτο ποιεῖτε, ὁσάκις ἂν πίνητε, εἰς τὴν ἐμὴν ἀνάμνησιν.*

Hæc verba Christi Sacramentarii seu Novatores qui sæculo XVI. negaverunt realem corporis et sanguinis Domini nostri præsentiam in Eucharistia, impiissime a sensu obvio et unice vero ad figuratum detorserunt; et hi, qui perspicuitatem Sacrarum Scripturarum jactabant, tot diversas metaphoricas illorum verborum significationes sibi confinxerunt, ut jam anno 1577. Christophorus Rasperger edere potuerit librum cui titulus: "*Ducentæ verborum,* HOC EST CORPUS MEUM, etc. *interpretationes.*"

Œcumenica vero Tridentina Synodus, sessione 12., "de venerabili et divino Eucharistiæ sacramento doctrinam tradens, quam semper Catholica Ecclesia ab ipso Jesu Christo Domino nostro et ejus Apostolis erudita, atque a Spiritu Sancto illi omnem veritatem in dies suggerente,

edocta, retinuit, et ad finem usque sæculi conservabit," in primo Decreti quod edidit capite, de Eucharistiæ institutione sic statuit ac definivit:—

"Principio docet Sancta Synodus et aperte ac simpliciter profitetur, in almo sanctæ Eucharistiæ sacramento, post panis et vini consecrationem, Dominum Nostrum Jesum Christum, verum Deum atque hominem, vere, realiter ac substantialiter sub specie illarum rerum sensibilium contineri; . . . . . ita enim majores nostri omnes, quotquot in vera Christi Ecclesia fuerunt, qui de sanctissimo hoc Sacramento disseruerunt, apertissime professi sunt, hoc tam admirabile Sacramentum in ultima cœna Redemptorem nostrum instituisse, cum post panis, vinique benedictionem, se suum ipsius corpus illis præbere, ac suum sanguinem, disertis ac perspicuis verbis testatus est: quæ verba a Sanctis Evangelistis commemorata, et a divo Paulo postea repetita, cum propriam illam et apertissimam significationem præ se ferant, secundum quam a Patribus intellecta sunt; indignissimum sane flagitium est, ea a quibusdam contensiosis et pravis hominibus ad fictitios et imaginarios tropos, quibus veritas carnis et sanguinis Christi negatur, contra universum Ecclesiæ sensum detorqueri: quæ tamquam columna et firmamentum veritatis, hæc ab impiis hominibus excogitata commenta, velut Satanica, detestata est, grato semper et memore animo præstantissimum hoc Christi beneficium agnoscens."

Itaque controversia circa verba institutionis Eucharistiæ Catholicos inter et adversarios omnes, qui præsentiam Christi realem in sacramento inficiantur, in hoc uno tantum posita est, nimirum: num in propria, an in metaphorica significatione hæc verba Christi intelligi debeant: *hoc est corpus meum,—hic est sanguis meus.*[1] Hinc ad catholicam veritatem demonstrandam statuitur thesis sequens.

[1] "The Form of Concord correctly recognizes this as the doctrine of the Reformed Church. It says (VII. 7.—Hase, Libri Symbolici, p. 727.) that the Reformed in rejecting the literal sense of the words 'eat, this is my body,' teach:—ut edere corpus Christi nihil aliud ipsis significet, quam credere in Christum, et vocabulum corporis illis nihil nisi symbolum, hoc est signum seu figuram corporis Christi, denotet, quod tamen non in terris in Sacra Cœna præsens, sed tantum in cœlis sit."—Hodge Systematic Theology, vol. 3. p. 3. c. 20. p. 668.

Ineptissima autem commenta sunt, quæ nulla indigent confutatione, sed ipsa enunciatione per se refutantur, expositiones illæ quorumdam inter Sacramentarios, juxta quas vel Christus dixisset 'hoc, quod videtis et mensæ accumbit est corpus meum,'—vel 'vos discipuli estis corpus meum,'—vel 'hic panis est corpus a me factum, seu creatum.' Sufficit Evangelistarum et Pauli verba legere quæ supra retulimus, ut

THESIS II.

Verba institutionis Eucharistiæ, Matt. XXVI., Marc. XIV., Luc. XXII., I. ad Cor. XI., *intelligenda esse sensu proprio, quo affirmatur corpus et sanguinem Christi vere et realiter constitui sub symbolis visibilibus, apertissime constat tum ex ipsis verbis in se inspectis, tum ex omnibus adjunctis rerum ac personarum.*

I.—Thesis probatur primo ex ipsis verbis institutionis Eucharistiæ, et sic proponitur argumentum :— Si sensu non proprio, sed metaphorico Christus dixisset, *hoc est corpus meum, hic est sanguis meus*, inepta simul et fallax fuisset ejus locutio. Atqui neutrum de Christo, citra blasphemiam, proferri potest aut cogitari. Ergo Christus illa verba dixit in sensu proprio, non metaphorico ; ideoque significant vere et realiter eum tunc dedisse discipulis suis corpus et sanguinem suum sub symbolis visibilibus.—Minor est manifesta :—Major vero constabit si demonstrabimus verba illa intelligi non potuisse nisi in sensu proprio : inepte enim quis loquitur dum verba profert, quæ nullo modo ab auditoribus suis possunt intelligi in ea significatione quam ipse intendit ; et fallaciter loquitur, si probe noscens hæc eadem verba omnino aliter ac ipse intendit ab auditoribus intelligi, cum nullatenus id quod intendit valeant exprimere ; et sciens auditores ex hac significatione verborum in errorem gravissimum induci debere ; nihilominus illis verbis eos alloquitur ; ipse enim est eis tunc procul dubio errandi causa.

Quare, ut argumentum mox propositum evidenter thesim probet, hoc unum ostendi debet, scilicet, verba quæ Christus dixit Apostolis "hoc est corpus meum, hic est sanguis meus" non aliter quam in obvia et propria significatione ab eis intelligi potuisse : id autem patebit cum demonstrabitur verba illa nullo modo potuisse referre hunc sensum metaphoricum : panis et vinum sunt signa et repræsentationes corporis et sanguinis mei ; sed significare solum potuisse : hæc quæ vobis tra-

luce clarius appareat Christum noluisse dicere discipulis illud quod videbant mensæ assidens esse suum corpus ; sed locutum fuisse de re quam discipulis dabat ad manducandum. Ex iisdem verbis patet Christum non dixisse 'hoc corpus est meum,' sed 'hoc est corpus meum ;' et addisse 'quod pro vobis datur (traditur) :' panis vèro etsi a Christo creatus, non fuit tamen pro nobis traditus in remissionem peccatorum.

duntur, et secundum speciem esse videntur panis et vinum, sunt vere corpus meum et sanguis meus.

At laboriosum nobis non est istud ostendere tum spectando verba Christi juxta omnium inter se colloquentium consuetudines ac leges, tum considerando vim propriam quæ inest in verbis Christi.

Etenim hæc est lex recte loquendi, hæc est consuetudo semper et ubique inter homines servata, ut si quid enuntietur de aliqua re, quæ non ex sese, non usu recepto, non ex speciali et nota antecedente institutione spectatur ab eo cui loquimur ut alterius rei signum, illud quod enuntiatur intelligi debeat convenire rei in se, non prout est signum; sicut e converso, si agatur de re, quæ sive ex natura sua, sive ex communi consuetudine, sive ex præcedenti institutione nota ei cui loquimur, ut signum habetur alterius rei; et insuper ipsa locutionis adjuncta ostendunt nos de ea prout est signum loqui, illud quod de hac re enunciatur, non rei ut in se est sed sub ratione signi tribui debeat. Sic, ex. gr. ostensa statua, sine ulla ambiguitate, recte dicimus ei quem alloquimur, hic est Cæsar, aut Plato; sed ineptissime, et ita ut nunquam mentem nostram capere quis posset, loqueremur, si alteri indigitando panem diceremus: hic est Aristoteles, ad significandum eum sana philosophia pascere hominum intellectus.—

Porro, manifestum est panem et vinum non ex sese, nec ex usu recepto, nec ex antecedenti institutione signa fuisse corporis et sanguinis Christi; Christum nullatenus in ultima cœna monuisse Apostolos, se velle tunc primum instituere illas res, panem et vinum, ad aliquid significandum, ita ut juxta evidentem indolem et seriem orationis, debuissent Apostoli expectare a Christo explicationem termini ad quem referenda erant signa jam instituta:—ergo nullo pacto poterant Apostoli in verbis Christi proferentis panem et vinum et dicentis: 'hoc est corpus meum, hic est sanguis meus,' intelligere panem et vinum, *ut nuda signa, repræsentare* corpus et sanguinem Christi; sed omnino debebant intelligere Christum Dominum eis declarare voluisse quid *essent* ea quæ porrigebat, nempe *vere corpus ejus* et *vere sanguis ejus.*

Sed attendamus vim propriam verborum Christi. "Hoc est," ait, "corpus meum:" at pronomen *hoc* non potest determinate *panem* significare; est enim *panis*, *αρτος*, masculini generis, *hoc*, *τουτο*, neutrius: —ergo sensus illius sententiæ esse non potuit: hic panis significat aut

repræsentat corpus meum; sed sensus debuit esse: hoc, quod porrigo vobis, est corpus meum.

Et notetur modus quo exprimitur prædicatum. Dicitur emphatice, cum articulo repetito,[1] adeo ut sensus sit: hoc quod trado vobis manducandum est *ipsum* corpus meum, *ipsum* quod pro vobis datur; et id quod bibendum vobis porrigo est *ipse* sanguis meus, *ipse* Novi Testamenti, *ipse* qui pro vobis effundetur:—sed repetitio hæc emphatica adhibetur ad excludendam impropriam acceptionem verborum et ad declarandam proprietatem locutionis:—ergo in verbis Christi locutio figurata intelligi non poterat ab auditoribus, et hac omnino exclusa sensus proprius in illis verbis solus intelligi poterat et debebat.

Illustretur res exemplo. Habeo ante me veterem codicem manuscriptum, et dico adstantibus: en, hic est codex Summæ Theologicæ Doctoris Angelici, ipse codex sua manu exaratus, ipse codex cui commisit fructus elucubrationum et meditationum suarum, ac cœlestium illustrationum quas in eo scribendo frequenter recipiebat; quis quæso, inter adstantes et audientes, quis umquam dubitabit, quin ego loquar de autographo S. Thomæ, minime vero de aliquo codice ex illo autographo transcripto? — Si voluissem hoc exprimere, simulque excellentiam declarare transcripti hujus codicis, nonne, ut auditores me intelligere possent, dicere debuissem: en codex Summæ Aquinatis, qui simillimus est illi qui ab ipso S. Doctore fuit exaratus; vel locutionem aliam adhibere debuissem, quæ tamen æquivalens huic omnino esset?—Illa igitur verba Christi: "Hoc est corpus meum, *quod pro vobis* datur;" et alia "hic est sanguis meus, *ipse Novi Testamenti, ipse qui pro vobis effunditur,*" debebant, nec aliud poterant, hoc unum in Apostolorum mentibus significare, scilicet, Christum Dominum eis corpus et sanguinem suum vere, realiter, substantialiter tradere.

Insuper, diligenter consideretur in verbis Christi apposita declaratio, et novum, apertissimum argumentum in ea inveniemus pro thesi nostra. Etenim, apud Lucam legimus: "Corpus meum, *quod pro vobis datur* (*τὸ σῶμά μου τὸ ὑπὲρ ὑμῶν διδόμενον*)," et apud Paulum "*quod pro vobis tradetur,*" græce, "*quod pro vobis frangitur* (*τὸ ὑπὲρ ὑμῶν κλώμενον*):"—quod autem spectat calicem, apud Mattheum habetur: "*Sanguis meus Novi Testamenti qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum* (*τὸ*

[1] V. supra pp. 33, 34.

αἷμά μου, τὸ τῆς καινῆς διαθήκης, τὸ περὶ πολλῶν ἐκχυνόμενον εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν);" et apud Marcum: "*Sanguis meus Novi Testamenti, qui pro multis effundetur* (τὸ αἷμά μου, τὸ τῆς [καινῆς] διαθήκης, τὸ περὶ πολλῶν ἐκχυνόμενον);" et apud Lucam: "*In sanguine meo qui pro vobis fundetur* (ἐν τῷ αἵματί μού τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνόμενον.)."—Sed locutiones istæ corpus *dari* aut *tradi pro nobis*, et pro nobis sanguinem effundi in *remissionem peccatorum*, nequeunt, juxta frequentissimum usum Scripturarum,[1] aliter intelligi ac de vero Christi corpore, quod solum in sacrificium Deo offertur pro salute nostra; et de vero sanguine qui pro totius mundi vita solus effunditur.—Ergo quod Christus in ultima cœna, verbis institutionis Eucharistiæ, Apostolis tradebat ad manducandum et ad bibendum erat verum corpus suum et verus sanguis.

Demum, antequam alia demonstrationis momenta perpendamus, considerationem, quam subjungimus, addere hic non piget. Si verba, quibus Christus instituebat Eucharistiam non fuerunt prolata in sensu proprio, sed figurato, id fuit vel quia Christus corpus suum dare non potuit realiter ad manducandum, et sanguinem suum ad bibendum; vel quia etsi id potuerit, tamen noluit. At neutrum dici potest. Non primum, quia Filius Dei vivi, potentia sua infinita, certe valebat illud efficere; nullam enim implicat absolutam repugnantiam, ut patet ex solutione omnium difficultatum, quas ex hoc capite proposuerunt Sacramentarii, et suo loco referemus.—Non secundum, quia cum non potuisset Christus clarioribus uti verbis præ illis quibus usus est, si voluisset corpus suum et sanguinem realiter Apostolis dare in cibum et in potum, non est cur dici, aut suspicari possit eum id noluisse.

II.—Verba institutionis Eucharistiæ perpendimus, consideremus nunc oportet adjuncta illius institutionis.

Et in primis circumstantia promissionis Eucharistiæ a Christo factæ, cogebat Apostolos ad intelligendum verba Magistri, 'hoc est corpus meum, hic est sanguis meus,' in sensu obvio, litterali, planissimo. Ipse publica et solemni prænuntiatione promiserat anno superiori se daturum carnem suam ad manducandum, et sanguinem suum ad bibendum, et dixerat carnem suam esse panem vivificum ad vitam supernaturalem in nobis sustentandam et augendam; ex hac declaratione, de vera

[1] Conf. ad Tit. II. 14.; I. ad Tim. II. 6.; ad Gal. I. 4.; ad Eph. V. 2. etc.

nempe manducatione carnis et potatione sanguinis, scandalum passi fuerunt multi; Apostoli vero illam simpliciter ac firmissime crediderant; et expectabant impletionem promissionis. Cum ergo audiebant Dominum dicentem, "hoc est corpus meum, hic est sanguis meus," agnoscere certo debebant Dominum tunc implevisse quod promiserat, et propria significatione illa verba intelligentes credere se tunc accepisse quod expectabant.

Ipsa indoles Apostolorum, ut in Evangeliis delineatur, est aliud institutionis Eucharistiæ adjunctum quod argumenta hucusque allata valde confirmat. Et revera quinam erant Apostoli quos Christus alloquebatur? Simplices et inculti homines, qui tam alieni erant a figuris quærendis in verbis Salvatoris, ut evidentes metaphoricas locutiones, communissimos tropos quandoque non intelligentes, quod illis figuris exprimebatur, sumerent in sensu proprio. Homines erant qui miraculis a Christo passim patratis assueti erant; qui viderant eum convertere unam in aliam substantiam, multiplicare panes ac pisces, ambulare super aquas, imperare ventis et mari, dominium supremum exercere super omnem creaturam, sanare omnem languorem et omnem infirmitatem, revocare mortuos ad vitam. Homines erant educati in schola Christi ad simplicem adhibendam fidem verbis divini Magistri, propter ejus auctoritatem, quin umquam ratio aut comprehensio modi, quo res a Magistro enunciata aut sit aut fieri possit, motivum esset eis ad assentiendum et norma qua assensum darent aut denegarent;—et hanc simplicem fidem, quam exigebat Magister Divinus, eidem promittenti carnem suam ad manducandum, et sanguinem ad bibendum jam exhibuerant:—Non poterant ergo Apostoli metaphoricam locutionem intelligere in verbis Christi.

Præterea, loquebatur Christus eis, quos *amicos* vocaverat, et magistros elegerat omnium futurarum generationum; quibus solebat parabolas a se propositas declarare; quibus dixerat, *datum esse nosse mysteria regni cœlorum* (Matt. XIII. 11.); quos *cum dilexisset, in finem dilexit* (Joan. XIII. 1.):—quis, quæso, his perpensis, dicet, Christum sub metaphora inintelligibili eis tunc locutum fuisse, et non omnia plane, locutione obvia et simplicissima ipsis Christum declarasse?

Deinde attendantur circumstantiæ, quæ ex re, de qua tunc agebatur,

desumi possunt: instituebat Christus sacramentum, et condebat Novum Testamentum; et hæc figuratam locutionem prorsus excludunt.

Sacramentum esse, de quo hic agitur, nemo negat. Sacramenta autem solere a Deo institui propriis verbis, ut in eorum usu non erretur, perspicuum est ex institutione sacramentorum omnium veteris, et novæ legis. Certe Gen. XVII. ubi instituitur circumcisio, et Exod. XII. ubi instituitur agnus paschalis, et in toto Levitico, ubi tot sacrificia, et expiationes instituuntur, vix unquam occurrit una aliqua vox figurata: sic etiam Matth. ult. Marc. ult. et Joan. III. ubi de Baptismi institutione, vel potius promulgatione et præcepto agitur, omnia propriis vocibus explicantur. Neque obstat, quod Joan. III. Dominus utitur voce renascendi, quæ videtur metaphorica: nam ibidem explicatur vox illa per adjuncta: "Ex aqua et Spiritu Sancto." Et præterea non pertinet vox illa ad sacramenti essentiam, sed ad effectum significandum.

Deinde Testamentum Novum fuisse simul a Domino institutum, patet ex illis verbis: "Hic est sanguis meus Novi Testamenti" (Matt. XXVI.) vel, ut habet Luc. XXII.: "Hic est calix Novum Testamentum in sanguine meo."—Jam vero nihil solet magis proprie, simpliciter et exquisite explicari, quam Testamentum; ne videlicet detur occasio litigandi de voluntate testatoris. Ita videmus Exod. XXIV., ubi Testamentum vetus instituitur, omnia propriissimis et apertissimis vocibus, declarari: sic enim refert illam institutionem Apostolus, Hebr. IX.: "Lecto," inquit, "omni mandato legis a Moyse universo populo, accipiens sanguinem vitulorum, et hircorum cum aqua, et lana coccinea, et hyssopo; ipsum quoque librum, et omnem populum aspersit, dicens: Hic sanguis Testamenti, quod mandavit ad vos Deus." Sic etiam in testamentis hominum factum fuisse legimus in Scripturis; nam Gen. XLIX. Jacob, qui vaticinando variis figuris usus fuerat, ad ipsum Testamentum veniens, clarissimis verbis utitur: "Ego congregor ad populum meum, sepelite me cum patribus meis, in spelunca duplici, quæ est in agro Ephron Hethaei contra Mambre in terra Chanaan, quam emit Abraham." Ita quoque et rex David (III. Reg. II.) et Tobias (c. IV.) et Mathatias (l. 1. Machab. II.) testamenta sua verbis simplicissimis composuerunt.—Quidni igitur etiam Christus Testamentum suum tanti momenti, quo de æterna hæreditate agitur, propriis verbis, et apertis composuerit? dicentne forte adversarii nostri: decet ut Testamentum

Vetus, quod figura erat et umbra, propriis ac perspicuis vocibus proponatur; Testamentum autem Novum figuratis, et typicis locutionibus obscuretur?—

Et recte Cardinalis Bellarminus[1] postquam proposuerat argumentum hoc, in confirmationem ejus adnotat: "Testamenta humana in proprio sensu verborum intelligenda esse, jubent humanæ leges, (ff. de legat. 3.) non aliter; et ideo si testamento relinquatur domus, aut ager, et vellet aliquis cavillari, non esse relictam domum veram, sed depictam, et exponeret, relinquo domum, idest, signum domus; apud nullum judicem obtineret. Quanto igitur minus obtinere debent adversarii, qui Testamentum ipsum Christi contra morem omnium testamentorum, detorquere audent ad metonymias?"

Ultima circumstantia quæ attendi debet, et quæ certo certius demonstrat verba Christi sumenda esse in senso obvio et litterali; est modus quo refertur Eucharistiæ institutio apud quatuor scriptores inspiratos. Argumentum quod ex eo modo desumitur referam hic verbis Cardinalis Franzelin.[2]

"Narratio institutionis Eucharistiæ tradita est a quatuor sacris scriptoribus diversis temporibus, diversis in regionibus, pro diversis lectoribus (immediatis). Jam si verba Christi accipienda essent in sensu translato, figura tam insolita et inaudita, ut usque ad nostram ætatem assertores figuræ de summa obscuritate conquerantur, exemplum aliquatenus simile ac locum parallelum nullum reperire queant, et de via ac ratione defendendi talem sensum translatum inter se ipsos pugnent; si, inquam, verba Christi in re tanti momenti et tanto discrimini erroris obnoxia ita haberent, fieri non potuisset, ut nullus quatuor scriptorum obscuritatem locutionis, cujus nullum simile exemplum nec in Christi sermonibus, nec in tota Scriptura, nec in ullo prudenti sermone humano reperire est, sustulisset, vel addendo aliquam explicationem, vel substituendo locutioni impropriæ enuntiationem propriam: 'panis est signum ac memoriale corporis mei pro vobis in mortem tradendi." Eo magis id est incredibile, quod frequenter occurrunt apud sacros scriptores hujusmodi explicationes in rebus et verbis minus gravibus et certe minus obscuris. Jo. II. 19–21.; III. 3–5.; IV. 32. 34.; VII. 38. 39.; VIII. 32–34.; XXI. 19. 23.; Matth. XVI. 6. 12.; XVII. 12. 13.; Jo. XII.

[1] De Sacramento Eucharistiæ, l. 1. c. 9. [2] De Eucharistia, p. 43.

4. coll. Matth. XXVI. 8. et Marc. XIV. 4.; Luc. XXIII. 39. coll. Matth. XXVII. 44. et Marc. XV. 32.; Jac. II. 20. seqq. coll. Rom. III. et IV. etc.[1] Atqui verba eucharistica tres Evangelistæ, et præter morem Evangelistam agens gentium Apostolus, referunt alius paulo quidem aliter et non omnes eodem prorsus modo, ut manifestum sit, non voluisse singulos ipsas syllabas et verba eadem materialia Christi Domini præscribere, sed solum sensum exprimere; nihilominus tamen apud omnes eadem est verborum simplicitas, absque ulla circumlocutione aut explicatione sensus verborum. Quod indicium est evidens, sacros scriptores verba habuisse ut plana et in suo sensu clara. At clara non sunt nisi in sensu obvio ac proprio intelligantur, in sensu autem improprio essent obscurissima. Ergo ipsi sacri scriptores sensum obvium habuerunt ut genuinum, et in eo sensu verba retulerunt ac intelligi voluerunt."

Verum, Paulus Apostolus in modo quo refert Eucharistiæ institutionem, ipsi a Domino specialiter revelatam, præter argumentum mox propositum, demonstationem novam nobis offert veritatis quam propugnamus.

Etenim postquam in 1. Epistola ad Corinthios (XI. 23–25.) retulerit quod a Domino de institutione augustissimi Sacramenti acceperat, et addiderit, (ver. 26.): "Quotiescumque enim manducabitis panem hunc, et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis donec veniat;" ex significatione in verbis Christi contenta, quam supponit apertissimam et fidelibus notissimam, nempe de reali ejus præsentia in Mysterio, infert et docet quam grave sit peccatum quod in indigna susceptione veri corporis et veri sanguinis Domini perpetratur. "Itaque," ait (vv. 27–29.), "quicumque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini. Probet autem seipsum homo, et sic de pane illo edat, et de calice bibat. Qui enim manducat, et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit, non dijudicans corpus Domini."

Sensus ergo Apostoli hic est: Quicumque panem hunc aut calicem indigne sumpserit, obnoxius erit pœnæ quam meretur ille qui corpus

[1] "Et tamen nullam parabolam non aut ab ipso invenies edisseratam aut a commentatore Evangelii præluminatam aut ultro conjectandam. Quod si nec parabolæ obumbrant Evangelii lucem, tanto abest ut sententiæ et definitiones, quarum aperta natura est, aliter quam sonant, sapiant."—Tertullianus, de resurr. carn. c. 33.

ipsum Domini sanctissimum, et sanguinem pretiosissimum indigne tractaverit. Ne fiat reus tanti criminis, *probet seipsum homo,* conscientiam suam exploret, videat num talis sit qualem oportet eum esse qui ad mensam Domini conviva accedat, accepturus ab eo cibum et potum, verum corpus Christi ad manducandum, et sanguinem ad bibendum. Cum seipsum probaverit homo et dignum repererit, tunc et non aliter, *de pane illo edat et de calice bibat;* quisquis enim edit aut bibit non probatus, ipse sibi damnationem accersit, *judicium sibi manducat et bibit:* et causa hujus judicii seu condemnationis pro tali homine, addit Apostolus, est manifesta, accedit enim *non dijudicans corpus Domini,* seu non discernens corpus Domini quod hic in mysterio est præsens, et vere sumitur, a quocumque alio cibo.

Verba institutionis Eucharistiæ perpetuo intellecta fuisse in Ecclesia Christi juxta obviam et litteralem significationem probabimus in sequenti articulo: de objectionibus, quas afferunt adversarii ad ostendendam repugnantiam mysterii, agemus inferius, postquam omnem veritatem circa præsentiam Domini in Eucharistia, et modum quo ibi fit præsens, prout catholica fides docet, vindicaverimus: hic difficultates tantum, quas Sacramentarii proponunt ex Scripturis, solvendæ nobis supersunt. Objiciunt

I.—Quod Christus accepit, et dedit discipulis suis ad manducandum dicens: *Accipite et comedite,* etc. id solum est in Eucharistia.—Atqui id quod Christus accepit ac discipulis suis dedit ad manducandum erat panis: in Evangelio enim dicitur: "Accepit Jesus panem et benedixit ac fregit deditque discipulis suis et ait: Accipite et comedite," etc.—Ergo in Eucharistia solum est panis.

R.—*Dist. min.* Quod Christus accepit erat panis, qui remansit panis *N.* Qui per verba consecratoria "hoc est corpus meum" transiit in corpus Christi *C.* Et *N. conseq.*—Quod ergo Christus accepit fuit panis et corpus Christi successive:—panis quando illum Christus e mensa accepit; corpus vero Christi absoluta prolatione horum verborum, *hoc est corpus meum.* Etenim propositio Christi, *hoc est corpus meum,* est practica, sicut hæc, *sit lux,* seu *fiat lux:* differt autem propositio speculativa a practica in eo quod illa, scilicet speculativa, objectum suum

supponat non efficiat; hæc, nempe practica, quod enuntiat non supponat existens sed efficiat. Quare in propositionibus practicis, etsi, dum inchoantur, terminus a quo fit mutatio adhuc existat, ut in præsenti casu, panis; in fine tamen, quando propositiones illæ practicæ completæ sunt, terminus a quo mutatus est et conversus in terminum ad quem, qui in præsenti casu est corpus Christi.

2.—Nisi sensus figuratus tribuatur verbis Christi, propositio ejus erit falsa; nam in propositione, *hoc est corpus meum*, si proprio sensu intelligatur, pronomen *hoc* vel demonstrat panem, vel species panis, vel corpus Christi. Sed nullum ex his vere demonstrare potest: Ergo.—*Prob. min.* Pronomen *hoc* demonstrare non potest *panem*, aut *species panis;* quia falsum est panem aut ejus species esse corpus Christi: similiter demonstrare non potest corpus Christi; quia dum *hoc* pronuntiatur, corpus Christi nondum adest.—Ergo.

R.—*N. assumpt.*—Et quoad ejus *prob. R.* pronomen *hoc* in instanti quo pronuntiatur, non demonstrat *determinate* neque panem, neque species panis, neque corpus Christi, sed *confuse* et *indeterminate* rem aliquam, seu quid commune utrique, pani et corpori Christi, videlicet *contentum sub his speciebus.*—Ratio est quia pronomen demonstrativum *hoc*, ex parte subjecti in propositione aliqua positum, sine substantivo adjuncto, non significat aliquid *determinate*, sed rem aliquam *generatim et confuse.* Sane si Christus in nuptiis Canæ convertisset sex hydriarum aquam in vinum, dicendo *hoc est vinum*, pronomen *hoc* significasset *contentum in his* hydriis; idque nobiscum adversarii fateri debent.

3.—Pronomen *hoc* dum profertur, substantiam demonstrat. Atqui dum profertur panis est præsens. Ergo demonstrat panem.

R.—*Dist. min.*—Pronomen *hoc* dum profertur demonstrat *determinate* substantiam, seu cum determinatione propriæ naturæ *N.* Absque *ista determinatione quoad naturam C.*—Cf. S. Th. 3. q. 78. a. 5. ad 1.—Igitur pronomen *hoc* demonstrat quidem corpus Christi, sed dum propositio inchoatur, id tantum significat sub *ratione confusa* substantiæ præsentis sine *determinatione naturæ;* in instanti vero propositionis completæ significat *clare* et *determinate:* quod in propositionibus practicis locum habet.

Hæc locutio, *hoc est corpus meum*, ait S. Thomas loco citato, "habet

virtutem factivam conversionis panis in corpus Christi. Et ideo comparatur ad alias locutiones, quæ habent solum vim significativam, et non factivam, sicut comparatur conceptio intellectus practici, quæ est factiva rei, conceptioni intellectus nostri speculativi, quæ est accepta a rebus ; nam *voces sunt signa intellectuum*, secundum Philosophum, l. 1. Periher., in princ. Et ideo sicut conceptio intellectus practici non præsupponit rem conceptam, sed facit eam, ita veritas hujus locutionis non præsupponit rem significatam, sed facit eam ; sic enim se habet verbum Dei ad res factas per verbum. Hæc autem conversio non fit successive, sed in instanti, sicut dictum est quæst. 75. art. 7. Et ideo oportet quidem intelligere prædictam locutionem secundum ultimum instans prolationis verborum, non tamen ita quod præsupponatur ex parte subjecti id quod est terminus conversionis, scilicet quod corpus Christi sit corpus Christi ; neque etiam illud quod fuit ante conversionem, scilicet panis ; sed id quod communiter se habet quantum ad utrumque, scilicet contentum in generali sub istis speciebus. Non enim faciunt hæc verba quod corpus Christi sit corpus Christi, neque quod panis sit corpus Christi, sed quod contentum sub his speciebus, quod prius erat panis, sit corpus Christi. Et ideo signanter non dicit Dominus : *Hic panis est corpus meum*, quod esset secundum intellectum secundæ opinionis ; neque : *Hoc corpus meum est corpus meum*, quod esset secundum intellectum tertiæ. Sed in generali : *Hoc est corpus meum*, nullo nomine apposito a parte subjecti, sed solo pronomine, quod significat substantiam in communi, sine qualitate, id est, forma determinata."

Nec refert, quod Christus hebraice loquens non dixerit, *hoc*, sed *hic* est corpus meum : nam 1.—sicut Hebræi genere neutro carent in pronomine, ita et in nomine : quocirca etiam *corpus* hebraice est generis masculini, et demonstrari potuit per pronomen masculinum. 2.—Potest quoque τὸ *hic* sumi adjective, ut sensus sit : hic cibus est corpus meum ; sicut etiam in consecratione secunda, *hic est sanguis meus*, vel *hic calix* (Luc. XXII., et I. Cor. XI.) sumitur adjective, ut sensus sit : hic potus in calice est sanguis meus. Marcus tamen, Lucas, Paulus et Græcus Matthæi interpres in consecratione prima genere neutro utuntur τοῦτο, etsi ἄρτος *panis* apud Græcos ad masculinum genus pertineat. Et quovis modo τὸ *hoc* sumas, substantive, vel adjective, nihil refert ;

sensus erit idem: — substantive, sensus erit: hoc contentum, hæc substantia in communi, est corpus meum; adjective: hoc edulium est corpus meum.

4.—Si in fine propositionis pronomen *hoc* significet corpus Christi, propositio erit identica et nugatoria. Ergo pronomen *hoc* in illa propositione nonnisi panem significat.

R.—*N. Ant.*—Non ideo propositio continuo est identica, quia subjectum est re idem cum attributo; alias foret identica hæc, "Homo est animal rationale;" illa Matth. XVII.: "Hic est Filius meus dilectus," et similes innumeræ; sed identica propositio est, quæ non solum ex parte subjecti et prædicati exprimit idem, sed etiam eodem modo; seu quando prædicatum non affert subjecto notionem novam. Verum in propositione Christi quod ex parte subjecti significatur tantum confuse, ex parte prædicati distincte et clare significatur.

5.—Apostolus referens verba, *hoc est corpus meum*, addit, *quod pro vobis frangitur*, ut legitur in textu græco.—Atqui corpus Christi non frangitur, sed panis tantum. Ergo.—

R.—*N. min.*—Corpus Christi in Eucharistia frangitur—1. non utique ratione sui, sed ratione specierum sub quibus continetur, eodem sensu ac dicitur tangi, manducari, etc.—2. frangitur, quia distribuitur, juxta locutionem in Scripturis non semel usurpatam, ut ex. gr. Isai LVIII. 7.: "Frange esurienti panem tuum."—3. frangitur, quia immolatur, ut demonstrabitur.

6. — Juxta frequentem modum loquendi Scripturarum, id quod est signatum prædicatur de signo, et nomen illius isti datur. Ergo eodem modo Christus loquens panem dabat, et hunc panem appellabat corpus suum, quia panis corpus suum significabat.—Et ut antecedens probent multa loca adversarii nostri congerunt Scripturarum: ex. gr. in lib. Genesis (XLI. 26.) dicitur; "Septem boves pulchræ, et septem spicæ plenæ septem ubertatis anni sunt;" in Ezech. (XXXVII. 11.) ossa dicuntur domus Israel; Daniel ait (VII. 17. 23. 24.) quatuor animalia sunt quatuor regna et decem cornua decem reges; apud Matth. (XIII. 38. 39.) ager est mundus, bonum semen sunt filii regni, inimicus est diabolus, messis est finis mundi etc.

R.—*Dist. Ant.*—Signatum de signo prædicatur, et illius nomen isti datur, cum rationem signi inesse rei de qua est sermo probe constat auditoribus, eisque solum declaratur quid significet res quam sciunt esse signum *C.* Secus *N.* et *N. conseq.* cum panis nec ex sese, nec ex usu recepto, nec ex antecedenti institutione spectabatur, vel spectari poterat ut signum, de quo solum dicendum fuisset quid esset res significata.—In locis quæ ab adversariis afferuntur res quæ in subjecto ponitur, manifeste rationem signi habebat. Ad primum quod attinet, Josephus a Pharaone interrogatus fuerat quid somnia portenderent, proinde quid boves et spicæ significarent per somnium visæ. Respondet Josephus ad mentem interrogantis, ideoque necessario in responsione ejus intelligebatur eum de significatione loqui illius rei quæ jam cognita erat ut signum. Idem dicendum est de verbis ex Ezechiele citatis, quibus Propheta a Domino doctus fuerat quid visione quam viderat significabatur; et eadem responsio dari debet relate ad alium locum ex Daniele, in quo Propheta docetur de significatione quam quærebat visionis ab eo habitæ quatuor ingentium bestiarum e mari ascendentium. Quoad testimonium desumptum ex Evangelio Matthæi, evidens est discipulos cognovisse Christum dixisse parabolam, quæ aliarum rerum semper est adumbratio; et cum optime scivissent nonnisi signa contineri in verbis tunc a Christo prolatis, eum rogasse ut significationem aperiret; quod et ipse fecit dicendo: *semen est verbum Dei*, etc.

Solent etiam adversarii citare alia loca in quibus Christus de se loquendo aut de Patre usus est locutione metaphorica, ut ex. gr. cum dixit: "Ego sum vitis vera, Pater meus agricola est, ego sum ostium," et similia.—Sed inter hæc et verba quibus Eucharistiam instituit nullus est parallelismus, immo potius absoluta est dissimilitudo: Christus enim non dixit "ego sum panis, ego sum vinum," sed "hoc est corpus meum, hic est sanguis meus." Præterea in illis locutionibus Christus de se, aut de Patre aliquas proprietates prædicabat, quarum similitudo reperitur in rebus notissimis, ut per has res notas melius et vividius proprietates illæ intelligerentur: et quamvis statim percipi ab hominibus poterat hæc locutio figurata; continuo tamen, vel per adjuncta orationis, vel per expressam declarationem, sensum, quo locutus fuerat, ipse indicabat.

7.—Objiciuntur verba Pauli (I. Cor. x. 4.), loquentis de petra ex qua Judæis in deserto profluebat aqua, et dicentis: *petra erat Christus.*

Sed responsio ad hunc locum non differt ab illa quam dedimus pro præcedentibus.—Etenim mysticam significationem illius petræ evidenter in eodem contextu declarat Apostolus velle se exponere Corinthiis. Jam dixerat Patres baptizatos fuisse *in nube et in mari*, ut innueret, figuram id fuisse nostri baptismatis; eamdem eos escam spiritalem manducasse, et potum spiritalem bibisse, scilicet in figura; petram etiam, de qua biberant, vocaverat *spiritalem*:—cum ergo dixit: *petra autem erat Christus*, non poterant non intelligere Corinthii, petram fuisse figuram Christi; præsertim cum id clare exposuit subdens: *Hæc omnia in figura contingebant illis.* Nec refert, quod dicat Apostolus: *Patres nostri eamdem escam spiritalem manducaverunt;* et hi manducaverunt Christum in figura: nam sensus est, quod eam escam manducaverint inter se, non vero nobiscum.

8.—Duo præsertim loca Scripturarum, in quibus locutiones, quas sacramentales vocant et in quibus maxime confidunt, adversus doctrinam catholicam urgent adversarii;—1. ex capite 17. Genesis, in quo circumcisio appellatur fœdus, cum esset signum fœderis:—2. ex capite 12. Exodi, ubi de agno dicitur *Est enim Phase* (*id est transitus*) *Domini.*—Sicut in illis locis, aiunt, quæ spectant sacramenta a Deo instituta, verbum *est* appositum est non ad declarandum quid sit subjectum propositionis, sed quid significet, ita et in verbis Christi sumi debet *est* pro *significat.*

R.—1°—Loca, quæ citantur hic ab adversariis, Christi verbis parallela non sunt. Sane parallelismus duplex est, *realis* et *verbalis;* ille inter ea loca reperitur, quæ de eadem re et sub eadem ratione agunt; iste adest inter ea loca, in quibus verba et verborum constructio sibi respondent. Cum autem, ad sensum verborum Christi illustrandum, argumentum desumitur ex parallelismo biblico, ex parallelismo reali desumi deberet, et non ex eo qui solum est *verbalis*:—in locis vero citatis *neque realis* parallelismus est, neque *verbalis.*—Non *realis*, ut patet, quia non de eadem re loca illa citata loquuntur, de qua Christus loquitur in verbis quibus instituit Eucharistiam.—Non *verbalis*, quia cum adversarii contendant verba Christi, "hoc est corpus meum," hanc præseferre significationem "panis significat corpus meum," ad parallelismum verbalem adstruendum deberent afferre loca in quibus *subjectum* sit

nomen rei quæ, ut *panis*, absolute, et non sub ratione signi spectari soleat; *prædicatum* sit pariter nomen alterius substantiæ, quod correspondeat nomini *corpus* adhibito in institutione Eucharistiæ: et subjectum ac prædicatum simul conjungantur per verbum substantivum *est*, quod æquivaleat verbo *significat*. Porro in locis allatis *subjectum* non est aliqua substantia quæ, ut est *panis*, spectari soleat absolute; e contra est *cæremonia* aliqua a Deo præscripta, quæ in uno loco est *circumcisio*, in alio est *ritus servandus in esu agni paschalis*:—item prædicatum in utroque loco objecto non est substantia, verum in uno est *pactum*, in alio *transitus Domini*:—ac proinde in locis ab adversariis citatis nullus habetur verbalis parallelismus cum verbis quæ pronuntiavit Christus, dum Sacramentum instituebat.

2°—Præterea, etiam facta ad mentem adversariorum suppositione quod in locis citatis verbum *est* æquivaleat verbo *significat*, adhuc nulla comparatio fieri debet inter loca quæ nobis objiciuntur, et verba Eucharistiæ;—quia in locis ab adversariis contra nos commemoratis, ratio signi pro re, de qua agebatur, et intelligi de se poterat ab auditoribus, et diligenter explicatur:—dum in verbis eucharisticis nec intelligi poterat panem esse signum, nec declaratio ulla subjungitur quæ hunc sensum inducat; immo id quod additur est ad firmandum sensum proprium.—Constat autem id quod hic asserimus, quia et intelligi facile poterat signum aliquod dari ad fœdus initum, aut ad transitum Domini commemorandum; et explicatio in locis citatis immediate subjungitur, cum in Genesi, statim post ver. 10. ab adversariis citatum, legatur (v. 11): "Et circumcidetis carnem præputii vestri, ut sit *in signum fœderis* inter me et vos," [1] et in capite XII. Exodi, v. 26., Moyses

[1] Ut magis ac magis appareat nihil pro adversariis valere testimonium quod afferunt ex Gen. XVII., attendatur hæc alia animadversio proposita a Cardinale Wiseman. "Circumcision was, at all events, not merely the symbol or emblem, but actually the instrument whereby the covenant between God and his people was at once executed and recorded. It was, according to the established law of every language and country, the treaty itself. If I present any one with a writing or book, and say to him, 'This is the treaty of Amiens, or Tolentino, or Westphalia,' every one must understand me to mean the instrument or act of treaty. . . . . Was circumcision not a bare and empty symbol, but an effective representative, that which formed the covenant, and recorded upon each individual his personal comprehension under its provisions, and his accession to it as a holder of its promises. Therefore, 'this is my covenant between me and thee,' signifies much more than 'this is the sign of my covenant,' to wit, this is 'the *act* of my covenant;' taking the word 'act' in both its meanings, of its execution and its record. This interpretation is fully borne out by what fol-

declaret: "Et cum dixerint vobis filii vestri: Quæ est ista religio? Dicetis eis: *Victima transitus Domini est,* quando transivit super domos filiorum Israel in Ægypto, percutiens Ægyptios, et domos nostras liberans."

3°—Negatur suppositum adversariorum: verbum enim *est* in locis objectis suam retinet significationem, nec sumitur ut æquivalens verbo *significat.*

In verbis (Gen. XVII. 10.): "Hoc est pactum meum quod observabitis inter me et vos, et semen tuum post te: circumcidetur ex vobis omne masculinum;" pactum dicitur id quod Deus præcipiebat, et Israelitæ servare debebant ex parte sua, ut obtinerent quod benignissima voluntate Dominus eis promittebat: et quia circumcisio non erat totum pactum, seu tota lex ab eis servanda, sed pars ejus, quæ Israelitas perpetuo moneret fœderis totius cum Deo initi, ideo circumcisio dicitur etiam esse *in signum.* Verba ergo Genesis non reddunt hunc sensum, ut contendunt adversarii: hoc [circumcisio] *significat* pactum meum; sed hunc alium: hoc *est* mandatum meum, quod præcipio vobis ut pars legis totius, ex parte vestra servandæ ut fœdus maneat inter me et vos, nimirum, circumcidetur ex vobis omne masculinum.[1]

In cap. 12. Exodi (v. 11.), verba: "Est enim Phase, (id est transitus)

---

lows, v. 13. 'He who is born in thy house, and he that is bought with thy money, must needs be circumcised, and *my covenant shall be in your flesh* for an everlasting covenant."—Card. Wiseman, op. cit. Lect. 5.

[1] Hanc interpretationem veram esse ostendit ipse textus hebraicus, qui habet:

"Hoc pactum meum, quod custodietis inter me et inter vos, et inter semen tuum post te: circumcidi vobis omnem masculum." (v. 10.)

זאת בריתי אשר תשמרו
ביני וביניכם ובין זרעך
אחריך המול לכם כל-
זכר

Consonant versiones; nam in Syriaca legimus: "Hoc pactum meum ... ut circumcidatis omnem masculum;" et in paraphrasi Chaldaica: "Hoc pactum meum ... ut circumcidatur in vobis omnis masculus;" et in versione Arabica similiter: "Ut circumcidatur omnis masculus ex vobis."

Cardinalis Wiseman ait: "I have no hesitation in saying that the verb *is* must here be taken quite literally, and the pronoun *this* referred not to *circumcision* or its idea, but to the latter member of the sentence. 'This is my covenant which ye shall keep between me and thee .... every male child among you shall be circumcised.' As, if one said, 'this is our agreement, you shall pay me a hundred pounds.' I presume no one would hesitate to refer the pronoun to the condition proposed. The idea of *is* meaning to represent, would never have entered into any one's head in either proposition, except in a controversial argument."

Domini," propriam exhibent locutionem, nimirum : *est* enim agnus, hoc ritu immolatus, *victima transitus.* Usus enim apud hebræos notissimus hic erat ut victimæ nomine finis ob quem immolabantur, quodam compendio sermonis, appellarentur ; ideoque *pacificæ* vocabantur victimæ quæ pro pace aut in gratiarum actionem offerebantur, *peccata* dicebantur victimæ quæ pro peccatis immolatæ erant Deo. Victima ergo pro transitu immolata vocari potuit transitus. Et quod iste fuerit sensus locutionis, constat tum ex ipsa phrasi hebraica quæ sic habet :

"Phase est Domino," פסח הוא ליהוה

h. e., sacrum, oblatum : tum ex declaratione quæ continetur ver. 26. : "Et cum dixerint vobis filii vestri : quæ est ista religio [ritus religiosus] ? dicetis eis : victima transitus Domini est, quando transivit super domos filiorum Israel in Ægypto percutiens Ægyptios, et domos nostras liberans."

9.—In lingua Aramæa, qua Christus loquebatur, nullum est vocabulum quod respondeat verbo latino *significat :* quare, si Dominus voluit dicere "hoc *significat* corpus meum," dicere debuit "hoc *est* corpus meum."

R.—*N.*—Refutationem invictam hujus falsæ assertionis habes apud Cardinalem Wiseman in opere sæpius citato, lect. 7. Ceterum cum Scriptores inspirati, saltem tres, retulerint verba Christi *græce* secundum sensum quem iis Dominus expresserat, de sensu horum verborum dijudicari debet prout *græce* in Evangeliis et a Paulo relata sunt.

10.—Christus figuras adhibuit quum de sanguine locutus est, nam calicis nomine vocavit id quod in calice continebatur, eumque vocavit Testamentum Novum : sic enim legimus apud Lucam : "Hic est calix Novum Testamentum in sanguine meo."—Ergo et verba ejus, quæ spectant corpus, ut figurata accipi debent.

R.—*Dist. Ant.*—Et locutio illa figuram apud omnes usitatam continet, quæ sine ulla difficultate ex verbis immediate præcedentibus intelligebatur, et quæ apud alios Evangelistas adhuc clarius explicatur, *C.*—Secus *N.*—Et *N. conseq. et parit.*—Vox *calix* equidem tropice sumitur, continens nimirum pro contento; sed tropus hic tam communis est usus inter homines quam ipsæ voces propriæ. Etiam Lucas se tropice loqui innuit referens Christi verba prævia : *accipite, et bibite;* vas enim

non bibitur. Item hæc sequentia: *qui pro vobis fundetur;* sed vas ipsum non funditur.—Pariter, signum illud externum, quo voluntas ultima exprimitur, dici *testamentum*, neminem latet mortalium; quin adeo communi inter homines usu scriptura ex. gr. qua defuncti testatoris ultima voluntas exprimitur dici *testamentum* consuevit, ut vox ferme propria censenda sit, etsi revera instrumentum hoc scriptum ultimæ voluntatis nonnisi signum sit. Quare apud Lucam sanguis in calice contentus dum testamentum vocatur, facile erat intelligere sensum; scilicet esse signum fœderis novi, quo simul hoc confirmetur. Atque id planius faciunt Matthæus et Marcus, dicendo: "Hic est sanguis meus Novi Testamenti."

11.—Christus jussit ut in sui commemorationem celebraretur Eucharistia. Atqui commemoratio non fit præsentis, sed absentis. Ergo.

R.—*Dist. Maj.*—Ut celebraretur in commemorationem sui, non visibiliter præsentis *C.* In commemorationem sui neque invisibiliter, seu in statu sacramentali, præsentis *N.*—*Ad Min.*—Commemoratio non fit præsentis *D.* Visibiliter præsentis, et secundum visibilem præsentiam *C.* Non fit vel visibiliter præsentis at non secundum visibilem ejus præsentiam, vel invisibiliter præsentis *N.* — Quia corpus et sanguis Domini in Eucharistia speciebus panis et vini obvelata sunt, sacramentum hoc memoriam in nobis excitat Christi reapse in eo præsentis, sed latentis, et solum perspecti oculis fidei; et nobis perpetuo repræsentat sacrificium quod pro salute hominum in cruce Salvator obtulit. "Quotiescumque enim manducabitis panem hunc, et calicem bibetis mortem Domini annuntiabitis" (I. ad Cor. XI. 26.).

12.—Quod in calice contentum erat post consecrationem Christus dixit esse vinum, ut constat ex Matt. XXVI. 29.: "Dico autem vobis: non bibam amodo de hoc genimine vitis usque in diem illum, cum illud bibam vobiscum novum in regno Patris mei."—Ergo.

R.—1.—Verba illa Christi prolata fuerunt ante consecrationem, et spectant calicem, qui in cœna paschali a patrefamilias inter accumbentes distribui solebat. Confer Maldonatum, in Matt. XXVI. 29.

2.—Si cum aliis admittere velis, verba illa ad calicem eucharisticum pertinere, facile etiam intelligitur quare contentum in eo calice dictum

fuerit *genimen vitis:* quia nempe ex vino factum, et ob speciem vini quam retinebat.—Ob eamdem rationem Apostolus (I. ad Co. XI.) corpus Christi dicit *panem.*—Hujus locutionis exempla habes in Ex. VII. 12., ubi serpens a Moyse productus appellatur *virga*, quia ex virga factus, "*Virga* Aaron devoravit *virgas* eorum;" et in Evangelio Joannis (II. 9.) vinum per miraculum ex aqua factum, dicitur *aqua*, "Ut autem gustavit Architriclinus *aquam vinum factam*, et non sciebat unde esset, ministri autem sciebant qui hauserant *aquam;*" et alibi.

SCHOLION.—Etsi Catholici Doctores non eodem modo explicent omnes significationem pronominis *hoc* in verbis consecrationis primæ; nihil tamen, ut patet, ex hac opinionum varietate hæretici lucrari possunt; omnes enim realem ac substantialem Christi præsentiam agnoscunt in Eucharistia.

Præter sententiam, quam tenuit S. Thomas quamque præclariores Theologi tum antiquiores tum recentiores amplexi sunt,[1] et nos secuti sumus in solutione difficultatum, duæ aliæ præcipue commemorantur. Una, quæ fuit S. Bonaventuræ, asseruit pronomen *hoc* significare panem in corpus convertendum, ita ut tota propositio "hoc est corpus meum" non *substantive,* sed *transitive* esset interpretanda.

Seraphicus Doctor in 4. Sent. (dist. 8. part. 2. art. 1. quæst. 1.) declarat mentem suam proponendo sibi objectionem eique respondendo his verbis: "Quomodo est locutio vera, si demonstratur substantia panis, cum hæc sit semper falsa: 'Panis est corpus Christi,' cum sint formæ incompossibiles? Et si tu dicas, quod hoc verbum, *est,* non dicit ibi inhærentiam, sed potius conversionem; tunc ergo secundum hoc potius competeret verbum imperativum. Et propterea notandum, quod sicut in Verbo æterno Filio Dei Domino nostro Jesu Christo est veritas et omnipotentia; sic in verbo suo ab ipso prolato est veritas et efficacia. Ut tale verbum sacramentis novæ legis competat, ideo debuit ita dicere verbum enuntiativum veritatis, sicut est ipsa veritas, ac per hoc indicativum. Et quia non esset verum simplici enuntiatione; ut non sit falsus, junxit verbo efficaciam ore suo. Et quia mandavit aliis facere et dicere, et ipse non jubet aliquem esse

[1] Ita sentiunt Scotus, Paludanus, Gabriel, Ægidius, Soto, Cajetanus, Ledesma, Bellarminus, Suarez, aliique multi.

falsum; ideo in ore eorum, in quibus dedit mandatum, dedit verbo efficaciam. Et ideo hoc verbum, *est*, in hac oratione non identitatem, nec simultatem signat: sed hoc esse corpus, hoc est, ad hujus verbi prolationem hoc totum transire in corpus: unde oratio ista in ore alterius, quam in ore sacerdotis, falsa est, quia non convertit, neque transubstantiat hoc in illud, nec vera est per identitatem."

At opinio hæc, merito notat Suarez,[1] nullo modo a Catholicis sustinenda est: in ea enim et propriam significationem verbi *est* amplius non habetur; et præterea, pronomen *hoc* non recte sumitur. Nam, ut ait idem Suarez, illud *hoc*, "positum in recto, et substantive sumptum, non recte accomodatur ad rem præsentem, prout est nota sensibus, et per se patet; ut signato Petro, non recte dicitur, *hoc* est doctor, vel quid simile, sed *hic;* quia illud pronomen *hoc*, sic usurpatum, designat rem sub conceptu valde confuso et universali, sub quo non recte designatur res quæ sensibus clare et distincte nota est."

Altera opinio, quam strenue defendit Maldonatus,[2] docuit per pronomen *hoc* designari ipsum Christi corpus; et ad declarationem addit, in hujusmodi propositionibus, quæ significant id, quod tunc fit cum propositio dicitur, pronomina demonstrativa non demonstrare id quod est, sed id quod erit, sicut id quod erit indicatur ab eo qui pingens lineam, aut circulum simul dicat, "hæc est linea, hic est circulus."

Adversus hanc sententiam objici posset propositionem Christi, intellectam sensu mox explicato, esse identicam: sed respondetur, propositionem identicam non esse si res magis confuse demonstretur per subjectum quam per prædicatum; idque fieri juxta datam expositionem in locutione Christi. Urgetur: pronomen demonstrativum demonstrare quidem rem futuram quando nihil est præsens quod demonstretur, ut ostenditur in exemplis allatis; sed si quis indigitet aliquid præsens dum pronomen *hoc* demonstrativum effert, absonum videtur dici eum non demonstrare id quod est præsens.—Verum etiam huic instantiæ probabiliter responderi potest: satis esse rem, quæ demonstratur, fieri præsentem in fine prolationis verborum, quia hæc pronomina in propositionibus practicis et efficacibus demonstrant id quod nondum est, sed per ipsam orationem fit, et ea finita, erit.

P. Suarez, re hinc inde perpensa, sententiam hanc vocat proba-

---

[1] In 3. S. Thomæ disp. 58, s. 7. [2] Comm. in Matt. XXVI. 26.

bilem; aliam vero, nempe eam, juxta quam pronomen *hoc* significat *contentum sub his speciebus,* dicit simpliciter esse probandam.

ARTICULUS QUARTUS

De perpetua Ecclesiæ fide circa realem Christi præsentiam in Eucharistia.

Perpetuæ fidei Ecclesiæ Christi circa realem ac substantialem corporis ac sanguinis Domini in Eucharistia præsentiam tam multa et præclara testimonia sunt, tot diserta monumenta extant, ut hic tantum seligere et proferre quædam ex illis cogamur. Posset equidem traditio Ecclesiæ circa veritatem quam defendimus constare jam ex locis Patrum quæ citavimus pro thesi I.; sed illis juvat ad plenissimam demonstrationem absolvendam addere alia, quæ ordinis ac perspicuitatis gratia dividimus in quasdam classes; et quia Protestantes ad remotam appellant antiquitatem, primo documenta damus ex tribus prioribus Ecclesiæ sæculis.

THESIS III.

Perpetua Ecclesiœ fides circa veram, realem, ac substantialem corporis ac sanguinis Christi prœsentiam in Eucharistia luculenter apparet, 1.—*ex testimoniis Patrum trium priorum sœculorum,* 2.—*ex Patribus sequioris œtatis,* 3.—*ex publica fidei professione in omnibus Liturgiis expressa,* 4.—*ex ritu suscipiendi Eucharistiam.* 5.—*ex miraculis in veritatis confirmationem patratis.* 6.—*ex prœscriptione.*

PROBATUR THESIS

I—Ex testimoniis Patrum trium priorum sæculorum.

S. Ignatius Martyr, ep. ad Smyrneos (n. 7.), refert hæreticos docetas abstinuisse ab Eucharistia, carnem Christi eam esse negantes, et monet ab eis esse recedendum: "Ab Eucharistia," inquit, "et oratione abstinent, eo quod non confiteantur Eucharistiam *carnem esse* Salvatoris nostri Jesu Christi, quæ pro peccatis nostris passa est, quamque Pater

benignitate sua suscitavit. Qui ergo contradicunt huic dono Dei altercantes moriuntur. . . . Decet itaque abstinere a talibus, et nec in privato, nec in communi colloquio de illis verba facere."—Idem in epistola ad Philadelphienses (n. 4.) fideles ad unitatem adhortatur, quia unam eamdemque carnem Christi, unum eumdemque sanguinem sumunt: "Studeatis igitur," ait, "una Eucharistia uti; una enim est caro Domini nostri Jesu Christi, et unus calix in unitatem sanguinis ipsius, unum altare, sicut unus episcopus, cum presbyteris et diaconis conservis meis."—Et in Epistola ad Ephesios, dum (n. 20.) unionem inter fideles et obedientiam commendat, Eucharistiæ excellentiam his verbis declarat: "Si Dominus mihi revelaverit quod vos ad unum omnes nominatim per gratiam convenitis in una fide et in uno Jesu Christo (qui secundum carnem ex semine David, filius est hominis et filius Dei), ut obediatis episcopo et presbyterio mente indivulsa *frangentes panem unum*, qui pharmacum immortalitatis est, antidotum ne moriamur, sed vivamus semper in Christo Jesu."

S. Justinus Martyr in 1. Apologia pro Christianis, n. 66., de Eucharistia loquens "cujus nemini," ait, "licet esse participi nisi qui credat vera esse quæ docemus, atque illo ad remissionem peccatorum et regenerationem lavacro ablutus fuerit, et ita vivat ut Christus tradidit," deinde sic prosequitur: "Quemadmodum per verbum Dei caro factus Jesus Christus Salvator noster et carnem et sanguinem habuit pro nostra salute, *sic etiam illam, in qua (per precem ipsius verba continentem) gratiæ actæ sunt, alimoniam*, ex qua sanguis et carnes nostræ per mutationem aluntur, *incarnati illius Jesus et carnem et sanguinem esse edocti sumus.* Nam Apostoli in commentariis suis, quæ vocantur Evangelia, ita sibi mandasse Jesum tradiderunt: eum scilicet accepto pane, cum gratias egisset, dixisse: hoc facite in meam commemorationem, 'hoc est corpus meum . . . hic est sanguis meus.' "—Itaque juxta S. Justinum per verba a Christo instituta ita Eucharistia verum corpus et verus sanguinis Domini fit, ut veram carnem et verum sanguinem pro salute nostra Verbum Dei assumpsit.

S. Irenæus, lib. 4. *adversus hæreses* (c. 18.), impugnans eos qui negabant Christum esse Filium Creatoris, et Verbum assumpsisse corpus materiale, sic arguit ex veritate corporis et sanguinis Domini in Eucharistia: "Quomodo constabit eis [hæreticis] eum panem, in quo

gratiæ actæ sunt, *corpus esse Domini sui, et calicem sanguinis ejus*, si non ipsum Fabricatoris mundi Filium dicant, id est Verbum ejus, per quod lignum fructificat et defluunt fontes?" etc.—Et agens contra eos qui negabant futuram corporum resurrectionem ex eodem mysterio argumentum paulo post desumit, his verbis: "Quomodo autem rursum dicunt carnem in corruptionem devenire, et *non percipere vitam, quæ corpore Domini et sanguine alitur*. . . . . Quemadmodum enim qui est a terra panis, *percipiens invocationem Dei, jam non communis panis est, sed Eucharistia*, ex duabus rebus constans terrena et cœlesti [corpore et sanguine Christi et accidentibus panis et vini; vel, ut alii intelligunt, humanitate Christi et Verbo], sic et corpora nostra percipientia Eucharistiam jam non sunt corruptibilia, spem resurrectionis habentia."

Tertullianus in libro *de resurrectione carnis*, enumerans rationes ad hoc dogma demonstrandum, et indicans (c. 8.) veluti jura carnis ad resurrectionem, illud notissimum effatum habet: "Caro corpore Christi et sanguine vescitur, ut anima de Deo saginetur." In opere *contra Marcionem*, lib. 4. c. 40., probat ex Eucharistia Christum verum corpus et verum sanguinem habuisse; et ostendit in institutione Eucharistiæ Dominum implevisse quod in Veteri Testamento figuratum fuerat de vera carne sua et de vero sanguine. "Acceptum panem," ait, "et distributum discipulis, *corpus illum suum fecit*, 'Hoc est corpus meum' dicendo, id est, figura corporis mei." Ubi diligenter notandum est, illud *figura corporis mei*,—de quo exultant adversarii, et tamen contra eos efficaciter pro nobis valet,—non conjungi cum voce proxime præcedenti, *corpus meum*; sed cum pronomine *hoc*, ita ut iste sit sensus: acceptum panem, corpus suum fecit dicendo, *hoc*, id est, panis qui olim fuit figura corporis mei, *nunc est corpus meum*. Quod evidenter patet tum ex verbis immediate sequentibus "figura autem non fuisset [tunc in V. T.] nisi veritatis esset corpus;" tum ex toto contextu.

Etenim objurgans Marcionem inquit: "Cur autem panem corpus suum appellat, et non magis peponem, quem Marcio cordis loco habuit? Non intelligens veterem fuisse istam figuram corporis Christi dicentis per Jeremiam: 'Adversum me cogitaverunt cogitatum dicentes: venite, conjiciamus lignum in panem ejus,' (Jer. XI. 19.) scilicet crucem in corpus ejus. Itaque illuminator antiquitatum, quid tunc voluerit significasse panem, satis declaravit, corpus suum vocans panem."—Panis

ergo juxta Tertullianum significavit corpus Christi, quod vere cruci affixum fuit, et vere ac realiter in Eucharistia adest.—Dein ut veritatem corporis Christi pressius contra Marcionem demonstret, ita prosequitur: "Sic et in calicis mentione testamentum constituens, sanguine suo obsignatum, substantiam corporis confirmavit. Nullius enim corporis sanguis potest esse nisi carnis. Nam etsi qua corporis qualitas non carnea opponetur nobis, certe sanguinem nisi carnea non habebit. Ita consistit probatio corporis de testimonio carnis, probatio carnis de testimonio sanguinis."—Denique adductis nonnullis figuris sanguinis ex V. T. concludit: "Ita et nunc sanguinem suum in vino consecravit, qui tunc vinum in sanguine figuravit."

Præterea rectam testimonii nuper citati interpretationem confirmant clarissima verba ejusdem Tertulliani in eodem opere contra Marcionem, l. 3. c. 19., quæ sic habent: "Hoc lignum et Jeremias tibi insinuat, dicturis prædicans Judæis: 'Venite mittamus lignum in panem ejus,' utique in corpus. Sic enim Deus in Evangelio quoque vestro revelavit panem *corpus suum appellans*, ut et hinc jam eum intelligas corporis sui figuram pani dedisse, cujus retro corpus in panem Prophetes figuravit, *ipso Domino hoc sacramentum postea interpretaturo.*[1]

In libro *de idololatria* insurgens adversus idolorum artifices, qui manibus eo scelere contaminatis ad Eucharistiam accedebant, hæc alia diserta habet Tertullianus quoad rem nostram: "Christianum ab idolis in Ecclesiam venire, de adversarii officina in domum Dei venire, attollere ad Deum patrem manus matres idolorum, his manibus adorare quæ foris adversus Deum adorantur, eas manus admovere corpori Domini, quæ dæmoniis corpora conferunt. Nec hoc sufficit. Parum sit, si ab aliis manibus accipiant quod contaminant; sed etiam ipsi tradunt aliis quod contaminaverunt. Alleguntur in ordinem ecclesiasticum artifices idolorum. Pro scelus! Semel Judæi Christo manus intulerunt, isti quotidie corpus ejus lacessunt. O manus præcidendæ!"—Comparat ergo hic Tertullianus crimen eorum qui impuris manibus attrectant corpus Christi cum crimine Judæorum qui violentas in idem corpus manus intulerunt; et hac comparatione aperte ostendit idem utrobique verum ac reale corpus Domini esse violatum.

S. Cyprianus in libro *de lapsis* (c. 15.) pari zelo invehens in eos, qui

[1] Conf. lib. adversus Judæos c. 10.

absque debita probatione Eucharistiam sumebant, testimonium exhibet insigne de perpetua fide Ecclesiæ circa Christi præsentiam in Eucharistia. "A diaboli aris," inquit, "revertentes, ad sanctum Domini sordidis et infectis nidore manibus accedunt. Mortiferos idolorum cibos adhuc pene ructantes, exhalantibus etiam nunc scelus suum faucibus et contagia funesta redolentibus, Domini corpus invadunt, quando occurat Scriptura divina, et clamet et dicat: 'Omnis mundus manducabit carnem, et anima quæcumque manducaverit ex carne sacrificii salutaris quod est Domini, et immunditia ipsius super ipsum est, peribit anima illa de populo suo' (Lev. VII. 20.). Apostolus item testetur et dicat: 'Non potestis calicem Domini bibere et calicem dæmoniorum, non potestis mensæ Domini communicare et mensæ dæmoniorum' (I. Cor. x. 21.). Idem contumacibus et pervicacibus comminatur et et denuntiat dicens: 'Quicumque ederit panem, aut biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini' (I. Cor. XI. 27.). Spretis his omnibus atque contemptis, ante expiata delicta, ante exomologesin factam criminis, ante purgatam conscientiam sacrificio et manu sacerdotis, ante offensam placatam indignantis Domini et minantis, vis infertur corpori ejus et sanguini, et plus modo in Dominum manibus atque ore delinquunt, quam cum Dominum negaverunt."

S. Hippolytus in fragmentis quæ supersunt ex ejus scriptis, eamdem fidem confitetur clarissime. In illud Prov. x. 1.: "Sapientia ædificavit sibi domum,"[1] hæc habet: "Et paravit *mensam suam*, promissam Sanctæ Trinitatis cognitionem, *nec non venerandum sanctumque ejus corpus ac sanguinem, quæ in arcana et divina mensa quotidie perficiuntur et sacrificantur* in memoriam numquam non recolendæ memoria primæ illius et arcanæ divinæ cœnæ. Illud porro *misit servos suos* Sapientia, Christus nimirum, convocans alta præconii voce: Si quis est, inquit, insipiens veniat ad me. . . . . . Insipientes vero appellat eos qui Sancti Spiritus virtutem nondum sunt assecuti: 'Venite comedite panem meum, et bibite vinum quod miscui vobis:' divinam ipsius carnem, ac venerabilem ejus sanguinem, inquit, dedit nobis edendam, bibendumque in remissionem peccatorum."

Origenem de reali Christi præsentia in Eucharistia catholice sensisse, præter loca quæ dedimus (p. 31.) hæc alia manifesta ostendunt.

1) V. Migne P. G. t. 10. p. 627.

In Leviticum, hom. X. (n. 10.) exponens verba quæ in cap. 16. v. 14. Levitici leguntur, 'Tollet quoque *de sanguine vituli*,' ait: "Ritus quidem apud veteres propitiationis pro hominibus, qui fiebat ad Deum, qualiter celebraretur edocuit; sed tu qui ad Christum venisti, pontificem verum, qui sanguine suo Deum tibi propitium fecit, et reconciliavit te Patri, non hæreas in sanguine carnis [idest, in sanguine animalium, qui erat in figuram sanguinis Christi], sed disce potius *sanguinem Verbi*, et audi ipsum tibi dicentem, quia 'hic sanguis meus est, qui pro vobis effundetur in remissionem peccatorum.' Novit qui mysteriis imbutus est, et *carnem et sanguinem Verbi Dei.* Non ergo immoremur in his *quæ scientibus nota sunt et ignorantibus patere non possunt.*"

In Exodum, hom. XIII. hæc scribit: "Nostris qui divinis mysteriis interesse consuevistis, quomodo, cum suscipitis *corpus Domini*, cum omni cautela et veneratione servatis, ne ex eo parum quid decidat, ne conservati muneris aliquid delabatur. Reos enim vos creditis, et recte creditis, si quid inde per negligentiam decidat. Quod si circa *corpus ejus* conservandum tanta utimini cautela, et merito utimini: quomodo putatis minoris esse piaculi verbum Dei neglexisse, quam *corpus ejus.*"

E libro 8. *contra Celsum* (n. 33.) ultimum quod citamus testimonium Origenis sic se habet: "Nos vero qui hujus universitatis Conditori gratias agimus, cum precibus et gratiarum actione oblatos edimus panes, *qui* propter orationem *fiunt corpus quoddam sanctum, quod, sano proposito manducantibus, sanctitatem largitur.*"—Quid autem est panes oblatos per precationem fieri sanctum corpus, et sanctos efficiens, qui cum sano proposito illud manducant, nisi eos panes, per consecratoria verba, effici corpus Christi? [1]

[1] Egregie in hoc testimonium Origenis, clarissimus Freppel, Episcopus Andegavensis, adnotat: "Ces paroles n'attestent pas seulement la présence réelle de Jésus-Christ dans le sacrement de l'autel; elles indiquent en outre par quel moyen "le pain devient le corps:" par la prière de la consécration (διὰ τὴν εὐχήν). Il ne fallait rien moins qu'une conviction profonde pour arracher à Origène un tel aveu dans un livre destiné à être lu des païens. Rappelons-nous en effet qu'à l'époque où il écrivait, les infidèles reprochaient aux chrétiens de manger la chair d'un enfant; et l'apologiste aurait de gaieté de cœur, prêté le flanc à cette incrimination, en disant que les chrétiens se nourissent d'un corps saint, tandis qu'il ne se serait agi que d'un pain symbolique! C'eût été de sa part une véritable folie; une pareille déclaration ne se comprend qu'autant qu'Origène croyait à une conversion réelle du pain au corps de Jésus-Christ." Freppel—Origène, t. 2. p. 242.

II—Ex Patribus sequioris ætatis.

Hactenus documenta quædam collegimus, quæ exhibentur ex tribus prioribus Ecclesiæ sæculis; ex illa nempe ætate in qua secreti lex arctissima vigebat ad occultanda prophanis mysteria nostra;[1] ex ætate illa quæ, inter sævissimas persecutiones transacta, pauca Patrum scripta nobis servavit. Et tamen in testimoniis nuper citatis indubie vidimus assertam fidem de reali Christi præsentia in Eucharistia: illam vidimus contra hæreticos vindicatam: illam argumentum præbere invictum ad demonstrandam divinitatem Christi Filii Dei, et veritatem carnis ab eo assumptæ, nec non ad ostendendam futuram resurrectionem carnis nostræ: ex illa demum fide crimen gravissimum agnovisse omnes in indigna sumptione Eucharistiæ. Nunc Patrum posteriorum ætatum testimonia, quæ innumera sunt, ad classes quasdam revocamus, et majori qua possumus brevitate hic subjicimus.

Patres docent in Eucharistia *non exhiberi corporis et sanguinis Christi imaginem, sed veritatem.* Ita, ex. gr. S. Cyrillus Hierosolymitanus, cath. 4. mystag. (nn. 1. 6.).

"Cum igitur ipse pronunciaverit, et dixerit de pane: 'Hoc meum est corpus,' quis audebit deinceps ambigere? Et cum ipse asseveraverit et dixerit: 'Hic meus est sanguis;' quis unquam dubitaverit, ajens non esse ejus sanguinem? . . . . Quamobrem ne tamquam nudis [et communibus elementis], pani et vino [eucharisticis] attende. Sunt enim corpus et sanguis Christi, secundum Domini asseverationem. Nam etiamsi illud tibi suggerat sensus, fides tamen et certum et firmum

[1] S. Cyril. Hierosol. post illam ætatem, sub finem sæc. IV., hæc dicebat fidelibus (Protocatech. n. 12.): "Cum autem catechesis recitatur, si catechumenus ex te quæsierit, quid dicebant doctores? nihil dicas externo. Mysteria enim tibi et spem futuri sæculi tradidimus. Custodi hoc mysterium retributori, nec unquam dicentem aliquem audi: quid obest, si et ego didicero? Etiam ægroti vinum quandoque postulant, quod si intempestive illis detur, phrenesim conciliat. Et duo hinc nascuntur mala: nam æger interit et medicus male audit. Sic et catechumenus, si audiat mysteria a fideli, phrenesim patitur, nescit enim, quid audiverit, et tamen arguit rem ignotam dictaque irridet: fidelis vero tamquam proditor condemnatur. Jam ergo tu, in finibus nostris constitutus, cave, ne quid effutias; non quod digna non sint narratione ea, quæ ibi dicuntur, sed quod indignus est ille audire, cui referas. Fueras et tu aliquando catechumenus, neque tamen proposita mysteria tibi enarrabantur. Quando autem sublimitatem eorum, quæ nunc traduntur, experientia didiceris, tunc plane intelliges, dignos non esse catechumenos, qui ea audiant."

efficiat. Ne judices rem ex gustu; sed ex fide citra ullam dubitationem certus esto te corporis et sanguinis Christi dono dignatum fuisse."

Alter Cyrillus, nempe Alexandrinus, apertissime ait:[1] "Demonstrative (*δεικτικῶς*) autem dixit: 'Hoc est corpus meum, et hic est sanguis meus,' ne figuram esse arbitreris ea quæ videntur, sed arcana ratione aliqua transformari ab omnipotente Deo in corpus et sanguinem Christi vere oblata, quorum participes effecti vivificam et sanctificantem Christi virtutem suscipimus. Oportebat enim eum per Spiritum Sanctum in nobis, prout Deum decet, attemperari quodammodo corporibus nostris per sanctam carnem suam et pretiosum sanguinem; quæ utique etiam habuimus ad vivificam benedictionem, tamquam in pane et vino, ne ignavi fiamus carnem illius sanguinemque in Ecclesiarum mensis proposita cernentes; accomodans enim sese Deus nostris infirmitatibus, immittit propositis vitæ virtutem, transfertque ea ad vitæ suæ efficaciam: ac ne dubites verum id esse, ipso clare pronuntiante: 'Hoc est corpus meum;' et: 'Hic est sanguis meus;' suscipe autem potius per fidem Salvatoris sermonem. Veritas enim cum sit, non mentitur."

Præclare quoque Macarius Magnes:[2] "Dixit [Christus] *hoc est corpus meum*, non enim figura (*τύπος*) corporis est, neque figura sanguinis, ut quidam stupida mente nugati sunt, sed secundum veritatem (*κατ' ἀλήθειαν*) sanguis et corpus Christi."

Et S. Maruthas Tangritensis:[3] "Nunc quoties ad corpus et sanguinem [Christi] accedimus, et ea super manus nostras accipimus, sic credimus nos corpus amplecti et fieri de carne ejus et de ossibus ejus, sicut scriptum est. Nam etiam Christus illud non appellavit typum aut figuram, sed [dixit] vere 'hoc est corpus meum' et 'hic est sanguis meus.'"

Et S. Jacobus Sarugensis, serm. 66. de Passione Domini,[4] ea qua nulla excogitari potest major perspicuitate, inquit: "Ab illo temporis puncto, quo [Jesus] accepit panem et dixit illud corpus suum, *non erat panis* sed *corpus ejus, et hoc edebant admirantes.* Edebant corpus ejus, qui cum ipsis in mensa accubabant, et bibebant sanguinem ejus cujus simul audiebant vocem doctrinæ. . . . . . Corpus suum Dominus noster suis manibus distribuit in mensa. *Et quis rebellis sit, ut dicat nunc*

---

[1] In Matt. 27. XXVI.

[2] Fragm. apud Galland. Bibl. t. 3. p. 541.

[3] Ap. Assemani, bibl. orient. t. 1. p. 180.

[4] Op. S. Ephrem. Lat. t. 2. p. 46.

non esse corpus? Ipse [Christus] dixit: 'hoc est corpus meum,' et quis verum non fateatur? Si quis hoc non credat verum, non est discipulus Apostolatus. . . . Electi Apostoli ut Filio fidem adhiberent satagebant, non ut scrutarentur et quæstiones moverent sicut rebelles. Panem quem fregit et dixit corpus suum, *corpus agnoscebant, et ita illud reputabant, ac si in veritate sanguis ejus stillaret.*"

Patres docent *in Eucharistia esse rem et veritatem, quæ præfigurata fuerat in Veteri Testamento, seu nunc in Eucharistia esse et exhiberi corpus et sanguinem Christi quæ in antiqua dispensatione prænuntiata fuerant et adumbrata.*

Ita S. Ambrosius in Ps. 118. serm. 18. n. 26.: "Christus mihi cibus, Christus mihi potus: caro Dei cibus mihi, et Dei sanguis potus est mihi. . . . Meus cibus est qui non corpus impinguat, sed confirmat cor hominis. Fuerat mihi ante mirandus panis de cœlo: scriptum est enim 'Panem de cœlo dedit eis manducare; sed non erat verus ille panis, sed *futuri umbra.* Panem de cœlo illum verum mihi servavit Pater. Mihi ille panis Dei descendit de cælo, qui vitam dat huic mundo."

Et S. Hieronymus:[1] "Si laicis imperatur, ut propter orationem abstineant se ab uxorum coitu: quid de Episcopo sentiendum est, qui quotidie pro suis populisque peccatis *illibatas Deo oblaturus est victimas?* Relegamus Regum libros. . . . . . Nisi eos audisset ab heri et nudius tertius vacasse ab opere conjugali, nequaquam panes, quos prius negaverat, concessisse. *Tantum interest inter propositionis panes, et corpus Christi, quantum inter umbram et corpora, inter imaginem et veritatem, inter exemplaria futurorum et ea ipsa, quæ per exemplaria præfigurabantur.*"

Et S. Augustinus[2] expendens illud quod in libro Ecclesiastici legebat: "'Non est bonum homini nisi quod manducabit et bibet' (VIII. 15.): "Quid credibilius dicere intelligitur, quam quod ad participationem mensæ hujus pertinet, quam sacerdos ipse Mediator Testamenti Novi exhibet secundum ordinem Melchisedech *de corpore et sanguine suo?* Id enim sacrificium successit omnibus illis sacrificiis Veteris Testamenti *quæ immolabantur in umbra futuri.* . . . Quia pro illis omnibus sacrificiis et oblationibus *corpus ejus offertur et participantibus ministratur.*"

Et S. Gaudentius Brixianus in serm. 2. ad egressos e fonte neophitos

[1] In Ep. ad Titum I. 8.

[2] De Civ. Dei, l. 17. c. 20.

(de Exodi lectione): "In umbra illius legalis paschæ non unus agnus occidebatur, sed plures; singuli enim occidebantur per domos, nam sufficere unus non poterat universis, quoniam figura erat, non proprietas Dominicæ Passionis. Figura etenim non est veritas, sed imitatio veritatis. . . . Ergo in hac veritate qua sumus, unus pro omnibus mortuus est; *et idem per singulas ecclesiarum domos, in mysterio panis ac vini; reficit immolatus, vivificat creditus, consecrantes sanctificat consecratus.* Hæc agni caro, hic sanguis est. Panis enim qui de cœlo descendit, ait: 'Panis quem ego dabo, caro mea est pro sæculi vita' (Joan. VI.). Recte etiam vini specie sanguis ejus exprimitur, quia cum ipse in Evangelio dicit: 'Ego sum vitis vera' (Joan. XV.), satis declarat sanguinem suum esse omne vinum quod in figura Passionis ejus offertur: unde beatissimus patriarcha Jacob de Christo prophetaverat dicens: 'Lavabit in vino stolam suam, et in sanguine uvæ amictum suum' (Gen. XLIX.). Stolam quippe nostri corporis indumentum suum proprio erat sanguine abluturus. Ipse igitur naturarum Creator et Dominus, qui producit de terra panem, *de pane rursus (quia et potest, et promisit) efficit proprium corpus: et qui de aqua vinum fecit, facit et de vino sanguinem suum.*"

Patres docent *corpus quod manducamus in Eucharistia ipsum esse Christi corpus quod crucifixum pro nobis fuit, resurrexit et sedet ad dexteram Patris; sanguinem, quem bibimus, esse illum ipsum qui fluxit a latere Christi.*

Ita, e. g., S. Joannes Chrysostomus, hom. XXIV. in I. ad Cor. n. 4.: "Si enim regem quis non utcumque nec perfunctorie acceperit: quid regem dico? ne vestem quidem regiam quis impuris manibus tetigerit, etiamsi in solitudine sit, etiamsi solus et nemo adsit. . . . . . . Si autem humanum vestimentum nemo ausus fuerit temere tangere; quomodo *corpus universorum Dei immaculatum et purum,* quod cum divina illa natura versatum est, per quod sumus et vivimus, per quod portæ mortis fractæ sunt et fornices cœli aperti sunt, cum tanta contumelia accipiemus? Ne, quæso, ne nos ipsos jugulemus per impudentiam; sed cum horrore et puritate omni ad ipsum accedamus; et cum ipsum videris propositum, tibi ipsi dic: Propter *hoc corpus* non sum ego amplius terra et cinis, non ultra captivus, sed liber: ideo cœlos spero et bona

illic reposita me accepturum esse, immortalem vitam, angelorum sortem, cum Christo consuetudinem: *hoc corpus* clavis confixum, flagris cæsum, mors non tulit; *hoc corpus* sol cum crucifixum videret, radios avertit: ideo tunc velum scissum est, petræ ruptæ sunt, et universa terra concutiebatur: *hoc est illud corpus*, quod cruentatum fuit, lancea perfossum, quod salutares fontes scaturivit orbi, alium sanguinis, alium aquæ. . . . Ex penetralibus [Christus] prodiit cum splendore multo, radiosque emittens non usque ad hoc cœlum, sed usque ad ipsum supernum solium: nam illuc quoque ipsum [corpus] adduxit. *Hoc corpus* dedit nobis *et tenendum et comedendum*, quod intensæ dilectionis fuit."

Et in eadem homilia (n. 1.) dixerat: "*Hoc quod in calice est, illud ipsum est, quod ex latere fluxit*, et illius sumus participes. Calicem autem benedictionis vocavit, quia illum præ manibus habentes, sic ipsum celebramus, admirantes, terrore perculsi de ineffabili dono, benedicentes quod ipsum effuderit, ut ne in errore maneremus; et non solum effuderit, sed etiam eum ipsum nobis omnibus impertierit. Itaque *si sanguinem cupis*, inquit, ne idolorum aram brutorum cæde, sed *altare meum sanguine meo cruenta*. Quid hac re horribilius? quid, quæso, amabilius?"

S. Ambrosius, inter multa quæ citari possent, hæc habet (lib. de Mysteriis, c. 9. n. 53.): "Hoc, quod conficimus, corpus ex Virgine est: quid hic quæris naturæ ordinem in Christi corpore, cum præter naturam sit ipse Dominus Jesus partus ex Virgine? Vera utique caro Christi, quæ crucifixa est, quæ sepulta est: vere ergo carnis illius Sacramentum est."

Patres docent *in Eucharistia esse vere Filii Dei corpus, quod manducatur, quodque manducatum non consumitur, et toto orbe terrarum distributum multis manet in se integrum.*

Sic S. Cæsarius Arelatensis (hom. V. de Pasch.—Migne P. L. t. 67. p. 1053.): "Cum reverendum altare cibis satiandus ascendis, *sacrum Dei tui corpus et sanguinem fide respice. . . . Ad cognoscendum et percipiendum sacrificium veri corporis*, ipse [Christus] te roboret, et potentia consecrantis invitet. . . . . Corpus, sacerdote dispensante, tantum est in exiguo, quantum esse constat in toto. Quod cum Ecclesia fidelium sumit, *sicut plenum in universis, ita integrum esse probatur in singulis.* . . . . Si forte esum panis esurientibus apponeremus, non ex toto perve-

niret ad singulos, quia particulatim et minutatim portionem suam unusquisque præsumeret. De hoc vero pane cum assumitur, nihil minus habent singuli, quam universi. Totum unus, totum duo, totum plures sine diminutione percipiunt: quia benedictio hujus Sacramenti scit distribui, nescit distributione consumi."

Quæ verba in mentem revocant pulcherrima illa S. Andreæ Apostolo attributa in epistola presbyterorum et diaconorum Achajæ de ejus martyrio, cum jussus idolis sacrificare dixisse fertur:[1] "Omnipotenti Deo ego omni die vivum offero sacrificium . . . . . *immaculatum agnum quotidie in altari* crucis Deo offero, *cujus carnes postquam fidelis populus comedit et sanguinem ejus bibit, immolatus agnus integer manet et vivus.*"

Et S. Ephrem Syrus, idem repetens (de natura Dei minime scrut. c. 5.), ait: "Fidei oculus, quum in corde cujuspiam clare ac liquide lucis instar effulserit, pure quoque, ac sincere Agnum Dei contemplatur, qui pro nobis occisus, ac immolatus est, donavitque nobis *corpus suum sanctum et immaculatum, ut jugiter eo vescamur.* . . . Esto itaque fidelis atque innocens. *Participa immaculatum corpus et sanguinem Domini tui fide plenissima, certus quod Agnum ipsum integre comedas.*"

Patres docent *panem in corpus Christi divina omnipotentia converti ac transmutari.*

S. Joannes Chrysostomus (hom. I. de proditione Judæ, n. 6.) præclara hæc habet: "Adest Christus, ita ille, et nunc is, qui mensam illam apparavit, hic ipse hanc nunc exornat. Non enim homo est, qui facit ut proposita efficiantur corpus et sanguis Christi, sed ipse Christus, qui pro nobis crucifixus est. Figuram implens (σχῆμα πληρῶν) stat sacerdos verba illa proferens: virtus autem et gratia Dei est. *Hoc est corpus meum,* inquit. Hoc verbum transformat ea, quæ proposita sunt. Ac quemadmodum vox illa, '*Crescite et multiplicamini, et replete terram*' (Gen. I. 28.), semel quidem prolata est, omni vero tempore naturæ nostræ vim præbet ad filiorum procreationem; ita et vox hæc semel prolata in Ecclesiis ad unamquamque mensam, ab illo ad hodiernum usque tempus et usque ad adventum ejus, sacrificium perfectum efficit."

S. Joannes Damascenus (de fide Orthod. l. 4. c. 13.) de eadem re disserens, ait: "Quamobrem si *sermo Dei vivus est et efficax* (Hebr. IV.

---

[1] Migne P. G. t. 2. p. 1227.

12.); et *omnia quæcumque voluit Dominus fecit* (Ps. CXXXIV. 6.) . . . . si cœlum et terra, aqua et ignis et aer omnisque eorum ornatus verbo Domini perfecta sunt, quin et hoc nobilissimum animal, quod homo nuncupatur: si denique ipse Deus Verbum pro sua voluntate homo factus est, atque ex sanctæ semperque Virginis purissimis et intaminatis sanguinibus ipse sibi, nullo semine, carnem compegit; cur demum panem corpus, vinum item et aquam sanguinem suum efficiendi potens non sit? In principio dixit: '*Producat terra herbam virentem*' (Gen. I. 11.) et ad hanc usque diem, accedente imbre, divino præcepto impulsa et roborata, fetus suos profert: dixit perinde Deus: *Hoc est corpus meum* . . . . idque omnipotenti ejus præcepto, donec veniat, efficitur . . . . per invocationem huicce novæ segeti imbre superveniente, Spiritus Sancti nimirum obumbrante virtute. . . . . . . Tu quæris, quî panis fiat corpus Christi, ac vinum et aqua sanguis illius. Ego vero tibi repono Spiritum Sanctum supervenire et ea facere, quæ sermonem conceptumque procul exuperant."

S. Gregorius Nyssenus (Oratione catechetica, c. 37.) postquam fidem Ecclesiæ his verbis expresserat: "Dei Verbo sanctificatum *panem in Dei Verbi corpus credo transmutari*," mox dogma hoc ingeniose ita illustrat: "Unde in illo corpore [Christi, Verbi Dei incarnati] transmutatus panis transiit in divinam virtutem per idem nunc fit similiter. Nam et illic Verbi gratia sanctum fecit corpus, cui ex pane erat substantia, et quodammodo ipsum corpus erat panis: et hic similiter panis sicut dicit Apostolus sanctificatur per verbum Dei et orationem non quod cibo mediante in Verbi corpus evadat, sed quod *statim per verbum in corpus transmutetur*, sicut dictum est a Verbo: *Hoc est corpus meum.*"

Patres docent *Christum in Eucharistiæ institutione, non metaphorice, sed vere, secundum litteram, proprium corpus suum in manibus suis tulisse, quod utique nemo hominum facere potest.*

Insigne hac de re testimonium S. Augustini sufficiat hic referre.

In Ps. XXXIII. serm. 1. n. 10., exponens hæc verba, quæ juxta versionem LXX. ibi leguntur "*Et ferebatur in manibus suis,*" ait: "Hoc vero, fratres, quomodo posset fieri in homine quis intelligat? Quis enim portatur manibus suis? Manibus aliorum potest portari homo, manibus suis nemo portatur. Quomodo intelligatur *in ipso David secundum*

litteram non invenimus, in Christo autem invenimus. Ferebatur enim Christus in manibus suis quando commendans ipsum corpus suum ait: 'hoc est corpus meum.' Ferebat enim illud corpus in manibus suis."

III—Ex Liturgiis.

Communis et perpetua fides de reali Christi præsentia in Eucharistia in omnium Ecclesiarum liturgiis expressa est.

Ut a veteribus Romanæ Ecclesiæ Liturgiis incipiam, in Sacramentariis Leoniano et Gelasiano legimus: "Remotis obumbrationibus carnalium victimarum, spiritualem tibi, summe Pater, hostiam supplici servitute deferimus, quæ miro ineffabilique mysterio *et immolatur semper, et eadem semper offertur.*"—Ex Canone antiquissimo Missæ Ambrosianæ in Cœna Domini hæc clarissima referimus: "At quid desperare de tua misericordia possumus qui tantum munus accepimus, ut *talem tibi hostiam offerre mereremur, corpus scilicet et sanguinem Domini Nostri Jesu Christi* . . . . qui formam sacrificii salutis perennis instituens, hostiam se primus obtulit, et primus docuit offerri. . . . Hanc igitur oblationem, quam tibi offerimus ob diem . . . . . in qua Dominus Noster Jesus Christus Filius tuus in Novo Testamento *sacrificandi ritum instituit, dum panem et vinum . . . in sacramentum sui corporis et sanguinis transformavit.*"—In Sacramentario S. Gregorii Magni, pro Dominica Quinta post Epiphaniam, in præfatione dicitur:—"*Singuli accipiunt Christum Dominum, et in singulis portionibus totus est; nec per singulos minuitur, sed integrum se præbet in singulis.*"

Nec minus diserta exhibent testimonia aliarum Occidentalium Ecclesiarum Liturgiæ vetustissimæ.—In Missali Gothico, seu Gallicano perantiquo, ad diem Epiphaniæ legitur: "Epiphaniæ diem, fratres, celebri solemnitate veneremur, pia observatione poscentes, ut *qui tunc aquas in vina mutavit, nunc in sanguinem suum oblationum nostrarum vina convertat.*" Et in Missa Dominicali: "Precamur mente devota te, Majestas æterna, ut operante virtute, panem mutatum in carnem, poculum versum in sanguinem, *illum sumamus in calice qui de te fluxit in cruce ex latere.*"

In Missa Natalis Domini juxta Liturgiam Mozarabicam, oratio hæc habetur pulcherrima: "Famuli tui indigni et exigui sacerdotes tremen-

dæ Majestati tuæ spirituales victimas immolantes, offerimus tibi, Deus, hostiam immaculatam, quam maternus uterus impolluta virginitate produxit, pudor edidit, sanctificatio genuit, hostiaque immaculata vivit et vivens jugiter immolatur, hostia, quæ sola Deo placere prævalet, quia Dominus est."

Quid autem Liturgiæ Orientalium, sive Græcorum, sive Syriorum, de reali præsentia Christi in Eucharistia habeant, nunc attendamus.

In Liturgia, quæ Sancti Joannis Chrysostomi nomen præsefert, et qua utuntur plerique græcorum, sacerdos orat: "Emitte Spiritum Sanctum tuum in nos, et in hæc dona proposita. *Fac quidem panem hunc pretiosum corpus Christi tui.*" Diaconus ait: "*Amen.*" Addit sacerdos: "*Quod autem est in hoc calice fac pretiosum sanguinem Christi tui.*" Diaconus repetit: "*Amen.*" Rursus Sacerdos: "*Transmutans Spiritu tuo Sancto.*" Diaconus: "*Amen, amen, amen.*"—In Liturgia S. Marci nomine insignita apud Ægyptios, sacerdos dicit confessionem: "*Corpus sanctum, et sanguis pretiosus verus Jesu Christi Filii Dei. Amen.*" Populus respondet: "*Amen.*" Sacerdos repetit: "*Sanctum, pretiosum corpus, et sanguis verus Jesu Christi Filii Dei.*" Populus: "*Amen.*" Sacerdos tertio ait: "*Corpus et sanguis Emmanuelis Dei nostri, hoc est vere. Amen.*" Et populus: "*Amen.*" Deinde sacerdos prosequitur: "Credo, credo, credo, et confiteor usque ad ultimum spiritum, *quod sit ipsa caro vivifica* Unigeniti Filii tui, Domini Dei et Salvatoris Nostri Jesu Christi. Accepit ipsam ex Sancta Domina nostra, Deipara et semper Virgine Maria . . . Tradidit ipsam ad liberationem, et ad remissionem peccatorum, et vitam æternam illis qui ex ea participant. *Credo eam ipsam vere esse.*"—Idem legitur in Liturgia Coptica S. Basilii.—In altera vero S. Gregorii sic orat sacerdos: "Tu Domine voce tua *commuta hæc,* quæ sunt proposita [panem et vinum]. Tu coram nobis positus perfice nobis hoc mysterium plenum mysteriis. Mitte super nos gratiam Spiritus Sancti qui sanctificet et *transferat hæc dona proposita in corpus et sanguinem salutis nostræ,* et hunc quidem panem faciat *corpus tuum sanctum. . . . Et rursus hunc calicem sanguinem pretiosum Testamenti tui Novi.*"

Quæ sub nomine Jacobi Fratris Domini Hierosolymis antiquitus in usu fuit, et tum a Jacobitis Monophysitarum errorem profitentibus usurpatur, tum a Melchitis Orthodoxis, hæc, inter multa, habet præclare. Sacerdos ante Communionem dicit: "Præsta mihi, Domine, ut come-

dam te sancte, et per comestionem tui pellantur omnia prava mea desideria" etc. Dum accipit particulam, ait: "*Teneo te, qui contines fines terræ; te in manibus habeo, qui regis profunda; te, Deus, pono in os meum*" etc.

Demum in Liturgia quæ apud Æthiopes communis est et *Canon universalis* appellatur, postquam sacerdos ad consecrationem adhibuerit verba "hic panis est corpus meum," populus respondet "Amen, amen, amen. Credimus et certi sumus. Laudamus te Domine Deus noster: *hoc est vere, ita credimus corpus tuum.*" Et postquam sacerdos ad consecrationem calicis pronuntiaverit verba: "hic est calix" etc. populus respondet: "Amen *Vere est sanguis tuus. Credimus.*" [1)]

IV—Ex ritu suscipiendi Eucharistiam.

Aliud argumentum, ad comprobandam Ecclesiæ fidem circa mysterium altaris, eruitur ex ritu quo fideles illud recipiebant. Non vacuum profecto signum, ut blasphemant Sacramentarii, sed ipsum Dominum Jesum suscipere credebant fideles cum præsentem eum adorabant; et profitebantur illud esse verum Christi corpus quod sacerdos in manu tenebat eisque tradebat; et summa cautione cavebant ne minimam tanti doni particulam in terram decidere sinerent.

Audiatur hac in re testimonium S. Cyrilli Hierosolymitani, qui in catechesi 5. mystagogica, de sacra liturgia, fidelem communicantem sic alloquitur:

"Adiens igitur, ne expansis manuum volis, neque disjunctis digitis accede; sed sinistram velut thronum subjiciens dexteræ, utpote regem suscepturæ; et concava manu suscipe corpus Christi, respondens: *Amen.* Postquam autem caute oculos tuos sancti corporis contactu sanctificaveris, illud percipe, advigilans ne quid ex eo tibi depereat. Quod enim intercidere patieris, id tibi tanquam ex propriis membris diminutum puta. Dic enim, quæso, si quis tibi auri ramenta dedisset, nonne summa cautione ac diligentia teneres, providus ne quid horum tibi periret, ac damnum paterere? nonne multo cautius ac vigilantius

1) Confer—Muratori, *Liturgia Romana Vetus*, t. 1. de rebus liturgicis diss. c. 9–14.; Perpetuitê de la foi de l'Eglise catholique sur l'Eucharistie, t. 1. l. 5.; Monumenta liturgica, apud Migne, P. L. t. 72.; Liturgias, quæ inter opera S. Basilii habentur, Migne P. G. t. 31.

curabis, ne ex eo tibi vel mica intercidat, quod est auro ac gemmis longe pretiosius? Tum vero post communionem corporis Christi, accede et ad sanguinis poculum: non extendens manus; sed pronus, et adorationis ac venerationis in modum, dicens *Amen*, sanctificeris, ex sanguine Christi quoque sumens. Et cum adhuc labiis tuis adhæret ex eo mador, manibus attingens, et oculos et frontem et reliquos sensus sanctifica. Postremo, expectans orationem, gratias age Deo, qui te tantis mysteriis impertire dignatus est."

Cyrilli verbis respondent quæ legimus apud S. Joannem Damascenum (de fide orthodoxa, l. 4. c. 13.). Postquam dixerit: "Nec vero panis et vinum, Christi corporis et sanguinis figura sunt, absit! sed *ipsum Domini corpus deitate donatum*," prosequitur: "Quapropter cum omni timore et conscientia pura, fideque non dubia accedamus: et erit omnino nobis sicut credimus, nihil hæsitantes. . . . Accedamus ad eum ardenti desiderio, compositisque in crucis formam manibus, *Crucifixi corpus suscipiamus, oculos, labia, frontem adhibentes, divinum carbonem sumamus*, ut desiderii nostri ignis, *accepto carbonis ardore*, peccata nostra comburat, et corda illuminet, divinique adeo ignis commercio inardescamus, et in deos evadamus."

Hic autem præteriri nullatenus potest insigne testimonium S. Augustini de supremo cultu latriæ qui debetur Eucharistiæ, in qua verum corpus Domini realiter et substantialiter est præsens. In Psalmum 98. exponens ver. 5. "*Et adorate scabellum pedum ejus, quoniam sanctum est*," hæc habet:—"Quid habemus adorare? Scabellum pedum ejus. . . . Sed videte, fratres, quid nos jubeat adorare. Alio loco Scripturarum dicitur, '*Cœlum mihi sedes est, terra autem scabellum pedum meorum.*' Ergo terram nos jubet adorare, qui dixit alio loco quod sit scabellum pedum Dei? Et quomodo adorabimus terram, cum dicat aperte Scriptura '*Dominum Deum tuum adorabis?*' Et hic dicit '*Adorate scabellum pedum ejus:*' exponens autem mihi quod sit scabellum pedum ejus, dicit '*terra autem scabellum pedum meorum.*' Anceps factus sum: timeo adorare terram, ne damnet me, qui fecit Cœlum et terram: rursus timeo non adorare scabellum pedum Domini mei, quia Psalmus mihi dicit: '*Adorate scabellum pedum ejus.*' Quæro quod sit scabellum pedum ejus; et dicit mihi Scriptura, terra scabellum pedum meorum. Fluctuans converto me ad Christum, quia ipsum quæro hic,

et invenio quomodo sine impietate adoretur terra, sine impietate adoretur scabellum pedum ejus. Suscepit enim de terra terram, quia caro de terra est, et de carne Mariæ carnem accepit. Et *quia in ipsa carne hic ambulavit, et ipsam carnem nobis manducandam ad salutem dedit; nemo autem illam carnem manducat, nisi prius adoraverit;* inventum est quemadmodum adoretur tale scabellum pedum Domini, *et non solum non peccemus adorando, sed peccemus non adorando.*"

Hæsitatio Sancti Doctoris, quam multis exponit, et causa, quam affert, dubitationis suæ in interpretatione divini præcepti; "*Et adorate scabellum pedum ejus,*" patenter ostendunt eum loqui de supremo cultu latriæ, qua non licet colere rem, aut personam ullam, nisi divinam. "*Cum dicat aperte,* inquit, *Scriptura, 'Dominum Deum tuum adorabis.'*"

V—Ex miraculis in veritatis confirmationem patratis.

Brevitati consulens quatuor tantum hic prodigia referam prout in scriptis Patrum gravissima auctoritate leguntur.

S. Cyprianus, in libro *de lapsis,* terrens eos qui indigne communicant, ostendit Deum ex illis quosdam etiam in hac vita pœna mulctasse "quamvis nondum dies venerit pœnæ. Plectuntur interim quidam, quo ceteri corrigantur." Inter alia, exemplum hoc adducit: [1]

"Præsente ac teste me ipso accipite quid evenerit. Parentes forte fugientes, dum trepidi minus consulunt, sub nutricis alimento parvulam filiam reliquerunt; relictam nutrix detulit ad magistratus. Illi ei, apud idolum quo populus confluebat, quod carnem necdum posset edere per ætatem, panem mero mistum, quod tamen et ipsum de immolatione pereuntium supererat, tradiderunt. Recepit filiam postmodum mater. Sed facinus puella commissum tam loqui et indicare non potuit, quam nec intelligere prius potuit nec arcere. Ignoratione igitur obreptum est ut sacrificantibus nobis eam secum mater inferret. Sed enim puella mista cum sanctis, precis nostræ et orationis impatiens, nunc ploratu concuti, nunc mentis æstu cœpit fluctuabunda jactari, et velut tortore cogente, quibus poterat indiciis conscientiam facti in simplicibus adhuc annis rudis anima fatebatur. Ubi vero, solemnibus adimpletis, calicem diaconus offerre præsentibus cœpit, et accipientibus ceteris locus ejus

---

[1] Migne, P. L. t. 4. p. 499.

advenit, faciem suam parvula, instinctu divinæ Majestatis, avertere, os labiis obturantibus premere, calicem recusare. Perstitit tamen diaconus, et reluctanti licet de sacramento calicis infudit. Tunc sequitur singultus et vomitus. In corpore atque ore violato Eucharistia permanere non potuit. Sanctificatus in Domini sanguine potus de pollutis visceribus erupit. Tanta est potestas Domini, tanta majestas! . . . Hoc circa infantem quæ ad eloquendum alienum circa se crimen necdum habuit ætatem. At vero ea quæ, ætate provecta et in annis adultioribus constituta, sacrificantibus nobis latenter obrepsit, non cibum sed gladium sibi sumens, et velut quædam venena lethalia intra fauces et pectus admittens, angi et anima exæstuante concludi postmodum cœpit. Et pressuram non jam persecutionis sed delicti sui passa, palpitans et tremens concidit. Impunitum diu non fuit nec occultum dissimulatæ conscientiæ crimen. Quæ fefellerat hominem, Deum sensit ultorem. Et cum quædam arcam suam, in qua Domini sanctum fuit, manibus indignis tentasset aperire, igne inde surgente deterrita est ne auderet attingere."

In Vita S. Basilii S. Amphilochio Iconii Episcopo adscripta,[1] cap. 7. legimus: "Itaque cum divinum celebraretur officium, hebræus quidam, ut christianus, se populo miscuit, ordinem officii et donum communionis explorare volens, et videt infantulum membratim incidi in manibus Basilii; et communicantibus omnibus venit et ipse, et data est ei in veritate caro; deinde adest et calici, qui erat sanguine plenus, et ipsius particeps est effectus. Atque ex utroque conservatas reliquias, pergens in domum suam, ostendit uxori suæ, ad confirmationem eorum quæ dicebantur, enarrans quæ propriis viderat oculis. Credens ergo quod revera horrendum sit et gloriosum Christianorum mysterium, in crastinum adit Basilium supplicans ei quo sine dilatione acciperet in Christo signaculum. Qui nihil negligens, solitas grates ei, qui omnes vult salvari, referens, baptizavit eum cum omni domo suo credentem in Dominum."

Joannes Diaconus in Vita S. Gregorii Magni, quam jubente Joanne Papa VIII. elucubravit, quæque tantæ auctoritatis fuit apud veteres, ut Guitmundus Aversanus, sæculo XI., affirmare potuerit "eam sanctissimos, doctissimosque Romanos Pontifices, nullo hactenus dissonante,

[1] Migne, P. L. t. 73. p. 301.

probasse," miraculum insigne narrat in confirmationem realis Christi præsentiæ in Eucharistia. In libro 2. n. 41. refert: [1] "Matrona quædam beato Gregorio, per stationes publicas missarum solemnia celebranti, solitas oblationes obtulerat. Cui post mysteria traditurus, cum diceret: —Corpus Domini nostri Jesu Christi conservet animam tuam,—lasciva subrisit. Ille continuo dexteram ab ejus ore convertens, partem illam dominici corporis super altare deposuit. Expletis vero missarum solemniis, matronam coram populo inquisivit quam ob rem corpus dominicum susceptura ridere præsumpserit. At illa diu mussitans, tandem prorupit, quia panem, inquiens, quem propriis manibus me fecisse cognoveram, tu corpus dominicum perhibebas. Tunc Gregorius, pro incredulitate mulieris, cum tota plebe se in orationem prostravit; et post paululum surgens, particulam panis, quam super altare posuerat, carnem factam reperit: quam, coram cunctis, incredulæ matronæ demonstrans, ad credulitatis gratiam tam illam revocare potuit, quam totum populum confirmare curavit. Rursus itaque in orationem cum eisdem prostratus, carnis frustum in panis primordia reformavit."

Ita misericors Deus, humili supplicatione placatus, benignissime voluit ut catholica veritas de reali Christi præsentia in Eucharistia, in ipsa catholici orbis metropoli, dum augustissima celebratione sacrificium offerretur, coram ingente multitudine, ab illo Christi vicario per miraculum confirmaretur, qui gloria sanctitatis, apostolatus, et doctrinæ inter alios eminet, quique certatim ab Occidentali et ab Orientali

[1] Idem miraculum narrat Paulus Diaconus in Vita ejusdem Sancti Doctoris, quam, ante Joannis Diaconi opus, breviter conscripserat; et quidem fusius (n. 23.) de illo prodigio indicat Paulus Diaconus circumstantias. "Tunc sanctus Domini pontifex," inquit, "sermonem exinde fecit ad populum, et hortatus est eum ut suppliciter Dominum exoraret, quatenus ad multorum fidem corroborandam, carnis oculis ostenderet quid infidelitas hujus mulieris mentis oculis et fidei luminibus conspicere debuisset. Quod cum fuisset oratum, ipse una cum populo et eadem muliere ab oratione exurgens, ad altare cunctis cernentibus, et sese ad cernendum cœleste spectaculum comprimentibus, corporalem pallam revelat, et universo populo ipsaque muliere contuente, partem digiti auricularis sanguine cruentatam invenit, et mulieri dixit: *Disce, inquam, veritati vel modo jam credere contestanti:* Panis quem ego do, caro mea est, et sanguis meus vere est potus (Joan. VI. 52. 56.). *Sed præscius Conditor noster infirmitatis nostræ, ea potestate qua cuncta fecit ex nihilo, et corpus sibi ex carne semper Virginis, operante Sancto Spiritu, fabricavit, panem et vinum aqua mistum, manente propria specie, in carnem et sanguinem suum, ad catholicam precem ad reparationem nostram, Spiritus sui sanctificatione convertit.* Indeque universos jussit divinam precari potentiam ut in formam pristinam sacrosanctum reformaret mysterium; quatenus mulieri ad sumendum fuisset possibile, quod et factum est."

Ecclesia veneratur, et veritati Eucharistiæ hoc in scriptis suis testimonium egregium legendum posteris reliquit:[1]—

"Debemus itaque præsens sæculum . . . tota mente contemnere, quotidiana Deo lacrymarum sacrificia, quotidianas *carnis ejus et sanguinis hostias immolare.* Hæc namque singulariter victima ab æterno interitu animam salvat; quæ illam nobis mortem Unigeniti per mysterium reparat, *qui licet resurgens a mortuis jam non moritur et mors ei ultra non dominabitur*, tamen in semetipso immortaliter atque incorruptibiliter vivens, *pro nobis iterum in hoc mysterio sacræ oblationis immolatur.* Ejus quippe ibi corpus sumitur, *ejus caro in populi salutem partitur, ejus sanguis non jam in manus infidelium, sed in ora fidelium funditur.* . . . Quis enim fidelium habere dubium possit, in ipsa immolationis hora ad sacerdotis vocem cœlos aperiri, in illo Jesu Christi mysterio Angelorum choros adesse, summis ima sociari, terrena cœlestibus jungi, unumque ex visibilibus atque invisibilibus fieri?"

Demum, ætate qua Berengarius realem Christi præsentiam in Eucharistia impiissime negavit, Deus per miraculum veluti digito suo catholicæ veritati subscripsit.

Hujus rei testes habemus omni exceptione majores. Sanctus Petrus Damianus, in epistola, quam dedit ad Desiderium Cassinensem Abbatem,[2] refert mulierem quamdam, quasi communicaturam, accepisse a sacerdote corpus Domini, sed reservasse ut viro suo illud quibusdam maleficiis propinaret. At, "particula dominici corporis," addit, "inventa est usque ad medietatem conversa, altera vero medietas panis speciem non mutavit." Et explicans, juxta Desiderii inquisitionem, quid miraculum istud portenderet, prosequitur: "Quod autem medietas sic remansit, ad evidentioris judicii testimonium profecit, ut dum in una eademque substantia, hinc panis, illinc carnis adesse considerans speciem, in utroque veræ carnis, verique panis indifferenter intelligas veritatem: quia et ipse est qui de cœlo descendit, et ipsa nihilominus caro quæ de virginalis uteri materia prodiit." Et subjungit: "Nam et vester ille finitimus piæ recordationis Amalphitanus episcopus. . . . Stephano Romano Pontifici, *me præsente, sub jurejurando testatus est*, quia cum aliquando ad mensam Domini sacrificaturus accederet, sed

[1] Dialogorum, l. 4. c. 58.

[2] Hanc epistolam habes in Annal. Eccles. Card. Baronii, ad annum Christi 1059.

super sacramento Domini corporis incredulus hæsitaret, in ipsa confractione salutaris hostiæ rubra prorsus ac perfecta caro inter ejus manus apparuit, ut digitos illius cruentaret, sicque sacerdoti scrupulum dubietatis auferret."

VI.—Ex præscriptione.

Cum Berengarius, sæculo XI., negare cœpit veritatem realis præsentiæ corporis et sanguinis Domini in Eucharistia, fideles dogma hoc apud omnes Ecclesias unanimiter profitebantur.

Id constat ex Conciliis tunc temporis contra Berengarium convocatis:—id testantur omnes auctores qui illa ipsa ætate adversus ejus hæresim libros scripserunt, Hugo Lingonensis, Lanfrancus, Guitmundus, Durandus Abbas Troarnensis, Guitbertus, Gulielmus S. Theodorici, Algerus, aliique.

Ne nimius sim unum vel aliud tantummodo commemorabo.

B. Lanfrancus, Archiepiscopus Cantuariensis, in libro de corpore et sanguine Domini, c. 22., sic Berengarium alloquitur: "Si verum est quod de corpore Christi tu credis et adstruis, falsum est quod ab Eccelesia ubique gentium de eadem re creditur et adstruitur. Omnes enim qui Christianos se et esse et dici lætantur, veram Christi carnem, verumque ejus sanguinem, utraque sumpta de Virgine, in hoc sacramento se percipere gloriantur. Interroga universos qui Latinæ linguæ nostrarumve litterarum notitiam perceperunt. Interroga Græcos, Armenos, seu cujuslibet nationis christianos quoscumque homines. Uno ore hanc fidem se testantur habere. Porro si universalis Ecclesiæ fides falsa existit, aut numquam fuit catholica Ecclesia, aut periit. Nihil namque efficacius ad interitum animarum, quam perniciosus error. Sed non fuisse, aut periisse Ecclesiam catholicus nemo consenserit."

Et Guitmundus Archiepiscopus Aversanus et Cardinalis, libro 3. de Eucharistiæ Sacramento, hæc habet: "Si illud quod semper Ecclesia tenuit, nullis munitum Conciliis Apostolicum est; quanto magis illud quod et semper tenuit, et multis est Conciliis Generalibus confirmatum, ex Apostolica auctoritate traditum esse credendum est? Sed panem et vinum Altaris Domini in corpus et sanguinem Christi *substantialiter* commutari (non sicut delirat Berengarius, corporis et sanguinis Domini figuras tantum esse et umbras, aut intra se latentem Christum tegere)

universalis Ecclesiæ consensione roboratum est. Secura igitur voce, gubernante Domino Deo nostro et Salvatore Jesu Christo, id a nobis asseri potest. . . . . . Notissimum namque est hoc tempore, priusquam Berengarius insanisset, hujusmodi vesanias numquam fuisse."

Addam, ad fidem Græcorum ex græcis documentis ostendendam, testimonium præclarissimum celeberrimi illius ætatis præsulis, et sacrarum scripturarum interpretis, Theophilacti.

In Evangelium Matthæi, XXVI. 26., ait: "Porro dicens '*hoc est corpus meum*' ostendit quod ipsum corpus Domini est panis qui sanctificatur in altari, et non respondens figura. Non enim dixit 'hoc est figura,' sed 'hoc est corpus meum.' Ineffabili enim operatione *transformatur* (μεταποιεῖται), etiamsi nobis videatur panis: quoniam infirmi sumus, et abhorremus crudas carnes comedere, maxime hominis carnem: *et ideo panis quidem nobis apparet, sed revera caro est.*"—Et similiter in Evangelium Joannis VI. 48–52.: "Attende," inquit, "quod panis qui a nobis in mysteriis manducatur, non est figuratio quædam carnis Domini, sed ipsa caro Domini. Non enim dixit 'Panis quem ego dabo figura est carnis,' sed 'caro mea est.' Transformatur enim arcanis verbis panis ille, per mysticam benedictionem et accessionem Sancti Spiritus, in carnem Domini. Et ne quem conturbet quod credendus sit panis caro. Etenim et in carne ambulante Domino, et ex pane alimoniam admittente, panis ille qui manducabatur, in corpus ejus mutabatur. . . . Igitur et nunc panis in carnem Domini mutatur. Et quomodo, inquit, non apparet nobis caro, sed panis? Ut non abhorreamus ab ejus esu. Nam si quidem caro apparuisset, insuaviter affecti essemus erga communionem, nunc autem condescendente Domino nostræ infirmitati, talis apparet nobis mysticus cibus, qualibus alioquin assueti sumus."

Difficiliores quædam Patrum locutiones paucis elucidantur.

I.—Eucharistia dicitur subinde a Patribus *signum, figura, typus, imago* corporis Christi; sic autem vocatur *a*) ratione specierum:—*b*) ratione corporis Christi in cruce immolati, et existentis in cœlo; nam etsi idem corpus Christi sit in Eucharistia quod immolatum fuit in cruce, et nunc est in cœlo, non est tamen idem status; et ideo idem sui ipsius diverso respectu signum et figura esse potest:—*c*) ratione corporis

Christi mystici, seu Ecclesiæ, cujus unitas per panem ex multis granis confectum, et per vinum ex multis racemis expressum repræsentatur.

2.—Quum Patres aliquando corpus et sanguinem Domini in Eucharistia dixerunt esse ἀντίτυπα, seu exemplaria futurorum, id intelligebant de futura gloria, cujus Eucharistia pignus est.—"*Non tamquam Christi corpus et sanguis*," ait Andreas Cretensis (in Orat. 1. S. Greg. Naz.), "*non vere sint*, dicuntur antitypa; *sed quia nunc per ea divinitatem Christi participamus, qui nostris corporibus veluti commiscetur, tunc autem intellectu per solam contemplationem*." Eodem modo explicat illam locutionem S. Joannes Damascenus, *de fide orthodoxa*, lib. 4. c. 13. in fine.

3.—Origenes tria in Eucharistia distinguens,—nempe *speciem externam* sensibus subjectam; *substantiam intus latentem*, et solo fidei intuitu aspectabilem, id est, corpus et sanguinem Domini; et *mysticam quamdam sacramenti significationem*,—ad externam speciem, oculis apparentem et Christi manibus attrectatam, respicit, cum ait, tract. 35. in Matth., "non enim panem illum visibilem, quem tenebat in manibus, corpus suum dicebat Deus Verbum . . . nec potum illum visibilem sanguinem suum dicebat."— Deinde, substantiam sub externa specie latentem breviter indicatam, de mystica sacramenti significatione copiose disserit, verba institutionis Eucharistiæ allegorice interpretando de Verbo Dei, quod instar cujusdam panis et potus cœlestis "nutrit et lætificat, potat et inebriat præclare corda bibentium."

Eodem fere modo S. Augustinus, sermone 272. ad Infantes, disserit de sacramento Altaris: "Quod videtis," inquit, "panis est et calix, quod vobis etiam oculi vestri renuntiant"—en species externa, sensibus subjecta;—"quod autem fides vestra postulat instruenda, panis est corpus Christi, calix sanguis Christi"—en substantia intus, seu sub specie, latens.—Tunc ad mysticam quamdam significationem sacramenti procedens, eamque abunde explicans ait: "Breviter quidem hoc dictum est *quod fidei forte sufficiet;* sed fides instructionem desiderat . . . . . quomodo est panis corpus ejus? et calix, vel quod habet calix, quomodo est sanguis ejus? Ista fratres ideo dicuntur sacramenta, quia in eis aliud videtur, aliud intelligitur. Quod videtur, speciem habet corporalem; quod intelligitur fructum habet

spiritalem. . . . . . . Quare ergo in pane? . . . . . . Unum corpus multi. Recolite quia panis non sit de uno grano, sed de multis. . . . . Sic et de vino. Fratres recolite unde fit vinum. Grana multa pendent ad botrum, sed liquor granorum in unitate confunditur. Ita et Dominus Christus nos significavit, nos ad se pertinere voluit; mysterium panis et unitatis nostræ in sua mensa consecravit."

Hoc igitur differunt inter se Augustinus et Origenes, quod alter, Augustinus, *symbolicam mysterii eucharistici significationem* ad unitatem fidelium in uno eodemque corpore Christi mystico, quam frequentissime tunc S. Doctor inculcabat propter schisma Donatistarum, alter vero, Origenes, ad Verbum Dei deflectat.

Præterea S. Augustinus, in epist. 23. (al. 98.) ad Bonifacium (n. 9.), ait sacramentum corporis Christi ita se habere ad ipsum Christi corpus, sicut sacramentum fidei, seu baptismus ad fidem; sed id affirmat, *prout hic se habet in aliquibus, non in omnibus, et pro ut poscebat quæstio quæ proposita ei fuerat.*—Quæsierat ex Augustino Bonifacius, cur in baptismo nomine parvuli sponsores dicerent: *Credo,* etsi infans per ætatem credere non possit? Respondet Augustinus, infantem dici posse fidelem, vel fidem habere, quia habet sacramentum fidei, nempe baptismum, *sicut secundum quemdam modum sacramentum corporis Christi, corpus Christi est.* Unde comparatio in hoc sita est, quod, cum de signo vel eo quod in sacramentis similitudinem habet cum re significata, ipsa res significata dici possit, et ideo *sacramentum,* h. e. signum sive species sensibiles, corpus Christi aliquando dicuntur; ita baptismus possit dici fides, quia est sacramentum, vel signum fidei, et qui proinde baptismum habet, ut infantes, habere fidem dici possit; de quo solo fuerat interrogatus.

4.—S. Anastasius Sinaita, in Hodego, veritatem corporis Christi, illudque esse naturæ vere corporeæ, et ante resurrectionem fuisse passibile, probat contra Gaianos incorrupticolas, ex veritate corporis et sanguinis in Eucharistia. Sed probe distingui debet confessio communis fidei de reali Christi præsentia in mysterio, ab argumento quod exinde deducit contra hæreticos:—nam istud quod proponit ad probandam ex Eucharistia passibilitatem carnis Christi ante resurrectionem, valet solum per quamdam extensionem: quatenus nempe status sacramentalis sub speciebus corruptibilibus et veritas sacrificii incruenti

repræsentant statum passibilem et sacrificium cruentum in Vita Christi mortali. Audiatur S. Anastasius (In Hodego, c. 23.):—

Orthodoxus interrogat Gaianitam: "Communio corporis et sanguinis Christi, quam offers et participas, estne verum corpus Christi Filii Dei, an nudus panis, qualis ostiatim venditur; vel vicem dumtaxat gerit et figuram corporis Christi, ut sacrificium hirci, quod Judæi offerunt? Gaianita: *Absit, ut dicamus sacram Communionem esse tantum figuram corporis Christi, aut nudum panem; sed vere ipsum corpus et sanguinem Christi Filii Dei suscipimus, incarnati et nati ex S. Dei genitrice semper Virgine Maria.* Orthodoxus: *Sic credimus et sic confitemur, juxta dictum ipsius Christi,* quod pronuntiavit ad discipulos in cœna mystica dans eis panem vivificum: 'accipite, comedite, hoc est corpus meum;' similiter et calicem tradens illis dixit: 'hic est sanguis meus.' *Non dixit: hoc est figura seu, quid vices gerens corporis et sanguinis mei.* Et aliis pluribus in locis Christus manifesto dixit: 'qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, habet vitam æternam.' Cum igitur ipse Christus testetur, vere esse suum corpus et sanguinem, quod fideles accedentes sumimus, agedum adfer nobis aliquid ex Communione vestræ Ecclesiæ, tamquam supra omnes Ecclesias, scilicet orthodoxæ; et cum omni reverentia sanctum hoc corpus et sanguinem in vase honorifice reponemus. Et si intra paucos dies non corrumpatur aut immutetur aut alteretur, planum fiet, vos recte asserere corpus Christi ex ipso incarnationis exordio omnimodo fuisse incorruptibile. Si vero corrumpatur aut immutetur, necesse erit ut unum ex his fateamini,—vel id quod sumitis, non esse verum corpus Christi, sed simplicem figuram, aut propter perversam fidem vestram Spiritum Sanctum (ad conversionem efficiendam) in illud non descendisse,—vel corpus Christi ante resurrectionem fuisse corruptibile, utpote immolatum, morti traditum, vulneratum, perforatum, et manducatum."

5.—Facundus Hermianensis in opere quod sexto sæculo scripsit *pro defensione trium Capitulorum,* conatur (l. 9. cap. 5.) in sanum aliquem sensum interpretari quod dixerat Theodorus Mopsuestenus, nimirum, Christum adoptionem filiorum suscepisse. Ad hunc finem, ait: "Sacramentum adoptionis suscipere dignatus est Christus, et quando circumcisus est, et quando baptizatus est; *et potest sacramentum adoptionis adoptio nuncupari.*" Ut autem hunc modum loquendi confirmet, quo

visibile sacramentum adoptionis vocetur adoptio, in exemplum adducit Eucharistiam, et dicit: "*Sicut sacramentum corporis et sanguinis ejus, quod est in pane et poculo consecrato, corpus ejus et sanguinem dicimus: non quod proprie corpus ejus sit panis, et poculum sanguis, sed quod in se mysterium corporis ejus sanguinisque contineant. . . . . . Quocirca sicut Christi fideles sacramentum corporis et sanguinis ejus accipientes, corpus et sanguinem Christi recte dicuntur accipere; sic et ipse Christus sacramentum adoptionis filiorum cum suscepisset, potuit recte dici adoptionem filiorum suscepisse.*"

Sed in verbis citatis præsentia realis corporis Christi nedum negatur, immo clare asseritur; hic enim est sensus illorum verborum: panis, seu species panis, in sacramento altaris, licet non sit proprie corpus Christi, dicitur tamen corpus Christi, quia ejus est signum, non utique nudum,—sicut baptismus per se non est nudum signum adoptionis, cum eam conferat obicem non ponentibus,—sed conjunctum cum ipsa re.—Et recte dicere potuit: "*non quod proprie corpus ejus sit panis;*" quia et panis consecratus, de quo loquitur, non est in substantia panis, sed solum in specie; et *species* sacramentales *secundum se* non sunt, *proprie loquendo*, Christi corpus, sed *denominative*, quatenus nempe significant corpus Christi, quod vere, realiter et substantialiter sub eis latet.

6.—Cum, sæculo IX., Rabanus Maurus, Ratramnus aliique impugnabant Paschasium Ratbertum, qui circa annum 818. opus ediderat *de corpore et sanguine Domini*, minime negabant veram et substantialem præsentiam Domini nostri in Eucharistia; sed hanc fidei veritatem cum Paschasio profitentes, id unum adversus eum, quem contrarium docuisse putabant, contendebant, nimirum, corpus Christi in sacramento non esse illud idem quod natum ex B. Virgine in cruce pependit, resurrexit, et sedet in gloria Patris. Cum autem id asserebant, non adstruebant corpus Christi in Eucharistia ab illo quod est in cœlo diversum esse *quod substantiam, sed quoad statum et quoad modum existendi.*

Hanc fuisse illius temporis controversiam patet ex auctore anonymo adversario Paschasii, edito a Mabillonio ad calcem sec. IV. Benedict. part. 2. (quippe non alius esse putatur quam Rabanus ipse, esseque ejus ad Egilonem epistola). Is vero libello, cui titulus: "Dicta cujusdam sapientis de corpore et sanguine Domini adversus Ratbertum;" ne

videatur, quoad Eucharistiæ dogma, dissentire a Ratberto, sic orthodoxam fidem in primis profitetur: "Quod corpus et sanguis Domini vera sit caro, verusque sanguis, unusquisque debet credere. . . . . . Hoc ego fidelissime confirmo, et addo, quod, sicut veritas est Christus, et verus agnus Dei, qui quotidie mystice immolatur; ita procul dubio ex pane verus sanguis ejus consecratione Spiritus Sancti potentialiter creatur. Quæ cum certissima sint . . . nec ullus christianus ambigere possit." . . . . . . Et disputationem concludit: "Hæc dicta Magistri (Augustini) si fideliter, ferventer legeritis, manifeste cognoscetis, non quidem, quod absit, *naturaliter*, sed *specialiter*, aliud esse corpus Domini, quod ex substantia panis ac vini pro mundi vita quotidie per Spiritum Sanctum consecratur, quod a sacerdote postmodum Deo Patri suppliciter offertur; et aliud *specialiter* corpus Christi, quod natum est ex Maria Virgine."

Alter Paschasii adversarius anonymus, eamdem apertam habet professionem fidei quoad veritatem corporis Domini in Eucharistia: "Aliud est," ait, "*specialiter corpus Dei*, quod glorificatum sedet ad dexteram Dei, et tamen *naturaliter unum est*, ipso Domino dicente: 'Hoc est corpus meum.' "—Rabanus Maurus in libro "de sacris Ordinibus" pari fide confitetur: "Quæ fidelium ore percipiuntur figuram esse secundum speciem visibilem: at vero secundum invisibilem substantiam *verum corpus et sanguinem Christi.*"

Quoad Ratramnum, is de reali Christi præsentia in Eucharistia dogma catholicum clarissime profitetur. Etenim in prima parte operis *de corpore et sanguine Domini* (nn. 9. 10.) inquit:[1] "Exterius quidem panis, quod ante fuerat, forma prætenditur, color ostenditur, sapor accipitur; ast interius longe aliud multo pretiosius, multoque excellentius intimatur; quia cœleste, quia divinum, id est Christi corpus, ostenditur, quod non sensibus carnis, sed animi fidelis contuitu vel aspicitur, vel accipitur, vel comeditur: vinum quoque, quod sacerdotali consecratione Christi sanguinis efficitur sacramentum, aliud superficie tenus ostendit, aliud interius continet." Num catholicus quispiam nitidius hoc dogma suum proponeret? Deinde, num. 12., totus in eo est, ut ostendat veram mutationem esse factam in Eucharistia, sed invisibilem. Sic quoque, num. 13., ait: "Si ergo nihil est hic permutatum; non

---

[1] Migne, P. L. t. 121. p. 131.

est aliud, quam ante fuit. Est autem aliud, quoniam panis corpus, et vinum sanguis Christi facta sunt." Ac, num. 15.: "Si hoc [conversionem illam] profiteri noluerint, compelluntur negare corpus esse sanguinemque Christi ; quod nefas est non solum dicere, verum etiam cogitare."

Quamobrem dum ait Eucharistiam non continere corpus Christi in *veritate*, nomine veritatis non intelligit realem et substantialem præsentiam, sed *claram rei manifestationem:* quod et ipse expresse declarat tum in definitione *veritatis*, quam affert (n. 8.) dicens: "Veritas est rei manifesta demonstratio, nullis umbrarum imaginibus obvelatæ ;" tum in ipsa propositione (num. 5.) quæstionis, quam aggreditur: "Quod in Ecclesia," inquit, "ore fidelium sumitur, corpus et sanguis Christi, quærit vestræ magnitudinis excellentia [Carolus Calvus], in mysterio fiat an in veritate. Id est, utrum aliquid secreti contineat, quod oculis solummodo fidei pateat, an sine cujuscumque velatione mysterii *hoc aspectus intueatur corporis exterius, quod mentis visus aspiciat interius, ut totum quod agitur in manifestationis luce clarescat.*"

Simili pacto intelligendus est Ratramnus cum ait in Eucharistia esse corpus et sanguinem Christi *non in specie, sed in virtute.* Ipsemet quid sibi velit sine ulla ambiguitate (n. 56.) aperit: "Si perspiceres," ait, "quia quod credis nondum vides ; nam si videres, diceres: Video ; non diceres: Credo corpus sanguinemque esse Christi: nunc autem quia fides totum quidquid illud totum est, aspicit, et *oculus carnis nihil apprehendit;* intellige *quod non in specie, sed in virtute corpus et sanguis Christi existant quæ cernuntur.*"

Demum differentiam inter corpus Christi in Eucharistia et corpus quod de Virgine Maria natum est, passum, mortuum, sepultum, quodque ad dexteram Patris sedet, Ratramnum admisisse *non quoad substantiam, sed quod modum existendi,* liquet ex tota secunda parte Tractatus. Ut unum saltem in confirmationem afferam testimonium, subjungam quæ scripsit n. 69.:—"Multa differentia," ait, "separatur corpus in quo passus est Christus, et sanguis quem pendens in cruce de latere suo profudit ; et hoc corpus quod in mysterio passionis Christi quotidie a fidelibus celebratur, et ille quoque sanguis qui fidelium ore sumitur. . . . . . Iste namque panis et iste potus *non secundum quod videntur, corpus sive sanguis existunt Christi ; sed secundum quod spiritualiter vitæ substantiam*

subministrant. Illud vero corpus in quo semel passus est Christus, *non aliam speciem præferebat quam in qua consistebat; hoc enim erat quod vere videbatur, quod tangebatur, quod crucifigebatur, quod sepeliebatur.* Similiter sanguis illius de latere manans, *non aliud apparebat exterius, et aliud interius obvelabat.*"

Hinc Lanfrancus, sæculo XI., in dialogo contra Berengarium c. 18., merito dixit sententias Ratberti et adversariorum ejus facile inter se conciliari, ac corpus Christi eucharisticum "*vere posse dici et ipsum corpus, quod de Virgine sumptum est nos sumere; et tamen non ipsum. Ipsum quidem quantum ad essentiam, veræque naturæ proprietatem et virtutem; non ipsum autem, si spectes panis vinique species.*"—Dissensio inter catholicos illos auctores sæculi IX. non rem ipsam spectabat, sed proprium de eadem re loquendi modum.

ARTICULUS QUINTUS

De Transsubstantiatione.

Realis ac substantialis Christi præsentiæ in Eucharistia demonstrationem absolvimus; adstrui nunc debet ac vindicari modus quo Christus in Eucharistia fit præsens; qui modus est per *transsubstantiationem,* seu per mirabilem et singularem conversionem totius substantiæ panis et vini, quæ consecrantur, in corpus et sanguinem Domini nostri Jesu Christi.

Hæc conversio, ut dogma fidei profitenda, a Concilio Tridentino, sess. 13. canone 2., his verbis definita fuit: "Si quis dixerit, in sacrosancto Eucharistiæ sacramento remanere substantiam panis et vini una cum corpore et sanguine Domini nostri Jesu Christi; negaveritque mirabilem illam et singularem conversionem totius substantiæ panis in corpus, et totius substantiæ vini in sanguinem, manentibus dumtaxat speciebus panis et vini; quam quidem conversionem catholica Ecclesia aptissime transsubstantiationem appellat; anathema sit."

In hac Concilii definitione duæ partes, ut patet, continentur: in una damnantur asserentes manere in Eucharistia substantiam panis et vini cum corpore et sanguine Domini; in altera damnantur qui negant con-

versionem totius substantiæ panis in corpus et totius substantiæ vini in sanguinem; simulque *transsubstantiationis* appellatio, ad hanc conversionem significandam, aptissima declaratur.

Ex priore parte canonis damnantur tum *Impanatores*, tum *Consubstantiatores*. *Impanatores* sunt, qui vel unionem hypostaticam Verbi divini cum pane et vino asserunt, ut quidam inter Berengarii discipulos dixerunt, et postea Osiander docuit; vel unionem adstruunt Verbi cum pane et vino, mediante Christi corpore, quatenus panis proxime uniretur corpori Christi, et per Christi corpus Verbo, ut initio sæculi XIV. somniavit Joannes Parisiensis: *Consubstantiatores* vero dicuntur qui consociationem substantiæ panis et vini cum substantia corporis et sanguinis Christi statuunt; quam consociationem Lutherani [1] communiter admittunt.

Sed hic non sistit dogma fidei definitum a Tridentina Synodo; et in secunda parte canonis 2., modus, fide divina credendus, quo Christus fit præsens in Eucharistia, nempe per transsubstantionem, definitur.

Hinc gravissime erravit Synodus Pistoriensis quum catholicam doctrinam "de ritus consecrationis efficacia" hac formula absolutam voluit, videlicet, Christum post consecrationem vere, realiter ac substantialiter esse sub speciebus, et, his solis remanentibus, omnem panis ac vini sub-

[1] Lutheranorum doctrina sic exponitur a Joanne Gerhard (Loci theologici, XXII. 10. § 69.): "Quam vere in sacra cœna præsens est res terrena, panis et vinum; tam vere etiam præsens res cœlestis, corpus et sanguis Christi: proinde credimus, docemus et confitemur in Eucharistiæ sacramento veram, realem et substantialem corporis et sanguinis Christi præsentiam, exhibitionem, manducationem et bibitionem. Quæ præsentia non est essentialis conversio panis in corpus et vini in sanguinem Christi, quam transsubstantiationem vocant; neque est corporis ad panem, ac sanguinis ad vinum, extra usum cœnæ, localis aut durabilis; neque est panis et corporis Christi personalis unio, qualis est divinæ et humanæ naturæ in Christo unio; neque est localis inclusio corporis in panem; neque est impanatio, neque est incorporatio in panem; neque est consubstantiatio, qua panis cum corpore Christi, et vinum cum ipsius sanguine in unam massam physicam coalescat; neque est naturalis inexistentia, neque delitescentia corpusculi sub pane, neque quidquam hujusmodi carnale aut physicum: sed est præsentia et unio sacramentalis, quæ ita comparata est, ut juxta ipsius Salvatoris nostri, veracis, sapientis, et omnipotentis institutionem, pani benedicto, tanquam medio divinitus ordinato, corpus; et vino benedicto, tamquam medio itidem divinitus ordinato, sanguis Christi modo nobis incomprehensibili uniatur, ut cum illo pane corpus Christi una manducatione sacramentali, et cum illo vino sanguinem Christi una bibitione sacramentali in sublimi mysterio sumamus, manducemus ac bibamus. Breviter non ἀπουσίαν absentiam, non ἐνουσίαν inexistentiam, non συνουσίαν consubstantiationem, non μετουσίαν transsubstantiationem, sed παρουσίαν corporis et sanguinis Christi in sacra cœna statuimus."

stantiam tunc cessare. Propositio Synodi 29., quæ hanc erroneam doctrinam proponebat, damnata fuit a Pio Papa VI. in Bulla Dogmatica "Auctorem Fidei;" damnatio propositionis ita habet:—"Doctrina Synodi, qua parte, tradere instituens fidei doctrinam de ritu consecrationis, remotis quæstionibus scholasticis circa modum quo Christus est in Eucharistia, a quibus parochos docendi munere fungentes abstinere hortatur, duobus his tantum propositis: 1.—Christum post consecrationem vere, realiter, substantialiter esse sub speciebus, 2.—tunc omnem panis et vini substantiam cessare, solis remanentibus speciebus, prorsus omittit ullam mentionem facere transsubstantiationis seu conversionis totius substantiæ panis in corpus et totius substantiæ vini in sanguinem, *quam velut articulum fidei Tridentinum Concilium definivit, et quæ in solemni fidei professione continetur;* quatenus per inconsultam istiusmodi suspiciosamque omissionem notitia subtrahitur *tum articuli ad fidem pertinentis,* tum etiam vocis ab Ecclesia consecratæ ad illius tenendam professionem adversus hæreses; tenditque adeo ad ejus oblivionem inducendam, quasi ageretur de quæstione mere scholastica: perniciosa, derogansque expositioni veritatis catholicæ circa dogma transsubstantiationis, favens hæreticis."

Tria ergo, juxta dogmaticam Pontificis declarationem, *de fide* hac in re haberi debent 1.— quod Christus substantialiter præsens est in Eucharistia; 2.—quod ibi non amplius panis et vini substantia, sed eorum species tantum manent; 3.—quod hæc corporis sanguinisque præsentia et substantiæ panis ac vini desitio fit *per conversionem* totius substantiæ panis in corpus et totius substantiæ vini in sanguinem, quæ conversio, voce ab Ecclesia consecrata ad dogmatis professionem tuendam adversus hæreticos, appellatur *transsubstantiatio.* Proinde qui ex his tribus primum et secundum doceret, omisso tertio, mancam traderet doctrinam fidei; qui vero tertium ideo omitteret quia putaret illa duo priora sufficere ad fidei professionem, et *transsubstantiationem* ad scholasticas disquisitiones pertinere, veritatem de fide tenendam negaret a Tridentina Synodo definitam.

Nec dicatur in utraque propositione præsentiæ realis corporis Christi sub speciebus et desitionis substantiæ panis ac vini implicite contineri affirmationem transsubstantiationis, ideoque ad fidei integritatem sufficere explicitam professionem duplicis illius veritatis; et hac professione facta, silentium quoad tertiam affirmationem non esse culpandum.

Etenim, ut merito animadvertit Cardinalis Franzelin, "imprimis falsum est, in affirmatione præsentiæ realis corporis Christi et absentiæ panis jam contineri etiam modum enuntiatum, quo illud fiat, cum modus non unicus per conversionem sed etiam aliquis alius esse possit. Deinde etiamsi verum esset, quod de comprehensione implicita conversionis in duplici priori illo capite asseritur, ne tum quidem consequens foret, ut enuntiatio explicita hujus tertii articuli tuto omitti posset. Necessitas, ut Ecclesia identidem explicite proponat credendas veritates, quæ continerentur implicite in aliis veritatibus revelatis, inde oritur, vel quia, quamdiu sunt implicitæ, nondum sunt sufficienter pro omnibus propositæ, vel etiam quia ab hæreticis impugnantur, et ita depositum fidei in discrimen adducitur. Sic, ex. gr. duplex voluntas et duplex operatio Christi, divina et humana, jam continetur implicite revelata in veritate duplicis integræ naturæ Verbi incarnati; nihilo tamen secius explicitam definitionem et instantiorem prædicationem duarum voluntatum Christi necessariam reddidit Monotheletarum oppugnatio. Tum vero imperatores, suasu ac impulsu Præsulum hæreticorum, extorquere conabantur ab orthodoxis Episcopis et Doctoribus, ut duæ tantummodo prædicarentur naturæ Christi, sileretur autem de una vel duplici ejus operatione ac voluntate. Huc tendebat *Ecthesis* Heraclii et maxime *Typus* Constantis. Utrumque vero decretum damnatum est in Concilio Lateran. sub Martino I. can. 14. et 18."

Quapropter, verbis ejusdem Card. Franzelin [1] concludamus: "quando caput aliquod doctrinæ continetur in explicita prædicatione vel est explicite definitum, præsertim, si idem ab hæreticis impugnatur, non potest sub prætextu comprehensionis implicitæ in aliqua alia doctrina commendari silentium in institutione populi christiani, quin silentium ipsum deroget expositioni veritatis catholicæ et faveat hæreticis. Atqui omnino hic esset status quæstionis circa expositionem doctrinæ de efficacia consecrationis a Pistoriensibus commendatam, si revera in duobus capitibus ab eis propositis contineretur implicite dogma transsubstantiationis; at hæc ipsa implicita comprehensio falsa est. Non ergo solum justa sed etiam necessaria erat ejusdem expositionis condemnatio a Pontifice decreta."

Quod autem ad modum loquendi attinet, si quis rem confitendo

[1] De Eucharistia, p. 174.

vocem transsubstantiationis abjiceret, eum "non existimo," inquit Suarez,[1] "esse hæreticum, quia usus vocis per se non pertinet ad objectum fidei; esset tamen valde temerarius, scandalosus, ac pias aures offenderet, ac denique in externo foro habendus esset vehementer de hæresi suspectus."—Et sane ista vox *transsubstantiatio*, quam Concilium Tritinum pronuntiavit aptissimam esse ad mirabilem et singularem illam conversionem significandam, qua Christus Dominus fit præsens in Eucharistia, est veluti tessera catholicam professionem aperte distinguens ab erroribus Novatorum.

Ut autem id manifeste appareat, simulque notio conversionis, quæ in Eucharistiæ consecratione fit elucidetur, quædam de variis conversionum modis, et de conditionibus ad conversionem requisitis, dicenda sunt.

Conversio est transitus unius rei in aliam, et multiplex esse potest: etenim si eadem manente substantia accidens quoddam in ea mutatur conversio est accidentalis, substantialis vero si una substantia mutetur in aliam; sed tamen diversimode id fieri potest. Si una forma alteri succedat in eadem materia, conversio erit formalis; si divinitus fieret ut eadem forma ab una in aliam transiret materiam, conversio esset materialis; si vero nihil maneat prioris substantiæ sed tota convertatur, conversio substantialis erit totalis:—hæc ultima locum habet in mysterio Eucharistiæ, et vocatur *transsubstantiatio.* Quare transsubstantiationis nomen admirabilem conversionem totius substantiæ panis in corpus Christi et vini in sanguinem designat; et istud nomen huic conversioni solum convenit, cum nonnisi conversionem totalem substantiæ vi sua exprimat.

Nec mirum esset debet si hoc nomen non legatur in ecclesiasticis documentis adhibitum ante ætatem Berengarii: nam æquivalentes ei formulæ passim in illis occurrunt; et vocabulum *transsubstantiatio*,—sicut alia novis insurgentibus hæreticis primo usurpata ad eorum errorem unica voce veluti unico ictu confodiendum,—tum necessarium fuit cum necessitas occurrit proscribendi perspicuitate et simplicitate maxima locutionis novam hæresim Berengarii.

In Synodo Romana, anno 1079., Berengarius hanc fidei confessionem legit, confirmavit ac subscripsit: "Corde credo et ore confiteor panem et vinum, quæ ponuntur in altari . . . . *substantialiter converti* in veram

[1] In 3. p. disp. 50. sect. 1. in fine.

et propriam ac vivificatricem carnem et sanguinem Domini nostri Jesu Christi:"—et sub finem ejusdem sæculi XI. vocem *transsubstantiationis* usurpatam videmus ab Hildeberto episcopo Cenomanensi (sermone 93. de diversis 6.). Deinde vox illa occurrit, sæculo XII. apud Petrum Blesensem (ep. 104. al. 140. ad Petrum Clericum Regis Angliæ), ubi hæc leguntur: "pane et vino *transsubstantiatis,* virtute verborum cœlestium, in corpus et sanguinem Christi, accidentia, quæ prius ibi fuerant, sine subjecto remanent et apparent." In eodem sæculo vox "transsubstantiatio" adhibita invenitur in litteris encyclicis Cardinalis Sedis apostolicæ legati adversus Albigenses;[1] in tractatu Stephani Æduensis de sacramentis (c. 13.); et apud alios scriptores: solemniter vero, initio sæculi XIII. Concilium Lateranense 4. illam vocem pronuntiavit, cum definivit adversus Albigenses ceterosque hæreticos, corpus et sanguinem Christi in sacramento altaris sub speciebus panis et vini veraciter contineri, "*transsubstantiatis pane in corpus et vino in sanguinem potestate divina.*"

Maneat ergo ratum transsubstantiationis voce aptissime designari conversionem quæ fit in consecratione Eucharistiæ; at quænam requiruntur conditiones ut vere unius rei in alteram conversio fiat?

Ex communi doctrina tria hæc sequentia requiruntur, scilicet, duplex terminus positivus, desitio unius termini cum ordine ad positionem alterius, et quid commune, quod idem permaneat cum utroque termino.

1.—Et primo duplex terminus positivus requiritur, unus *a quo* et alter *ad quem;* ille qui desinit, et alter qui succedit ei secundum aliquam rationem entis, pro diversitate conversionis diversam. Uterque vero terminus *a quo* et *ad quem* distingui debet in *terminum formalem et terminum totalem. Terminus totalis a quo* est ipsa res tota in concreto inspecta quæ in aliam mutatur: et *terminus totalis ad quem* est res tota in concreto inspecta in quam fit conversio. *Terminus vero formalis a quo* est illud quod in ente convertendo mutatur; et *terminus formalis ad quem* est illud termini totalis in quod fit proprie mutatio.—Sic in eucharistica conversione, *panis,* prout dicit *substantiam et species,* est *terminus totalis a quo;* et ejus *substantia,* a speciebus præcisa, est terminus *formalis a quo; corpus* autem *Christi in se est terminus formalis ad quem;* et *hoc corpus sub speciebus panis est terminus totalis ad quem.*

Diximus ad conversionem requiri desitionem unius termini cui suc-

[1] V. Annal. Eccl. Baronii, ad an. 1178.

cedat alter; sed non est necesse ut semper desitio illa sit destructio termini *formalis a quo*—anima enim, quando corpus hominis in cadaver mutatur, non perit;—sed sufficit ut ille terminus *formalis a quo* non amplius vices gerat, quas gerebat relate ad tertium aliquod commune, de quo mox sermo erit. Necessario tamen adest semper destructio *termini totalis a quo,* sicut, in exemplo allato, *corpus humanum* quod mutatur in *cadaver,* simpliciter *perit,* recedente forma, seu anima.

Quod autem spectat *terminum ad quem,* non absolute requiritur ut *terminus formalis ad quem* simpliciter novam existentiam acquirat, nam potuit secundum aliam rationem præexistere; sed certe *terminus totalis ad quem* debet de novo incipere; quia conversio sicut denominat conversum terminum *a quo,* ita denominat succedentem terminum *ad quem,* et cum successio ex suo conceptu dicat inceptionem, licet terminus formalis *ad quem* non incipiat simpliciter in suo esse, incipere tamen debet in eo in quo succedit termino *a quo* ac proinde totus terminus *ad quem* de novo incipit.

Id in conversione eucharistica locum habere manifeste apparet; nam in ea terminus formalis ad quem, seu corpus Christi, profecto non incipit simpliciter esse, sed esse sub speciebus panis in sacramento; terminus vero totalis ad quem, seu corpus Christi sub speciebus panis, per conversionem panis in illud corpus incipit esse.—"Potest etiam id declarari," ait Franzelin,[1] "ex generatione in hypothesi præexistentiæ animarum, quæ licet ut thesis sit falsa et hæretica, non tamen absolute et per se esset impossibilis; ea autem supposita adhuc esset vera generatio hominis, licet anima, quæ ut forma perfectionem et *esse* humanum tribuit, non tum primum inciperet, sed jam præexstitisset. Analogia sublimior et mysterio eucharistico propinquior potest considerari in generatione Filii Dei secundum naturam suam alteram assumptam ex Virgine Matre. Quamvis enim Filius Dei præexstiterit ab æterno, est tamen vera ejus secunda generatio, qua incepit non quidem esse simpliciter, sed esse homo. (Vide tractatum de Incarnatione). Si autem generatio potest consistere, licet substantialis forma generati, imo licet ipsa persona quæ generatur, non tum simpliciter esse incipiat, sed jam præexstiterit; haud difficulter intelligitur, posse esse veram conversionem, etiamsi terminus *formalis ad quem* non simpliciter esse incipiat, sed secundum aliam rationem jam præexstiterit."

[1] De Eucharistia, p. 180.

2.—Altera conditio quæ ad veram conversionem requiritur est ut connexio intercedat inter desitionem prioris termini et alterius successionem. Necessitas hujus connexionis ex eo patet quod nisi sit habitudo connexionis inter res, inter quas dicitur esse conversio, non habebunt illæ res rationem termini *a quo* et *ad quem*, et desitio unius mere concomitanter se haberet ad positionem alterius.

3.—Ad omnem conversionem demum requiritur ut aliquid commune idem permaneat cum utroque termino. Et hujus conditionis, quæ in omnibus conversionibus sive accidentalibus, sive substantialibus invenitur, ratio est, quia eo ipso, quod "unum convertatur in aliud, dicitur unum fieri ex alio, et unum terminum formalem succedere alteri et poni loco alterius, et supplere vicem illius: supplere autem debet esse in ordine ad aliquod tertium, cui deest terminus *a quo*, et cui advenit terminus *ad quem* in aliquo munere, quod prior terminus exercebat circa aliquod tertium ; quod idem munus exercet terminus adveniens, et ratione cujus successionis dicitur *hoc secundum* esse *quod erat primum*. Sic enim dicimus, quod erat lignum, jam est ignis ; quod erat homo jam est cadaver."[1]

His itaque prænotatis, ad veritatis catholicæ vindicationem jam accedentes, demonstramus Christum Dominum præsentem fieri in consecratione Eucharistiæ per conversionem totius substantiæ panis in ejus corpus, et totius substantiæ vini in ejus sanguinem ; quæ conversio mirabilis et singularis dicitur transsubstantiatio. Hinc

THESIS IV.

In Augustissimo Sacramento Eucharistiæ Christus fit realiter et substantialiter præsens per conversionem totius substantiæ panis in ejus corpus, et totius substantiæ vini in ejus sanguinem ; quæ conversio admirabilis, singularis, et fide credenda, aptissime dicitur transsubstantiatio.

In hac thesi tria enuntiari, et ex illis unum, videlicet veram corporis sanguinisque Christi præsentiam in Eucharistia, plene probatum fuisse, perspicuum est : duo ergo vindicanda supersunt, desitio nempe, dum

[1] De Lugo, de sacramento Eucharistiæ, disp. 7. sect. 1. n. 3.

Eucharistia consecratur, totius substantiæ panis ac vini, quæ consecrantur; et utriusque in corpus et sanguinem Christi conversio.

Paucis quibusdam theologis catholicis, Scoto, Paludano, Cardinali Alliacensi, visum fuit duplicem hanc fidei veritatem non posse *ex solis* verbis, quibus Dominus noster Eucharistiam instituit, demonstrari. Etenim putabant isti doctores verba Christi admittere quidem sensum transubsstantiationis, non tamen hunc solum: ac proinde illis verbis transsubstantiationem significari et non aliud, nobis non innotescere nisi ex Traditione et Ecclesiæ auctoritate, quæ in intelligendo vero sensu Scripturarum, sub directione Spiritus Sancti, infallibilitate gaudet.—Sed horum auctorum sententia, præsertim post Concilii Tridentini declarationem, nullo modo defendi potest. "Quoniam autem Christus Redemptor noster," ait Concilium, "corpus suum id, quod sub specie panis offerebat, vere esse dixit: *ideo* persuasum semper in Ecclesia fuit, idque nunc denuo Sancta hæc Synodus declarat, per consecrationem panis et vini conversionem fieri totius substantiæ panis in substantiam corporis Christi Domini nostri, et totius substantiæ vini in substantiam sanguinis ejus; quæ conversio convenienter et proprie a Sancta Catholica Ecclesia transsubstantiatio est appellata."—Ex veritate ergo verborum Christi collegit Concilium conversionem totius substantiæ panis et vini in corpus et sanguinem Christi Domini.

Itaque ex verbis ipsis demonstramus desitionem panis et vini et conversionem utriusque in corpus et sanguinem Salvatoris.

Quoad desitionem totius substantiæ panis, eo supposito, quod probatum fuit thesibus præcedentibus, et nobiscum admittunt Lutherani, nimirum, verba Christi sumenda esse in sensu proprio, sic procedit argumentum.

Si post conversionem remaneret sub speciebus substantia panis, verba illa "hoc est corpus meum" essent falsa. Ergo post consecrationem non remanet sub speciebus substantia panis.—Prob. antecedens. Pronomen *hoc*, juxta communem et sincerum loquendi modum, designat totam substantiam sub speciebus præsentem, quam demonstrat; ergo si remaneret substantia panis, hæc etiam designaretur per pronomen *hoc*. Sed si pronomen *hoc* designaret panem simul et Christi corpus, jam propositio, "hoc est corpus meum," esset falsa; nam falsum est dicere panem esse Christi corpus. Ergo.—Et eodem modo argumentari licet ex

veritate verborum quæ significant realem præsentiam sanguinis Christi sub speciebus vini.

Vis argumenti adhuc melius apparet cum proponitur sub hac alia forma.

Si peracta consecratione remaneret adhuc substantia panis, hæc, in verbis a Christo prolatis, demonstrari deberet per pronomen *hoc.*—Sed si pronomen *hoc*, in verbis a Christo prolatis, panem demonstrat, omnino falsa propositio Christi evadat necesse est, quia *panis non est corpus* Christi.—Ergo, ne falsa sit Christi propositio, admitti debet non remanere substantiam panis, peracta consecratione.

Major argumenti declaratur sequenti pacto.—Quando duæ substantiæ sunt in eodem loco, una sensibilis per propria accidentia, altera sub iisdem accidentibus latens; et hæ duæ substantiæ ad invicem ita se habeant, ut illa, quæ est per propria accidentia sensibilis, neque ex natura sua, neque ex hominum usu, neque ex speciali aliqua destinatione, substantiam aliam latentem contineat: pronomen *hoc* non hanc latentem substantiam designat, sed eam quæ per accidentia sua propria est sensibilis. Hinc, si peracta consecratione remaneret adhuc panis, pronomen *hoc*, in verbis a Christo prolatis, deberet demonstrare panem, quia panis natura sua destinatus non est ut corpus Christi contineat, nec Christus quidquam dixerat quod ostenderet se velle fidelibus suis corpus suum tradere latenter in pane, cum pane, et per panem.—Et argumentum declaratur exemplo: nam, si quis in pomo includeret aurum, et pomum, quod in manibus habet ostenderet aliis, dicendo *hoc;* auditores intelligerent eum demonstrare voluisse pomum, et nihil aliud: et si ille, in manu habens pomum cum auro, diceret: *hoc est aurum;* in proprio et sincero sermone non censeretur verum dicere, quia cum pomum non sit res de se apta, nec usurpata ad continendam aliam, absolute censeretur demonstrare id quod sub accidentibus pomi naturaliter continetur, nimirum pomum.

Neque dicas et in sententia nostra pariter falsa fore verba Christi, "hoc est corpus meum," cum species panis tales non sint ut, sive ex natura sua, sive ex usu, contineant corpus Christi.—Respondetur: pronomen *hoc* necessario substantiam aliquam demonstrat contentam sub speciebus: si remaneret substantia panis, hanc, utpote visibilem per accidentia propria, utique, ut diximus, demonstraret; at quia substan-

tia panis desinit esse, et sub speciebus panis est corpus Christi, pronomen hoc demonstrat corpus Christi in fine propositionis, ac proinde Verba Christi manent verissima.

Neque instent adversarii dicentes: in hostia consecrata, juxta doctrinam catholicam, remanent etiam accidentia panis, anima quoque ac sanguis Christi, et tamen vera est propositio "hoc est corpus meum:" ergo, etsi remaneret panis, adhuc tamen maneret vera illa propositio.—Respondemus, negando paritatem, et quidem merito. Nam ad accidentia quod attinet, pronomen *hoc*, ex natura sua et ex hominum usu, per se et directe non designat *accidentia*, sed, ut supra adnotavimus, *substantiam* demonstrat sub accidentibus: vera igitur manet propositio Christi, etsi accidentia panis maneant post consecrationem;—at si panis remaneret, hunc in propositione Christi demonstraret pronomen *hoc*, substantiæ demonstrativum; ideoque propositio Christi falsa esset.—Quod autem spectat animam et sanguinem, adnotari debet, pronomen *hoc* illud solum demonstrare quod sensibiliter est præsens, vel per proprias species vel per verba formæ consecratoriæ, quæ efficiunt quod significant: porro anima et sanguis Christi non sunt præsentes sensibiliter per species panis, ut patet; neque per verba formæ, quia hæc, *vi sua*, solum corpus significant, licet *per concomitantiam* sub speciebus ponantur cum corpore Christi sanguis et anima;—ergo propositio Christi "hoc est corpus meum" manet vera, etiamsi in hostia consecrata cum corpore sint etiam anima et sanguis Christi, "vi naturalis illius connexionis et concomitantiæ, qua partes Christi Domini, qui jam ex mortuis resurrexit, non amplius moriturus, inter se copulantur: et divinitas quoque adsit propter admirabilem ejus cum corpore et anima unionem hypostaticam." [1] Si autem remaneret panis, jam vera propositio Christi non esset, ut declaravimus.

Quod hucusque diximus de veritate propositionis Christi, vi cujus admitti nequit substantia panis adhuc manens post consecrationem, refutat non modo *Consubstantiatores*, sed etiam *Impanatores;* nam verba "hoc est corpus meum," manente pane, semper falsa essent, etiamsi supponeretur hypostatica unio panis cum Verbo Dei, cum, hac etiam facta hypothesi, non posset cum veritate dici "hunc panem esse corpus Christi."—Equidem in Christo datur communicatio idiomatum in

[1] Concil. Trid. sess. 13. cap. 3.

concreto; sed communicatio hæc commune suppositum respicit, et per illud ideo potest una natura *in concreto* de altera natura vere et proprie prædicari, quia una et altera in eodem supposito uniuntur, et nomina concreta cum sint nomina suppositi, *in recto* significant idem suppositum. Hinc communicatio idiomatum non datur inter partes ejusdem naturæ, nec inter duas naturas ad invicem, si prædicentur *in abstracto*, non *in concreto.* Quare, loquendo de Christo, *hic homo* dicitur *Deus*, quia *hic homo* supponit *pro supposito*, quod in recto importatur, ita ut sensus propositionis sit: suppositum terminans hanc naturam humanam est Deus; quod est verissimum. Sed non potest dici, etiam in Christo, *humanitas* est *divinitas;* quia illa nomina "humanitas, divinitas" non sunt nomina concreta quæ significent subjectum habens tales naturas, sed sunt nomina abstracta quæ naturas abstracte significant: nec dici potest *corpus* est *anima;* quia hæc sunt nomina quæ significant partes ejusdem naturæ.—Jam vero, his positis, quæ in Tractatu de Incarnatione fuse demonstrantur, patet nullam esse paritatem inter duas has propositiones "hic homo est Deus," et aliam "hoc est corpus meum." Illa prima propositio verissima est, quia "hic homo" supponit pro supposito, quod idem est subsistens in utraque natura, divina nempe et humana: secunda vero propositio in hypothesi Impanatorum, falsa omnino esset, quia *hoc* juxta ipsos significaret *panem*, et *panis* esse *corpus* diceretur;—quod est omnino falsum. Etiam in eadem persona hominis singularis, puta Petri, corpus et anima uniuntur atque subsistunt; et tamen non possumus, de illo homine loquentes, dicere "corpus est anima."

Præterea attendantur verba quæ a Christo prædicato illius propositionis "hoc est corpus meum" adjuncta sunt, et aliud argumentum habebitur contra *Impanatores.* Sane id quod additum est, scilicet, "quod pro vobis tradetur," omnino repugnat doctrinæ horum adversariorum: nam etiamsi panis fuisset assumptus ad unionem hypostaticam, panis non posset umquam dici corpus pro nobis traditum, seu oblatum Deo in sacrificium. Idem argumentum patet ex verbis secundæ consecrationis, nam in nulla hypothesi posset vinum dici "sanguis qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum."

Insuper cum Suarez possumus hoc alio modo ratiocinari. Quærimus, cur unionem hypostaticam statuant adversarii inter panem et verbum Dei. Reponent: ut vera sit illa locutio: "hoc est corpus

meum;" nam ibi designatur panis, ideoque panis adest, et ut pani convenire possit illud prædicatum "corpus meum" necesse est ut panis hypostatice sit unitus Verbo.—Sed contra hanc responsionem recte arguitur:[1] Si solum propter hanc unionem esset vera locutio "hoc est corpus meum," ex vi illorum verborum non esset hic in Eucharistia realiter præsens corpus humanum Christi; nam si illud *hoc* designat panem, qui dicitur corpus Christi propter hanc unionem; eodem modo dici posset, etiamsi corpus humanum Christi hic non adesset. Consequens autem refutatum est in thesibus præcedentibus, et non admittitur ab adversariis.

Ultimo notamus ex hypothesi Impanatorum sequi Verbum appellari posse et debere impanatum, sicut dicitur incarnatum, et ipsum Verbum quotidie impanari, dum semel incarnatum fuit: quæ prorsus absurda sunt et inaudita.

Quod autem substantia panis non maneat in Sacramento unita hypostatice Verbo mediante corpore Christi, probatur iisdem argumentis mox allatis; et speciali ratione, quia unio hypostatica non fit in natura, sed in persona, seu subsistentia; in Christo autem homine, si abstractio fiat a subsistentia Verbi, nulla est alia subsistentia, sed sola natura; ergo non potuit fieri unio hypostatica immediate in corpore, sed si aliqua supponitur facta, necesse est ut immediate facta dicatur in subsistentia, seu persona Verbi. Id vero paulo ante refutatum est.

Ex dictis constat, ad veritatem propositionis Christi requiri absentiam substantiæ panis, et præsentiam corporis Christi: porro exinde sequitur vi verborum illius propositionis totalem fieri conversionem panis in corpus Christi, et vini in sanguinem, seu transsubstantiationem.

Et re quidem vera propositio Christi "hoc est corpus meum," ex dictis, æquivalet duabus propositionibus, uni directæ et affirmanti, nempe, "hoc quod nunc est sub his speciebus est corpus meum;" alteri indirectæ et neganti: "hoc quod nunc est sub speciebus non est amplius panis." Ut autem hæc verba Christi vera sint, necesse est ut efficiant quod significant. Ergo quia verba a Christo prolata, dum significant corpus Christi constitutum sub speciebus panis, vi sua negant esse panem sub illis speciebus; reapse sic efficiunt corpus Christi esse sub illis speciebus ut, vi sua, eadem verba exigant desitionem panis sub illis spe-

[1] V. Suarez, in 3. p. disp. 49. sect. 2. n. 3.

ciebus, seu vi sua efficiunt ut desinat tota substantia panis in ordine ad positionem substantiæ corporis Christi sub speciebus panis.—Sed hoc importat conversionem totius substantiæ panis in corpus Christi, seu transsubstantiationem. Ergo vi verborum Christi significatur et efficitur transsubstantiatio.

Altera demonstratio dogmatis de conversione substantiæ panis et vini in corpus et sanguinem Christi ex Traditione exurgit. Hæc autem constat in primis apertissime ex universali fide quam Ecclesia profitebatur ante Novatorum apparitionem.

Etenim, sæculo XV. in Florentino Decreto pro Armenis legitur: "Ipsorum verborum [Christi] virtute, substantia panis in corpus Christi, et substantia vini in sanguinem convertuntur."—Initio ejusdem sæculi, anno 1418., a Concilio Constantiensi et a Papa Martino V. damnantur articuli Joannis Wikleff, quorum tres primi negabant transsubstantiationem.[1]—In Confessione fidei Michaelis Paleologi in Concilio Œcumenico Lugdunensi II. Gregorio Papæ X. oblata, an. 1274. diserte dicitur: "Sacramentum Eucharistiæ ex azymo conficit eadem Romana Ecclesia, tenens et docens, quod in ipso sacramento panis vere transsubstantiatur in corpus et vinum in sanguinem Domini nostri Jesu Christi."—Eodem sæculo XIII. an. 1215., Concilium Lateranense IV. ut antea monuimus, definivit: "corpus et sanguis [Christi] in sacramento altaris sub speciebus panis et vini veraciter continentur, transsubstantiatis pane in corpus et vino in sanguinem, potestate divina."—Definitio ergo Tridentinæ Synodi nonnisi expressio fuit antecedentis consensus et communis professionis fidei totius Ecclesiæ.

Quod si, ad superiorem ætatem ascendentes, inquiramus utrum eadem omnino fuerit Christi fidelium fides quum primum Berengarius ejusque sectatores dogma, quod defendimus, impugnaverunt; monumenta illius ætatis affirmativum dabunt responsum, et apertissimum. Præsules namque, Doctores, fideles omnes statim ac impias blaphemias Berengarii audire cœperunt, horruisse, ac communem, quam profitebantur, fidem asseruisse, nempe Christum non tantum esse præsentem in Eucharistia,

[1] Articuli damnati sic se habent.—1. "Substantia panis materialis et similiter substantia vini materialis remanent in sacramento altaris.—2. Accidentia panis non manent sine subjecto in eodem sacramento.—3. Christus non est in eodem sacramento identice et realiter propria præsentia corporali."

sed etiam fieri præsentem per transsubstantiationem, luculentissime historiæ, Concilia et Patrum illius ætatis scripta testantur.

In libro *de corpore et sanguine Domini*, B. Lanfrancus confutans libellum Berengarii, quo professionem fidei in Concilio Romano sub Nicolao II. editam retractavit, ipsius Berengarii refert testimonium pro re nostra.—Hæc sunt verba Berengarii,—qui Cardinalem Humbertum, a quo formulam fidei subscribendam acceperat in Concilio Romano, appellat Burgundum :—"Erat autem Burgundus in sententia, imo vecordia vulgi, Paschasii atque Lanfranci, *minime superesse* in altari post consecrationem *substantiam panis atque vini.*" Fatebatur ergo hæreticus communem esse christianorum fidem de transsubstantiatione panis et vini in corpus et sanguinem Christi. Hinc respondet ei (c. 4.) Lanfrancus: "Cum catholica Ecclesia dividatur in clericalem ordinem atque laicalem, clericalis vero ordo consistat in episcopis ac reliquis Christi sacerdotibus, aliisque diversarum dignitatum ecclesiasticis personis, hos autem omnes, præter paucissimos schismaticos, hanc fidem tenere manifestissimum sit, rectius dixisses : Erat autem Burgundus in sententia catholicæ Ecclesiæ, sed non in mea, meorumque sequacium, qui maluimus nos ab ea superbe separare, et contra ad nostram perniciem schisma facere quam humiliter membra ejus esse, et communem cum ea fidem salubriter retinere. . . . Quod vero sententiam qua panem in veram Christi carnem, et vinum in verum Christi sanguinem converti credimus, vecordiam nominas ; de hac re opportunius tibi respondebo, cum fidem hanc, auctore Deo, divinis auctoritatibus et manifestis rationibus veram esse monstravero . . . Certissimum habeto tu, indubitanter credant amici mei, atque Ecclesia Christi, quasi etiam deesset mihi auctoritas atque ratio, quibus fidem meam tueri possem ; mallem tamen cum vulgo esse rusticus et idiota catholicus, quam tecum existere curialis atque facetus hæreticus."

Idem Lanfrancus (cap. 18.) dogma transsubstantiationis ab omnibus catholicis creditum apertissime sic proponit : "Credimus igitur terrenas substantias, quæ a mensa Dominica, per sacerdotis mysterium, divinitus sanctificantur ; ineffabiliter, incomprehensibiliter, mirabiliter, operante superna potentia, converti in essentiam Dominici corporis, reservatis ipsarum rerum speciebus, et quibusdam aliis qualitatibus, ne percipientes cruda et cruenta, horrerent, et ut credentes fidei præmia ampliora

perciperent, ipso tamen Dominico corpore existente in cœlestibus ad dexteram Patris, immortali, inviolato, integro, incontaminato, illæso . . . hanc fidem tenuit a priscis temporibus, et nunc tenet Ecclesia, quæ per totum diffusa orbem catholica nominatur."

Guitmundus, archiepiscopus Aversanus, in opere *de corpore et sanguine Christi*,[1] postquam refutaverit hæresim eorum qui realem Christi præsentiam in Eucharistia negabant, alios, contra fidem errantes, libro 3. perstringit, nempe eos qui "Ecclesiæ rationibus expugnati, jam quidem negare nequeunt substantiam corporis Christi cibo inesse Dominico, panem tamen et vinum per verba Salvatoris in carnem ejus et sanguinem *verti nequaquam credentes*, sed Christum pani et vino commiscentes, tamquam subtiliori ratione *hæresim aliam condiderunt*."—Multas et gravissimas adversus eas affert rationes et auctoritates ; eos ex ipsa publica professione fidei, quæ in quotidiana celebratione sacrificii Missæ continetur, revincit : et de eorum errore stupens sic pronuntiat :—

"Equidem ego de hac impanatione mecum etiam atque etiam retractans, non satis verbis exprimere possum quantum super istorum stultissima audacia, et insanissima præsumptione admiror pariter et indignor. Nam contra divinas auctoritates, humana ratione incedere, id quidem insanum, sine ratione autem, id longe insanius. At vero et sine ratione, et contra rationem adversus Deum semper latrare, id prorsus supra quam dici possit insanissimum. Isti enim nequiores nequissimis fratres suos umbraticos præ se justificaverunt. . . . O infelices, quos pietas non vincit! O infelicissimos, qui dum subjici pietati renuunt, impietatis servi esse non erubescunt ! Contra quorum manifestissimam stultitiam respondere indignissimum videretur, nisi quia ad cumulum perditionis suæ non eis mors propria sufficit, nisi etiam quoscunque possunt vilissima falsitate perditum eant."—Denique opus suum Guitmundus concludit his verbis : "Restat ut hæc tantum sit, Deo juvante, *mera et solida fides, ut totus ille panis et totum illud vinum altaris Domini, ita per divinam consecrationem substantialiter commutentur in carnem et sanguinem Christi, ut postea jam in æternum nihil omnino quam caro et sanguis Salvatoris Domini nostri Jesu Christi esse possint*."[2]

1) Migne, P. L. t. 149.

2) Confer—Durandi Abbatis Troarnensis, lib. *de corpore et sanguine Christi*, apud Migne P. L. t. 149.—Aldemani Episcopi Brixiensi, epist. *de Eucharistiæ sacramento*, Migne, P. L. t. 143.—Algeri, *de sacramentis corporis et sanguinis Dominici*, lib. 1.

Extat et aliud insigne monumentum, ad ostendendam fidem catholicam de transsubstantiatione, in veteri Pontificali Ecclesiæ Rothomagensis. Est professio fidei, quæ in Synodo Rothomagensi, anno 1063., contra errores Berengarii decreta fuit, quæque ab unoquoque episcopo in Nortmanniæ provincia consecrando exigebatur. Professio illa ita habet:[1] "Oportet etiam, fratres carissimi, ut fides vestra de corpore et sanguine Domini, quam præsidente huic sanctæ sedi venerabilis memoriæ Maurilio, communi assensu contra spurcissimas Berengarii ejusque successorum voces definivistis, iterum recitetur. Corde credimus et ore profitemur, panem in mensa Dominica propositum, panem tantummodo esse ante consecrationem; sed in ipsa consecratione ineffabili potentia divinitatis converti naturam et substantiam panis in naturam et substantiam carnis; carnis vero non ullius alterius, sed illius quæ concepta est de Spiritu Sancto, nata ex Maria Virgine, quæ etiam propter nos et propter nostram salutem flagellis cæsa, et in ligno suspensa, jacuit in sepulcro, tertia die resurrexit a mortuis, et sedet ad dexteram Dei Patris. Similiter vinum, quod aquæ mistum in calice sanctificandum proponitur, vere et essentialiter converti in eum sanguinem qui per lanceam militis de vulnere Dominici lateris in redemptionem mundi feliciter emanavit. Anathematizamus autem contra hanc sanctam et apostolicam fidem superbe atque hæretice sentientes, et impia temeritate garrientes."

Quinimo et ipse Berengarius, in Synodo Romana habita anno 1079. mense Februario, indictione secunda, retractans hæresim suam et communem Ecclesiæ fidem profitens, declaravit: "Ego Berengarius corde credo et ore confiteor, panem et vinum, quæ ponuntur in altari, per mysterium sacræ orationis et verba nostri Redemptoris, *substantialiter converti* in veram et propriam ac vivificatricem carnem et sanguinem Domini nostri Jesu Christi. . . . *Sic credo*, nec contra *hanc fidem* ulterius docebo. Sic me Deus adjuvet, et hæc Sacra Evangelia."

Jam age, si a sæculo XI., retrogrado cursu, ad ipsam Ecclesiæ originem devenies, si omnia quæ supersunt Traditionis documenta perpendas eamdem perpetuo fuisse christianorum fidem veluti uno ore audies conclamatam.

c. 6.: "Quod Christus in pane sacramentali non ita personaliter sit impanatus, ut in carne incarnatus." (Vid. SS. PP. opusc. edit. a P. Hurter S. J. vol. 23. p. 88.).

[1] Apud Migne, P. L. t. 143. p. 1382.

In præcedenti thesi multa protulimus, nec vacat illis addere. Legantur quæ ex omnibus Liturgiis desumpsimus, et constabit Ecclesiam semper credidisse;—panem et vinum, per consecrationem *tranformari, converti, mutari, commutari* in corpus et sanguinem Domini nostri Jesu Christi;—*dona proposita* super altare *fieri* corpus et sanguinem Christi;—*transferri* in vivificam carnem Salvatoris et in ejus sanguinem pretiosissimum.—Recolantur Patrum testimonia superius a nobis citata et patebit eos docere, ut dogma fidei, *nihil* post consecrationem *superesse panis et vini* præter species;—sub illis speciebus solum *adesse* corpus Christi, quod natum ex Maria Virgine, et pro nobis crucifixum, gloriosum resurrexit et ascendit in cœlum; *adesse* sanguinem pro nobis effusum;—per verba Christi panem *effici* corpus Christi, et vinum *effici* sanguinem;—vi illorum verborum panem et vinum *transire, converti, transelementari* in corpus et sanguinem Salvatoris.

Ut autem hanc fidem inculcent Patres ad divinam omnipotentiam recurrunt, creationem omnium rerum e nihilo in mentem revocant, efformationem carnis Christi in utero Deiparæ Virginis ad exemplum referunt; et similiter, ut transsubstantiationis mysterium aliquo modo illustrent, appellant ad naturalem conversionem communis alimoniæ in carnem et sanguinem hominis, ad supernaturalem conversionem aquæ in vinum, aquæ in sanguinem, virgæ Moysis in serpentem. Liceat unum hic audire S. Ambrosium. Ne quis externa specie perculsus in fide fluctuet, plurimis exemplis, quibus mutatam aut victam fuisse naturam constat, in medio allatis, e pane verum Christi carnem fieri evincit.

Hæc sunt verba S. Doctoris: "Forte dicas: Aliud video, quomodo tu mihi asseris quod Christi corpus accipiam? Et hoc nobis adhuc superest ut probemus. Quantis igitur utimur exemplis? Probemus non hoc esse quod natura formavit, sed quod benedictio consecravit: majoremque vim esse benedictionis quam naturæ; quia benedictione etiam natura ipsa mutatur. Virgam tenebat Moyses, projecit eam, et facta est serpens (Exod. IV. 3. 4.). Rursus prehendit caudam serpentis, et in virgæ naturam revertit. Vides igitur prophetica gratia bis mutatam esse naturam et serpentis et virgæ? Currebant Ægypti flumina puro aquarum meatu, subito de fontium venis sanguis cœpit erumpere, et non erat potus in fluviis (ib. VII. 20. et seqq.). Rursus a prophetæ prece cruor cessavit fluminum, aquarum natura remeavit. . . . . . Misit Moyses lignum in

aquam, et amaritudinem suam aquarum natura deposuit, quam infusa subito gratia temperavit (Exod. xv. 25.). Sub Eliseo propheta uni ex filiis prophetarum excussum est ferrum de securi, et statim mersum est (IV. Reg. vi. 6.). Rogavit Eliseum, qui amiserat ferrum: misit etiam Eliseus lignum in aquam, et ferrum natavit. Utique et hoc præter naturam factum cognoscimus; gravior est enim ferri species, quam aquarum liquor. Advertimus igitur majoris esse virtutis gratiam quam naturam, et adhuc tamen propheticæ benedictionis numeramus gratiam. Quod si tantum valuit humana benedictio, ut naturam converteret; quid dicimus de ipsa consecratione divina, ubi verba ipsa Domini Salvatoris operantur? Nam sacramentum istud quod accipis Christi sermone conficitur. Quod si tantum valuit sermo Eliæ, ut ignem de cœlo deponeret: non valebit Christi sermo, ut species mutet elementorum? De totius mundi operibus legisti: 'Quia ipse dixit, et facta sunt; ipse mandavit, et creata sunt' (Psal. cxlviii. 5.): sermo ergo Christi qui potuit ex nihilo facere quod non erat, non potest ea quæ sunt in id mutare, quod non erant? Non enim minus est novas rebus dare, quam mutare naturas."

Quisque autem videt argumentum quod ex Patribus desumitur ad ostendendam fidem Ecclesiæ, non inniti verbis *transmutari*, *transferri*, *transelementari* in se inspectis, sejunctim a contextu, et non attenta re de qua agitur. Catholici omnes facile admittunt transmutationes accidentales, aut saltem substantiales sed non totius substantiæ, designari etiam verbis illis commemoratis: sed unum contendunt,—idque manifestum est cuique sincere consideranti testimonia quæ citavimus,—nimirum Patres illis locutionibus *transmutationis*, *transelementationis panis et vini in corpus et sanguinem Christi*, et aliis similibus, non aliud intelligere nisi conversionem totius substantiæ panis et vini in corpus et sanguinem Christi per transsubstantiationem. Etenim de illa loquuntur mutatione, et illam locutionibus mox citatis appellant, per quam prolatis verbis consecratoriis, et virtute illorum verborum, desinat omnino esse panis, qui aderat ante consecrationem, et præsens sit corpus Christi sub speciebus, quæ solæ ex termino *totali a quo*, seu ex pane cum speciebus, non mutatæ remanent.

Ad solvendas difficultates hæc teneantur.

1.—Propositio Christi, apud Joannem 6.: "Ego sum panis," similis

non est huic "hoc est corpus meum :" ac proinde inaniter concludunt adversarii: sicut per illa verba Christus non mutavit seipsum in panem, ita nec panem in seipsum mutavit quando in cœna dixit "hoc est corpus meum."—Etenim quando Christus dicebat: Ego sum panis," non loquebatur de pane triticeo sed de pane cœlesti; nam absolute numquam dixit: "Ego sum panis," sed "Ego sum panis vivus," aut "panis vitæ," aut aliud hujusmodi. Quare nulla mutatione opus erat ut illæ sententiæ essent veræ, cum pro eodem Christo supponerent, tam pronomen *Ego*, quam nomen *panis*. At cum Christus dixit "hoc est corpus meum," propositio vera esse non potuit, nisi mutatio facta fuerit panis in corpus Domini, quippe ante finem prolationis illorum verborum, nonnisi panis erat sub speciebus panis.

2.—Similiter non datur paritas inter hanc propositionem "Verbum caro factum est" et aliam "hoc est corpus meum."—In subjecto prioris propositionis est Verbum, seu persona divina, in qua omnis quæcumque mutatio prorsus repugnat; adeo ut si de Verbo enuntietur "factum est caro," seu "factum est homo," nullatenus significetur aut intelligi possit Deum Verbum esse *conversum* in humanam naturam; sed solum eamdem esse divinam personam quæ vere simul Deus est et homo, quia personæ divinæ, seu Verbo, habenti ab æterno divinam naturam, absque ulla sui mutatione, incepit in tempore esse propria, utpote personaliter sibi unita, natura humana.—In alia vero propositione nihil simile occurrit, ut patet: panem enim capacem esse mutationis constat, nec posse humanum corpus assumere in unitatem suppositi; quamobrem cum dicitur "hoc est corpus meum," hujus propositionis veritas impleri debet per conversionem et desitionem panis.—Prior propositio inquit Sylvius[1] similis potius est huic, "Petrus factus est sacerdos," aut alteri "Petrus factus est doctus;" posterior his aliis "laicus factus est sacerdos, indoctus factus est doctus."

3.—Nullam vim habet hoc argumentum adversariorum. Patres dicunt Eucharistiam non esse *panem simplicem*, aut *panem communem*.—Ergo eo ipso adstruunt in Eucharistia substantiam panis.—Respondetur: Patres dicunt Eucharistiam *ideo* non esse panem simplicem, aut

[1] In 3. S. Thomæ, q. 75. a. 2.

panem communem, *quia* non est in Eucharistia panis triticeus, sed corpus Christi, quod est *panis vivus, panis vitæ, panis de cœlo descendens*; ac proinde illis locutionibus omnino declarant *omnem substantiam panis materialis desiisse*, postquam consecrationis verba fuerint super panem prolata, et loco illius esse *sub speciebus panis* cibum animarum nostrarum vivum et vivificantem.

4.—Origenes (Comm. in Matt. l. 11. n. 14.) asserit: "Cibus ipse per verbum Dei et orationem consecratus, secundum illud quidem ipsum quod materia constat, in ventrem abit:"—sed per materiam intelligit accidentia, quæ supersunt et materiam panis repræsentare videntur sensibus.

5.—Patres quandoque aiunt in Eucharistia manere *naturam*, aut etiam *substantiam* panis; sed per naturam et substantiam proprietates *qualitatesque naturales* intelligunt, quo sensu illæ voces frequentissime usurpantur a scriptoribus antiquis græcis atque latinis.—Sic Tertullianus libro *de anima* (c. 32.), *duritiam* lapidis, ejus naturam vocat; sic Sanctus Joannes Chrysostomus, hom. XII. in Genesin, de igne fornacis Babylonicæ, divinitus impedito quominus tres pueros læderet, ait: "Dominus prout vult, unumquodque elementorum in contrariam vertit substantiam." S. Hilarius (Comm. in Matt. cap. 10. n. 24.) dicit: "Corpus, per fidem mortificatum, in naturam animæ evadit." S. Ambrosius in Hexameron (lib. 3. c. 2. n. 9.) ait: "Discant naturam posse converti, quando petra aquas fluxit, et ferrum aquæ supernatavit." Et similiter consuetudo, mores natura dicuntur, juxta illud Horatii: "naturam expellas furca," etc. S. Augustinus in Ps. 68. conc. 1. n. 5. Adamum dicit "lapsum esse a substantia, in qua creatus fuit." Et demum, innumeris prætermissis, Theodoretus (Dial. 2. *Inconfusus*) substantiam sumit pro qualitatibus et accidentibus corporis Christi resurgentis, scribens, illud "corporis retinuisse substantiam, quia retinuit priorem formam, figuram, circumscriptionem."

Quod autem iste sit sensus quo Patres loquebantur de natura, et substantia panis in Eucharistia, patet non modo indirecte ex communi Ecclesiæ fide, quam profitebantur, sed directe ex contextu in quo illæ locutiones adhibitæ inveniuntur.—Etenim tria præsertim loca Patrum ab abversariis objiciuntur; et in eis contextus ostendit nihil nomine

naturæ, aut substantiæ panis, significare Patres voluisse præter qualitates sensibiles, seu accidentia panis.

Apud Theodoretum (Dialogo 2. mox citato), Eranistes Monophysita ex sacramento Eucharistiæ probare instituit contra Orthodoxum, "corpus Domini in aliam, divinam scilicet, mutatum esse naturam." Conveniunt primo collocutores ambo, ante consecrationem esse panem et vinum, tum pergit interrogare hæreticus: "post sanctificationem vero quomodo hæc appellas? *Orthodoxus:* Corpus Christi et sanguinem Christi. *Eranistes:* Et credis utique, te corpus Christi et sanguinem percipere? *Orthodoxus*: Ita credo. *Eranistes:* Sicut ergo symbola Dominici corporis et sanguinis alia sunt ante sacerdotis invocationem, post invocationem vero mutantur et fiunt alia; ita et Dominicum corpus post ascensionem in divinam essentiam transmutatum est. *Orthodoxus:* Captus es retibus, quæ ipse texuisti. Neque enim post sanctificationem mystica symbola recedunt a sua natura; manent enim in prioris essentiæ et figura et forma aspectabili, et visibilia sunt et tangibilia, qualia erant prius: intelliguntur autem esse ea quæ facta sunt, et creduntur et adorantur, utpote quæ sint id quod esse creduntur. . . . Ita etiam illud corpus [post ascensionem, de quo quærebatur] priorem habet formam et figuram et circumscriptionem, et, ut uno verbo dicam, corporis essentiam."—Hoc loco Theodoretus evidenter discernit inter speciem sensibilem, quæ manet eadem ut antea fuerat, et rem quæ cognitione fidei intelligitur esse corpus Christi, cum antea esset panis; ac proinde illud, quod non recedere a sua *natura* dicit, est tantum *species panis,* seu sunt accidentia panis, quæ manent; non autem substantiam panis.

Idem est sensus Gelasii Pontificis, si tamen ipse est auctor libri *de duabus naturis* contra Eutychen. Humanæ naturæ assumptæ realitatem ejusque distinctionem a natura divina, adversus Monophisitarum hæresim, Gelasius sic illustrat: "Certe sacramenta, quæ sumimus, corporis et sanguinis Christi, divina res sunt, propter quod et per eadem divinæ efficimur consortes naturæ, et tamen esse non desinit *substantia vel natura panis et vini.* Et certe imago et similitudo corporis et sanguinis Christi [ut existebat redemptionem complens in propria specie connaturali] in actione mysteriorum celebrantur. Satis ergo nobis evidenter ostenditur, hoc nobis in ipso Christo Domino [de incarnatione

et natura assumpta] sentiendum, quod in ejus imagine profitemur, celebramus, et sumimus; ut sicut *in hanc, scilicet in divinam* (i. e. Verbo unitam hypostatice) *transeunt Sancto Spiritu perficiente substantiam*, permanente tamen in *sua proprietate natura*, sic illud ipsum mysterium principale [incarnationem], cujus nobis efficientiam virtutemque veraciter repræsentant, ex quibus constat [naturis] proprie permanentibus, unum Christum . . . demonstrent."

Nec aliter intelligi possunt verba Epistolæ ad Cæsarium Monachum, quæ S. Joanni Chrysostomo adscribitur, et sic habent: "Unus Filius, unus Dominus, idem ipse, procul dubio, unitarum naturarum unam dominationem, unam potestatem possidens, etiamsi non consubstantiales existunt [duæ naturæ] . . . propter hoc quod inconfusa sunt duo. Sicut enim antequam sanctificetur panis, panem nominamus, divina autem illum sanctificante gratia, mediante sacerdote, liberatus est quidem ab appellatione panis, dignus autem habitus Dominici corporis appellatione, etiamsi natura panis in ipso permansit, et non sunt duo corpora [panis et corpus Christi], sed unum corpus Filii prædicamus."

In hoc textu ita remanere dicitur natura panis, ut tamen expresse negetur duo esse in Eucharistia corpora. At si per naturam panis, auctor illius Epistolæ intelligeret substantiam panis, negare id certe non posset: e contra intelligendo per naturam panis, speciem sensibilem panis seu accidentia, recte concludit unum non duo corpora esse in Eucharistia.—Præterea attendatur scopus epistolæ. Auctor ejus impugnat Sinusiastes, seu Apollinaristas, qui non negabant in Christo esse humanam naturam, sed tantum ejus *proprietates* et affectiones naturales: ad eas significandas sumebant nomen *naturæ*, et hoc sensu dicebant post Ascensionem Christum non amplius *humanam naturam* retinuisse. Adhibet ergo auctor epistolæ nomen *naturæ* eo ipso sensu quo usurpatum fuerat ab hæreticis quos impugnabat; et dum remanere in Christo *naturam humanam* probat exemplo mysterii Eucharistiæ, in qua, ait, remanet *natura* panis; per naturam intelligit speciem sensibilem panis, seu accidentia.

6.—Rupertum Abbatem Tuitiensem contra dogma transsubstantiationis errasse putat Bellarminus, et cum eo multi; alii, inter quos Suarez,[1] ab errore eum vindicant; et quidem, ut videtur, merito.

[1] In 3. S. Thomæ, disp. 48. sect. 2. n. 12.

Difficilior textus desumitur ex lib. 6. in Joannem, ubi sic loquitur Rupertus: "Verbum quod est panis angelorum caro factum est, non mutatum in carnem, sed assumendo carnem: sic idipsum Verbum jamdudum caro factum panis visibilis fit, non mutatum in panem, sed assumendo, et in unitatem personæ suæ transferendo panem. Proinde sicut de carne nostra, quam Virgo Maria peperit, vere fatemur propter unitatem personæ, quia Deus est; sic nihilominus de pane illo visibili, quem ejusdem Verbi invisibilis Divinitas assumens in carnem suam transfert, vere et catholice confitemur, quia corpus Christi est." Videtur hic Rupertus eamdem inter panem et Christum hypostaticam unionem agnoscere, ac illam quæ est inter humanam naturam et Verbum Dei.

Sed respondetur: hic unus est Ruperti scopus in comparatione quam instituit inter assumptionem humanitatis a Verbo et assumptionem panis a Christo, quod sicut Verbum mutatum non fuit in humanitatem, ita Christus assumendo panem, mutatus non fuit in panem. Immo expresse affirmat eodem in loco Rupertus, Christum *panem terrenum in carnem suam transmutare*, quod de Verbo assumente humanitatem in unitate personæ nusquam dixit. Et quomodo stare posset illa unio hypostatica cum transmutatione unius substantiæ in alteram; siquidem in unione hypostatica utraque natura inconfusa et impermixta remanet, non autem una natura seu substantia in aliam convertitur, et transmutatur? Assumpsit ergo Christus et humanitatem in Incarnatione; et panem in Eucharistia, sed non eodem modo: assumpsit humanitatem, eam sibi hypostatice uniendo; et assumpsit panem, non per unionem hypostaticam, sed per conversionem panis in corpus suum; et quemadmodum in Incarnatione unus est Christus non mutatus in humanitatem, ita in Eucharistia unum est corpus non mutatum in panem, immo panis mutatur seu convertitur in corpus. Hoc unum præ oculis habebat Rupertus cum scribebat verba quæ objiciuntur.

Et hæc interpretatio fit manifesta ex eo quod conversionem panis in corpus, et vini in sanguinem diserte Rupertus agnoscit his verbis: "Crede et hoc, quia panis iste visibilis, et vinum . . . . . . quamvis nihil de exteriori specie mutatum sit, in aliud transierint, et in illum cibum potumque conversa sint, qui Angelorum victus est." Et iterum in ipso textu ex quo desumuntur verba nobis objecta: "Ipse, panis cœlestis," ait, "panem terrenum nobis dat, quem, ut viventibus et quibus

manducari potest vitam det æternam, in carnem suam transmutat." Quapropter cum postea Rupertus ait Christum "in unitatem personæ transferre panem," non aliud intendit, nisi quod unum sit, non duo corpora in Eucharistia.

Et hæc animadvertisse sufficiat; solutionem difficultatum, quæ contra transsubstantiationem ex ratione proponuntur, invenies in ultimo hujus primæ partis articulo.

SCHOLION I.—Ex thesi nuper vindicata refutantur non modo hæreses *Impanatorum* et *Consubstantiatorum*, sed etiam alii quorumdam paucorum tum antiquiorum tum recentiorum errores in re præsenti. Etenim non defuerunt qui assererent in Eucharistia vel manere *materiam panis*, desinente forma panis substantiali; [1]—vel manere *formam hanc panis*, desinente panis materia; [2]—vel manere totam *naturam* panis, sed non *substantiam*, quia panis in corpore Christi esse incipit, et ab eo sustentatur.

Et sane, ut de hac ultima opinione statim loquamur, eam prorsus rejiciendam esse patet:—

a) quia, vel docet naturam panis sustentari a persona Verbi, sive immediate, sive mediate; et tunc instaurat hæresim Impanatorum;—vel docet naturam esse in corpore Christi et ab eo sustentari sicut accidens habet esse in subjecto, et ab eo sustentatur; et tunc opinio hæc omnino repugnat, quia natura aliqua substantialis, nempe panis, nequit esse accidens corporis Christi, et ab eo sustentari ut a subjecto.

b) quia Concilium Tridentinum statuendo (can. 2. sess. 13.) in Eucharistiæ sacramento "conversionem totius substantiæ panis in corpus et totius substantiæ vini in sanguinem Domini nostri Jesu Christi, *manentibus dumtaxat speciebus panis et vini;*" definivit totum *esse* panis desinere per conversionem in corpus Christi, ita ut *nihil panis* in sacramento maneat præter species; et similiter totum *esse vini* desinere per conversionem in Christi sanguinem, adeo ut *nonnisi species vini* maneant:—juxta vero opinionem, quam impugnamus, non solæ species panis et vini in Eucharistia manerent; sed tota realitas, totum *esse panis et vini*, mutatione sola facta in eorum existendi modo, maneret.

[1] Ita Durandus, 4. dist. 11. q. 3.

[2] Hunc errorem commemorat et refutat S. Thomas, 3. p. q. 75. a. 6,

c) quia Patres unanimiter docuerunt *panem* et *vinum* post verba consecrationis *non amplius esse* in Eucharistia, sed *solum* sub *speciebus panis et vini adesse corpus et sanguinem Christi:* et in sententia de qua loquimur *adessent panis et vinum.*

d) quia juxta hanc sententiam *accidentia panis et vini* in Eucharistia *non manerent sine subjecto;* et hæc propositio in terminis damnata fuit a Concilio Constantiensi inter errores Wikleffi. Articulus enim ejus tertius, a Concilio damnatus, sic habet: "Accidentia panis non manent sine subjecto in eodem [altaris] sacramento."

e) quia veritas propositionis Christi "hoc est corpus meum," necessario exigit, ut demonstravimus, non *esse panem* in Eucharistia; et tamen *adesset,* juxta illam sententiam, sustentatus a corpore Christi.

Opinio vero Durandi, qui tenebat *solam materiam* panis remanere in Eucharistia, in primis pugnat expresse cum definitione Concilii Tridentini, ubi legimus conversionem fieri *totius* substantiæ panis et vini in corpus et sanguinem Domini; et cum Concilio Constantiensi, ubi damnatur secundus error Wikleffi, qui erat, accidentia non manere in sacramento altaris sine subjecto; nam si materia panis maneret, manerent etiam accidentia in *suo* subjecto: accidentium enim subjectum est etiam materia.

Deinde, ut recte arguit Bellarminus,[1] refellitur sententia Durandi quia vel informaretur materia panis sola Christi anima, vel tota Christi humanitate; et utrumque apertissime falsum est. Etenim nullo pacto dici potest informari materiam illam tota Christi humanitate; nam materia potentiam habet ad formam, non ad materiam, et ipse Durandus vult conversionem panis similem esse nutritioni. Nec potest dici materiam panis a sola Christi anima informari: nam illud compositum ex materia panis et anima Christi, non esset caro, aut certe non esset illa caro, quæ de Virgine sumpta est, et in cruce suspensa. Scriptura vero disertis verbis affirmat Eucharistiam esse carnem illam, quæ crucifixa est. Sic, in c. 6. Joannis, Christus dixit: "Panis, quem ego dabo, caro mea est, pro mundi vita." Et (Matt. XXVI.): "Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur."

Præterea vel materia panis accedit reliquo corpori Christi, et in eo manet; vel accedit, sed non manet; vel non accedit. Si accedit et

[1] De Sacramento Eucharistiæ, l. 3. c. 13.

manet; ergo quotidie augetur, et crescit corpus Domini, et jam in immensam molem excrevit: si accedit, et postea recedit; ergo quotidie crescit, quod sane quis ferat? si non accedit, ergo tria sunt Christi corpora re ipsa distincta: unum de Virgine sumptum, alterum conflatum ex materia panis et Christi anima; tertium ex materia vini et forma sanguinis Domini.

Demum opinio illorum, qui dixerunt *formam substantialem* panis in Sacramento manere, facta consecratione, et Ecclesiæ definitionibus, quas attulimus, proscribitur, et manifeste apparet falsa, tum ex veritate propositionis Christi, tum ex ratione.

"Quidam posuerunt," ait S. Thomas,[1] "quod, facta consecratione, non solum remanent accidentia panis; sed etiam forma substantialis ejus. Sed hoc esse non potest, primo quidem, quia si forma substantialis panis remaneret, nihil de pane converteretur in corpus Christi, nisi sola materia; et ita sequeretur quod non converteretur in corpus Christi totum, sed in ejus materiam, quod repugnat formæ sacramenti, qua dicitur: 'Hoc est corpus meum.'—Secundo, quia si forma substantialis panis remaneret, aut remaneret in materia, aut a materia separata. Primum autem esse non potest, quia si remaneret in materia panis, tunc tota substantia panis remaneret, quod est contra prædicta art. 2. huj. quæst. In alia autem materia remanere non posset, quia propria forma non est nisi in propria materia. Si autem remaneret a materia separata, jam esset forma intelligibilis actu, et etiam intelligens; nam omnes formæ a materia separatæ sunt tales."

SCHOLION II.—De panis desitione et de corporis Christi replicatione hic breviter dicendum est.

I. Demonstravimus nihil prorsus substantiæ panis et vini manere in Eucharistia; sed quæritur, desitio hæc substantiæ panis et vini estne annihilatio?—Quæstio tamen est de nomine; nam quod panis et vinum, super quæ verba consecrationis pronuntiantur, peracta consecratione *omnino desinant esse*, indubium est ex probatione thesis.

Itaque ad modum loquendi quod attinet, nonnulli concedunt desitionem panis et vini esse annihilationem. "Hanc sententiam," ait Suarez,[2] non existimo dignam censura aliqua, vel nota; immo neque esse omnino

[1] 3. q. 75. a. 6. [2] Disp. 50. sect. 7. a. 2.

improbabilem; et valde miror, quam ob causam Dominicus Soto (d. 9. q. 2. a. 4.), ante solutionem argumentorum dixerit, annihilationis opinionem minime citra errorem sustineri posse: cum enim hæc sit opinio gravium et catholicorum Doctorum, et habeat probabilia fundamenta, et probabiliter solvat omnia quæ docet fides, non video quo fundamento aut ratione possit ita notari: præsertim cum Innocentius (lib. 4. de hoc mysterio, c. 20.), hanc attingens opinionem, etiam probabilem censeat." [1]

Sed ipse Suarez addit postea veriorem esse oppositam sententiam, eam nempe, quæ docet panem et vinum non annihilari:—et hæc profecto amplectenda est, quæ a S. Thoma docetur (3. p. q. 75. a. 3.), et communiter defenditur a Theologis." [2] Pluribus aliis rationibus omissis, confirmari optime potest tum ex frequentissimis locutionibus Patrum et Conciliorum, quæ panem et vinum *converti, mutari, transelementari, transsubstantiari,* pronuntiant; tum ex ipsa notione *annihilationis.* Etenim, annihilatio est desitio per quam id quod desinit esse in nihil abit; *annihilari* enim est *ad nihilum* abire: quare ad annihilationem non sufficit quod nihil maneat rei desinentis; sed præterea debet res, quæ desinit esse, ita desinere ut ista desitio ex vi actionis propter quam fit non ordinetur ad aliud, sed sistat in non esse. Porro in mysterio Eucharistiæ, licet substantia panis et vinis desinat, et ita desinat, ut nihil prorsus horum maneat; desitio tamen substantiæ panis et vini non tendit ad nihilum, sed tendit ad aliud, scilicet ad corpus et ad sanguinem Christi: ideoque panis et vinum non annihilari dicendum est, sed converti totaliter, seu transsubstantiari.

II. Altera quæstio, quæ non modum de Eucharistiæ mysterio loquendi, sed ipsum mysterium attingit, est circa naturam transsubstantiationis.

Quidam theologi putaverunt "transsubstantiationem in suo conceptu formali consistere in relatione,—et quidem extrinseca et solius rationis,

1) Verum Card. Toletus ait: "tutum non est concedere panem annihilari in Sacramento; et vix a temeritate saltem excusari posset talis assertio."—In 3. S. Thomæ, q. 75. a. 4. q. 2.

2) Card. de Lugo ait: "Licet sententia asserens substantiam panis annihilari non sit digna ulla censura theologica . . . . asserendum tamen est cum S. Thoma et communi theologorum, illam non esse annihilationem, ut magis distemus ab hæreticis, qui contendunt, panem non posse converti in corpus Christi, quia, inquiunt, nos ponere panis annihilationem."—Inter auctores qui sententiam, quam defendimus, tenent confer, si lubet, Becanum, c. 18. de transsubst. q. 2; Sylvium, in 3. q. 73. a. 3.; de Valentia, disp. 6. q. 3. p. 2.; Coninck, q. 75. a. 4. dub. 5.; Lessium, in 3. S. Th. q. 75. a 3.

—ordinis inter substantiam quæ desinit, et eam, in quam desinere dicitur vi verborum Christi; ita ut transsubstantiatio nihil addat reali præsentiæ, nisi *cessationem panis in ordine ad realem Christi præsentiam*, quo verba Christi sint vera." [1] Ut autem auctoritatem huic opinioni conciliarent, fautores ejus tribuerunt eam Vasquesio; sed immerito.

Etenim sententiam suam declarans Vasquez aperte docet *relationem extrinsecam, et solius rationis* nullo modo sufficere ad transsubstantiationem, sed necessariam esse saltem actionem *adductivam*, quam mox explicabimus. "Notandum est," ait Vasquez, "ut id quod desinit dicatur in aliud converti, necessariam esse connexionem inter illa duo, *ita ut esse illius in quod aliud convertitur pugnet cum esse ejus quod in ipsum convertitur*; et sit veluti forma opposita ei, ac proinde causa desitionis illius, quasi formaliter ipsum expellens, sicut inter formas oppositas contingit. . . . . Neque vero satis est, ut connexio solum referatur in voluntatem Dei volentis unum destruere, vel alio præsente, vel producto: nam si hoc satis esset, omne quod ex voluntate Dei desinit, simulque atque aliud est, diceretur in illud converti. Adde quod connexio debet esse *in ipso modo efficiendi*, non in tempore: nempe quod ita Deus efficiat unum et illud statuat, ut *hoc ipso talem modum faciendi et statuendi sequatur necessario* desitio alterius: si enim hoc modo non esse unius non est esse alterius, *nulla intentione fieri potest, ut esse unius sit vere connexum cum non esse alterius*." Et infra: "Quidam existimant esse *adductionem* corporis, aut sanguinis Christi; propter quod hæc conversio a Scoto adductiva dicitur; quod sane eatenus verum existimo, quatenus ipsa adductione fit præsens corpus et sanguis, qui antea præsens non erat." Et concludit: "Dicimus . . . . conversionem cum sola *adductione* fieri, *absque eo quod corpus virtute verborum producatur*, seu conservetur." [2]

Præterea non videtur quomodo asseri possit, præsertim post damnationem propositionis 29. Synodi Pistoriensis per Bullam "Auctorem Filii," transsubstantiationem consistere *in extrinseca relatione ordinis* inter substantiam quæ desinit, seu panem, et substantiam in quam desinere dicitur, seu corpus Christi: mirabilis enim et singularis *conversio*

[1] Perrone, de Euch. p. 1. c. 2. patet 3.— Knoll, Institut. theol. theor. p. 4. sect. 2. tract. 2. c. 3. diss. 1. a. 2.

[2] Vasquez, in 3. S. Thomam disp. 181. cc. 12. 13. n. 126–148.

unius substantiæ in aliam, manentibus solum prioris substantiæ accidentibus, prorsus differt, ut videtur, a mera extrinseca relatione ordinis, per rationem intellecta, inter unam substantiam, quæ desineret esse, et aliam substantiam quæ præsens fieret loco prioris. Recolantur quæ prænotavimus ante thesim, ad conceptum transsubstantiationis declarandum. Argumenta vero, quæ pro vindicatione thesis attulimus, et illum conceptum confirmant, et diserte ostendunt transsubstantiationem non esse solum *cessationem panis cum extrinseco ordine ad realem Christi præsentiam.*

Hac igitur opinione rejecta, sententia prima probabilis censet corpus Christi fieri præsens sub speciebus per actionem *adductivam.* Hanc tenet Bellarminus [1] et explicat his verbis: "Colligimus conversionem panis in corpus Domini non esse productivam, nec conservativam, sed adductivam. Nam corpus Domini præexistit ante conversionem, sed non sub speciebus panis: conversio igitur non facit, ut corpus Christi simpliciter esse incipiat, sed ut incipiat esse sub speciebus panis. Porro adductivam vocamus istam conversionem, non quia corpus Christi per hanc adductionem deserat suum locum in cœlo, vel quia per motum localem huc de cœlo adducatur; sed solum quia per eam fit, ut corpus Christi, quod antea solum erat in cœlo, jam etiam sit sub speciebus panis, et non solum sub illis sit per simplicem præsentiam, sive coexistentiam, sed etiam per unionem quandam, qualis erat inter substantiam panis, et accidentia panis, excepta tamen inhærentia."

Huic sententiæ accedit ea, quam defendit Cardinalis de Lugo: nam etsi nolit insignis ille theologus ut actio, quæ transsubstantiationem perficit, appelletur adductiva, in re tamen adductionem hanc videtur admittere. "Merito displicet," inquit de Lugo,[2] "sententia quæ transsubstantiationem vocat actionem adductivam. Melius ergo dicitur actio constitutiva corporis Christi sub speciebus, connotando etiam desitionem substantialem panis; nec enim unitio secundum se, nec desitio secundum se est adæquate conversio, sed utraque simul componit conversionem constantem ex utraque mutatione, ex desitione et unitione."—Cum igitur ex una parte actio unitiva supponat præsentiam rei uniendæ, ideoque corpus Christi fieri debeat præsens speciebus,

[1] De sacramento Eucharistiæ, l. 3. c. 13.

[2] De sacramento Eucharistiæ, disp. 7. sect. 6. n. 89.

ut eis uniatur; et ex alia parte, Card. de Lugo expresse dicat "quod non interveniat [in transsubstantiatione] aliqua productio, vel conservatio nova corporis Christi, imo nec ulla etiam productio alicujus termini substantialis, *sed solum introductio nova* corporis Christi sub his speciebus;"—superest ut juxta eumdem Card. de Lugo, in re saltem si non conceptis verbis, dicatur corpus Christi fieri præsens et uniri speciebus per ipsam actionem adductivam, sicut contendit Card. Bellarminus; vel ut actio adductiva dicatur præsupposita actioni, qua corpus Christi, jam præsens ubi sunt species, eis unitur.

Verum præferenda videtur sententia communior, quæ tenet transsubstantiationem esse actionem *reproductivam* corporis Christi; seu, ut quidam loquuntur, esse *quasi productionem illius corporis,* quia per eam idem esse quod habet in cœlo ei confertur, etsi cum alio essendi modo; quæ actio talis est ut ipsa sufficeret ad corpus producendum, nisi secundum alium modum connaturalem jam præexisteret. Id docent cum Thomistis communiter Suaresius, Lessius, Coninck, Sylvius, Tournely, Franzelin et alii multi.

Probatur 1.—Ex Liturgiis, et ex modo quo Patres loquuntur de transsubstantiatione. Etenim aiunt corpus Christi in Eucharistia *fieri, effici, produci;* ad preces sacerdotis corpus Christi *confici;* corpus illud *creari,* et *recreari.* Insuper actionem, qua transsubstantiatio fit, comparant creationi, aut mutationibus, in quibus aliquid realiter producitur; et vim verbis consecratoriis inditam illi assimilant virtuti, quam vox Domini semel prolata "Crescite et multiplicamini, et replete terram," habuit ut naturæ nostræ vim præberet ad filiorum procreationem.

Probatur 2.—Ex doctrina S. Thomæ; nam S. Doctor (3. q. 75. a. 8.) conversionem panis in corpus Christi comparat cum conversione formali et cum creatione; ac proinde sicut in creatione vere producitur ens, et in omni conversione formali vere productio aliqua intervenit; ita actionem quodammodo productivam in Eucharistiæ consecratione admittendam esse saltem insinuat: et idem facit cum transsubstantiationem ait convenire cum creatione in eo quod neutra habeat subjectum commune utrique termino, quasi dicat per utramque aliquid produci sine subjecto, in quo recipiatur.

Præterea S. Thomas, eadem quæstione, articulo 2., et omnino excludit corpus Christi esse in Eucharistia per loci mutationem; et ait "relin-

quitur quod non possit aliter *corpus Christi incipere esse de novo* in hoc sacramento nisi per conversionem substantiæ panis in ipsum." Idem repetit, articulo 4.; et insuper a. 7. dicit terminum hujus conversionis esse corpus Christi; et art. 8., postquam docuerit vere et proprie dici "ex non ente fit ens, et ex pane corpus Christi," ad 3. ait: "In hac conversione sunt plura difficiliora quam in creatione, in qua solum hoc est difficile, quod aliquid fit ex nihilo, quod tamen pertinet ad proprium modum productionis primæ causæ, quæ nihil aliud præsupponit; sed in hac conversione non solum est difficile quod hoc totum convertatur in illud totum, ita quod nihil prioris remaneat (*quod non pertinet ad communem modum productionis* alicujus causæ); sed etiam habet hoc difficile quod accidentia remaneant, corrupta substantia; et multa alia."

Probatur 3.—Ex ratione theologica; quia transsubstantiatio cum sit vera conversio, et quidem substantialis, requirere videtur ut pro termino formali habeat substantiam in quam fit conversio, non solum quatenus circa eam substantiam versetur, sed etiam quatenus illam vel omnino producat, vel saltem de se sufficiens foret ad eam producendam. Et inde est quod adductiva actio, quæ ad solam *præsentiam accidentalem* terminatur, translocationem quidem explicare posset, sed non videtur sufficiens ad explicandam transsubstantiationem.

Hic autem duo adnotari debent. Primum est, per transsubstantiationem fieri mutationem aliquam late sumptam in corpore Christi; quia ex vi illius actionis aliter se habet quam prius: primario quidem et per se, quia in suo esse substantiali habet dependentiam quam antea non habebat, cum jam per novum influxum causæ agentis recipiat idem esse substantiale; secundario autem et consequenter, quia acquirit novam præsentiam realem, quam non habebat.—S. Thomas utique dicit corpus Christi non mutari per hoc quod præsens sistitur in Sacramento: sed verba S. Doctoris intelligenda sunt vel de mutatione, quæ fieret in corpus Christi prout est in cœlo; vel de mutatione proprie dicta, quæ requirit ut idem sit subjectum formæ deperditæ et acquisitæ; nam proprie loquendo id quod creatur, non mutatur.

Secundo est adnotandum, corpus Christi, prout est in Sacramento, nullam habere *physicam* dependentiam a seipso prout est in cœlo, quantum est *ex vi physicæ actionis, qua in Sacramento reproducitur et conservatur;* est enim actio transsubstantiationis de se sufficiens ad corpus

Christi producendum et conservandum, si jam non præexisteret: at *moraliter et ex voluntate Dei* omnimodam a seipso dependentiam habere. Nam, ut egregie notat P. Coninck,[1] "Deus non statuit illud [Christi corpus] aut reproducere, aut conservare modo sacramentali, nisi dependenter ab existentia naturali. Unde corpus Christi ponitur in Sacramento gloriosum, vel non gloriosum, prout alibi modo naturali existit. Secundo, quia forma esset falsa, si dum pronuntiatur, Christus non existeret; quia tunc minister non posset ex persona ipsius dicere: 'hoc est corpus meum.' Sed hæc ratio secunda non probat absolute Christum debere existere modo naturali, sed tantum debere aliquo modo alicubi existere, dum pronuntiatur forma; quia hæc absolute esset vera, etsi nullibi aliter existeret quam sacramentaliter."

Hac animadversione facta corruunt multæ difficultates, quæ a defensoribus aliarum opinionum proponuntur; et facile respondetur objicienti: si Christus constitueretur in Sacramento per actionem ad substantiam terminatam, et de se productivam, verba haberent vim ad ponendum ibi corpus Christi, etiamsi alibi non existeret; quod nequit admitti. Sequela in hoc argumento, ex paulo ante dictis, falsa est: Deus enim statuit corpus Christi modo sacramentali reproducere, dependenter ab existentia ejus naturali.

Nec magis valent contra sententiam, quam amplectimur, objectiones aliæ similiter desumptæ ab inconvenientibus. Dicitur 1.—si corpus Christi in Eucharistia affirmatur præsens per actionem productivam, illud sub speciebus eucharisticis, ex pane productum, non erit corpus ex Maria natum; sicut vinum ex aqua, jussu Christi, factum in Cana Galileæ non erat vinum de vite.—Respondetur negando illationem, nam *idem omnino* corpus quod primo ex B. Virgine natum est, *reproducitur* ex pane in Eucharistia: et exemplum vini per miraculum producti a Christo in Cana non respicit rem præsentem, quia illud *primo productum* fuit ex aqua, et *hanc ob causam* non fuit vinum de vite.

Dicitur 2.—Posita doctrina, quam amplectimur, toties substantia corporis Christi annihilaretur, quoties desinunt species Eucharisticæ, cum talis desitio sit qualis est productio:—sed pariter negari debet sequela, quia corpus Christi alibi existit, ac proinde quando corrumpuntur species, desinit sub illis esse, sed non desinit esse simpliciter; desitio

[1] In 3. S. Thomæ, q. 75. a. 4. n. 167.

autem tum talis est qualis productio, cum desitio est rei primo productæ, non vero rei reproductæ, et jam alibi existentis.

Dicitur 3.—Actio substantialis, quam tenemus esse necessariam ut transsubstantiatio recte explicetur, attingit substantiam corporis Christi secundum se, non vero præsentiam corporis Christi sub speciebus; requiritur ergo alia actio per quam corpus fiat præsens sub illis speciebus: at si ita se res habet, jam actio, per quam corpus Christi præsens fit speciebus, sufficiens per se solam est ad mysterium transsubstantiationis declarandum, et in quantum possumus intelligendum. Ergo.—Resp., posita actione substantiali reproductiva corporis Christi, non requiritur alia actio ad constituendum corpus hoc sub speciebus. Etenim in omni actione necessarium est ut fiat alicubi; et ideo sicut ex actione substantiali reproductiva corporis Christi, secundum se considerata, resultat esse substantiale istius corporis; sic ex *præsentia* ejusdem actionis consequitur,—scite notat Suarez,[1]—ut terminus ejus hic potius, quam alibi fiat; ita ut *præsentia actionis* sit quasi *fieri præsentiæ termini:* ac proinde actio, quæ corpus Christi sub speciebus panis reproducit, illud sub eis præsens facit.

Placet quæ de transsubstantiatione hucusque disputavimus concludere verbis Sancti Bonaventuræ:[2]—"Hæc est mutatio singularis, quæ nullum simile plenum habet. Assimilatur tamen in aliquo aliis. Quia enim in hac mutatione nihil commune manet, assimilatur creationi. Quia vero principium initiale non est nihil, sed aliquid; ideo dissimilis est creationi, et similis generationi. Quia vero terminum finalem non habet aliquid de novo factum, sed prius existens; ideo est dissimilis generationi et similis augmento. Quia vero corpus Christi ex hoc non crescit, sed in pluribus locis existit; ideo dissimilis augmento, et similis loci mutationi. Quia vero in alio loco existit, et a proprio non recedit, et aliquid in ipsum transit; ideo omni motui et mutationi dissimilis est, et est prorsus mutatio singularis."

[1] In 3. S. Thomæ, disp. 50. s. 4. n. 16.

[2] In 4. sent. dist. 11. p. 1. a. 1. q. 2.

ARTICULUS SEXTUS

De objectiva realitate specierum sacramentalium.

Sensuum testimonio constat in Eucharistia manere species panis et vini nullatenus mutatas; quantitatem, nempe, figuram, colorem, saporem, atque his similia: quæritur, habentne species illæ realem extra nos existentiam, necne? Vel aliis verbis, quæritur utrum species Eucharisticæ sint aliquid reale quod, ante consecrationem, in pane et vino tamquam in proprio subjecto inerat, et peracta consecratione maneat, ex divina virtute, sine subjecto:—an potius quantitas et qualitates panis et vini quæ a sensibus percipiuntur, post consecrationem Eucharistiæ, non maneant, quia separari nequeunt a substantia panis et vini, a qua realiter non distinguuntur; adeoque ex supernaturali operatione divina sit ut illæ species nobis appareant, tamquam id quod ex pane et vino remanserat, quamvis realiter et *objective* nihil supersit. Hanc doctrinam, ab ætate qua, rejecta philosophiæ Majorum traditione, theologi de natura corporum juxta Cartesianorum principia opinari cœperunt, quidam,—inter quos præcipuus fuit P. Emmanuel Maignan in opere cui titulus *Philosophia sacra*,—primo timide, deinde majori securitate propugnaverunt.— Putaverunt enim isti Doctores species, quas in Sacramento videmus, explicare, sive asserendo Deum esse, qui immediata sua operatione ita immutat sensus nostros, ut ipsi eodem modo afficiantur sacramentalibus speciebus post consecrationem, ac afficerentur si adhuc existeret panis et vini substantia ut erat ante consecrationem; sive dicendo Deum removere corpora a loco quem occupare deberent panis et vinum si adessent, et sic in corporibus circumstantibus agere ut exinde haberentur extensio, impenetrabilitas, pondus, color et alia, quæ a corporibus præsentibus produci solent.

Quid autem in Traditione catholica hac de re doceatur, ac proinde quid circa eam teneri debeat, patebit ex propositione sequenti, quam ut nobis certam proponimus ac vindicamus.

THESIS V.

In Eucharistia species sacramentales panis et vini, objectivam habentes realitatem, manent sine subjecto.

Probatur thesis 1.—Ex doctrina Patrum, in quorum scriptis non modo nullum minimum verbulum illius actionis divinæ, quam adversarii defendunt, invenire est; sed apertissima loca occurrunt, ubi realitas specierum sacramentalium declaratur.

Et sane Patres sine ambiguitate eam docent, quum species sensibiles vel *rem materialem* appellant, ut dixit Origenes loco a nobis jam citato (pag. 105.); vel *rem sensibilem* vocant, ut S. Joannes Chrysostomus (hom. 82. in Matt.) locutus est. "Cum ergo," inquit, "Sermo dicat: 'hoc est corpus meum,' obtemperemus et credamus et spiritualibus oculis ipsum respiciamus. Nihil enim sensibus percipiendum Christus nobis tradidit, sed *in rebus quidem sensibilibus*, omnia vero intelligibilia [mente et fide suspicienda]."

Eamdem objectivam realitatem specierum sacramentalium Patres docent cum in Eucharistia duo distinguunt: unum nempe quod *sacramentum*, vel *signum* vocant corporis Christi; et aliud, quod est corpus ipsum *sub illo signo* realiter contentum. Hinc S. August. ait (l. contra Adim. Manichæum): "Non dubitavit Dominus dicere 'hoc est corpus meum' cum *signum* daret corporis sui:" et idem S. Doctor in epist. 23. (al. 98.) ad Bonifacium: "secundum quemdam modum *sacramentum corporis Christi*, corpus Christi est."—Facundus Hermianensis (pro defens. trium cap. lib. 9. cap. 5.) dixit: "Sicut *sacramentum* corporis et sanguinis ejus, *quod est in pane et poculo consecrato*, corpus ejus et sanguinem dicimus; non quod proprie corpus ejus sit panis, et poculum sanguis, sed *quod in se* mysterium corporis ejus sanguinisque *contineant*."—Aldemannus (de Eucharistiæ sacramento ad Berengarium) inquit:[1] "Quod si quos movet cur hoc sacramentum non visibiliter transmutetur in speciem carnis et sanguinis, attendant quod Apostolus ait, 'Per fidem ambulamus et non per speciem.' . . . Ut ergo fides exerceatur credendo quod non apparet, vitale sacramentum *sub specie cor-*

[1] Migne, P. L. t. 143. p. 1294.

porea viriliter latet, *uti anima in corpore.* Denique et baptismi aqua quælibet oculis intuentium videtur, et homo baptizatus, quid aliud quam quod antea erat apparet? . . . O animalis homo qui non percipit ea quæ Dei sunt."

Insuper, doctrinam quam defendimus certam atque indubitabilem fuisse apud Patres, manifestum est ex argumento quod ipsi urgebant contra Monophysitas. Nam ad hæresim suam confirmandam abutebantur Monophysitæ dogmate conversionis panis et vini in corpus et sanguinem Domini, et ex hac conversione arguebant humanam naturam Christi in divinam naturam sic fuisse conversam, ut humanitatis Christi proprietates visibiles, circumscriptio nempe,figura color et aliæ similes quæ conspiciebantur, apparentes essent sed non reales. Ex eodem tamen mysterio Patres hæreticos revincebant : et ex *realitate quantitatis et qualitatum panis ac vini,* quæ, facta conversione substantiarum, manent sine mutatione,'tamquam unius sacramenti pars sensibilis cum parte non sensibili, idest cum corpore et sanguine Christi, ostendebant et declarabant *realitatem humanæ naturæ,* quæ absque sui mutatione manet cum divinitate unita in una persona Verbi Dei.

Profecto si species sacramentales non essent accidentia panis et vini quæ, peracta transsubstantiatione, in Eucharistia realiter manerent sine subjecto, ac proinde si vera esset doctrina recentiorum, quos impugnamus; quin ullam potuissent analogiam ex Eucharistiæ mysterio deducere Patres adversus Monophysitas, analogia potius istius mysterii respondisset horum hæresi de humana natura in divinam transmutata et de apparenti tantum ostensione proprietatum sensibilium humanitatis in Christo. Recolantur loca Patrum quæ exposuimus in thesi præcedenti (p. 105.) :—hic satis erit, ex illis, pauca sed clarissima verba referre Theodoreti. Orthodoxus ait: "Captus es [hæretice] retibus, quæ ipse texuisti. Neque enim post sanctificationem mystica symbola *recedunt a sua natura; manent enim in priori essentiæ et figura et forma aspectabili,* et visibilia sunt et tangibilia, *qualia erant prius.*"

Eamdem veritatem inculcabat B. Lanfrancus, retorquens adversus Berengarium argumentum, quod hic pro defensione Sacramentariorum hæresis proferebat. Berengarius aiebat: "Sacrificium Ecclesiæ duobus constat, duobus conficitur, visibili et invisibili, sacramento et re sacramenti; quæ tamen res, id est Christi corpus, si esset præ

oculis visibilis esset, sed elevata in cœlum, sedensque ad dexteram Patris usque in tempore restitutionis omnium . . . . . cœlo devocari non poterit; sicut Christi persona Deo constat et homine." Reponebat Lanfrancus:[1] "Caiphas, cum esset pontifex anni illius, verum de Salvatore nesciens prophetavit. . . . . . . Verum quidem dixit, verumtamen quo ejus verbum vergeret ignoravit. Sic et tu, volens loqui contra causam nostram, manifeste quam defendendam suscepimus asseris partem nostram. Hoc est namque quod dicimus, hoc modis omnibus contra te ac sequaces tuos approbare contendimus, sacrificium scilicet Ecclesiæ duobus confici, duobus constare, visibili elementorum specie, et invisibili Domini Jesu Christi carne et sanguine, sacramento et re sacramenti; quæ res (ut verbis tuis utar) est corpus Christi, sicut Christi persona, te quoque auctore, constat et conficitur Deo et homine, cum ipse Christus sit verus Deus, et verus homo, quia omnis res illarum rerum naturam et veritatem in se continet ex quibus conficitur. Conficitur autem, te etiam teste, sacrificium Ecclesiæ sacramento et re sacramenti, id est corpore Christi."

Verum a sæculo XI., propter exortam hæresim Berengarii, Patres fusius et ex professo tractantes de Eucharistiæ mysteriis, doctrinam, quam vindicamus, docuerunt expressis verbis, et eadem, qua nunc utimur, usi sunt formula ad eam significandam.

Hildebertus, Episcopus Cenomanensis, quem S. Bernardus vocavit *magnum* sacerdotem, *excelsum in verbo gloriæ*, et *magnam Ecclesiæ columnam*, in *Brevi tractatu de sacram. altaris*, dum in hoc augustissimo mysterio ostendit divinam virtutem supra omnem captum hominis operari, ait: "Numquid ei [homini] capabile est qualiter substantia panis et vini in substantiam corporis et sanguinis Domini conversa, *non tamen conversa sunt pariter, sed manent immutata*, sine panis et sine vini substantia, *tam panis quam vini accidentia? Quomodo accidentia sine subjecto, vel hæc accidentia, in quo nata sint, sine subjecto?* Via in istis est ignota rationi, sed non penitus ignota fidei. Ratio hic totum ignorat, sed fides præsumit quod ratio non capit. . . . Novit fides per gratiam, quod ratio per nullam scire potest experientiam."

Sæculi XII. tria tantum, brevitatis causa, testimonia proferam insignia. Gulielmus, S. Theodorici Abbas, in libro *de sacramento altaris*

---

[1] L. de corpore et sanguine Domini c. 10.

inquit:[1] "Similitudo illa panis, quæ in altari carnis oculis se ingerit, per se inspecta, non est corpus Domini. Sed cum esset *quiddam priori substantiæ, id est pani inhærens, vel accidens,* migrante in Dominicum corpus substantia cui inhærebat, *remansit,* ad peragendum sacri institutum mysterii. Quod quidem contra usum et rationem est mundanæ sapientiæ, ut, sublata substantia, substantiæ accidens subsistat. Sed legi naturæ non subjacet Deus; imo ipsius legis lex est Creator suus. Potestque accidentia, subducto substantiæ fundamento, vel continere, vel in aliam transferre substantiam: qui terram, vel secundum unum prophetam 'appendit in nihilum' (Job XXVI.), vel secundum alium, 'super maria fundavit, et super flumina præparavit eam' (Ps. XXIII.).... Est igitur in mysteriis vera Dominici corporis substantia, sed absque visibili specie sua; et est vera species visibilis panis, sed absque substantia sua.... Nihil enim falsum putandum est in sacrificio veritatis vel sicut fit in magorum præstigiis, ubi delusione quadam falluntur oculi, ut videatur illud esse quod non est omnino; sed vera species visibilis panis, quæ fuit in pane, ipsa facta præter substantiam suam, quodammodo in aliena peregrinatur, continente eam qui fecit eam, et ad suum transferente corpus. Quæ tamen translata ad corpus Domini, non eo modo est ad illud quomodo accidens ab substantiam; quia corpus Domini, quantum in sua substantia, nec album efficit albedo illa, nec rotundum rotunditas illa; sicque de reliquis."

D. Algerus, in opere *de sacramentis corporis et sanguinis Domini,* l. 1. c. 7.,[2] de speciebus eucharisticis ex professo agens, earum multis argumentis demonstrat objectivam realitatem, et inter alia hæc habet: "Cum autem in Sacramento forma panis, soliditas, color, sapor sentiatur, vel verum hoc esse, vel phantasticum dicitur. Sed absit ut perfecta veritas phantasiæ fallacia adstruatur, maxime cum ipsi angeli, et ipse Spiritus Sanctus in columba vel linguis igneis, quoties apparuisse leguntur, non phantastica, sed vera corpora in aere assumere adstruantur; et in ceteris omnibus sacramentis Novi Testamenti et Veteris, nihil phantasiæ, sed omnia vera inveniantur. Absurdum enim revera est, ut quod non vere est, veritatem approbet; et quod de se fallit æstimationem, de alio veram exhibeat fidem. Phantastica enim illusio, magicis congruit et diabolicis fraudibus: veritatis autem assertio,

[1] Migne, P. L. tom. 180. p. 343. [2] Migne, tom. cit. p. 759.

divinis sanctionibus. Ne ergo phantastica species, sacramento Christi aliena prorsus et indigna, superinduci credatur, quæ magis novit fallere quam veritatem astruere, quomodo id non solum rationi, sed et auctoritati sit contrarium, videamus."

Et paulo post: "Sacrificium enim Ecclesiæ revera *veritatem, et naturam in se continet earum rerum ex quibus conficitur,* quia vere et naturaliter continet corpus Christi et sanguinem, et *nihilominus vere et naturaliter elementorum eamdem quæ fuerat speciem.* Alioquin quomodo verum erit, quod de elementis sacramentalibus Ambrosius dicit, ut sint quæ erant, et in aliud commutentur, nisi *de eis in sacramento et aliquid reservetur,* ut sit quod fuerat, et aliquid mutetur, ut melius fiat?"

Robertus Cardinalis Pullus, in libro 8. *Sententiarum* (cap. 5.) ait: "Cum autem panis in carnem, vinum quoque virtute Christi vertatur in sanguinem, substantia utique vini et panis desinit esse quod fuerat, idque fit quod prius non erat: *proprietates* tamen amborum *transeuntium manent*. . . . Transit itaque substantia, sed *manet forma; neutrum miraris,* sed Omnipotentem contemplaris. Quamobrem *non est sensuum delusio, sed vera rei* comprehensio, quod cum Dominica in mensa sit solum caro et sanguis, *nihilominus tamen vini natura percipiatur et panis.* Non tamen quod caro et sanguis hujusmodi sint qualitatis; verum quod post mutationem utriusque substantiæ, *non mutatur qualitas naturæ.* Hæc qualitas tamen frangendo et conterendo aliter, aliterque variatur, res ipsa, quæ sub specie latet, nullo modo alteratur."

Demum, ut ostendam communem hac in re doctrinam Ecclesiæ, addam gravissimum testimonium quod sæculo XIII. protulit Innocentius III. Hic enim in opere *de sacro altaris mysterio* (l. 4. c. 9.) ait: "Qualem significandi modum habet nomen accidentis in physica facultate, talem existendi modum habet accidens nominis in theologica veritate. Nam sicut hoc nomen *album* significat accidens in substantia id est, in adjacentia; sed hoc nomen *albedo* significat accidens sine subjecto, id est in existentia: sic ante consecrationem accidens est in subjecto, quoniam existit in alio. Sed post consecrationem *accidens est sine subjecto, quoniam existit per se;* transit enim substantia, sed remanent accidentia: nec dicitur accidens in vi participii, sed accipiendum est in vi nominis. . . . Non enim debemus quærere naturam in gratia, neque consuetudinem in miraculo."

Probatur thesis 2.—Ex unanimi consensu omnium Scholasticorum, Breviter celebriores commemorabo.

B. Albertus Magnus (de Eucharistia, dist. 6. Tract. 1. cap. 3. n. 14.) inquit: "Dicendum est, quod in veritate in sacramento remanent accidentia panis et vini sine omni substantia illis accidentibus subjecta, quam ipsa afficiunt accidentia."—S. Thomas id sæpissime repetit et in Summa Theologica quæstionem 77. integram habet *de accidentibus remanentibus in Eucharistia.* Ex primo articulo hic referam conclusionem: "Et ideo relinquitur quod accidentia in hoc sacramento manent sine subjecto, quod quidem virtute divina fieri potest: cum enim effectus magis dependeat a causa prima quam a causa secunda, Deus, qui est prima causa substantiæ et accidentis, per suam infinitam virtutem conservare potest in *esse* accidens, subtracta substantia per quam conservabatur in *esse* sicut per propriam causam, sicut etiam alios effectus naturalium causarum potest producere sine naturalibus causis, sicut humanum corpus formavit in utero Virginis sine virili semine."

S. Bonaventura in 4. sent. (dist. 11. p. 1. a. 1. q. 2.) hanc propositionem sibi demonstrandam proponit: "Totus panis convertitur in corpus Christi in Eucharistia, solis accidentibus remanentibus." Et in *Compendio theologicæ veritatis* (lib. 6. c. 4.) varias enumerando mutationes, ait: "Tertia est mutatio supernaturalis, ut quando nec materia nec subjectum manet, sed tantum *accidentia sine subjecto.* Et talis mutatio est in transsubstantiatione corporis Christi."—Duns Scotus, Doctor subtilis, in 4. dist. 12. q. 6., hanc defendit conclusionem: "Dum manet Eucharistia, non est ibi substantia nisi substantia corporis Christi. *Accidentia etiam manent tunc sine subjecto.*" Ocham in 4. dist. 11. q. 6. dicit: "In ista transsubstantiatione non includitur nisi quod *species illæ ibi realiter maneant,* et quod substantia non maneat in se realiter; et quod ibi sit realiter corpus Christi, non quantitative." Gabriel Biel, in 4. dist. 12. q. 1. sic habet: "1ª Conclusio.—Accidentia panis et vini post consecrationem manentia per se stant, nulli subjecto inhærentia."

Citavimus Scholasticos antiquiores; sed eorum doctrinam quoad rem præsentem, omnes recentiores tenuerunt, saltem usque ad mediam partem sæculi XVII.: quinimo Toletus, Suarez, de Lugo, Coninck aliique docebant illam doctrinam ut *de fide* definitam.—Constat igitur unanimem inveniri consensum Theologorum, a sæculo XII. ad sæculum

saltem XVII. quoad accidentia in Eucharistia manentia sine subjecto ; et constat hunc consensum non fundari in quadam opinione universaliter tunc recepta, sed in principiis fidei et in Traditione ecclesiastica. Hujusmodi vero concors sententia ostendit doctrinam, quam de speciebus sacramentalibus defendebat, fuisse traditam ; nam in iis quæ ad fidei dogmata pertinent, Theologorum consensus unanimis indubium est indicium veritatis traditæ.

Probatur thesis 3.—Ex Decreto Concilii Constantiensis a Papa Martino V. approbato : damnatus enim ab illo fuit articulus secundus Wikleffi, quem non semel citavimus,et hic juvat iterum referre : "Accidentia panis non manent sine subjecto in eodem [altaris] sacramento."

Porro ut ratio condemnationis a Concilio et a Pontifice pronuntiatæ appareat, et manifesta fiat vis argumenti quod pro thesi nostra ex hac damnatione exurgit, quædam historice recolenda sunt ; quæ præcludent etiam omnia adversariis nostris subterfugia ad evadendam illam damnationem. Facta narrabit, et mentem Concilii atque Pontificis aperiet nobis Thomas Waldensis, Carmelita Anglus, qui, jussu Regis Henrici V., opus *de sacramentis* contra errores Wikleffi, et ad exponendam, propugnandamque genuinam Ecclesiæ fidem scribere cœpit anno 1425., idest post septem annos a Decretis Concilii Constantiensis et Martini V. adversus Wikleffum. Postquam opus perfecerat, scilicet an. 1427., Waldensis Romam ad Pontif. Martinum V. id transmiserat, ut Apostolico judicio probaretur : et reapse Summus Pontifex, diligenti Doctorum præmisso examine, opus illud coram Cardinalibus approbavit.

Itaque in *Doctrinali fidei, de sacramento Eucharistiæ* cap. 76., refert Waldensis verba Wikleffi desumpta ex secunda parte sermonum illius hæretici, sermone 58. ; et hæc sunt : "A tempore," inquit Wikleff, "Innocentii III.,—nescitur utrum catholice, an hæretice sentiebat,—ad *unam tamen coguntur obedientiam illius. Ecclesiæ, tamquam fidem, quod credatur accidens esse sine subjecto in hoc sacramento.* Sed nec afferunt rationem, nec Scripturam, ut debeat ita credi : ideo *fideles in Domino* istud renuunt." Et infra prosequitur : "Similiter quod accidens sit sine subjecto, tam Philosophi, quam Theologi renuerunt ; propter hoc quod non potest sic esse de potentia Dei absoluta." In libro autem *de Apostasia* c. 1. Wikleffus ait : "Nedum Philosophi, sed omnes sancti de

millenario Christi[1] tacuerunt accidens esse sine subjecto." Et cap. 5. asserit: "Si ergo oportet fidelem credere ut fidem catholicam, quod sacramentum altaris sit accidens sine subjecto, et Porphyrius et Aristoteles in isto verissime ac pertinentissime laborarunt, oportet in isto canonizare suas sententias."

Has hæreticas, falsas, et calumniosas assertiones singillatim refutat Waldensis ex professo a c. 74. ad 84. Ostendit enim "quod determinatio Innocentii et Ecclesiæ de accidente sine subjecto suo, non est contra omnes ethnicos philosophos:" demonstrat "Wikleffum in materia de accidente Parmenidis et Anaxagoræ errores sequi;" probat sententiam Wikleffi, "quod substantia sit accidens re et essentia, Philosophis magnis et præcipuis, et nedum eis, sed omnino magnis Theologis transiisse in derisum:" docet "quod determinatio accidentis sine subjecto est consona sanctis *de millenario Christi:*" demum refutat omnia argumenta Wikleffi. Et quia Wikleffus urgebat novellam esse istam fidem de accidente sine subjecto, quia hæc formula non inveniebatur in epistolis Pauli, aut apud antiquiores Patres; Waldensis probat "articulos omnes fidei *lucidiores* factos esse post contradictiones hæreticorum," et illam de accidente "non novellam fidem, sed ejusdem fidei novam esse declarationem." Addit etiam: "Et si petatur ratio Decreti Concilii de fide accidentis sine subjecto, dicendum, quia fides principalis articuli hoc concludit. . . . . Ex prima fide Evangelica, 'hoc est corpus meum,' pure, sine vitio et proprie intellecta, infugibiliter sequuntur *transsubstantiatio, et accidentis positio absoluta.*"

Ex his omnibus evidenter patet 1.—Wikleffum doctrinam, quam Ecclesia docebat de permanentia accidentium sine subjecto in Eucharistia, *seorsum et per se sumptam* rejecisse ut falsam et repugnantem 2.—Concilium hunc errorem *per se et seorsum sumptum* damnasse, quamvis dependentem ab alio errore ejusdem Wikleffi, nempe a negatione desitionis panis in sacramento; ideoque duos articulos, doctrinam Wikleffi continentes, *distincte* damnasse; unum, scilicet, qui negationem desitionis substantiæ panis asserebat, et est iste: "articulus 1.—*Substantia* panis materialis et similiter *substantia* vini materialis remanent in sacramento

[1] *Millenarium Christi* vocat Wikleff primos mille annos, qui ab Ecclesiæ Christi primordiis effluxerunt. Hæc autem sententia erat illius hæretici quod soli audiendi sint Patres qui in primo Millenario scripserunt; ceteri vero deserendi.

altaris;" alterum, a primo dependentem, sed ab eo distinctum, qui continebat specialem errorem Wikleffi, adversantem veritati, speciali et explicita professione, admissæ a catholicis, de accidentibus nimirum manentibus in Eucharistia sine subjecto; et est articulus 2. Wikleffi superius citatus.

Verum ergo non est quod asserit Drouin,[1] "in hoc hæreticus [Wikleff] erat, non quod more Philosophorum accidentia sine subjecto esse non posse contenderet, *de quo ne quidem* cogitabat: sed quod vellet post consecrationem, elementum panis accidentium, ut fuerat, esse subjectum, *nullamque fieri transsubstantiationem:* hoc itaque sensu debet Synodus Constantiensis intelligi."—Negavit utique Wikleff transsubstantiationem, asserendo elementum panis esse subjectum accidentium in Eucharistia, et Ecclesia hanc hæresim damnavit; sed præterea negavit etiam accidentia Eucharistiæ manere sine subjecto, idque,—quod tamen fatebatur esse communem catholicorum fidem a tempore Innocentii III.,—omni argumentorum genere impugnavit; et Ecclesia hunc alium Wikleffi errorem proscripsit, atque oppositam veritatem—quam fideles confitebantur, et hæreticus deridebat quia putabat accidentia realiter non distingui a subjecto, ac proinde non posse realiter ab eo manere separata,—expressis verbis confirmavit. Hæc veritas exprimitur propositione, quæ contradictoria est articulo 2. Wikleffi, et sic se habet: *Accidentia panis et vini manent in sacramento altaris, et non manent ibi cum subjecto.*—Et hac propositione Ecclesia statuit species Eucharisticas non esse solam modificationem a Deo factam in sensibus nostris, non esse operationem divinam in corpora quæ nos undique circumstant;—sed esse quid reale quod in pane et vino ante consecrationem existebat, et a substantia panis et vini sustentabatur; quodque, post consecrationem, desinente panis et vini substantia, non desinit esse, manens, per divinæ omnipotentiæ miraculum, absque sustentatione subjecti in quo insit et innitatur.

Nec juvat Drouinio quod appellet ad testimonium Alliacensis, quasi ipse, qui interfuit Concilio Constantiensi, dicat ibi actum fuisse solum de errore circa existentiam substantiæ panis et vini in Eucharistia. Petrus de Alliaco, in suis commentariis ad 4. sent., quos citat Drouin, nihil de Synodo Constantiensi testatus est, nec testari potuit. "Illos

[1] De re sacramentaria, l. 4. c. 4. sect. 1. § 2.

enim," recte notat Franzelin,[1] "scripsit junior, cum esset magister in schola Parisiensi, 30 et amplius annis antequam senescens Cardinalis 65 annorum, et majoribus negotiis occupatissimus, interfuit Concilio. Patet id etiam evidenter ex modo, quo in commentariis loquitur de definitione Ecclesiæ circa absentiam substantiæ panis in Eucharistia, quod dogma, post Concilium Constantiense, non potuisset dicere se nondum videre explicite definitum."

Quod si quis, plene agnoscens nullum esse testimonium Alliacensis relate ad Concilii Constantiensis definitiones, quæreret tamen quid ipse de accidentibus eucharisticis senserit, huic etiam quæstioni respondet Franzelin: "Exponit in 4. qu. 6. art. 3, ipsam recentiorum theoriam de speciebus intentionalibus, quam aliquis posset 'imaginari' inquit. Judicium Alliacensis de tali opinione hoc est: si reperiretur qui ita diceret, 'non esset propter hoc *tamquam hæreticus habendus;* aliter enim minus esset favor fidei ad doctrinam philosophi.' Pergit continuo: 'quarta et communior opinio [sic loquitur etiam de ipso dogmate transsubstantiationis: 'quarta opinio, inquit, communior est, quod substantia panis non remanet, sed simpliciter desinit esse'] et *cui magis favet doctrina Ecclesiæ,* est quod in sacramento accidentia, quæ fuerant panis, remanent sine subjecto et in illis fit fractio, et hanc teneo.'"

Quapropter idem Franzelin merito concludit: "Neque ergo possunt adversarii provocare ad opinionem Alliacensis, quæ ceterum repugnans universali aliorum consensui nullius esset ponderis; prorsus vero absurde agunt, quando hunc locum ex ejus commentariis volunt constituere normam ad interpretandum sensum Concilii Constantiensis. Ne vero dicant hæc, etiam post Concilium, ab auctore fuisse probata, quia ea non correxit; cogitent de ejusdem modo loquendi quoad transsubstantiationem, quem etiam post Concilium incorrectum reliquit. Paucis scriptoribus animus fuit imitandi Augustinum, ut senes retractarent, quæ juvenes scripserant minus castigate. Quamquam si recentiores philosophi catholici admisissent hoc ipsum judicium Alliacensis, ut in commentariis exstat, non tam acriter defendissent sententiam, quæ non sit quidem damnanda ut hæretica, sed cui faveat minus doctrina Ecclesiæ."

Probatur thesis 4.—Ex canone 2., sessionis 13. Concilii Tridentini.

[1] De Eucharistia p. 268.

In hoc namque canone definitur "conversio totius substantiæ panis in corpus et totius substantiæ vini in sanguinem, *manentibus dumtaxat speciebus panis et vini:*" et verba canonis sive spectentur in se seipsis, sive secundum sensum, communiter a Theologis admissum quando definitio lata fuerat, sine dubio docent realem et objectivam existentiam specierum sacramentalium. Verba enim per se spectata ostendunt, ex illis quæ *realiter* in pane et vino existebant, aliquid, nempe totam substantiam *transire*, et *aliquid*, nempe species, *manere;* ac proinde *illas easdem species* esse in Eucharistia *realiter*, peracta transsubstantiatione, *quæ jam fuerant in pane et vino*, sed absque subjecto, quia substantia panis et vini desinit esse.—Et insuper verba Concilii secundum sensum tunc temporis communiter admissum considerata, nequeunt aliam ferre interpretationem, quia *species panis et vini in Eucharistia manentes* nonnisi ut accidentia divinitus absque subjecto sustentata, ab omnibus Theologis, et ab omnibus fidelibus intelligebantur.

Hinc nullius ponderis esse potest exceptio adversariorum, qui contendunt divina providentia factum fuisse ut Concilium Lateranense IV. et Tridentinum numquam *accidentia* panis et vini in Eucharistia adesse dixerint, sed *species;* quod vocabulum per se significat *species intentionales*, non autem objectiva accidentia.

Etenim hic non quæritur, quid vocabulo *species* per se possit significari, sed quid tempore Concilii, et in contextu canonis a Concilio editi, comma illud "*species panis et vini manentes,*" in oppositione ad panis et vini substantiam, quæ *conversa* est in corpus et sanguinem Christi, significaverit.—Porro significationem unicam habuisse specierum objective realium, ex dictis, non est dubium.

Si vero reponerent adversarii, locutionem illam "species panis et vini" habuisse quidem tempore Concilii determinatam significationem quam vindicamus, admittere tamen etiam eam, quæ subsequenti tempore invecta fuit, seu specierum *intentionalium;* nihil ex hac responsione prorsus proficerent. Nam 1.—Locutio a Concilio adhibita, si spectetur *per se ipsam in canone citato,*—præscindendo a significatione juxta quam illo tempore communiter adhibebatur,—objectivam dicit existentiam specierum sacramentalium. 2.—Præpostere, ut intelligatur sensus illius locutionis, ab adversariis nostris fit recursus ad significationem eidem a nonnullis attributam, multo post quam Concilium eam adhibue-

rit. Sane, sicut quivis sermo, ita etiam textus Conciliorum intelligendi sunt secundum usum loquendi et significationem verborum tunc obtinentem, quando verba dicta vel scripta sunt. Hac interpretandi regula negata sequeretur, quod definitionibus Conciliorum non necessario competeret infallibilitas formaliter secundum significationem, qua sunt editæ, sed solum verbis materialiter spectatis, quia secundum alium usum loquendi postea inducendum continerent sensum verum. At omnino contrarium tenendum esse quisque videt; infallibiles enim sunt definitiones tantummodo secundum significationem, qua editæ sunt; secundum aliam vero significationem, quæ aliquo alio tempore induceretur, possent esse falsæ; et ideo intelligendæ sunt quovis tempore secundum significationem verborum et usum loquendi illius ætatis, qua sunt editæ.[1]

Ceterum ratione optima Concilium Tridentinum post Lateranense IV. usum est voce *specierum*, potius quam *accidentium.* Quamvis enim illud ipsum dicatur species, quod est accidens, non tamen idem conceptus formalis exprimitur utroque nomine: *species* designat accidens cum relatione ad nostram perceptionem; *accidens* vero non exprimit illam relationem, sed nomine suo tantum dicit *ordinem quem necessario habet ut alteri insit,* et recipiatur in subjecto. Quapropter cum agebatur de mysterio, in quo nihil quoad perceptionem sensuum est mutatum, et sola fide creditur *sub accidentibus, quæ videntur,* non esse subjectum, sed adesse corpus et sanguinem Domini, aptius adhibita fuit appellatio *specierum,* quam *accidentium.*

Sensum, quem declaravimus, canonis 2. sessionis 13. Concilii Tridentini, genuinum fuisse confirmatur auctoritate Catechismi ejusdem Concilii, jussu S. Pii V. Pontificis Maximi promulgati, ubi (p. 2. cap. 25.) hæc leguntur: "Tria sunt maxime admiranda atque suspicienda, quæ in hoc Sacramento verbis consecrationis effici fides catholica sine ulla dubitatione credit ac confitetur. 1.—Primum est, verum Christi Domini corpus, illud idem quod natum ex Virgine, in cœlis sedet ad dexteram Patris, hoc Sacramento contineri. 2.—Alterum est nullam in eo elementorum substantiam remanere; quamvis nihil magis a sensibus alienum et remotum videri possit. 3.—Tertium est, quod ex utroque facile colligitur, etsi verba consecrationis id maxime exprimunt, *accidentia* quæ aut oculis cernuntur, aut aliis sensibus percipiuntur,

[1] Franzelin, de Eucharistia p. 264.

sine ulla re subjecta esse, mira quadam atque inexplicabili ratione. Ac panis quidem et vini *accidentia* omnia licet videre, *quæ tamen nulli substantiæ inhærent, sed per se ipsa constant:* cum panis et vini substantia in ipsum Domini corpus et sanguinem ita mutetur, ut panis et vini substantia omnino esse desinat."

Probatur thesis 5.—Ex rationibus theologicis ; quarum prima deducitur ex verbis Christi, "hoc est corpus meum :" nam propositionis veritas omnino requirit ut pronomen *hoc* possit aliquod individuum sensibile designare, quod in initio et in fine propositionis idem sit, saltem per habitudinem ad eadem numero accidentia : debent ergo illa ipsa accidentia, sub quibus substantia panis erat initio propositionis, manere in fine ejusdem propositionis, quando non amplius substantia panis adest, sed solum corpus Christi, in quod panis substantia conversa fuit. "Necesse est," ait S. Thomas,[1] "aliquid remanere, ut verum sit quod dicitur: 'hoc est corpus meum ;' quæ quidem verba sunt hujus conversionis significativa et factiva. Et quia substantia panis non manet, nec aliqua prior materia, ut ostensum est, necesse est dicere quod maneat id quod est præter substantiam panis. Hujusmodi autem est accidens panis. Remanent ergo accidentia panis etiam post conversionem."

Præterea, si nihil reale sensibile maneret ex pane et vino, facta transsubstantiatione, Eucharistia non esset signum sensibile, ac proinde non esset sacramentum, præsertim cum hostia clauderetur in pixide: quæ omnia repugnant fidei.—Insuper, si vera esset adversariorum doctrina, sequeretur in hoc mysterio sensus nostros rite dispositos decipi circa objectum suum proprium debite propositum; quod tamen et rationi manifeste repugnat, et ab Ecclesia expresse rejicitur cum in Officio divino de corpore Christi hæc verba recitanda præcipiat:[1] "sensus [in Sacramento altaris] *a deceptione redduntur immunes,* qui de accidentibus judicant sibi notis."

Nec reponant adversarii etiamsi accidentia absoluta dicantur existere, semper aliquam inveniri in Eucharistia deceptionem sensuum, cum ex eorum testimonio videatur substantia panis et vini adesse sub illis accidentibus, et nulla reapse adsit. Respondemus sensus bene dispositos,

---

[1] In lect. 6. 2. noct., desumpta ex opusc. 57. S. Thomæ. [2] Cont. Gent. l. 4. c. 63.

non falli circa *objecta propria* sensibilia, debite proposita; et objecta hæc propria *qualitates sensibiles* esse;[1] si ergo hæ realiter existunt, dum eas sensus referunt, hi non falluntur. Cum autem substantia non sit sensibile proprium sensus, sed tantum sensibile per accidens; substantiam sub accidentibus existentem non sensus percipere debet, sed intellectus, sive ex lumine rationis, sive ex illustratione fidei. Sane accidentia sensibilia sunt *naturalia* signa internæ substantiæ, ideoque significant sub illa specie, juxta naturæ ordinem, latere subjectum proprium eorumdem accidentium, idest substantiam, quæ natura sua hæc accidentia habere potest et habet: sed eo ipso quod significant solum *naturaliter* sub illa specie talem latere substantiam, nullatenus excludunt aliam substantiam quæ *supernaturaliter* sub eis adesse possit.— Hinc in augustissimo Sacramento altaris accidentia panis, quæ manent, ostendunt *naturaliter* sub eis latere panis substantiam: et in hoc nulla est falsitas, aut deceptio, sed tota veritas. Quod autem sub eis non panis sit, sed corpus Christi, id *non naturaliter*, sed divina operante virtute *supernaturaliter* factum est, et noscitur per revelationem:—ex qua intellectus, ne judicet in hoc mysterio de substantia sub speciebus existente, secundum id quod *naturaliter* fit in aliis rebus sensibilibus, illustratur ac dirigitur. Quare, admissa realitate specierum sacramentalium, nulla in Sacramento veritatis invenitur falsitas:—nam fideles non falluntur, quia sciunt testimonio Dei et Ecclesiæ ibi esse accidentia sine substantia; et infideles, qui utique falluntur, vel *ex propria culpa* falluntur quia nolunt Deo et Ecclesiæ credere, vel *solum ex ignorantia mysterii, et non ex falsitate quæ sit in re.*

Demum confirmamus thesim ostendendo adversarios in re præsenti erronea ratiocinandi methodo procedere, et inniti ad suam sententiam defendendam fundamento pessimo.—Etenim, ad methodum quod attinet, non modo theologus, sed christianus philosophus illam methodum sequi debet, juxta quam theologiæ subservientem habens philosophiam, ita nobilissimam hanc scientiam prosequatur, ut ad divinam revelationem, et ad doctrinam a Patribus traditam circa res fidei, aut cum fide intime conjunctas, veluti ad rectricem stellam oculos vertat, eaque prælucente, in suis investigationibus ab illis caveat, quæ plus minusve

---

[1] V. S. Thomam contra Gentes, l. 2. c. 66.

adversantur revelationi, traditioni et sensui Ecclesiæ.[1] Quapropter cum de natura et qualitatibus corporum sermo erit, primo quid Ecclesia doceat quod cum his arctum habeat nexum inquiri debet, deinde quid conformius doctrinæ traditæ dici posssit investigandum erit. At adversarii nostri oppositam methodum secuti sunt: ex præconcepta enim philosophica opinione, de distinctione reali nulla substantiam inter et accidentia, primo statuerunt panis et vini accidentia in Eucharistia manere non posse a panis et vini substantia separata; et propter hanc opinionem deinde dixerunt *species* sacramentales objectivam realitatem non habere, sed *apparere* nobis ut realiter extra nos existentes ex divina operatione in sensibus nostris.—Præposteram methodum secuti sunt adversarii et ad erroneam devenerunt conclusionem.

Sed præterea, quid de opinione philosophica, qua innituntur, dicendum est? De ea, in Cosmologia ut in proprio loco, agitur, ibique plenissime refutatur, demonstrando in rebus creatis, præter substantias, accidentia realia a substantiis realiter distincta esse admittenda. Et certe realia atque a substantia realiter distincta dici debent accidentia quæ et positivæ actionis sunt effectus, et substantiæ realem mutationem afferunt, et permanente substantia advenire possunt, vel discedere. Sane si per hujusmodi accidentia, puta magnitudinem, colorem et alia quæ corpori accidunt et in eo mutantur, mutatio quædam realis in corpore efficitur, et tamen talis ut ipsa eadem res in sui natura non mutetur, adeoque idem, cum fiunt, maneat subjectum harum mutationum, ac erat antequam fierent, et idem subjectum maneat si id, quod acciderat, amplius non existat; quis dubitabit quod per hanc mutationem aliquid a subjecto diversum, ac realiter ab eo distinctum, in subjecto incepit esse, aut in eo esse desinit?[2]

---

1) V. Ep. Papæ Pii IX. ad Arch. Monacensem, dat. 21. Dec. 1863.

2) Leibnitz, in opere posthumo cui titulus *Systema Theologicum*, habet ad rem nostram sequentia scitu dignissima. Opus primo vulgatum fuit Parisiis, anno 1819., et statim post in Germania editum. Ex anglica versione Caroli G. Russell, Professoris historiæ ecclesiasticæ in Collegio S. Patricii, Maynooth, desumimus loca quæ hic citantur. En verba Leibnitzii:

"As there are, especially among the members of the Reformed Church, some eminent and acute-minded men, who, deeply imbued with the principles of a certain new and captivating philosophy, imagine, to use their own language, that they understand clearly and distinctly that the essence of a body consists in extension; that accidents are but modes of a substance; and therefore that they can no more subsist without a subject, or be separated from a substance, than uniformity of cir-

Hæc et alia argumenta a philosophis declarantur: hic tamen præterire nequeo illud quod de opinione, quam tuentur adversarii, senserunt Patres, qui non minus philosophi summi fuerunt quam theologi. Pro omnibus audiantur Basilius et Augustinus.

S. Basilius (in Hexaem. hom. 6. n. 3.) ait: "Nec cuiquam incredibile videatur quod dictum est, lucis scilicet splendorem, aliud quiddam esse; aliquid vero aliud, ipsum corpus luci subjectum. Primum quidem ex eo quod composita omnia sic a nobis dividantur, *et in recipientem substantiam, et in qualitatem ipsi advenientem.* Quemadmodum igitur aliud natura est albor, aliud corpus dealbatum: sic etiam quæ modo retulimus, *licet natura diversa*, tamen Creatoris potentia fuere conjuncta. Nec mihi dixeris fieri non posse, ut hæc a se invicem separentur. Neque enim aio lucis a solari corpore separationem mihi et tibi esse possibilem: sed quæ nostra cogitatione dividi possunt, ea dico a naturæ Conditore etiam reipsa sejungi posse."

Et S. Augustinus (de Trinitate, l. 5. c. 10. n. 11.) dixit: "In rebus quæ participatione magnitudinis magnæ sunt, quibus est aliud esse,

cumference can be separated from a circle; and as it is from this fancied evidence that their deplorable and almost insuperable aversion for the doctrines of the Catholic Church arises, I think that it is our duty to consult for their malady; and that Catholic philosophers should labour (as the Council of Lateran directed to be done against those who erred regarding the nature of the soul), not only to satisfy the objections clearly and lucidly, but even to establish accurately the contrary doctrine. . . . Our brief limits, it is true, do not permit us to enter at much length into philosophical discussions; but it will be enough for us to observe, in passing, that we too have applied, and that not merely in a perfunctory manner, to the study of mathematics, mechanics, and experimental philosophy; and though it must be confessed that in the beginning we inclined to the very opinions to which we have just alluded, yet we have been compelled, by the progress of study, to return to the principles of the old philosophy. . . . . . This resistance or mass, and this effort to act, or motive power, are distinct from matter, or the primary power of suffering or resisting, and from substantial form, or the primary power of acting, which others call the first act; because the secondary powers may be limited or increased, while the primary powers remain unchanged. . . . . Here, then, we have two absolute qualities, or real accidents—mass or power of resisting, and effort or power of acting; and these qualities certainly are not modes of a corporeal substance, but something absolute and real superadded to it; for, when they are changed, a real change takes place, while the substance remains. And, in general, either there must exist real or absolute accidents, which are distinguished from the substance by some other distinctions besides modal ones (as those which we call relations ordinarily are); or every real change must also be essential or substantial—an alternative which will not be admitted even by those who deny the existence of real accidents."—A system of theology by Godfrey William von Leibnitz translated, with an Introduction and Notes, by Charles W. Russell D. D. London, 1850. p. 110–115.

aliud magnas esse, sicut magna domus, et magnus mons . . . in his ergo rebus aliud est magnitudo, aliud quod ab ea magnitudine magnum est, et prorsus non hoc est magnitudo quod est magna domus."—Et in eod. opere (l. 7. c. 1. n. 2.): "Candor corporis," inquit, "non est essentia, quoniam ipsum corpus essentia est, et illa ejus qualitas; unde et ab ea dicitur candidum corpus, cui non hoc est esse quod candidum esse. Aliud enim ibi forma, et aliud color; et utrumque non in seipso, sed in aliqua mole; quæ moles nec forma, nec color est, sed formata et colorata."

Hinc S. Anselmus, catholicæ philosophiæ traditionem optime tenens, merito hanc sententiam pronuntiare poterat:[1] "Illi utique nostri temporis dialectici (in dialectica hæretici, qui nonnisi flatum vocis putant esse universales substantias, et *qui colorem non aliud queunt intelligere quam corpus*, nec sapientiam hominis aliud quam animam) prorsus a spiritualium quæstionum disputatione sunt exsufflandi."

Nec difficultatem facessit illud Augustini,[2] quod pro se afferunt Cartesiani: "Prius abs te quæro utrum corpus nullum putes esse, quod non pro modo suo habeat aliquam longitudinem et latitudinem et altitudinem? . . . Si hoc demas corporibus, quantum mea opinio est, neque sentiri possunt, neque omnino corpora esse recte existimari."—In hoc loco, et in similibus, S. Doctor minime docet essentiam corporis in tribus dimensionibus esse positam, ac proinde nullum corpus dari posse absque illis, nec quantitatem existentem sine corpore quod illam habeat quantitatem esse possibilem; sed hoc unum sibi vult, nempe nullum corpus *naturaliter* esse posse quod tribus dimensionibus, ideoque quantitate omni expers sit; quamvis divina virtute quantitas a corpore, quod eam habet, separari queat.

Objicitur, inhærentiam actualem, seu existentiam actualem in alio de essentia esse accidentis actu existentis; ideoque nec divinitus fieri posse ut accidens existat non inhærens in suo subjecto: si enim id fieri posset jam accidens amplius non esset, sed substantia. At utrumque est falsum:—de natura accidentis est ut *aptitudinem* inhærendi in alio habeat, sed non necessario ut *actu* in eo inhæreat; nec cessat illa aptitudo ad inhærendum in alio, si accidens a substantia, in qua inhærebat, maneat divinitus separatum et sine subjecto. "Non est definitio substantiæ," ait S. Thomas,[3] "ens per se sine subjecto, nec definitio acci-

---

[1] De fide Trin. c. 2. in ed. Migne p. 265.
[2] De quantitate animæ n. 6.
[3] 3. p. q. 77. a. 1. ad 2.

dentis, ens in subjecto; sed quidditati seu essentiæ substantiæ competit habere *esse* non in subjecto; quidditati autem sive essentiæ accidentis competit habere *esse* in subjecto. In hoc autem sacramento non datur accidentibus quod ex vi suæ essentiæ non sint in subjecto, sed ex divina virtute sustentante; et ideo non desinunt esse accidentia, quia nec separatur ab eis definitio accidentis, quæ est aptitudo ad subjectum, quæ semper manet in iis, non actualis inhærentia, nec competit eis definitio substantiæ."

Hanc responsionem optime declarat Bellarminus.[1] "Habent accidentia triplicem ordinem ad substantiam. Primus est essentialis, quia, ut dixi, sunt entia essentialiter imperfecta, et ideo essentialiter respiciunt substantiam. Hic autem ordo non est relatio proprie dicta, sed est ipsa natura imperfecta, et ratione hujus dicitur esse non tam ens, quam entis, et ejus esse dicitur inesse, quia ordinatur ad inhærendum in subjecto. Secundus ordo est quædam potentia, seu aptitudo ad inhærendum: et hic ordo non est de essentia, sed est proprietas quædam accidentis, quæ oritur ex natura illa imperfecta, ut diximus. Tertius ordo est actualis inhærentia, qui est quasi actus quidam et officium accidentis, et proinde quid posterius ipso accidente. Non enim accidens, verbi gratia candor talis est, quia facit parietem candidum, sed contra, ideo facit parietem candidum, quia ipse in se est candor. Nulla igitur repugnantia admittitur, si divina potentia separaretur accidens ab eo, quod nec est de essentia ejus, et a quo ipsum non pendet, cum sit prius."

Concludamus ex dictis Deum sine dubio posse accidentia sensibilia corporis ab eo separata conservare, idque in Eucharistia efficere ubi manent accidentia panis et vini sine subjecto.

Quod autem spectat *modum quo manent*, adnotetur *accidentia omnia* manere sine subjecto, si attendatur *subjectum ultimum*, seu substantia, in qua ultimo inhærent omnia: at si consideretur *subjectum immediatum* inhæsionis, probabilius dici *solam quantitatem* manere sine subjecto, et cetera in ea existere et ab ea veluti sustentari. "Necesse est," ait S. Thomas,[2] "dicere accidentia alia quæ remanent in hoc sacramento esse sicut in subjecto in quantitate dimensiva panis vel vini remanente: primo quidem per hoc quod ad sensum apparet aliquid quantum esse

[1] De sacram. Eucharistiæ, l. 3. c. 24. [2] 3. q. 77. a. 2.

ibi coloratum, et aliis accidentibus affectum, nec in talibus sensus decipitur. Secundo, quia prima dispositio materiæ est quantitas dimensiva. . . . . . Et quia primum subjectum est materia, consequens est quod omnia alia accidentia referantur ad subjectum, mediante quantitate dimensiva, sicut et primum subjectum coloris dicitur esse superficies, ratione cujus quidam posuerunt dimensiones esse substantias corporum, ut dicitur in 1. Metaph. text. 19. et seq. Et quia subtracto subjecto remanent accidentia secundum *esse* quod prius habebant, consequens est quod omnia accidentia remaneant fundata super quantitatem dimensivam. Tertio, quia cum subjectum sit principium individuationis accidentium, oportet id quod ponitur aliquorum accidentium subjectum, esse aliquo modo individuationis principium. Quantitas autem dimensiva est quoddam individuationis principium. Est enim de ratione individui quod non possit in pluribus esse, quod quidem contingit dupliciter: uno modo quia non est natum esse in aliquo, et hoc modo formæ immateriales separatæ per se subsistentes sunt etiam per seipsas individuæ; alio modo ex eo quod forma substantialis vel accidentalis est quidem nata in aliquo esse, non tamen in pluribus, sicut hæc albedo, quæ est in hoc corpore. Quantum igitur ad primum, materia est individuationis principium omnibus formis inhærentibus, quia cum hujusmodi formæ, quantum est de se, sint natæ in aliquo esse sicut in subjecto, ex quo aliqua earum recipitur in materia, quæ non est in alio, ideo nec forma ipsa sic existens potest in alio esse. Quantum autem ad secundum, dicendum est quod individuationis principium est quantitas dimensiva. Ex hoc enim aliquid est natum esse in uno solo, quod illud est in se indivisum et divisum ab omnibus aliis. Divisio autem accidit substantiæ ratione quantitatis, ut dicitur in 1. Physic., text. 15. et 16. Et ideo ipsa quantitas dimensiva est quoddam individuationis principium in hujusmodi formis, in quantum scilicet diversæ formæ numero sunt in diversis partibus materiæ; unde et ipsa quantitas dimensiva secundum se habet quamdam individuationem."

Si petas, utrum accidentia Eucharistica valeant agere in corpora quæ circumstant, responsum non erit dubium. Etenim accidentia Eucharistica manent supernaturaliter in eo *esse* quod habebant, substantia panis et vini existente: sed "unumquodque," ait S. Thomas,[1]

---

[1] Ibid. a. 3.

"sicut se habet ad *esse*, ita se habet ad *agere*: . . . . . . consequens est quod etiam [accidentia] remaneant in suo *agere*, et ideo omnem actionem quam poterant agere, substantia panis et vini existente, possunt etiam agere, substantia panis et vini transeunte in corpus et sanguinem Christi. Unde non est dubium quod possunt immutare exteriora corpora."

Et ad difficultatem:[1] "Omnes formæ accidentales agunt instrumentaliter in virtute formæ substantialis, tamquam principalis agentis. Cum ergo in hoc sacramento non remaneat forma substantialis panis et vini . . . . . . videtur quod formæ accidentales remanentes agere non possint ad immutationem exterioris materiæ;" S. Doctor respondet:—"Ita actio formæ accidentalis dependet ab actione formæ substantialis, sicut *esse* accidentis dependet ab *esse* substantiæ; et ideo sicut divina virtute datur speciebus sacramentalibus ut possint esse sine substantia, ita datur eis ut possint agere sine forma substantiali virtute Dei, a quo sicut a primo agente dependet omnis actio formæ et substantialis et accidentalis."

Ex eodem principio, nimirum, "species sacramentales retinere idem *esse* quod prius habebant, substantia panis et vini existente," S. Thomas, admirabili claritate declarat, quomodo species sacramentales corrumpi possint, et quandonam maneat vel desinat esse Christus sub illis speciebus, quæ corrumpuntur. Lucidissimam expositionem Doctoris Angelici quasi piaculum reputárem obtenebrare verbis meis:—referam ergo illam integram, prout legitur in 3. p. q. 77. a. 4.

"Respondeo dicendum," inquit Angelicus, "quod corruptio est motus ex *esse* in *non esse*. Dictum est autem supra, art. præc., quod species sacramentales retinent idem *esse* quod prius habebant, substantia panis et vini existente. Et ideo sicut *esse* horum accidentium poterat corrumpi, substantia panis et vini existente, ita etiam potest corrumpi, illa substantia abeunte.

Poterant autem hujusmodi accidentia primo corrumpi dupliciter: uno modo per se, alio modo per accidens. Per se quidem, sicut per alterationem qualitatum, et augmentum vel diminutionem quantitatis, non quidem per modum augmenti vel diminutionis, qui invenitur in solis corporibus animatis, qualia non sunt substantia panis et vini, sed

[1] Art. cit. ad 2.

per additionem vel divisionem; nam, sicut dicitur 3. Metaph., text. 17. per divisionem una dimensio corrumpitur, et fiunt duæ; per additionem autem e converso, ex duabus fit una. Et per hunc modum manifeste possunt corrumpi hujusmodi accidentia post consecrationem, quia et ipsa quantitas dimensiva remanens potest divisionem et additionem suscipere; et cum sit subjectum qualitatum sensibilium, sicut dictum est art. 2. huj. qu., potest etiam esse subjectum alterationis earum, puta si alteretur color aut sapor panis aut vini.

Alio modo poterant corrumpi per accidens per corruptionem subjecti, et hoc modo possunt corrumpi etiam post consecrationem; quamvis enim subjectum non remaneat, remanet tamen *esse* quod habebant hujusmodi accidentia in subjecto, quod quidem est proprium et conforme subjecto; et ideo hujusmodi *esse* potest corrumpi a contrario agente, sicut corrumpebatur substantia panis vel vini, quæ etiam non corrumpebatur, nisi præcedente alteratione circa accidentia.

Distinguendum tamen est inter utrumque modum prædictarum corruptionum, quia, cum corpus Christi et sanguis succedant in hoc sacramento substantiæ panis et vini, si fiat talis immutatio ex parte accidentium, quæ non suffecisset ad corruptionem panis et vini, propter talem immutationem non desinit corpus et sanguis Christi esse sub hoc sacramento; sive fiat immutatio ex parte qualitatis, puta cum modicum immutatur color aut sapor panis vel vini; sive ex parte quantitatis, sicut cum dividitur panis aut vinum in tales partes, quod adhuc in eis possit salvari natura panis aut vini. Si vero fiat tanta immutatio quod fuisset corrupta substantia panis aut vini, non remanent corpus et sanguis Christi sub hoc sacramento; et hoc sive ex parte qualitatum, sicut cum ita immutatur color, et sapor, et aliæ qualitates panis et vini, quod nullo modo possint compati naturam panis aut vini; sive etiam ex parte quantitatis, puta si pulverizetur panis, vel vinum in tam minutas partes dividatur, ut jam non remaneant species panis vel vini."

Quæstio modo soluta aperit viam ad aliam quæstionem, quam ipse S. Thomas dixit *difficilem*. Ex corruptione specierum sacramentalium fit generatio aliarum substantiarum, et pari ratione possunt species sacramentales in substantiam corporis humani converti per nutritionem. Quomodo hæc fiunt?

Duæ probabiles solutiones huic quæstioni a Theologis proponuntur. Una est communior, et a multis Thomistis etiam admissa, quod "in ipso ultimo instanti corruptionis specierum, redit *non quidem substantia panis et vini,* quia illud idem instans est in quo primo habent *esse* substantiæ generatæ ex speciebus; sed *materia* panis et vini, quæ magis creata diceretur quam rediens, proprie loquendo."—Hanc solutionem, S. Thomas nedum improbaverit, dixit sustineri posse; et si eidem alteram, quam proposuit, prætulit, id unice fuit quia, ut ipse ait, "non rationabiliter videtur dici quod miraculose aliquid accidat in hoc sacramento, nisi ex ipsa consecratione."

Verum ut hic adnotat Card. Toleto,[1] qui tenet sententiam mox propositam, materia de novo creanda crearetur a Deo *absque miraculo.* "Illam actionem," inquit, "quamvis sit solius Dei, non dici miraculosam, quando eam aliqua lex naturalis aut supernaturalis a Deo instituta postulat et exigit. V. g. creatio animæ rationalis non dicitur miraculum; nam lex naturæ eam a Deo petit. Lex enim naturæ petit, in materia disposita perfecte esse convenientem inducendam formam. Similiter propter legem supernaturalem non est miraculum Deum creare gratiam in anima, si creatio dicenda est. Miracula namque supra leges ordinarias Dei fiunt. Quum igitur lex naturæ sit, ut existente dispositione conveniente ad formam, sit talis forma; et per miraculum consecrationis accidentia sint per se, ut possint recipere dispositionem convenientem formæ; sequitur ut, tali posita, debeat esse forma; quumque ad hanc opus sit materia, consequenter Deus dat illam; nec est miraculum, sicut nec est in animæ creatione."

Attamen sententia, quam præelegerat Sanctus Thomas docet "quod quantitas dimensiva panis et vini *retinet naturam propriam, et accipit miraculose vim et proprietatem substantiæ;* et ideo potest transire in utrumque, id est in substantiam et dimensionem." Idque S. Doctor ita declarat: "Melius videtur dicendum quod in ipsa consecratione miraculose datur quantitati dimensivæ panis et vini, quod sit primum subjectum subsequentium formarum. Hoc autem est proprium materiæ; et ideo ex consequenti datur prædictæ quantitati dimensivæ omne illud quod ad materiam pertinet; et ideo quidquid posset generari ex materia panis vel vini, si adesset, totum potest generari ex prædicta

[1] In 3. S. Thomæ, q. 77. a. 5. *Quarta Conclusione.*

quantitate dimensiva panis vel vini, non quidem novo miraculo, sed ex vi miraculi prius facti."

Nota.—Ut innotescat quanti in quæstione præsenti, et in aliis præsentiam Christi Domini in Eucharistia spectantibus, doctrina S. Thomæ facienda sit, subjiciam stupendum prodigium, quod in Vita Doctoris Angelici ab historicis narratur, et præsertim ab illustri ejus biographo coævo Gulielmo de Tocco. Quod hic auctor refert, S. Antoninus Archi-
§ 7.) et invenies etiam apud Bullandistas (Mensis Martii, t. 1. n. 53.).
episcopus Florentinus ad verbum transcripsit (Hist. 3. p. tit. 28. cap. 7.

Hæc sunt verba agiographi :—"Aliud admirandum divinæ virtutis prodigium prædicto Doctori dicitur divinitus esse monstratum. Nam cum Magistri Parisienses diversas rationes adinvenissent *super quæstione de dimensionibus Corporis Jesu Christi, et de accidentibus existentibus sine subjecto* in sacramento ipsius corporis et sanguinis, quorum accidentium probat evidentiam sensus, et sine subjecto existentiam suadet fidei intellectus ; et dicti Magistri super modo docendi hoc mysterium discordarent ; in hanc sententiam convenerunt, ut quidquid super hoc prædictus Doctor F. Thomas diceret, et *sententialiter definiret*, hoc ab omnibus teneretur ut verum et consonum fidei, et persuasibile ratione, de quo experti fuerant in aliis quod subtilius in omni quæstione veritatem attingeret, et clarius edoceret. Super qua quæstione cum delata fuissent ad eum omnia in scriptis, quæ unusquisque sentire videbatur, recollecto intra se spiritu, et in contemplatione elevato altius intellectu, præmissa more solito oratione devota, quod invenire potuit, et quod Deus ei dignanter infudit, quo *brevius et clarius* potuit, *scriptura* digessit.

Quæ cum non præsumeret, *ut in scholis coram Magistris proponeret*, nisi prius Ipsum consuleret, de quo erat quæstio, quem oraverat ut doceret ; accedens ad altare, quaternum quem scripserat de quæstione prædicta ante se, quasi coram suo Magistro, posuit, et elevatis ad Crucifixum manibus sic oravit : Domine Jesu Christe, qui in hoc sacramento mirabili veraciter contineris, et res mirabiliter operaris, ut artifex, in quo te quæro intelligere et te veraciter edocere, rogo suppliciter, ut si ex te, et de te sunt vera, quæ scripsi, concedas mihi illa dicere et aperte disserere. Sin autem aliquid scripsi, quod non sit fidei consonum, et ab hujus sit sacramenti mysteriis alienum, impedias ne possit procedere

quæ videntur a fide catholica deviare. Quem Doctorem orantem cum prædictus ejus Socius, cum aliquibus aliis fratribus observaret, subito viderunt Christum ante dictum Doctorem super quaternum quem scripserat, stare, et Fr. Thomæ dicere: *Bene de hoc mei Corporis sacramento scripsisti; et de quæstione tibi proposita bene et veraciter determinasti: sicut ab homine in via potest intelligi, et humanitus definiri.* Quo diutius in oratione perdurante, quem intellectualis non sensualis visio delectabat, visus est Doctor prædictus, quasi per unum cubitum elevari in aerem, quem tanta virtus contemplationis erexerat, et divina assistentia attrahebat. Ad quod prodigium intuendum Priorem conventus et plures alios, fratres, quibus revelatum erat hoc mirabile, pro testimonio vocaverunt. Qui venientes viderunt, et pluribus aliis retulerunt, inter quos fuit frater Martinus Schola de provincia Hispaniæ, vir magnæ devotionis et famæ, qui audivit a fratre, qui prædictam vidit mirabilem visionem, qui eam in conventu s. Maximi prædicto fratri et ejus socio, qui pro Canonizatione prædicti Doctoris, ad curiam accedebant, coram pluribus retulit, et certa attestatione firmavit, reputans quod ad Dei et Sancti gloriam cederet, si quod de tanto Doctore audiverat, revelaret. Qui Doctor cum mirifice certus esset effectus de definitiva propositæ quæstionis veritate, tam *lætanter et lucide quæstionem propositam coram Universitate proposuit*, quia evidenter Christus de quo erat quæstio, Doctorem suum de veritate plenius illustraverit."

Doctor Petrus Ant. Uccelli, codicum, qui nobis exhibent opera S. Thomæ, peritissimus, putat solutiones quæstionum, de quibus in narratione miraculi sermo est, contineri in opusculo cui titulus: "*super quæstione de dimensionibus corporis Jesu Christi, et de accidentibus existentibus sine subjecto in sacramento ipsius corporis et sanguinis.*" In illo autem opusculo,[1] de eucharisticis accidentibus, hæc habentur:

"Trigesimus quintus articulus est, an species sacramentales sine subjecto remanentes possint naturaliter agere, immutari et corrumpi sicut prius.

Quantum ad aliquid verum est, et quantum ad aliquid non. Nihil enim potest agere vel pati nisi præsupposito suo esse. Quod autem in

[1] Descriptionem, vindicationem et textum opusculi invenies in dissertatione D. Uccelli edita in Neapolitana ephemeride "La Scienza e la Fede," an. 19. (1859.) p. 304.

esse conserventur absque subjecto miraculosum est; et quantum ad hoc actio consequens miraculosa est et similiter passio secundum quod dimensio miraculose subsistens, miraculose habet officium subjecti et materiæ, cujus est pati."

ARTICULUS SEPTIMUS

De modo quo Christus est sub speciebus sacramentalibus.

Ad plenam doctrinæ catholicæ de reali Christi præsentia in Eucharistia propositionem ac vindicationem, superest ut dicatur de modo quo Christus est sub speciebus sacramentalibus; idque, jam ex præcedentibus satis apertum, præstabit breviter

THESIS VI.

Christus in Eucharistiæ sacramento sub unaquaque specie, et sub singulis cujusque speciei partibus totus continetur, non modo separatione partium facta, sed etiam ante separationem.

Tria in thesi enunciantur; et horum duo priora *de fide* sunt, videlicet: Christum totum (seu corpus ejus, sanguinem, animam et divinam naturam in persona Verbi subsistentem), esse sub unaquaque specie in sacramento;—et ipsum Christum totum esse sub qualibet specierum parte, saltem facta partium separatione. Hæc definita fuerunt in Conc. Trid. sess. 13. can. 3. in quo statuitur: "Si quis negaverit in venerabili sacramento Eucharistiæ sub unaquaque specie, et sub singulis cujusque speciei partibus, separatione facta, totum Christum contineri, anathema sit."—Tertium thesis enunciatum, scilicet, Christum totum sub singulis cujusque speciei sacramentalis partibus contineri *etiam ante factam separationem*, etsi *de fide non sit*, est tamen omnino *certum*.

I. — Probatur thesis 1. *enunciatum*. *a*) Ex Evangelio Joannis, cap. 6. ubi Christus dixit (vers. 58.): "Qui manducat *me* et ipse vivet

propter me." Illud *me*, totum Christum significat, ut ex duabus naturis, divina nempe et humana, et persona divina Verbi constat: ergo quando sub una specie, manducando, Christus sumitur, totus sumitur.

b) Ex verbis consecrationis. Etenim dum dicitur "hoc est corpus meum" efficitur præsens Christi corpus, quod nunc est pars inseparabilis totius Christi. Atqui dum talis pars efficitur præsens, eo ipso totum, cujus illa est pars, præsens etiam efficitur. Ergo dum præsens sub specie panis fit corpus Christi, sub eadem specie præsens fit totus Christus.—Simili pacto arguitur ex verbis secundæ consecrationis, "hic est sanguis meus."

Adnotari tamen debet: 1.—corpus Christi est sub specie panis, et sanguis sub specie vini *ex vi verborum;* quia illa *vi verborum* fiunt præsentia in sacramento sub speciebus, *quæ per verba consecrationis expresse significantur:*—corpus vero sub specie vini, sanguis sub specie panis, et anima sub utraque specie, sunt ex *vi naturalis connexionis et concomitantiæ,* qua partes Christi Domini, qui jam ex mortuis resurrexit, non amplius moriturus, inter se copulantur; et divinitas est cum corpore, sanguine et anima sub panis et vini specie, *propter admirabilem cum corpore et anima unionem hypostaticam.*—Id conceptis verbis, Concilium Tridentinum declaravit, sess. 13. capite 3.

Adnotari debet 2.—Ex modo dictis terminus *vi verborum consecrationis alterutrius significatus* non est totus ille qui *præsens adest* post peractam consecrationem: verba enim "hoc est corpus meum" *vi sua et formaliter* significant *corpus Christi,* sed non significant illud cum sanguine, aut absque sanguine, informatum vel non informatum anima, hypostatice unitum Verbo vel non; terminus vero *qui præsens adest* est corpus *ut extat quando verba consecrationis pronuntiantur.* Hinc *ratione personæ dicentis* "corpus meum," et *ratione unionis hypostaticæ perpetuæ et indissolubilis, præsens adest semper et necessario* corpus hypostatice unitum Verbo:—verbis iisdem "hoc est corpus meum" *præsens aderat in ultima cœna* corpus vivum cum sanguine, informatum anima, sed adhuc mortale:—*in triduo mortis Christi* per verba consecrationis primæ *præsens fuisset* corpus exsangue, inanimatum, at unitum Verbo; sicut per verba secundæ consecrationis *præsens fuisset* sanguis separatus, ut tunc erat, a corpore, sed unitus personæ Verbi:—nunc

demum, prima consecratione peracta, *præsens adest* corpus Christi, cum sanguine, Verbo unitum, animatum, et glorificatum.

c) Ex Traditione, cujus testimonia quædam jam citavimus cum ageremus de promissione Eucharistiæ et de perpetua Ecclesiæ fide circa realem Christi præsentiam in Sacramento altaris, confirmatur 1. thesis enunciatum. Revera Patres docent in Eucharistia esse *corpus Christi vivum, corpus unitum divinitati, corpus idem quod sedet ad dexteram Patris, totum Christum.*—Ita S. Ignatius Martyr, in Ep. ad Smyrneos, ait nos in Eucharistia comedere carnem, "quam Pater suscitavit;" et S. Cyril. Alexandrinus in Ep. ad Nestorium, quam Ephesina Synodus ratam habuit, Eucharistiam vocat, "vivificam Verbi carnem." S. Cyril. Hier.[1] eos, qui sumunt Eucharistiam, vocat "Christiferos," id est, non carnem tantum, sed ipsum Christum ferentes. S. Ambrosius[2] inquit: "In illo sacramento Christus est, quia corpus est Christi." S. Ephraem, in sermone de iis, qui Filii Dei naturam scrutantur, asserit in Eucharistia nos "Agnum ipsum integre" comedere. S. Hieronymus in Epist. ad Hedibiam (quæst. 2.) scribit: "Nec Moyses dedit nobis panem verum, sed Dominus Jesus, ipse conviva et convivium, ipse comedens et qui comeditur." Et in epistola 48. ad Pamachium, loquens de iis, qui Eucharistiam non audebant in Ecclesia sumere, domi autem sumebant eam, inquit: "An alius in publico, alius in domo Christus est?" S. Hilarius[3] docet, per manducationem fieri, ut "ipse Christus, Dei Filius, naturaliter maneat in nobis." S. Augustinus[4] ait, Christum "seipsum in manibus gestasse," quando in ultima cœna panem consecravit.

Præterea supremum latriæ cultum Ecclesia semper detulit Eucharistiæ;—in Liturgiis frequenter adorandum corpus et adorandus sanguis dicitur;—Concilium Constantiense, sessione 13., statuit: "Firmissime credendum est, et nullatenus dubitandum integrum Christi corpus et sanguinem tam sub specie panis, quam sub specie vini veraciter contineri;"—demum Florentina Synodus, in Decreto pro Armenis, aperte ait: "Totus Christus continetur sub specie panis, et totus sub specie vini."

II.—Probatur thesis 2. *enunciatum,* nimirum, totum Christum conti-

---

1) Catech. Myst. 4.

2) De Mysteriis c. 9.

3) L. 8. de Trinitate, n. 13.

4) In Ps. XXXIII. serm. 1. n. 10.

neri sub qualibet specierum parte, post factam saltem earum partium separationem:—

a) Ex eo quod factum est in ipsa Eucharistiæ institutione, quando Christus consecratas species divisit Apostolis. Etenim, etiamsi quis contenderet Christum Dominum ante consecrationem fregisse panem, et deinde singulas partes sejunctim consecratas dedisse Apostolis; ex historia evangelica hoc saltem est omnino evidens, nempe *singulos discipulos bibisse ex uno consecrato calice*,—"bibite," dixit enim Christus, "ex hoc omnes." Porro indubium est unumquemque discipulorum sub illa speciei vini parte, quam sumpserat, sumpsisse totum Christum: ergo Christus totus præsens fuerat sub singulis speciei vini partibus, saltem post divisionem factam illius speciei:—ex hoc autem recte concluditur sub singulis partibus *utriusque speciei* adesse Christum, saltem postquam facta fuerit partium separatio.

b) Id confirmatur ex perpetua Ecclesiæ praxi, juxta quam solet frangi hostia ad communicandos fideles; et si sensibilia fragmenta, etiam minima, ex hostia separentur, summa veneratione asservantur atque coluntur.—Confirmatur etiam ex gravibus pœnis, quas Ecclesia sacerdoti imposuit, ex cujus culpabili negligentia aliquid stillaverit de Christi sanguine. Et Concilium Florentinum, in Decreto pro Armenis, expresse dixit: "Sub qualibet quoque parte hostiæ consecratæ et vini consecrati, separatione facta, totus est Christus."

c) Idipsum ex certissima ratione theologica constat. Nam Christus tamdiu sub speciebus consecratis manet, quamdiu sub iisdem substantia panis conservari posset. Sed si substantia panis esset sub accidentibus quæ in Eucharistia manent, profecto substantia panis, facta divisione partium, in singulis partibus permaneret. Ergo et Christus manet in singulis speciei partibus, peracta partium separatione.—Id etiam, in præcedenti articulo (p. 140.) audivimus a S. Thoma: "Cum corpus Christi et sanguis," ait, "succedant in hoc sacramento substantiæ panis et vini, si fiat talis immutatio ex parte accidentium, quæ non suffecisset ad corruptionem panis et vini, propter talem immutationem non desinit corpus et sanguis Christi esse sub hoc sacramento."

III.—Probatur thesis 3. *enunciatum.*—*a*) Ex Concilio Tridentino, quod canone 3. sess. 13., *definivit* utique "Christum totum contineri

sub singulis cujusque speciei partibus, separatione facta;" sed in cap 3. ejusdem sessionis, absque ulla restrictione, simpliciter *docuit:* "totus et integer Christus sub panis specie, et sub quavis ipsius speciei parte, totus idem sub vini specie, et sub ejus partibus existit."—Et hanc, ut exponimus, fuisse mentem Concilii testatur etiam in historia Synodi Pallavicinus.[1]

b) Ex verbis consecrationis "hoc est corpus meum, hic est sanguis meus," demonstratur certo Christum præsentem esse totum sub quavis speciei parte ante divisionem. Etenim cum illa verba a ministro sacramenti, debita cum intentione, super validam materiam, panem nempe et vinum, pronuntiantur; significatur et efficitur ut sub ea specie, sub qua exhibebatur nobis substantia panis et vini, jam exhibeantur corpus et sanguis Christi, et sit præsens ibi, ut mox vidimus, totus Christus. Atqui sub quavis parte speciei continua, antequam verba consecrationis proferrentur, substantia panis et vini exhibebatur. Ergo sub quavis speciei parte continua exhibentur corpus et sanguis Christi, ac proinde adest præsens totus Christus, post consecrationem.

c) Ex secundo enunciato thesis constat, post divisionem partium, Christum totum esse sub singulis partibus. Ergo etiam ante divisionem totus Christus erat præsens sub singulis partibus.—Consequentia probatur, quia non est separatio partium speciei quæ facit Christum esse sub eis præsentem, sed consecratio; hæc enim sola est quæ ponit Christum in sacramento sub speciebus sacramentalibus. Ergo si præsens adest Christus sub speciebus sacramentalibus in partibus divisis, debuit adesse sub singulis specierum partibus antequam divisæ fuerint.—Quod argumentum illustrari et confirmari etiam potest e contrario. Nam si suppo-

---

1) "Finisce [il Soave] in dire: *fu ancora notata quella parola nell' anatematismo terzo, che tutto Cristo sia in ciascuna delle parti dopo fatta la separazione; poichè di là par necessario inferire, che non sia tutto in ciascuna delle parti eziandio innanzi la divisione.* Ottima logica! un vescovo da noi ricordato mostrò d'aver dubbio, che taluno interpretasse così, e nondimeno tutti gli altri vi scorsero tanta chiarezza in contrario che non riputarono far mestieri di maggior luce: ma il dir poi, che ciò paja *necessariamente inferirsi*, è argomentazione di non più intesa analitica. Perchè si condanna come eretico chiunque nega una cosa in tali determinate circostanze, è necessaria conseguenza che quella cosa sia falsa fuori di tali circostanze? Per figura, se diremo esser eresia il negar, che il carattere battesimale duri durante la vita, ne corremo per necessaria conclusione, che sia falsa la sentenza comunissima de'teologi, rimaner egli altresì dopo morte? Il più l'argomento terrebbe: *adunque non sarà manifesta eresia il negare, che Cristo sia tutto sotto ciascuna parte innanzi alla separazione:* del che ho io ragionato di sopra."—Pallavicino, Istoria del Concilio di Trento, l. 12. c. 7. n. 7.

nantur duo calices in quibus duæ sint consecratæ species, et hæ in uno solo calice conjungantur; Christus totus profecto erit in partibus hujus speciei conjunctis, quia propter solam conjunctionem specierum non amittit præsentiam, quam jam sub illis habebat vi verborum consecrationis.—Præterea potest sacerdos, sumpta hostia integra, solam dimidiam ejus partem consecrare, et sub illa dimidia parte esset totus Christus. Ergo ut totus Christus sit sub aliqua specierum parte non oportet ut actu sit divisa.

Nec dicatur si Christus totus esset sub qualibet specierum parte ante divisionem, cum species illæ dividi possent in infinitum, sequeretur infinite Christum esse in sacramento. Huic difficultati S. Thomas respondet: "numerus sequitur divisionem, et ideo quamdiu quantitas manet indivisa actu, *neque substantia alicujus rei est pluries sub dimensionibus propriis, neque corpus Christi sub dimensionibus panis*; et per consequens neque infinities, sed *toties in quot partes dividuntur.*"

Modus quo Christus præsens est sub speciebus Eucharisticis uberius ac penitius declaratur.

Ex dictis hactenus de reali Christi præsentia in Eucharistia sequentia doctrinæ capita deducuntur:

1.—*Corpus Christi in Eucharistia existit cum quantitate sua.*—Hanc communiter tenent omnes fere Theologi, qui contrariam opinionem quorumdam antiquorum doctorum, asserentium quantitatem corporis Christi neque vi verborum consecrationis neque per concomitantiam esse in sacramento, non modo rejiciunt, sed etiam *erroneam* pronuntiant, aut saltem *errori proximam.*—Probatur—*a*) quia juxta opinionem illam Christus non esset *totus* in sacramento, quum ipsius quantitas, et consequenter qualitas non sit: Patres vero, Conciliaque docent, ut *de fide* tenendum, *totum* Christum esse præsentem in Eucharistia.—*b*) Quia secundum eamdem opinionem sequeretur, Christum in sacramento existentem nullas habere operationes vitæ, quum sine quantitate nulla organa esse possint, quæ necessaria sunt ad vitæ operationes; ac proinde sequeretur etiam non esse in sacramento animam Christi, quæ informat corpus organizatum, et est principium vitæ: hæc

autem omnia admitti nequeunt absque hæresi.[1]—*c*) Quia esset ibi Christus sine figura; figura enim est terminus quantitatis.—*d*) Præterea in Eucharistia neque *caro* neque *ossa* essent corporis Christi; quia impossibile est carnem et ossa esse sine quantitate et qualitate.—*e*) Demum, "quantitas dimensiva corporis alicujus," ait S. Thomas,[2] "non separatur, secundum *esse*, a substantia ejus. Sed in hoc sacramento est tota substantia corporis Christi, ut supra habitum est. Ergo tota quantitas dimensiva corporis Christi est in hoc sacramento."

Quapropter, ut egregie post Altissiodorensem adnotavit Cardinalis Toletus,[3] in hoc sacramento quædam sunt *secundum naturam et secundum* intellectum, puta accidentia, quæ vera et naturalia accidentia sunt et comprehensibilia ab humano intellectu. Quædam sunt *supra naturam, sed non supra intellectum*, ut quod accidentia maneant sine subjecto: hoc enim fugit *naturalem* potestatem, sed *non intellectus captum*, quia potest intellectus percipere qualiter maneat accidens sine subjecto. Quædam sunt *supra naturam, et supra intellectum*, quæ nec natura potest facere, nec humanus capere intellectus; et hoc est quod *totus Christus, in sua quantitate extensus, sub tam parva maneat quantitate.* Hoc quidem intellectus credit fide; non potest tamen *naturaliter perfecte apprehendere nec imaginari.*—Sed humilitas, cum qua fides est, in hoc mysterio exigitur, non autem perfecta et distincta intelligentia.

2.—*Quantitas corporis Christi in sacramento altaris est quidem, juxta ea quæ nuper diximus, extensiva partium in ordine ad se, ita ut, ex. gr. caput continuetur collo, et collo mediante pectori; sed non est extensiva partium in ordine ad locum, ac proinde ad dimensiones seu quantitates specierum sub quibus est.*

"Quantitas," inquit Toletus,[4] "habet duo officia circa substantiam, in qua est. Unum, ipsius substantiæ partes inter se extendere, et divisionem unius ab altera facere. Alterum est, illas easdem partes locare, id est sic in loco constituere, ut una uni parti loci, altera alteri, et tota toti adæquate insit. Extenditur ergo et in se, et in ordine ad locum. Prius quidem est de ratione et natura quantitatis; nec enim potest

[1] "Quamvis substantia possit abstrahi a quantitate, tamen quod corpus vivat, et sit organicum, et non sit quantum, hoc *nec esse, nec intelligi potest.*" S. Bonav. 4. s. dist. 10. p. 1. a. 1. q. 2.

[2] 3. q. 76. a. 4. [3] In 3. p. S. Thomæ, q. 76. a. 4. [4] Loco superius citato, Concl. 3.

quantitas esse, quin tales in se partes habeat, et substantiam sic etiam afficiat. Posterius vero est passio quædam, et proprietas quantitatis, et velut quædam operatio et actus secundus ipsius; sicut caloris est calefactio, ut bene dixit Ægidius.

Dicimus ergo quantitatem corporis Christi in sacramento primum habere; unde partes in se extensæ sunt, et una extra aliam: tamen carent secunda positione; in ordine enim ad quantitatem panis et locum indivisibiliter se habent, ut tota quantitas corporis cuilibet respondeat parti specierum. Hoc autem difficile est, et mirabile; tamen Deo non impossibile: quod sic ostendo.

Quidquid non pertinet ad rei essentiam potest Deus auferre et impedire, re ipsa manente: sed ista secunda positio non est natura quantitatis, sed proprietas: potest ergo Deus illam separare a quantitate; sicut separavit in fornace calefactionem a calore ipso; et posset, si vellet, separare risibilitatem ab homine; et a sua natura humana, quam assumpsit, impedivit personalitatem illius propriam, quæ non minus erat tali naturæ naturalis, quam ista positio quantitati.

Hoc solum videtur discriminis, quod noster intellectus hoc non capit. Sed hic, ut diximus, non potest esse mensura potentiæ infinitæ. Sat est ostendere non esse repugnantiam, nec implicationem in natura ipsius rei, quum ad essentiam quantitatis non pertineat talis positio, sicut prior pertinet: ob id hæc non potest separari; potest autem posterior, non solum ubi nullus est locus, aut quantitas extrinseca, sed etiam ubi ista sunt, ut bene notat Scotus d. 10. q. 1. a. 2."

3.—*Corpus Christi sub speciebus sacramentalibus non est eodem prorsus modo quo sub illis erat substantia panis aut vini ante consecrationem.* Etenim species illæ, seu accidentia, *inhærebant* substantiæ panis et vini; at *non inhærent corpori* Christi:—*partes dimensionis* erant *partibus* illarum substantiarum *æquales;* at *non sic* quoad corpus Christi existens in sacramento sub dimensionibus panis et vini:—substantiæ illæ panis et vini *non erant totæ in qualibet parte* dimensionum; at corpus Christi *totum est* sub illis dimensionibus. *Est igitur corpus Christi sub speciebus, sicut substantia dicitur esse sub quantitate, remota tamen inhærentia, et ratione existendi in loco per talem quantitatem.*

4.—*Si Christus comparatur ad locum in quo species sacramentales sunt, potest quodammodo dici esse in loco, idest secundum quod præsens est realiter ubi sunt species consecratæ: sed non potest dici proprie locatus sive circumscriptive, sive definitive; et dici debet esse in Eucharistia sacramentaliter.*—Prior pars enunciati constat, quia specierum dimensiones adæquate continent Christum non secundum æqualitatem in quantitate, nec secundum partium conterminationem; sed secundum æqualitatem in continendo, cum totum contineant Christum realiter ibi præsentem, nec plus, nec minus.—Secunda pars etiam clara est, et admissa ab omnibus Theologis, *tum quoad rem ipsam, tum quoad modum loquendi,* si Christus dicitur in sacramento *non esse circumscriptive;* nam illud dicitur circumscriptive esse in loco, quod totum est in toto et cujus pars est in parte; ac proinde cujus quantitas ita ad locum commensurata sit, ut partes ejus correspondeant loci partibus: at quantitas Christi, ut dictum est, nec extensa est ad locum, nec illi commensurata.—Si vero quæritur, utrum Christus *definitive* sit in sacramento, discordant doctores *non quoad rem,* sed *quantum ad modum loquendi.* Quidam, quin aliud requirerent, dixerunt id esse *definitive* in aliquo quod est totum in toto et totum in qualibet parte; et hunc modum existendi opposuerunt modo *circumscriptive* existendi, juxta quem totum est in toto et pars est in parte. Secundum hanc explicationem anima dicitur esse definitive in corpore, et Deus in mundo, et Christus in sacramento; non tamen circumscriptive.

S. Thomas vero aliter intelligit illas voces. Nam 1. p. q. 52. art. 2. et 4. sent. d. 10. q. 1. a. 3. q. 2. id vocat esse definitive in aliquo, quod ex modo existendi illic non potest esse simul alibi, sive sit totum in parte, sive pars in parte. Sic anima est definitive in toto corpore, quia secundum modum generationis, quo illic est, non potest simul esse in alio corpore. At Christus, hoc sensu, non est definitive in sacramento, quia ibi est per conversionem panis in ipsum, quo modo potest esse simul alibi per alterius panis conversionem.

Modus loquendi, quem S. Thomas adhibet, magis accedit ad ipsius vocis significationem, a gravioribus theologis antiquioribus usurpatus fuit et communiter servatur etiam a recentioribus: illum et nos secuti sumus.—Dicimus ergo corpus Christi in Eucharistia esse *sacramentaliter,* quia nec ibi est circumscriptive, nec definitive, sed est *modo hujus sacra-*

menti proprio, qui nullum exemplum habet in natura, et antiquis Philosophis ignotus prorsus fuit, utpote qui humanæ mentis captum transcendit, et fide solum est cognoscibilis.

5.—*Non datur vera unio et compositio physica corporis et sanguinis Christi cum speciebus sacramentalibus, ex qua resultet unum compositum physicum, tamquam ex duabus partibus componentibus.*

Etenim vera unio physica, in qua duo extrema ita conjungantur ut proprie ac realiter unum efficiant, requirit "in utroque vel in altero extremo," adnotat Suarez,[1] "intrinsecum et realem modum unionis, essentialiter dependentem ab altero extremo cum quo est compositio, seu a toto composito, quatenus ipso destructo non potest ille modus conservari; sicut e converso, posito illo modo unionis, necesse est ut compositum resultet." Hic vero modus unionis neque in speciebus, neque in corpore Christi fingi potest: nam ad species quod attinet, facta consecratione, species *per se existunt*, ac proinde nequeunt habere realem modum qui requirat unionem earumdem specierum ad alterum: et quod spectat corpus Christi, illud non unitur accidentibus, ut eis per se ipsum *formaliter*, aut *materialiter*, aut *terminative* conferat effectum.

6.—*Conjunctio igitur inter species et corpus Christi est appellanda sacramentalis.*—Sensus hujus enunciati est, conjunctionem inter illa duo esse ad unum sacramentum efformandum, in quo corpus Christi, vi institutionis, sit significatum et demonstratum per speciem panis; sicut ante consecrationem, seu antequam sacramentum conficeretur, naturaliter significabatur sub eadem specie et demonstrabatur substantia panis:—et sicut hæc substantia *naturaliter* ab ea specie inseparabilis erat; sic, vi institutionis, inseparabile sit ab illa eadem specie corpus Christi, quod per consecrationem loco panis positum fuit.—Quod autem dicitur de unione corporis cum specie panis, id ipsum, ut patet, dici debet de unione sanguinis Christi Domini cum specie vini.

Hac posita conjunctione inter species sacramentales et corpus ac sanguinem Christi, quædam mutationes, quæ fiunt in speciebus possunt de corpore et sanguine Christi prædicari; aliæ vero non. Sic,

[1] In 3. p. q. 75. a. 1. dist. 47. sect. 3.

ratione specierum, corpus Christi, quod non potest moveri *per se* localiter, quia non est in sacramento *ut in loco, per accidens* tamen ad motum specierum localiter movetur; unde dicitur elevari, ac deferri in processionibus: sed nequit dici quod frigescat, aut calefiat ad frigefactionem, vel calefactionem specierum. Ratio discriminis est quia hæc in speciebus fiunt *præcise* ut sunt quid distinctum a corpore Christi; et præterea corpus Christi jam incapax est omnis *motus alterationis.*

7.—*Omnes fatentur, et de se patet, Christum in Eucharistia habere omnes actus immanentes, qui a sensibus non pendent, et in anima ejus omnes esse thesauros beatificæ visionis et scientiæ infusæ:* — *insuper propter identitatem humanitatis inesse animæ Christi omnes perceptiones quas habet Christus alibi ex sensuum exercitio.*—Hinc sicut beata humanitas Christi omnia, quæ sunt, erant, et erunt, ipsa visione beatifica videt in essentia divina ut in omnium causa exemplari; et videt ea omnia in se ipsis per eam amplitudinem scientiæ infusæ, quæ Redemptori generis humani, Primogenito omnis creaturæ, ac Judici vivorum et mortuorum debetur (vide Tractatum de Incarnatione): ita profecto omnes hi thesauri beatificæ visionis et infusæ scientiæ sunt in anima Christi, etiam quatenus est in Eucharistia. At præter has rationes speciali titulo, formaliter ut existens in Eucharistia, ex ipso fine instituti mysterii, videt omnes cogitationes hominum et affectus, omnes virtutes et peccata, omnes tum totius Ecclesiæ tum singulorum membrorum ejus indigentias, labores et angores, persecutiones et triumphos, totam denique vitam externam et internam sponsæ suæ Ecclesiæ, quam carne sua et sanguine suo pretioso nutrit ac fovet:—et titulo veluti triplicato (si fas est ita loqui) in eodem statu sacramentali videt tum cogitationes omnes et affectus, cultum et obsequia omnium hominum, tum injurias et peccata (et velut propinquius suorum fidelium ac proxime ministrorum et sacerdotum suorum), quæ immediate ad hoc ineffabile mysterium amoris referuntur.

Juxta communissimam sententiam,—paucissimi enim dissentiunt,—*Christus non habet in sacramento naturaliter,* seu *spectata virtute sola naturali, actus sensuum externorum, qui supponunt modum existendi extensum:* quod autem *supernaturaliter* potuerit fieri ut actus illi a Christo elicerentur, generatim a Theologis admittitur.

Ad factum quod attinet, visum fuit nonnullis gravissimis doctoribus dignitatem sanctissimæ humanitatis Christi exigere, vel certe decere ut tribueretur ei supernaturalis communicatio actuum visionis et auditionis per sensus ipsos sacratissimi corporis in statu sacramentali. Et quamvis communior sententia theologorum eam communicationem non admiserit, ut fatetur Cardinalis Cienfuegos celeberrimus ejus assertor ac defensor, illam tamen S. Bonaventura (4. d. 10. p. 1. a. 1. q. 2.) Ysambertus (3. q. 76. disp. 4. a. 2.) et alii non pauci saltem ut probabilem tuiti sunt; simpliciter ut veram Lessius 3. qu. 76. art. 7. dub. 2. n. 51.; Cornelius a Lapide in Cant. Cantic. II. 9.; Gamachæus, Martinonus, Tannerus; et præ ceteris Cardinalis Cienfuegos, mox citatus, in opere cui titulus. "Vita abscondita seu speciebus eucharisticis velata." —De hac sententia Card. Franzelin ait:[1] "Mihi certe hæc sententia, non propter diserta testimonia Scripturæ et Patrum, quæ proferuntur parum efficacia, sed propter ejus connexionem cum dignitate sacratissimæ humanitatis et cum scopo ac fine Sacramenti, quo Christus cum suis fidelibus non solum spirituale sed etiam corporale commercium inire voluit, ut loquitur Lessius loc. cit., videtur probabilissima et pia."

ARTICULUS OCTAVUS

De objectionibus adversus Eucharistiæ mysterium ex ratione petitis.

Ad hunc ultimum primæ partis articulum difficultates, quæ contra fidem præsentiæ realis Christi Domini in Eucharistia ex ratione moventur, consulto distulimus: multæ enim ex sola expositione catholicæ veritatis refutatæ sunt; pro aliis principia solutionis dedimus in articulis præcedentibus; et omnes non poterant initio tractatus dilui, quin notiones traderentur, quæ postea, juxta debitum ordinem, declarandæ erant et vindicandæ.

Nunc itaque pauca hucusque dictis addemus ad respondendum quibusdam objectionibus adversariorum, et indicabimus loca ubi solutio aliarum difficultatum inveniri debet.—Sed in primis illud Augustini[2]

[1] De Eucharistia, p. 167.

[2] Ep. 137. (al. 3.) ad Volusianum. n. 8.

monitum revocemus in mentem: "Demus Deum aliquid posse, quod nos fateamur investigare non posse. In talibus rebus tota ratio facti est potentia facientis."—Necesse est ergo ut non confundamus ea quæ captum intellectus nostri, juxta naturalem suam vim cognoscendi verum, *superant*, cum iis quæ sunt *contra* rationem; et illud, quod solius rationis lumine ut factum, vel saltem ut possibile, cognoscere non possumus, non pronuntiemus factum non esse vel simpliciter impossibile. Teneamus normam a Patribus constanter inculcatam, dum stupenda divinæ sapientiæ ac potentiæ in Eucharistiæ sacramento prodigia proponebant et declarabant; et cum S. Gaudentio Brixiensi[3] dicamus: "Si qua mysteriorum superaverint in mane futuræ illius resurrectionis manifestanda, quæ capere modo non possumus; modo enim scio ex parte, inquit Apostolus . . . . . hæc igne cremanda sunt, idest divino tradenda Spiritui, ut ea, quorum rationem modo non capimus, ardentis fidei spiritu consummentur."

Hac præmissa animadversione, ad solvendas objectiones accedimus.

1.—Implicat, inquiunt adversarii, idem corpus esse simul in pluribus locis. Atqui Christi corpus in pluribus esset locis, si realiter præsens esset in Eucharistia; esset enim in cœlo, et in omnibus locis, in quibus sunt hostiæ consecratæ. Ergo.

Resp.—*Dist. Maj.*—Implicat idem corpus esse simul in pluribus locis *naturaliter C. Supernaturaliter, Subd. Circumscriptive, Transeat.* In uno loco *circumscriptive*, et in aliis *sacramentaliter N.* Corpus autem Christi, ut jam vidimus, in articulo præcedenti (p. 152.) non est *circumscriptive* in Eucharistia; unde et Concilium Tridentinum, sessione 13. capite 1., ait: "Nec hæc inter se pugnant ut ipse Salvator noster semper ad dexteram Patris in cœlis assideat juxta modum existendi naturalem, et in multis nihilominus aliis locis *sacramentaliter* præsens, *sua substantia* nobis adsit."—Et revera illa implicant contradictionem quæ pugnant cum essentia rei, ita ut dicatur res esse et non esse. At esse in loco non est de essentia corporis, sed quid extrinsecum et accidentarium: repugnare proinde nequit essentiæ corporis, ut sit in pluribus locis; præsertim si in uno loco sit *circumscriptive,* in aliis non *circumscriptive,* sed *sacramentaliter*, seu modo indivisibili, quo

[3] In sermone ad egressos e fonte neophitos (de Exodi lectione).

totum in tota hostia sit, et totum in qualibet hostiæ parte, et simul totum in cœlo et in aliis hostiis consecratis.—In distinctione data, et in hac declaratione, non diximus *de multiplicatione locationis circumscriptivæ*, quia *hæc non datur in mysterio Eucharistiæ;* et de ea a Theologis catholicis disputatur.

2.—Si simul corpus Christi esset in cœlo, juxta modum existendi naturalem, et in altari sacramentaliter, esset a seipso distans, ideoque jam non idem. Ergo.

Resp.—*Dist. Ant.* esset a se distans secundum entitatem *N.* Secundum diversos modos existendi in locis, quæ sunt inter se distantia *C.*

3.—Idem corpus non potest simul existere in pluribus temporibus. Ergo nec in pluribus locis.

Resp.—*N. Conseq.*—Disparitas est quod plura loca possunt existere simul; plura vero tempora, præteritum, præsens, futurum non possunt existere simul: de ratione enim temporis est quod sit successivum; unde solum præsens existit.

4.—Si idem corpus Christi vere et realiter existeret in pluribus locis, contradictoria de eodem corpore prædicarentur; nam, ex. gr., manducaretur et non manducaretur, existeret et desineret esse.

Resp.—Corpus Christi *simpliciter* non manducatur, et desinit existere, sed species *simpliciter* manducantur et desinunt: corpus vero Christi manducatur sub speciebus et desinit esse sub speciebus. Quamobrem absque contradictione manducatur sub istis speciebus, et non manducatur sub aliis speciebus; desinit sub istis speciebus, et non desinit sub aliis speciebus: contradictoria namque sunt de uno et eodem subjecto *sub eadem ratione.*

5.—Corpus non potest esse sine quantitate. Atqui corpus Christi esset in Eucharistia sine quantitate. Ergo.

Resp.—Transmissa Majori, quæ negari posset, quantitas enim non est essentialis corpori, sed est accidens, quod divinitus separari potest ab ipso corpore,—ad Minorem, *Dist.* Corpus Christi esset, ut esse credimus, sine quantitate *quoad primarium ejus effectum N. Quoad effectum ejus*

secundarium C.—Etenim primarius effectus quantitatis est extensio et coordinatio partium in ordine ad se et in toto: secundarius vero est extensio et coordinatio partium in ordine ad locum: nam prius est quantitatem extendi in se, quam extendi in loco, esse impenetrabilem, divisibilem, etc. Unde quærenti cur quantitas sit extensa in loco, cur sit impenetrabilis? recte respondetur, quia est extensa in se: quærenti vero cur sit extensa in se? nulla est ratio prior quam quia est quantitas. Porro potest effectus secundarius quantitatis divinitus ab ipsa separari, prout de facto separatus est quando Christus exivit ex utero virginali clauso, et de sepulchro non revoluto lapide; item quando intravit ad Discipulos januis clausis: et ita separatur in Eucharistia.

6.—Corpus nequit esse sine figura. Ergo nec sine quantitate extensa localiter.

Resp.—*Dist. Ant.*—Corpus non potest esse sine figura sumpta pro ordinatione partium in ordine ad locum, *N.* Sine figura sumpta pro coordinatione partium in se et in toto, *C.* Et hoc sensu corpus Christi est figuratum in Eucharistia, caput enim non est collum, et est extra collum in ordine ad se: eodem sensu manus non est pes, brachia sunt extra humeros.

7.—Spiritus non potest divinitus esse extensive localiter: ergo nec corpus potest esse inextensive et indivisibiliter.

Resp.—*N. Cons.*—Disparitas est quod spiritus non habeat, nec habere possit partes, secundum quas localiter extendatur: at corpus potest privari partibus integrantibus localiter extensis, quia hoc est effectus secundarius quantitatis, qui potest divinitus impediri.

Objectiones, quas opponunt adversarii ex eo quod sensus nostri falli non possunt circa ea quæ sub sensibus cadunt, et admisso, inquiunt, dogmate catholico, fallerentur, invenies solutas articulo 6. p. 132. Alias desumptas ex natura accidentium, quæ, ut aiunt, nequeunt esse sine subjecto, pariter refutatas habes in eodem articulo, p. 136.—Demum reliquæ, quæ oriuntur ex eo quod panis eucharisticus nutriat, prorsus evanescunt si attendas quæ ibidem diximus, p. 140.

PARS SECUNDA

DE EUCHARISTIA PROUT EST SACRAMENTUM

ARTICULUS PRIMUS

De natura sacramenti Eucharistiæ.

Augustissimum corporis et sanguinis Christi mysterium in hac secunda Tractatus parte, prout est sacramentum, spectantes, primo naturam ejus considerabimus; et circa eam, postquam brevissime de unitate, ac de iis, quæ illud proprie constituunt, dixerimus, quæremus utrum in re permanente consistat, an in usu tantum.—Quod autem Eucharistia *vere* et *proprie* sacramentum sit, ex disputatis in prima parte, præsertim in articulis, secundo, tertio et quarto, evidenter patet;—nam in illis demonstravimus Eucharistiam, rem subjectam sensibus per species panis et vini, ac per verba consecrationis, fuisse a Christo Domino institutam, et vim habere conferendi gratiam in præsenti vita, et gloriam in futura. "Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, habet vitam æternam, et ego resuscitabo eum in novissimo die. Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus: qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, in me manet et ego in illo. Sicut misit me vivens Pater, et ego vivo propter Patrem, et qui manducat me, et ipse vivet propter me" (Joan. VI. 55–58.).

Porro Eucharistiam esse *unum* sacramentum *in specie atoma*, communis sententia adversus paucos antiquiores affirmat, quæ tenenda est. Hanc docet Catechismus Concilii Tridentini (p. 2. cap. 10.), dicens: "Licet sint duo elementa, panis scilicet et vinum, ex quibus integrum Eucharistiæ sacramentum conficitur; non tamen plura sacramenta, sed unum tantum esse, Ecclesiæ auctoritate docti, confitemur." Ratio vero theologica præcipua, ex qua constat Eucharistiæ sacramentum esse unum in specie, proponitur a S. Thoma.[1] "Unum dicitur," inquit S. Doctor, "non solum quod est indivisibile, vel quod est continuum;

[1] 3. q. 73. a. 2.

sed etiam quod est perfectum, sicut dicitur una domus et unus homo. Est autem unum perfectione, ad cujus integritatem concurrunt omnia quæ requiruntur ad finem ejusdem; sicut homo integratur ex omnibus membris necessariis ad operationem animæ, et domus integratur ex omnibus partibus quæ sunt necessariæ ad inhabitandum. Et sic hoc sacramentum dicitur unum: ordinatur enim ad spiritualem refectionem, quæ corporali conformatur.

Ad corporalem autem refectionem duo requiruntur, scilicet cibus, qui est alimentum siccum, et potus, qui est alimentum humidum. Et ideo etiam ad integritatem hujus sacramenti duo concurrunt, scilicet spiritualis cibus et spiritualis potus, secundum illud Joan. VI. 56.: 'Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus.' Ergo hoc sacramentum multa quidem est materialiter, sed unum formaliter et perfective."

Dices:—Qui unam speciem sumit, puta, solam speciem panis consecratam, totum sacramentem sumit, et gratiam sacramentalem recipit: est ergo quælibet species per se ietegrum sacramentum, adeoque duæ species consecratæ duo constituunt in specie ultima sacramenta.—Huic difficultati respondemus:[1] primo, et quoad modum loquendi attinet, partem rei sæpe denominationem rei totius accipere, si per se, et quasi separata consideratur; ut, exempli gratia, pars domus, si sufficiens sit ad usum, et finem domus, sejuncta ab aliis partibus, et per se constituta, dicitur absolute domus, quamvis ex illa componi possit perfectior et integrior domus. Hinc species panis, per se sumpta, potest dici sacramentum, quamvis cum alia specie vini componat unum sacramentum, cujus est pars.—Secundo, quamvis homo, dum unam tantum speciem sumit, totum sacramentum non recipit *sub ratione signi materialis continentis et significantis*, recipit tamen totum sacramentum *sub ratione rei contentæ et significatæ, Christi nempe et gratiæ sanctificantis.* Constat enim ex prima parte hujus Tractatus totum Christum præsentem esse sub qualibet specie, adeoque fructum sacramenti percipi posse ex sumptione unius speciei.

At Eucharistia, quæ unum *in specie* est sacramentum, potestne unum dici etiam sacramentum *numerice* inspectum, seu aliis verbis, multiplicatis speciebus sacramentalibus, multiplicanturne *numero* sacramenta

[1] V. Suarez, in 3. q. 73. a. 2.

Eucharistiæ? Quidam dixerunt solam pluralitatem specierum sufficere ad constituenda plura numero sacramenta: e contra Cardinalis de Lugo[1] omnino contendit, sacramentum "nec per pluralitatem specierum, nec sumptionum multiplicari numero, sed simpliciter et absolute loquendo posse dici *unum et idem numero sacramentum Euchraristiæ, quod ubique terrarum ab omnibus fidelibus accipitur.*" Præferenda tamen videtur sententia quæ, veluti media consistens inter extrema, conformior est doctrinæ S. Thomæ et a Soto, Ledesma, Tournely, multisque aliis propugnatur: hæc autem docet unitatem numericam sacramenti Eucharistiæ repetendam esse *ex morali conjunctione specierum, et earum ad unam refectionem spiritualem ordinatione:* ac proinde plura sacramenta esse, si moraliter species sint disjunctæ, sicut evenit cum distinctæ hostiæ consecratæ distinctis personis distribuuntur.

Quoad constitutiva intrinseca sacramenti Eucharistiæ in *facto esse* non una fuit sententia Theologorum; qui tamen magis in modo loquendi, quam in re differre videntur. Catechismus Concilii Tridentini (p. 2. c. 8.) aperte statuit *solas species ut consecratas* constituere essentiam sacramenti Eucharistiæ. "Illud diligenter pastoribus observandum est," inquit, "multa in hoc mysterio esse, quibus aliquando sacramenti nomen sacri scriptores tribuerunt. Interdum enim et consecratio et perceptio, frequenter vero et ipsum Domini corpus, et sanguis, qui in Eucharistia continetur, sacramentum vocari consuevit: inquit enim divus Augustinus sacramentum hoc duobus constare, et visibili scilicet elementorum specie, et invisibili carne et sanguine ipsius Domini nostri Jesu Christi. Atque ad eumdem modum hoc sacramentum adorandum esse, nimirum corpus et sanguinem Domini intelligentes, affirmamus. Verum hæc omnia minus proprie sacramenta dici perspicuum est. Ipsæ autem panis et vini species veram et absolutam hujus nominis rationem habent."

Hanc doctrinam sequentes, dicimus *species ut consecratas* constituere sacramentum, et hac formula intelligimus 1.—*formam* determinativam specierum ad *esse sacramenti* esse *consecrationem* moraliter permanentem. Et sane, cum sacramenta omnia novæ legis essentialiter constent rebus tamquam materia et verbis tamquam forma, ut demonstratum est in Tractatu de sacramentis in genere (p. 2. art. 2.), verba consecrationis componere Eucharistiæ sacramentum intrinsece debent.

[1] De sacram. Eucharistiæ, disp. 2. sect. 2. n. 15.

Præterea species non significant nobis præsentiam Christi in sacramento et paratam gratiam sanctificantem eis qui rite ad sacram accedunt communionem, nisi quatenus scimus verba consecrationis prius fuisse debite prolata, adeoque species ad illa verba habitudinem habere eisque subesse.

2.—Hac locutione "*species ut consecratas*" significamus *species esse materiam* sacramenti, quatenus dicunt essentialem ordinem ad corpus et ad sanguinem Christi, ut ad significata et sub se contenta.

Species vero *ut consecratas* sacramentum Eucharistiæ intrinsece constituere constat *a*) ex doctrina Patrum qui eas *species* appellant *sacramentum.*[1] *b*) Ex Concilio Tridentino docente (sess. 13. cap. 1., et can. 1.) corpus et sanguinem Domini *contineri* in sanctissimo Eucharistiæ *sacramento;* continentur autem ibi, ut patet, quia sunt sub *speciebus consecratis.* *c*) Ex eo quod sacramentum novæ legis est signum sensibile sacrum significans et conferens gratiam: species autem consecratæ tale signum constituunt; quia et sub sensibus cadunt, et significant Christum præsentem, ut sanctificantem homines per modum spiritualis alimoniæ, et ideo, dum vere et realiter dant Christum cibum animarum, significant etiam gratiam sanctificantem et eam conferunt eis, qui communionem recipiunt rite dispositi. *d*) Confirmatur adhuc ex eodem Concilio Tridentino, quod sess. 13. mox citatæ, cap. 3., statuit: "Commune quidem est Sanctissimæ Eucharistiæ cum ceteris sacramentis, *symbolum esse rei sacræ, et invisibilis gratiæ formam visibilem.*"

His absolutis, quæ de unitate et de constitutivis intrinsecis Eucharistiæ dicenda erant, superest ut demonstremus sanctissimum Sacramentum non in usu tantum consistere, sed in re permanente, seu aliis verbis Christum Dominum in sacramento vere realiter et substantialiter præsentem esse, ante et post sumptionem, donec species corrumpantur; ex quo sequitur eum, etiam extra sumptionem, adorandum esse in Sacramento.—Quod sane jam ex prima Tractatus parte manifestum apparet, sed hic ad refutandam aliam Lutheranorum a catholica fide aberrationem specialiter demonstratur. Etenim Bucerus, ut Lutheranos cum Zwinglianis facilius conciliaret, hanc, an. 1536., excogitavit opinionem,

[1] V. p. 80. et seq.

nempe Christi corpus in ipsa sumptione adesse, non item extra sumptionem.—Eamdem doctrinam Lutherus et omnes deinde Lutherani amplexi sunt, ea potissima ratione moti quod viderent per eam destrui adorationem Eucharistiæ et alia cum dogmate de præsentia Christi in sacramento extra sumptionem connexa, quæ in usu erant apud catholicos. Chemnitius tamen, aliique ex Lutheri discipulis, nonnihil hanc doctrinam emollierunt, et docuerunt corpus Christi præsens esse in tota Cœnæ actione, imo cum statim ad ægrotos defertur; sed non manere in sacramento cum asservatur in pyxide.

Concilium Tridentinum hos omnes errores proscripsit sequentibus definitionibus:

Can. 4.—"Si quis dixerit, peracta consecratione in admirabili Eucharistiæ sacramento non esse corpus et sanguinem Domini nostri Jesu Christi, sed tantum in usu, dum sumitur, non autem ante vel post; et in hostiis seu particulis consecratis, quæ post communionem reservantur vel supersunt, non remanere verum corpus Domini; A. S."

Can. 6.—"Si quis dixerit, in sancto Eucharistiæ sacramento Christum unigenitum Dei Filium non esse cultu latriæ, etiam externo, adorandum; atque ideo nec festiva peculiari celebritate venerandum, neque in processionibus, secundum laudabilem et universalem Ecclesiæ sanctæ ritum et consuetudinem, solemniter circumgestandum, vel non publice, ut adoretur, populo proponendum, et ejus adoratores esse idolatras; A. S."

Can. 7.—"Si quis dixerit, non licere sacram Eucharistiam in sacrario reservari, sed statim post consecrationem adstantibus necessario distribuendam; aut non licere, ut illa ad infirmos honorifice deferatur; A. S."

Ad vindicationem catholicæ fidei sit igitur

THESIS VII.

Peracta consecratione, Christus in Eucharistiæ sacramento præsens est non in usu tantum dum sumitur, sed ante et post, donec species consecratæ corrumpantur;—hinc, etiam extra sumptionem, Christus adorari debet in Eucharistia cultu latriæ.

Duæ partes, quas thesis complectitur, intime connectuntur; ex probatione namque primæ partis, secunda sponte veluti sua fluit; et dum probatur, quod in secunda parte statuitur, id quod in prima parte

enunciatum est, aperte evincitur: etenim si Christus, utpote in Eucharistia præsens, etiam extra sumptionem, adorari debet; adoratio, quæ Eucharistiæ extra sumptionem exhibetur, ostendit ibi adesse Christum. —Verum ad pleniorem demonstrationem, duas partes seorsim confirmamus.

Prob. 1. pars.—*a*) Ex verbis institutionis; nam hæc verba, vi sua efficiunt, ut superius demonstratum est, (thes. II. et IV.) conversionem totius substantiæ panis et vini in corpus et sanguinem Christi Domini.—Ergo Christus, statim ac prolata sunt illa verba, seu statim ac peracta est consecratio, præsens adest sub speciebus panis et vini in Eucharistia, ante usum, et independenter a sumptione.

b) Ex innumeris testimoniis Patrum, quorum quædam, speciminis gratia legere est in prima parte, thesi 3.—Etenim S. Irenæus ait, "panem percipientem invocationem Dei, jam non esse communem panem, sed Eucharistiam;" et S. Jacobus Sarugensis: "Ab illo temporis puncto, quo [Jesus] accepit panem et dixit illud suum corpus, non erat panis, sed corpus ejus, et hoc edebant admirantes;" et S. Joan. Chrysostomus: "Stat sacerdos verba illa proferens . . . 'Hoc est corpus meum,' inquit. Hoc verbum transformat ea quæ proposita sunt;" et S. Gregorius Nyssenus: "Statim per verbum in corpus [panis] transmutatur, sicut dictum est a Verbo: 'Hoc est corpus meum.'"—Optimum etiam est ad rem præsentem testimonium S. Cyrilli Alexandrini in Ep. ad Calosyrium:[1] "Audio alios esse, qui mysticam Eulogiam nihil ad sanctificationem juvare dicant, si quid ex ea fiat relinqui in alium diem: insaniunt vero, qui hæc asserunt; neque enim alteratur Christus, neque sanctum ejus corpus immutatur, sed benedictionis vis ac facultas et vivificans gratia perpetuo in illo existit."

c) Ex praxi Ecclesiæ antiquissima, quæ patenter ostendit perpetuam fidem circa Christi præsentiam in Eucharistia, etiam extra sumptionem. Nam 1.—A prima Ecclesiæ ætate mos viguit ut Eucharistia ad absentes per diaconos perferretur, et Episcopi eam ad aliarum civitatum Episcopos mitterent in mutuæ communionis testificationem.[2] 2.—Eucharistiam fuisse reservatam, et sollicite ad infirmos delatam ostendit

[1] Op. S. Cyrilli, edit. Migne, t. 9. p. 175.

[2] V. S. Justini M. Apol. 1. n. 67.—Eusebii, l. 5. Hist. Eccles. c. 24.

historia Serapionis, ad quem, ut narrat Eusebius,[1] jamjam animam agentem infirmus sacerdos sacramentum per puerum misit. 3.—Fideles consueverunt Eucharistiam asportare domum, illamque domi asservare, opportuno tempore, aut certe persecutionis periculo urgente, sumendam.[2] S. Ambr. l. 1. de excessu fratris sui Satyri (n. 43.) refert: "Cum esset in naufragio constitutus, ne vacuus mysterii (scilicet Eucharistiæ) exiret e vita, quos initiatos esse cognoverat, ab his divinum illud fidelium sacramentum poposcit . . . et ligari fecit in orario (seu linteo) et orarium involvit in collo, atque ita se deiecit in mare, non requirens de navis compage resolutam tabulam, cui supernatans juvaretur, quoniam fidei solius arma quæsierat . . . . . nec deseruit spes, nec fefellit opinio, ... primus servatus ex undis." Et Sanctus Gregorius Magnus (lib. 2. dialog. cap. 24.) narrat, puerum in paterna domo defunctum sepeliri non potuisse, quia terra corpus ejus rejiciebat; quo facto perterriti parentes ad S. Benedictum recurrerunt, "quibus vir Dei manu sua protinus communionem dominici corporis dedit dicens: Ite, atque hoc dominicum corpus super pectus ejus cum magna reverentia ponite et sic sepulturæ eum tradite; quod dum factum fuisset, susceptum corpus ejus terra tenuit." 4.—Eucharistia in templis asservata fuit ab antiquo in pastophoriis, ciboriis, columbis, turriculis. Constitutiones ipsæ apostolicæ (l. 8. c. 13.) pastophoria, in quibus sacramentum custodiebatur, indicant his verbis: "Cumque universi et universæ communicaverint, accipientes diaconi quæ supersunt, inferant in pastophoria." Et S. Joan. Chrysostomus, epistola ad Innocentium I. Papam (n. 3.), de militibus ab Imperatore ad ipsum occidendum missis inquit: "Locum, in quo sancta condita servabantur, ingressi sunt milites . . . . . et sanctissimus Christi sanguis (*το ἁγιώτατον αἷμα τοῦ Χριστοῦ*) effusus est."

d) Ex antiquissima, præcipue in Ecclesia Græca disciplina celebrandi *Missam præsanctificatorum*, in qua nulla fit consecratio, sed sacerdos sumit hostiam præconsecratam et reservatam. Porro tanta certitudine apud omnes semper persuasum fuit Christum in hostia consecrata et reservata manere præsentem, ut numquam liceret sacerdoti in illis Missis verba consecrationis repetere, quamvis, quod apud Græcos sæpe contigit, hostia, die dominica consecrata, nonnisi sexta sequenti feria sumeretur.

1) Hist. Eccl. l. 7. c. 44.

2) V. Tertulliani, l. 2. ad uxorem, c. 5.—S. Cyp. de lapsis, Migne, P. L. t. 4. p. 499. —S. Bas. ep. 289. ad Cæsariam Patriciam.

e) Ex rationibus theologicis. Nam sacramentum Eucharistiæ est institutum ad spiritualem animarum nostrarum refectionem: hæc autem natura cibi est, ut sit res permanens, et ut prius sit quam comedatur.—Et insuper Eucharistia, licet sumatur a fidelibus, non est tamen instituta solum ad usum sumendi, sed est etiam verum, ut probabitur, sacrificium; ideoque priusquam Eucharistia sumatur, præsens super altare adest Christus, qui "in semetipso immortaliter atque incorruptibiliter vivens, pro nobis iterum in hoc mysterio sacræ oblationis immolatur." [1]

Prob. 2. pars.—Christum, Verbum Incarnatum et Dominum nostrum, adorandum esse in Eucharistia cultu latriæ ostendunt testimonia S. Cyrilli Hierosolymitani, et S. Augustini, quæ ad exemplum citavimus pro thesi III. § 4.—Illis vero ad abundantiam addas sequentia selecta ex multis.

S. Gregorius Nazianzenus (orat. 8. in laudem sororis suæ Gorgoniæ, n. 18.) sanctissimum Sacramentum asservatum, et a fidelibus adoratum clarissime ostendit. En verba Theologi: "Desperatis omnibus aliis auxiliis, ad mortalium omnium medicum confugit, atque intempesta nocte captata, cum morbus nonnihil remisisset, ad altare cum fide procumbit, eumque qui super ipso honoratur cum ingenti clamore invocans, omnibusque nominibus appellans, atque omnia ea, quæ unquam mirifice gesserat, velut in memoriam ei revocans (nam, et veteres, et novas historias callebat), tandem pia et præclara quadam impudentia effertur. Eam, quæ Christi fimbria sanguinis profluvium compresserat, imitatur. Quid enim agit? Cum caput suum pari cum clamore, lacrymisque, quibus abundabat, mulieris illius instar, quæ olim Christi pedes rigavit, altari admovisset, nec se prius istud dimissuram esse denuntiasset, quam sanitatem obtinuisset; ac deinde hoc suo pharmaco corpus totum perfudisset; et si quid uspiam antityporum pretiosi corporis aut sanguinis manus recondiderat, id lacrymis admiscuisset, (o rem admirandam!) statim liberatam se morbo sentit, atque et corpore, et animo, et mente levis discedit, pro spei mercede, id, quod speraverat, consecuta, et per animæ robur corporis vires accipiens. . . . Ac ne nunc quidem eam [rem] evulgassem, nisi timor quidam animum incessisset,

[1] S. Greg. M., l. 4. dialog. c. 58.

si tantum miraculum, et fidelibus, et infidelibus, et iis qui nunc sunt, et posteris occultassem."

S. Ambrosius (lib. 3. de Spiritu Sancto, c. 11. n. 78.) exponens illud Psal. XCVIII. 5.: "Adorate scabellum pedum ejus," inquit: "Itaque per scabellum terra intelligitur: per terram autem caro Christi, *quam hodieque in mysteriis adoramus*, et quam apostoli in Domino Jesu, et supra diximus, adorarunt."

S. Joannes Chrysostomus (in I. ad Cor. hom. 24. n. 5.) egregia hæc habet: "Hoc etiam corpus [Christi] in præsepi jacens reveriti sunt magi. Et viri impii ac barbari patria domoque relicta, viam emensi sunt longam, et venientes cum timore et tremore multo ipsum adoraverunt. Imitemur ergo saltem barbaros, nos cœlorum cives. Illi namque in præsepe respicientes et in tugurio, et nihil eorum recipientes, quæ tu nunc vides, cum tremore multo accesserunt: tu vero non in præsepe respicis, sed in altare; non mulierem tenentem, sed sacerdotem adstantem, et Spiritum cum ubertate magna in proposita supervolantem. . . . Excitemus itaque nos ipsos et horreamus, et multo majorem quam barbari illi pietatem exhibeamus, ut non temere et inconsiderate accedentes, ignem in caput nostrum congeramus."

S. Theodorus Studita (in Antirrhetico 2. c. 31.) sic inter se loquentes exhibet Hæreticum et Orthodoxum. "*Orthodoxus:* Quo in numero habes corpus et sanguinem Domini Jesu Christi? *Hæreticus:* sancta sunt procul dubio. Etenim 'Sancta sanctis' a sacerdote pronuntiatur. *Orthodoxus:* Hæc itaque etiam adoranda judicas? *Hæreticus:* Et quis adeo impie sentiat qui non sancta simul et adoranda confiteatur? *Orthodoxus:* Non igitur tecum pugnantia loqueris, qui cum antea dixeris, non statim quod sanctum est, idem etiam adorandum esse; nunc rursum affirmas quod negasti? *Hæreticus:* Atqui non de mysteriis [eucharisticis] mihi sermo erat, quum de iis omnes consentiant, ut dixi."

Theodoretus (dialog. 2.) ita orthodoxum inducit loquentem: "mystica symbola . . . . manent in prioris essentiæ et figura et forma aspectabili, et visibilia sunt et tangibilia, qualia erant prius: intelliguntur autem ea *esse quæ facta sunt, et creduntur, et adorantur*, upote quæ sint id quod esse creduntur."

Demum in Vita Beati Lucæ Junioris, a Combefisio edita inter Græ-

corum opuscula, refertur ritus quo sacra Eucharistia adorando suscipiebatur, sæculo X.; declarat enim Archiepiscopus Corinthi modum quo *præsanctificata* sumenda erant. "Tum explicans velum minus," inquit, "propones in ea sacras particulas, accensoque thymiamate, Typicorum Psalmos, aut Hymnum ter sanctus cantabis cum Symbolo Fidei, *trinaque genuum flexione adorans*, manus quidem contrahes, ore autem sacrum pretiosi Christi ac Dei nostri corpus sumens, dicendo: Amen. Rursum vero reliquas particulas in vase linteolo colliges, omnem diligentiam adhibens, ut ne margarita decidat ac conculcetur."

His de Eucharistiæ adoratione documentis respondent quæ in Liturgiis continentur. Sufficiat unum hic commemorasse. In usitata apud Græcos Liturgia, a Gario edita, hæc habentur: "Adorant Sacerdos et Diaconus, in quo sunt loco, ter secreto dicentes: Deus propitius esto mihi peccatori. Et populus similiter cunctus cum devotione adorat. Quum autem viderit Diaconus Sacerdotem manus extendentem, et sanctum panem tangentem, ut faciat sanctam elevationem, exclamat: Attendamus. Et Sacerdos: Sancta Sanctis. Chorus: unus sanctus, unus Dominus Jesus Christus in gloria Dei Patris. Amen."

Neque abs re erit hic etiam referre testimonium quod adversus Protestantes protulerunt Græci aliique Orientales a catholica communione longe et acerbissimo schismate separati.—Anno 1684. proposita fuit Simeoni Metropolitæ Dyrrachii a Protestantibus quæstio, quæ sit in græca Ecclesia circa Eucharistiam fides. Simeon respondit, inter alia, quod legitur apud Emmanuelem Schelstrate, qui hæc responsa ex autographo primus edidit t. 2. Actorum Orientalis Ecclesiæ, p. 656.: "In sacra Liturgia quando Sacerdos facit ex pane et vino corpus et sanguinem Domini et Salvatoris nostri Jesu Christi, mutatur panis in corpus, et vinum in sanguinem Christi, et ab una substantia transmutatur in aliam venerandi corporis et sanguinis, manente solum exteriori specie panis et vini cum accidentibus: et vere creditur et adoratur cultu latriæ Deus homo Jesus Christus, sicut sedet ad dexteram æterni Patris." Testatur præterea idem Simeon singula a se commemorata fidei capita, quæ Calvinianis ac Lutheranis erroribus opposita sunt, credi ab omnibus Orientalibus Episcopis, monachis, et omni populo, seque hoc longo rerum usu cognovisse.—Eadem confirmat Daniel Metropolita Varnensis, tamquam vera et credita ab Orientali Ecclesia usque ad

præsentem diem, sicut in universis Moscoviæ, Russiæ, Moldaviæque regionibus creditur. Subscripsit quoque Theophanes Metropolita Paronaxiæ, suoque testimonio roborat Raphael Metropolita Ancyranus, totius Phrygiæ et Galatiæ Exarchus.—Dositheus Patriarcha in Synodo Jerosolymitana, an. 1672. (apud Harduinum in actis Conciliorum t. 11. col. 254.) exponens fidem Græcæ Ecclesiæ circa Eucharistiam, ait: "Credimus supremo colendum honore, cultuque latriæ idem Domini corpus et sanguinem esse adorandum. Quippe Sanctissimæ Trinitatis, et corporis sanguinisque Domini una est adoratio. Credimus ante usum, statim a consecratione, ac post usum id quod sacris in pyxidibus communioni moribundorum asservatur, corpus esse Domini verum."

Adversarii objiciunt:—

Reliquiæ Encharistiæ antiquitus non servabantur, peractis mysteriis. Id probant 1. ex Epistola Clementis Romani ad Jacobum fratrem Domini, relata cap. 23. dist 2. de consecrat.: "Tanta in altari holocausta offerantur, quanta populo sufficere debeant; quod si remanserint, in crastinum non reserventur, sed cum timore ac tremore clericorum diligentia consumentur." Ex simili textu apud Hesychium lib. 2 in Lev.; et apud Nicephorum, Hist. 17. c. 25. 2.—Ex Origene hom. 5. in Levit. num. 8., ubi de pane, quem Christus dedit discipulis, inquit: "Non distulit, nec servari jussit in crastinum." 3.—Ex S. Cypriano, serm. de cœna Dom., his verbis: "Panis iste recipitur, non includitur." 4.—Ex S. Hieronymo qui in cap. 12. I. Cor. ait: "Quæcumque de sacrificiis superfuissent, illi in Ecclesia communem cœnam comedentes pariter consumebant." 5.—Ex v. Beda, l. 4. Hist. Eucha. cap. 14., ubi refert Apostolos apparuisse puero ægroto, eique dixisse, ut expectaret, dum celebraretur Missa, ut viaticum corporis Domini perciperet. 6.—Tandem ex Conc. Cæsaraugustano an. 381., Toletano I. an. 400., aliisque particulas Eucharistiæ asservari prohibentibus.

Resp. 1.—Pleraque hæc testimonia probare contra adversarios, tum quia aperte sacrificium Missæ commemorant, quod Protestantes rejiciunt; tum quia probant post distributionem Eucharistiæ factam credidisse fideles in particulis residuis vere et realiter Christum esse præsentem: debebant enim illæ particulæ, *cum timore ac tremore, clericorum diligentia consummari.*

Resp. 2. ad singula articulatim.—Ad 1um Epistola illa non censetur, et præsertim ab adversariis, genuina S. Clementis Romani productio; —at cujuscumque sit non favet adversariis, nam loquitur de particulis, quæ citra corruptionis periculum servari non poterant, et supererant, postquam jam aliæ sepositæ pro infirmis, et aliæ ad absentes missæ fuerant. Id constat ex eadem epist. ubi legitur: "Reliquias fragmentorum corporis Domini custodire debent, ne qua putredo inveniatur in sacrario, ne cum id negligatur, corpori Domini gravis injuria inferatur."—Eadem responsio valet quoad textum Hesychii. In Ecclesia enim Jerosolymitana non diu servabatur Eucharistia, sed post aliquot dies renovabatur, et quod ex priori supererat igne absumebatur: id, et non aliud dicunt ipsa verba Hesychii (l. c.). "Quod reliquum est," inquit, "de carnibus et panibus in igne incendi præcepit [Deus in Veteri Testamento], quod nunc videmus etiam sensibiliter in Ecclesia fieri, ignique tradi quæcumque remanere contigerit inconsumpta, *non omnino ea quæ una die, vel duabus, aut multis servata sunt.*"—Nicephorus, loco objecto, scribit datas fuisse Constantinopoli *superfluas* particulas pueris innocentibus, seu illas, quæ supererant, sepositis necessariis pro infirmorum communione. "Cum *plusculum*," ait, "de partibus immaculati divinique corporis Domini reliquum esset, sacerdotes pueros incorruptos . . . . accerserent."

Ad 2um Origenes id solum intendit sacrificium laudis debere esse recens; et ad hoc probandum assumit exemplum Christi, qui panem consecratum statim distribuit, necnon præceptum Apostolis datum, ne panem portarent in via et Gabaonitarum exemplum condemnatorum, eo quod panes veteres detulissent ad Israelitas. Hæc vero exempla adhibet, in quantum ejus scopo servire poterant, ad probandum nempe sacrificium debere esse novum; alias pariter inferre quis posset, non licere panem portare per viam, aut uti pane veteri. Ceterum Eucharistiam ut sacrificium semper de novo offerri catholici fatentur.

Ad 3um Sermo ille, non est S. Cypriani, sed Arnoldi Bonæ Vallis; et hic auctor non contendit Eucharistiam non esse in vasis includendam, sed juxta fidem catholicam, ait, Christum in Eucharistia esse qui "integer erogatur, distributus non demembratur, incorporatur non injuriatur, recipitur non includitur, cum infirmis habitans non infirmatur."

Ad 4um Neque hi Commentarii sunt D. Hieronymi, sed Pelagii

hæresiarchæ ; quamquam et is non neget partem aliquam particularum fuisse prius sepositam ; et in textu citato videatur loqui solum de particulis, quæ commode non poterant asservari.

Ad 5um Beda juxta alios loquitur de monacho alicujus monasterii, in quo Eucharistia non servabatur. Dici etiam potest Apostolos monuisse hunc puerum, ut expectaret sacrificii tempus, ut majore cum devotione fructuque viaticum perciperet. Ceterum Bedæ tempore usum servandi apud se domi Eucharistiam adhuc non fuisse omnino sublatum, constat ex ejusdem Hist. Eucharist. l. 4. c. 24.

Ad 6um Concilia citata morem asportandi secum Eucharistiam prohibitum propter abusus volebant ; quia scilicet Priscillianistæ, ut colligitur ex Conc. Toletano XII. c. 11., ad S. Eucharistiam accedebant cum catholicis se catholicos simulando et eam deinde horrenda cum impietate sacrilegi projiciebant.

Objiciunt etiam adversarii ex ratione ;

1. Sacramentum Eucharistiæ institutum est propter usum, juxta illa : "Accipite, et comedite ;" ergo consistit in usu. *Prob. Cons.*—Sicut enim Christus (Matth. XXVIII. 19.) dixit : "Docete omnes gentes, baptizantes eos," sic (Matth. XXVI.) : "Accipite, et manducate." Ergo sicut Baptismus consistit in actione indistincta ab ejus usu, sic Eucharistia.

2. Omne sacramentum debet esse signum gratiæ sanctificantis : sed Eucharistia non est signum gratiæ nisi in usu, sive sumptione. *Prob. min.* Eucharistia enim instituta est per modum cibi, ut Extrema Unctio per modum medicinæ : sed hæc in applicatione sola est signum gratiæ ; ergo et illa in sola sumptione ; proinde in hac consistere dicenda est.

Ad 1um *N. Cons.*—Licet enim Eucharistia non statim sumatur ; non idcirco cessat hic ejus finis ; quia servatur, ut sumatur. Deinde hic finis est quid mere extrinsecum sacramento ; unde eo licet cessante, vel nondum obtento, non ideo cessat sacramentum sed manet signum sensibile efficax gratiæ, quamvis hanc in actu secundo non conferat, nisi dum sumitur.

Ad prob. *Tr. Ant. N. Cons.*—Etsi enim Christus singula sacramenta

instituerit ad usum hominum; non ideo singula in solo usu consistunt, sed quod in sacramentis ceteris, præter Eucharistiam, eorum effectio non distinguatur ab usu, ex ipsis formis colligitur; Eucharistia vero ad sui usum præsupponitur; alias quippe falsa esset forma: "Hoc est corpus meum: Hic est sanguis meus:" quæ verba rem præsentem demonstrant. Item, Eucharistia consistit in corpore et sanguine Christi ceu cibo spirituali; sed cibus ante usum præsupponitur.

Ad 2[um] *C. Maj. N. Min.*—Ex modo dictis; quibus adde, nequidem de essentia aliorum sacramentorum, quæ in actuali usu consistunt, esse ut gratiam, quam ceu signa illius practica significant, semper in actu secundo conferant; fide enim certum est baptismum in hæreticis aut improbis cum obice gratiæ illum sumentibus sacramentum esse.

Ad prob. *D.*—Ut Extrema Unctio per modum medicinæ cujuscumque, nondum applicatæ *N.* Qua applicatæ *C.* Eucharistia instituta est per modum spiritualis alimoniæ; e contra non oleum secundum se institutum est per modum spiritualis medicinæ, sed unctio olei, juxta illud Jac. v.: "Ungentes eum oleo." En usus, vel applicatio, sicut pro baptismo, Matth. ult.: "Baptizantes eos."—Oleum enim per se, nisi determinatum per verba formæ, spiritualem medicinam nondum significat, sicut aqua extra baptismum nondum significat ablutionem spiritualem.

Specialiter contra adorationem Christi in Eucharistia objiciunt.

1. Scriptura nullibi præcipit Christum *in Eucharistia* esse adorandum. Ergo adoratio hæc Deo placere nequit.

Resp. *Conc. Ant. Neg. Cons.*—Adoratio enim hæc est reali præsentiæ Christi in Eucharistia, et præcepto generali, quo Deum adorare jubemur, omnino conformis.

2. Apostoli in ultima cœna Christum in Eucharistia non adoraverunt. Ergo neque a nobis adorandus est.

Resp. *Dist. Ant.*—Non adoraverunt adoratione externa, *Transeat.* Adoratione saltem interna *N.*; et *N. Cons.*—Apostoli cum Christo agentes, quandoque illum proni adorabant, alias solum animo:—et in ultima cœna non tenebantur majorem Christo sub speciebus eucharisticis latenti cultum exhibere, quam eidem visibiliter præsenti et mensæ accumbenti.

3. Rex, qui alieno habitu se occultat, offenditur, si quis eum latentem agnoscens, publicis honoribus prosequatur. Ergo a pari Christo in Eucharistia latenti adoratio non est accepta.

Resp. *Dist. Ant.*—Si Rex sub illo habitu alieno non sese manifestet, et omnino nolit agnosci *C.* Secus *N.*—et *N. Cons.*—Christus præsentiam suam realem sub speciebus sacramentalibus diserte manifestavit nobis verbis institutionis Eucharistiæ, et voluit ut intellectum captivantes in obsequium fidei præsentem eum in Eucharistia crederemus, et tanti beneficii perpetuo memores, qua majori possumus veneratione amori conjuncta prosequeremur.

4. Si in Eucharistia Christus adorari deberet, ob realem ejus in sacramento præsentiam, sequeretur adorandos esse fideles statim post Eucharistiam acceptam; imo et creaturæ omnes adorandæ essent, quibus intime præsens est Deus. Atqui hæc sunt falsa. Ergo.

Resp. *N. Maj.*—In Eucharistia enim adoratur Christus quia in ea ita est, ut nulla cum eo alia sit in Sacramento substantia creata quæ adorari videretur: species namque sacramentales substantiæ non sunt, et prout species sunt *aliquid Christi ut existit in Sacramento.* Hæc autem ratio excludit, ut patet, adorationem fidelium statim postquam communionem acceperint, et adorationem creaturarum in quibus Deus est præsens.

5. Si in Eucharistia Christus adoratur, fideles periculo exponuntur idololatriæ: potest enim fieri ut adorationi exponatur hostia, quæ non fuerit consecrata.

Resp.—Fideles exponuntur periculo idololatriæ *formalis N. Materialis*, et quidem periculo valde remoto *C.*

Scholion.—Etsi in adoratione species panis et vini a corpore et sanguine Christi non discernantur, seu corpus ac sanguis Domini sub speciebus ut unum objectum attingantur; *adoratio* tamen *non ad species* terminatur, sed ad corpus et sanguinem Christi, et ad totum Christum: in species vero, ex adoratione Christo exhibita, *veneratio* quædam debita derivatur. Ita pariter cum Regem veneramur, personam ejus et vestes quibus induitur ut unum objectum apprehendimus, neque

has ab illa secernimus; etsi honor quem exhibemus Regi, non ad vestes, sed ad personam terminetur, et licet in ipsas vestes regias aliquis honor, longe tament inferior, refundatur.

ARTICULUS SECUNDUS

De prima sacramenti Eucharistiæ materia remota.

Materiam remotam ex qua Eucharistia conficitur duplicem esse, panem nempe et vinum, constat ex præcedentibus. Hic vero de prima Eucharistiæ materia remota agentes, quæ est panis, ante omnia dicimus *solum panem triticeum* esse ad valide sacramentum hoc conficiendum sufficientem, ita ut nulla in alio fieret consecratio. Id non est expresse definitum, sed tam certum tamen est, ut Suarez[1] dixerit oppositam sententiam defendi non posse sine temeritate et erroris periculo. Quinimmo graviori etiam censura notanda esse videri posset, cum et in utraque Ecclesia perpetuo consecratus fuerit solus panis triticens, et Concilium Florentinum in Decreto pro Armenis statuat: "Tertium [sacramentum] est Eucharistiæ sacramentum, *cujus materia est panis triticeus;*" et in rubricis Missalis Romani § 3. aperte dicatur: "Si panis non sit triticeus, vel si triticeus, admixtus sit granis alterius generis in tanta quantitate, ut non maneat panis triticeus, vel sit alioqui corruptus, *non conficitur sacramentum.*"

At panis triticeus duplici modo confici solet; vel enim in ejus confectione fermentum miscetur, et dicitur fermentatus, vel sine fermento paratur ex farina triticea aqua naturali subacta et igne cocta, et vocatur azymus. Porro Michael Cerularius Patriarcha Constantinopolitanus, et Leo Archiepiscopus Acridanus in Bulgaria circa annum 1053. ausi sunt S. Leonem IX. omnesque Latinos, quos per contemptum vocabant Azymitas, erroris arguere eo quod in azymo consecrarent. Insanam hanc audaciam Sanctus Pontifex merito reprehendit; Græci tamen vocem Summi Pastoris audire recusarunt, et a centro unitatis divulsi, tam pertinaciter falsæ doctrinæ quam a Cerulario acceperant adhæserunt, ut, sæculo XVII. Jeremias Patriarcha Constantinopolitanus

[1] In 3. S. Thomæ, disp. 44. sect. 1.

in Censura adversus Confessionem Augustanam scripserit (cap. 10.) non posse sacramentum Eucharistiæ confici in pane azymo.

Contra eos sequens statuitur *de fide*

THESIS VIII.

Panis triticeus, sive azymus sit, sive fermentatus, ad conficiendum Eucharistiæ sacramentum est materia valida.

Ut patet, loquimur in thesi de *validitate materiæ*, non *de liceitate*: nam ex præcepto ecclesiastico panis azymus pro Latinis est necessarius, et fermentatus pro Græcis, ita ut mortaliter peccent sacerdotes juxta ritum suæ Ecclesiæ non celebrantes.—Quum autem de valore panis fermentati nemo sit qui dubitet, thesis quoad panem azymum adversus schismaticos græcos probanda est.

I. Primam thesis demonstrationem suppeditat exemplum Christi, nam Christus Sacramentum corporis sui consecravit in azymo. Et sane Christus, ut tres Evangelistæ testantur, Eucharistiam instituit prima die azymorum:—dicit enim Matth. (XXVI. 17.): "*Prima* autem *die azymorum* accesserunt disci
puli ad Jesum dicentes: Ubi vis, paremus tibi comedere Pascha;" idque repetunt Marcus (XIV. 12.) et Lucas (XXII. 7.).—Sed prima die azymorum e domibus Judæorum sublatum erat fermentum, et aderant tantum mensis appositæ panis azymi placentæ;—nam statuerat Deus; "Septem diebus azyma comedetis: *in die primo non erit fermentum* in domibus vestris: quicumque comederit fermentatum, peribit anima illa de Israel, a primo die usque ad diem septimum" (Exodi, XII. 15.); et iterum (ib. 17–20.): "Et custodietis diem istum in generationes vestras ritu perpetuo. Primo mense, quartadecima die mensis ad vesperam comedetis azyma usque ad diem vigesimam primam ejusdem mensis ad vesperam. Septem diebus fermentum non invenietur in domibus vestris: qui comederit fermentatum, peribit anima ejus de cœtu Israel, tam de advenis quam de indigenis terræ. Omne fermentatum non comedetis: in cunctis habitaculis vestris edetis azyma."—Ergo.

Hoc argumentum urget S. Leo IX., epistola sua data anno 1054. ad Michaelem Cerularium.[1] "Qui non venerat," inquit, "solvere legem sed adimplere, juxta ipsius legis præceptum, ex azymis et vino vetus pascha adimplevit, et protinus ex azymis et vino novum, sicut aperte Lucas narrat, discipulis tradidit. Neque enim totis octo diebus illis fermentatum apparebat in omnibus finibus Israel, et apud quemcumque inveniebatur, peribat anima ejus de populo suo (Exod. XII.) Quod si in Cœna Domini Jesu apparuisset, aut ipse seu discipuli ejus quoquo modo gustassent, juste sicut prævaricatores legis perirent, nec ipse Dominus diceret suis insidiatoribus: 'Quis ex vobis arguet me de peccato?' (Joan. VIII.) Nec esset opus falsos testes ad perdendum eum quærere, cum hoc solo perderetur juste."

Et hic cum Estio[2] adnotetur adversus græcos, quod etiamsi admitteretur Christum Dominum, ut illi volunt, in celebratione paschæ legitimum ejus tempus, id est 14. lunam, prævenisse, nec consequens foret eum fermentato pane in cœna novissima cum discipulis suis, et in institutione Eucharistiæ, usum fuisse. Sicut enim ipsius agni paschalis immolationem et esum, ita et totum ejus ritum in lege præscriptum, qui inter alia habet, ut cum azymis comedatur, credendum est observare eum voluisse: unde S. Joan. Chrysostomus (hom. 82. in Matt.) ait Dominum facto demonstrasse quod a principio circumcisionis suæ, usque ad diem paschæ extremum non erat contrarius divinæ legi.

II. Indubitabilis probatio thesis est ex definitione fidei in Concilio Florentino lata, et tum a græcis tum a latinis subscripta, in qua legitur: "Definimus . . . . . in azymo sive fermentato pane triticeo corpus Domini veraciter confici."—In confessione fidei a Michaele Paleologo Gregorio X. oblata in Concilio Œcumenico Lugdunensi II., jam agnitum fuerat ex azymo confici sanctissimum Eucharistiæ sacramentum ab Ecclesia Romana.

III. Alia, et quidem efficacissima probatio thesis habetur ex ipsa praxi totius Ecclesiæ Occidentalis; hæc enim, saltem a tempore remotissimo, adhibuit panem azymum ad Eucharistiam conficiendam, qui proinde absque dubio valida esse sacramenti materia dicendus est.

---

1) Migne, P. L. t. 143. p. 775.

2) In lib. 4. sent. dist. 8. § 8. in fine.

Et re quidem vera, latinam Ecclesiam diu jam ante schisma Photianum in azymo consecrasse ostenditur:—

a) Auctoritate legatorum, quos S. Agatho Papa, anno 680. misit Constantinopolim ut VI. Synodo, Constantinopolitanæ nempe tertiæ, præsiderent. A Constantino Pogonato Imperatore interrogati: "qualiter Romana Ecclesia de sacrificio corporis et sanguinis Domini nostri Jesu Christi ordinem teneret," ut refert Humbertus Cardinalis in responsione adversus Nicetam Pectoratum,[1] legati illi responderunt: "Oblatio, quæ in sacrificium altaris offertur, nullam commixtionem aut corruptionem fermenti debet habere: sicut Beata Virgo Maria absque omni corruptione Christum concepit et peperit.—Sic et oblatio munda debet esse a fermento." Quibus verbis recitatis, Nicetam ita urget Humbertus: "Tunc placuit piissimo Principi Constantino hæc traditio Apostolicæ Sedis. Ecce istius et ceterarum sex Synodorum omnibus Sanctis Patribus et Orthodoxis Imperatoribus per omnia placuit fides et traditio Apostolicæ Sedis. Et tu quis es cui displicent?" Equidem hæc in Actis VI. Synodi, quæ adhuc supersunt, haud amplius inveniuntur; neutiquam tamen dubitandum est ea extitisse: neque enim in suspicionem fraudis trahi, aut tam crassæ inscitiæ accusari potest Humbertus, inter Latinos sui ævi et vitæ probitate et doctrina apprime insignis.

b) Testimonio Alcuini, qui obiit anno 804. In Epistola enim 90. quam ad Lugdunenses scripsit, Alcuinus ait: "Audivimus aliquos in illis partibus [Hispaniæ] affirmare salem esse in sacrificium corporis Christi mittendum. Quam consuetudinem nec universalis observat Ecclesia, nec Romana custodit auctoritas. Tria sunt quæ in sacrificio hujus testimonii offerenda sunt, panis, aqua et vinum. Panis qui in Christi corpus consecratur, absque fermento ullius alterius infectionis debet esse mundissimus."

c) Apertis verbis Rabani Mauri, Archiepiscopi Muguntini, qui anno 846. e vivis excessit. Is in l. 1. de clericorum institutione, c. 31., declarat panem sacrificii azymum esse oportere; et addit rationem, dicens: "Panem infermentatum ... in sacramentum corporis et sanguinis Christi sanctificari oportet. ... Credimus et panem illum, quem primum Dominus in cœna mystica in mysterium sui corporis consecravit, infermentatum esse."

[1] Migne P. L. t. 143. p. 991. n. 19.

Nec dici potest testimonium Rabani valere solum pro Germania, in qua receptus eo tempore erat usus azymorum; nam Rabanus in præfatione operis, ex quo textus citatus desumptus est, pollicetur se acturum "de officio Missæ secundum morem Romanæ Ecclesiæ;" et l. 1. c. 33., postquam de sacrificii ritibus egerat, et dixerat de azymo pane qui adhiberi debuerat, subdit: "Istum ergo ordinem ab Apostolis et Apostolicis viris traditum Romana tenet Ecclesia, et per totum pene occidentem omnes Ecclesiæ eamdem traditionem servant."

Manet igitur certo probatum azymorum usum in consecratione Eucharistiæ apud latinos a remota *saltem* antiquitate fuisse servatum, et ante schisma Græcorum;—id autem plane sufficit ad thesis nostræ confirmationem.

Verum potest etiam, et quidem magna probabilitate, ostendi hunc morem consecrandi in pane azymo in Ecclesia latina fuisse perpetuum.[1]

Nam verba Rabani mox citata id significant; et id ipsum declarat S. Leo IX. in ep. sua ad Michaelem Cerularium et Leonem Acridanum. (c. 5.) "Ecce jam," ait, "post mille ac ferme viginti a passione Salvatoris nostri annos, incipit per vos discere Romana Ecclesia qualiter memoria Passionis ejusdem sit recolenda, quasi nihil ei contulerit præsentia, conversatio et diuturna institutio, seu, qua clarificavit Deum, mors prætiosa illius venerabilis senis, cui specialiter Christus Filius Dei vivi dicit: Beatus es, Simon Bar-Jona, quia et caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui est in cœlis.' "—In eadem epistola Sanctus Pontifex id confirmat, addens (c. 20.): "Quapropter a tanta amentia jam resipiscite, et Latinos vere catholicos, atque maximi Petri familiariores discipulos, *institutionisque ejus devotiores sectatores*, cessate subsannando azymitas vocare:"—et deinde (cap. 23.) Constantinopolitano Antistiti in mentem revocat Romanam et apostolicam Sedem, per Evangelium genuisse latinam Ecclesiam in Occidente, et matrem etiam

[1] Tres hac in re eruditorum sunt opiniones. Jacobus Sirmondi contendit panis fermentati usum pro sacrificio Missæ octingentis et amplius annis in Ecclesia Latina obtinuisse, azyma vero fuisse recepta a tempore schismatis Photiani, seu ab anno 867.;—Joannes Mabillonius cum multis aliis tenuit perpetuum et constantem jam ab apostolicis temporibus fuisse in Ecclesia azymorum usum, et numquam receptum ad Eucharistiam consecrandam panem fermentatum;—Cardinalis Bona putavit ab apostolorum temporibus ad schisma Photianum in Ecclesia Latina promiscuum fuisse usum fermentati et azymi panis, nec ante sæculi decimi initium, lege communi ac generali, ubique receptum fuisse azymum apud Latinos.—Mabillonii sententiam, quæ communior est, et optimis firmata rationibus, secuti sumus.

fuisse Ecclesiæ Constantinopolitanæ, quando jam "in divino cultu victrix et coronata, alta pace triumphabat, jam innumerabilis utriusque sexus et diversæ ætatis martyrum exercitus, *nostris azymis saginatus*, universos idololatriæ fregerat impetus."

Præterea ex responsione Humberti Cardinalis, et legati Summi Pontificis Leonis IX., adversus Nicetam Pectoratum, immo ex ipsa declaratione Nicetæ,[1] patet Latinos credidisse usum azymorum in Missa fuisse ab Apostolis traditum. Sic enim objiciebat Humberto Nicetas: "Si traditum vobis fuit ab Apostolis comedere azyma, quomodo Agatho Papa vester, præsessor sanctæ sextæ Synodi, cum Gregorio Agrigentinorum episcopo et aliis Patribus, contra azyma, ne fierent, legem statuit?" Cui Humbertus: "Audi, stulte, vane: *non tantum ab Apostolis*, quantum ab ipso Domino nostro Jesu Christo traditum est nobis azyma non de Phase Judaico comedere, sed de Pascha Christiano percipere." Et ostendit nullum decretum contra usum azymi in sacrificio Missæ fuisse latum a Papa Agathone; quinimmo, a legatis Agathonis Papæ audivisse Constantinum Imperatorem *traditionem apostolicæ sedis de usu azymi*, eique et Patribus sextæ Synodi, sicut et omnibus, qui præcesserunt Patribus, placuisse.

Insuper, D. Algerus, qui sæculo XII. scripsit, in opere *de sacramentis corporis et sanguinis Domini*, l. 2. c. 10., ait: "Omnis autem Ecclesia, præter Græcam, *a primordio sui ex Traditione Principum Ecclesiæ*, Petri scilicet et Pauli, azymis celebravit;"—Rupertus, l. 2. *de divinis Officiis* c. 22., affirmat Romanam Ecclesiam in sacrificio *fermentum numquam* adhibuisse;—et Hugo Etherianus, l. 2. de hæresibus, quarum Latinos Græci accusant, c. 17., inquit: "Latinorum Sancta Ecclesia *æternaliter* azyma offert et immolat."—Quapropter Innocentius III., sub finem ejusdem sæculi scripsit (l. 4. de Myst. Missæ, c. 4.): "Ab ipsis beatis Apostolis Petro et Paulo, quos et vivos habuit, et defunctos custodit, hunc sacrificii ritum [Romana Ecclesia] accepit, quem hactenus inviolabili cultu servavit." Innocentio autem e vestigio successit scholasticorum ætas, quorum communis opinio fuit azymorum usum pro Latinis ab exordio Christianæ Ecclesiæ incepisse.

Demum, ipsa universalis praxis,—quam certo demonstravimus ubique receptam fuisse apud Latinos, saltem a sæculo IX., consecrandi in

[1] Migne, P. L. t. 143. p. 989. n. 13.

azymo,—suadet Ecclesiam occidentalem *semper* rem divinam in azymo confecisse. Nam si prioribus sæculis Latini fermentato pane in Missa usi fuissent, subrogatus ei fuisset azymus panis vel lege ecclesiastica, vel communi Ecclesiarum occidentalium consensu, vel consuetudine sensim introducta et approbata: sed ex his nullum admitti potest.—Non 1. quia nullum extat Decretum Pontificium, aut cujuscumque Concilii statuens, ante sæculum IX., fermentatum panem non amplius esse adhibendum pro Eucharistiæ consecratione;—non 2. quia fieri non potuit ut omnes simul Ecclesiæ occidentales sponte et communi consensu, eodem tempore, nullo reclamante Pastore, nulla commotione fidelium, ritum a majoribus acceptum, et quotidiana consuetudine usurpatum relinquerent, et novum adoptarent;—non 3. quia non potest similiter admitti novam disciplinam fuisse sensim et absque ulla contradictione introductam in Ecclesiis occidentalibus, ita ut nullum supersit monumentum quod originem, et progressum ostendat hujus innovationis; præsertim si consideretur aliquas inter occidentales Ecclesias rituum tenacissimas fuisse multo minoris momenti ad celebrationem Missæ, eo quod ab institutoribus suis, vel certe a majoribus, illos receperant.—Hic sane locum habet illud S. Aug. notissimum effatum (l. 4. de bapt. cont. Donatistas c. 24.): "Quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est; nonnisi ab auctoritate apostolica traditum rectissime creditur."

IV. Ratio theologica ad thesim confirmandam est manifesta. Enim vero materia ad consecrationem Eucharistiæ est panis: nam id Scripturæ, Patres omnes et Concilia universa docent, et facile concedunt adversarii. Atqui non tantum fermentatus, sed etiam azymus vere est panis. Ergo non modo fermentatus, sed etiam azymus est materia valida ad Eucharistiæ consecrationem.—Minor constat, quia azymus panis accidentaliter tantum differt a fermentato, et in Scripturis simpliciter vocatur *panis.* Azymi panes profecto erant quos Scriptura commemorat l. 1. Regum c. 21. et illos vocat *panes;* et panis azymus erat ille quem Christus fregit in Castello Emmaus,—erant enim tunc dies azymorum,—et apud Lucam (XXIV. 30. 35.) simpliciter appellatur *panis* (ἄρτος).

Adversus thesim vindicatam, et argumenta quæ proposuimus, objicitur:—

1.—Christus in pane fermentato Eucharistiam instituit, quia ultimam cœnam habuit non in festo Paschatis, sed in vigilia ejusdem festi, in qua usus panis fermentati licitus erat. Id probatur *a)* Ex Evang. Joan. XIII. 1.; ait enim Evangelista: "Ante diem festum Paschæ, sciens Jesus quia venit hora ejus . . . . . in finem dilexit eos. Et cœna facta. . . ."—*b*) Ex eodem capite Evangelii, vv. 27. 29., nam ibi refertur Christus dixisse Judæ proditori: "Quod facis, fac citius;" et additur: "Quidam putabant, quia loculos habebat Judas, quod dixisset ei Jesus: Eme ea quæ opus sunt nobis ad diem festum;" festum Paschæ ergo tunc nondum inceperat.—*c*) Ex Joan. XVIII. 28., ubi legitur: "Et ipsi non introierunt in prætorium [Pilati gentilis], ut non contaminarentur, sed ut manducarent Pascha;" ergo Christus mortuus est luna decimaquarta quando manducabatur Pascha; et cœnam habuit die præcedenti.—*d*) Ex eodem Evang., XIX. 14., ubi Christus dicitur passus et mortuus "in parasceve Paschæ;" at parasceve Paschæ est præparatio, seu vigilia Paschæ: ergo Christus non potuit cœnam habere in festo Paschatis.—*e*) Quod ultimo confirmatur tum ex eo quod jam Judæi decreverant Christum occidendum non esse in die Paschæ vel azymorum: "non in die festo, ne forte tumultus fieret in populo" (Matth. XXVI. 5.);—et ex illis quæ facta fuerunt post mortem Christi, et licita non fuissent in die festo.

Resp. 1.—Etiamsi probari posset Christum cœnam paschalem uno die anticipasse, non exinde, ut jam in probatione thesis adnotavimus, sequeretur Christum consecrasse Eucharistiam in pane fermentato.

Resp. 2. *Neg. assertum*, nempe Dominum nostrum cœnam ultimam non habuisse in festo Paschatis. Ad 1. prob.—*Dist.* Ante diem festum naturalem *C.* Legalem *N.*—*Festus* autem *dies*, de quo Joannes loquitur, est dies decimaquarta, cujus solemnitas maxima erat, ut legitur Levit. XXIII. 5.: "Decima quarta die mensis ad vesperam Phase Domini est, et decima quinta die mensis hujus solemnitas azymorum Domini est." Juxta hanc explicationem S. Joan., dicens Christum cœnam celebrasse *ante diem festum Paschœ* omnino concordat cum aliis Evangelistis, qui dicunt cœnam factam fuisse *primo die azymorum.* Hi loquentes *de die legali*, qui erat decimus quintus sed inchoabatur luna decimaquarta post occasum solis, dicunt Christum (qui cœnam celebravit luna decimaquarta exeunte) cœnam habuisse *primo die azymorum*, tum enim dies legalis in-

cipiebat: Joannes vero loquens de eadem die, prout *naturaliter* incipiebat a media nocte, dicit Christum celebrasse ultimam cœnam *ante diem festum.*

Nec obstat, quod S. Joannes dicat: ante diem festum *paschæ,* non vero *azymorum;* nam festum azymorum a præcedente pascha nomine paschæ designabatur. Ita apud Luc. XXII. 1. habemus: "Appropinquabat autem dies festus azymorum, qui dicitur pascha;" et in Actibus Apostolorum (c. 12.) omnes dies azymorum vocantur *pascha.* "Erant autem dies azymorum ..... volens post *pascha* producere eum" (Act. XII. 3–4.).

Ad 2. prob. *N. Cons.*—Putabant enim Apostoli Judam missum fuisse ad emenda quæ necessaria erant *ad diem festum,* nempe decimamquintam; quæ juxta computationem *diei naturalis,* ut mox adnotavimus, adhuc non inceperat.

Ad 3. prob. *Dist. Ant.*—Ut manducarent pascha, id est agnum paschalem *N.* Paschales victimas *C.*; et *Neg. Cons.*—Nomine *paschæ* non solum agni paschales appellabantur, sed etiam victimæ pacificæ per septem azymorum dies cædi solitæ, et præsertim illæ, quas omnes, qui die decimaquinta coram Domino apparebant, offerre tenebantur.

Ad 4. prob. *Neg. Min.*—*Parasceve* præparatio audit; hic vero non significat præparationem ad paschalis agni manducationem, sed ad sequens sabbatum, ac dicitur *parasceve paschæ,* quia eo anno initium sabbati in ipsam paschalem solemnitatem incidebat. Sic nos dicimus Dominica Paschæ, quia Pascha in Dominicam incidit. Responsio ex ipso Joan. XIX. 31. constat, ubi de eodem, quo Christus mortuus est, die loquens, inquit: "Judæi ergo, quoniam parasceve erat, ut non remanerent in cruce corpora sabbato, (erat enim magnus dies ille sabbati) rogaverunt Pilatum," etc.: ergo erat parasceve sabbati. Ita quoque Luc. XXIII. 54.: "Dies erat parasceves: et sabbatum illucescebat:" et Marcus XV. 42., adhuc apertius: "Erat autem parasceve, quod est ante sabbatum, προσάββατον;" prosabbati autem nomine exprimi feriam sextam, nemo ignorat.—Dicitur tamen sabbatum hoc '*magnus dies sabbati,*' non quod dies primus solemnis azymorum perfecte coincideret et totus cum die sabbati; sed quod in alteram azymorum diem, sicque in tempus paschale, vel dies paschales incideret; itaque geminata esset festivitas.

Ad 5. prob. *Resp.*—Quamvis principes sacerdotum et seniores biduo ante in Concilio dixerint non esse Christum occidendum "in die festo," idque non religionis causa, sed timore populi "ne forte tumultus fieret in populo;" opportunitatem tamen nacti ex proditione Judæ, cum eodem convenerunt ut in ipsa paschali nocte Jesus caperetur: et, mane facto, obtinuerunt ut Pilatus eum damnaret et crucifigeret.—Illa vero quæ facta narrantur ab Evangelistis ad capiendum Jesum, et ad eum occidendum, vel putabant Judæi non esse a lege prohibita, vel si existimabant transgressiones esse legis, conscientia pharisaica, non curabant. Quoad ea quæ facta sunt post mortem Jesu, si Joseph decurio emit sindonem, et ea involvit corpus Jesu, et sepelivit, hæc nulla lege prohibebantur.

2.—Panem, ex quo Eucharistia conficiebatur, Patres appellabant *communem* et *usitatum*. Atqui communis et usitatus panis est *fermentatus*. Ergo.

Resp. *Dist. Maj.*—Appellabant *communem* et *usitatum* quatenus illum panem opponebant *azymo N.* Quatenus opponebant illum *pani consecrato C.*—S. Ambrosius, l. 4. de sacr. c. 4., ait: "Tu forte dicis panis meus est *usitatus*," et statim subjungit: "Sed panis iste *panis* est ante verba sacramentorum; ubi accesserit consecratio *de pane fit caro Christi.*"—Insuper adnota panem azymum appellari etiam potuisse communem et usitatum, nam Græci, Romani, aliæque nationes olim hunc panem frequenter adhibebant.

3.—Primis Ecclesiæ sæculis fideles, qui ad Missæ celebrationem conveniebant, panem sacerdoti offerebant. Porro verisimile non est quod offerrent panem azymum.

Resp. Duplex distingui debet oblatio, quæ fiebat primis illis temporibus a fidelibus. Prima fiebat vel ante Missam, vel cum canebatur Evangelium, et tunc offerebant fideles panem, vinum, ceram, et alia quæ ad cultum Dei, ad ministrorum altaris victum et ad pauperum ac viduarum sustentationem erant necessaria. In hac oblatione panem fuisse fermentatum non negamus. Altera vero oblatio fiebat tempore offertorii, et hac oblatione panis ac vini utebantur sacerdotes ut Eucharistiam consecrarent:—porro nulla ratione ostendi potest panem tunc a

fidelibus oblatum fuisse fermentatum, cum et azymus æque facile, immo facilius quam fermentatus parari potuerit, et adversarii nostri admittant post schisma Photianum in Missæ oblationibus fideles obtulisse panem azymum.

4.—S. Innocentius I., in epistola ad Decentium Eugubinum, Eucharistiam appellat *fermentum:* et in aliis priorum Ecclesiæ sæculorum documentis *oblationes consecratæ*, quæ in signum communionis mittebantur ad absentes, appellantur nomine *fermenti.*—Ergo ex fermentato pane Eucharistia conficiebatur.

Resp. *N. Cons.*—Eucharistia *fermentum* appellabatur, non quod ex fermentato pane confecta fuerat, sed quia nomen istud Eucharistiam, juxta legem arcani, prophanis celabat; et significabat per Eucharistiam Ecclesias ac fideles absentes, quibus mittebatur, in unum conjungi, et in eis, quoad spiritualem vitam, effici id quod in materiali farinæ massa, cum aqua, præstatur a *fermento.*

5.—Inter ea quæ Photius Latinis objicit, nulla mentio est de azymo.—Atqui id certe eis objecisset si Latini azymo pane, illa saltem ætate, in Missa usi fuissent.—Ergo.

Resp. *N. Min.*—Photius enim non exprobravit Latinis usum azymorum, quia pro certo habuit eos uti azymis exemplo Christi. Vide Photii Bibliothecam (cod. 96.), ubi profitetur hanc fuisse sententiam Ecclesiæ Græcæ.—Ceterum Photius multa alia omittit, quæ postea adversus Latinos Græci protulerunt.

6.—Usus azymorum legales cæremonias jam abolitas perpetuat.—Ergo non est admittendus in nova lege.

Resp. Non omnes cæremoniæ in usu tempore legis abolitæ fuerunt, sed illæ quæ cum Christiana professione consistere non poterant; cujusmodi erant ritus, qui professionem Judaismi exhibebant, et Christum venturum præfigurabant. Hinc Humbertus Cardinalis, Græcis qui contendebant omnia legalia abolita fuisse, aiebat: "Unde vobis templum, altare, sacrificium, candelabrum, cortinæ, sanctum chrisma et thymiama, aspersionis aqua, thuribulum, et cetera sancti ministerii vasa seu ornamenta et vestimenta sacerdotalia?"

7.—Azymus panis, qui vocatur a Moyse *afflictionis panis* (Deut. XVI. 3.), nequit convenire Eucharistiæ, quæ est divinum convivium.—Ergo.

Resp. *N. Ant.*—Azyma enim fuerunt simul doloris et lætitiæ signa: doloris, quia revocabant in mentem Ægyptiacam servitutem; lætitiæ, quia liberationem ab ea jucundissimam commemorabant. Sic Eucharistia *doloris* signum est, dum Christi passionem et mortem nobis significat; *lætitiæ* vero dum gratiam confert, et amoris ineffabilis Christi ac vitæ æternæ pignus certissimum nobis exhibet.

SCHOLION.—Quamvis pro pane fermentato afferri possent etiam quædam congruentiæ, præsertim ex eo quod in admixtione fermenti significetur unio divinæ cum humana natura in mysterio Incarnationis, et fermentum, quo panis in altum tollitur, insinuet mentes nostras ad cœlum esse attollendas, ut cœlestia ac spiritualia contemplemur; consuetudo tamen consecrandi in azymo rationabilior est et convenientior,—tum quia ipse Christus azyma adhibuit in Eucharistiæ institutione,—tum quia melius significat immaculatissimam puritatem corporis Christi,—tum quia inculcat necessariam in suscipientibus munditiam,—tum demum quia melius, dum utimur azymis, veritas in N. T. exhibita respondet figuris Veteris Testamenti.

ARTICULUS TERTIUS

De secunda sacramenti Eucharistiæ materia remota.

Quoad hanc Eucharistiæ materiam, quæ est vinum, varii diversisque temporibus errores prodiere. Etenim hac in re erraverunt non solum antiquiores quidam hæretici, nempe Ebionitæ, Encratitæ, et Manichæi, qui vinum rejiciebant; sed etiam, ex ignorantia et metu persecutionis, nonnulli in Africa Catholici sæculi III., qui ne forte ex odore vini facilius deprehenderentur, in sacrificio altaris offerebant aquam. Deinde, sæculo IV., Concilium Carthaginiense III. damnavit aliquos qui in lacte consecrabant; et alios qui, sæculo VII., non vinum ex uvis expressum, sed uvas integras offerebant, damnavit Concilium IV.

Bracarense. Demum propter penuriam vini, siccas uvas, vel fœces vini aqua mersas adhibuerunt quidam Daniæ sacerdotes in celebratione Missæ, quos Pontifex Alexander III. hac de causa graviter reprehendit.

Ex alio capite erraverunt Armeni, qui vinum purum, sine aqua, asserebant esse consecrandum: et Lutherus, aliique post eum Protestantes, qui putant aquæ admixtionem in calice rem esse omnino indifferentem, imo nec ab Ecclesia præcipi posse.

Hos omnes errores refutat

THESIS IX.

Materia necessaria, in sacramento Eucharistiæ, pro secunda consecratione, est vinum de vite; aqua tamen in modica quantitate vino miscenda est, non de necessitate sacramenti, neque præcepti divini, sed tantum ecclesiastici.

Tres partes sunt in thesi, sed *prima,*—quæ statuit vinum de vite esse materiam necessariam pro secunda consecratione in sacramento Eucharistiæ,—nulla indiget demonstratione, cum apertissima sit ex hucusque dictis. Superest ut probemus duas alias partes, scilicet, aquam esse vino miscendam in quantitate modica, et admixtionem istam fieri non ex necesssitate sacramenti, neque ex præcepto divino, sed ex præcepto ecclesiastico.—

Prob. 2. pars thesis. 1.—Christus, dum Eucharistiam instituit, aqua vinum temperavit. Ergo.—Antecedens constat ex Traditione. Etenim S. Irenæus[1] ait: "Accipiens panem suum corpus esse confitebatur, et temperamentum calicis suum sanguinem confirmavit." S. Cyprianus[2] scribit: "Dominus panem et calicem mixtum vino obtulit." S. Basilius in Liturgia hæc habet: "Similiter etiam calicem post cœnam miscuit vino et aqua." S. Hieronymus comment. in Marc. 14. inquit: "Christus format sanguinem suum in calice, vino et aqua mixtis." S. Joan. Damascenus[3] dicit: "Similiter etiam calicem post cœnam acceptum, ex vino et aqua constantem, impertivit eis." Idem testatur Concilium Carthaginiense III. supra citatum, et Florentinum, in decreto pro Ar-

[1] Lib. 4. c. 33. al. 57. [2] Ep. 63. ad Cæcil. n. 16. [3] Lib. 4. de fide, c. 13.

menis, dicens: "Aqua autem ideo [vino] admiscetur, quia juxta testimonia SS. Patrum et Doctorum Ecclesiæ creditur ipsum Dominum in vino aqua permixto hoc instituisse sacramentum." Hoc idem testatur Concilium Tridentinum, sess. 22. cap. 7.

2.—Praxis perpetua Ecclesiæ fuit ut modicum aquæ vino in Missa pro secunda consecratione admisceretur. Nam S. Justinus Martyr in prima Apologia pro Christianis (n. 65.) de Eucharistiæ celebratione loquens, ait: "Deinde ei, qui præest, panis offertur, et poculum aquæ et vini." S. Irenæus[1] dicit: "Quando ergo et mixtus calix, et fractus panis percipit verbum Dei, fit Eucharistia sanguinis et corporis Christi." S. Cyprianus[2] scribit: "A Domino admoniti et instructi sumus, ut calicem dominicum vino mixtum, secundum quod Dominus obtulit, offeramus." S. Ambrosius (de sacram. l. 4. c. 4.) inquit: "Ante verba Christi calix est vini et aquæ plenus; ubi verba Christi operata fuerint ibi sanguis efficitur, qui plebem redemit." S. Augustinus (Tract. 120. in Joan. n. 2.) docet aquam ex latere Christi profluentem non solum ad baptismi, sed etiam ad Eucharistiæ pertinere sacramentum; nam, ait, "aqua illa salutare temperat poculum, hæc et lavacrum præstat et potum." Gennadius (de dogm. eccles. c. 75.) ita loquitur: "In Eucharistia non debet pura aqua offerri, ut quidam sobrietatis falluntur imagine, sed vinum aqua mixtum." S. Joannes Damascenus (de fide l. 4. c. 13.) ita disserit: "Panis ac vinum et aqua, per Sancti Spiritus invocationem et adventum, mirabili modo in Christi corpus et sanguinem vertuntur."—Simile testimonium de perpetua Ecclesiæ praxi exhibent omnes quotquot sunt Liturgiæ Orientalium et Occidentalium.

3.—Concilia multa statuerunt aquam admiscendam esse vino in celebratione mysteriorum. Ita Conc. Carth. III. an. 397. (c. 24.) decrevit: "Ut in sacramentis corporis et sanguinis Domini nihil aliud offeratur, quam quod ipse Dominus tradidit, hoc est panis et vinum aqua mixtum; nec amplius in sacrificiis offeratur, quam de uvis et fermentis."—Concilium Aurelianense IV., anno 541. (can. 4.) præcepit: "Ut nullus in oblatione sacri calicis, nisi quod ex fructu vineæ separatur, et hoc aqua mixtum, offerre præsumat."—Concilium Antisidiorense, anno 578. (can. 8.) ait: "Non licet in altari . . . . . . ullum aliud poculum extra vinum cum aqua mixtum offerre."—Concilium Bracarense IV., anno

[1] Lib. 5. adv. hær. c. 2.

[2] Ep. 63. ad Cæcil. n. 17.

675. (capite 2.): "Calix dominicus vino et aqua permixtus debet offerri;" et eadem verba habentur in canone 4. Concilii Vormatiensis, an. 868.—Demum, quin alia recitem, Concilium Florentinum in Decreto pro Armenis inquit: "Cujus [Eucharistiæ sacramenti] materia est panis triticeus, et vinum de vite, cui ante consecrationem aqua modicissima admisceri debet." Et paulo post addit: "Decernimus igitur, ut etiam ipsi Armeni se cum universo orbe christiano conforment; eorumque sacerdotes in calicis oblatione paululum aquæ, prout dictum est, admisceant vino."—Concilium vero Tridentinum (sess. 22. c. 9.) definivit: "Si quis dixerit . . . aquam non miscendam esse vino in calice offerendo, eo quod sit contra Christi institutionem, anathema sit."

Prob. 3. pars thesis.—Et quidem non esse admixtionem aquæ de necessitate sacramenti constat tum negative, quia nullum fundamentum sive in Scriptura, sive in traditione habetur ad hoc adstruendum; tum positive, quia expresse Rubricæ Missalis Romani (tit. 4.) declarant: "Si celebrans . . . non fuisse appositam aquam . . . advertat post consecrationem calicis, nullo modo apponat, *quia non est de necessitate sacramenti.*"—Non esse admiscendam aquam in calice ex præcepto divino similiter probatur ex eo quod non possit illud ostendi; nam etsi Christus miscuerit paululum aquæ vino cum sacramentum instituit, non ideo tamen hoc exemplum in præceptum transiit; cum id quod Dominus fecit, ut dicatur ab eo fuisse præceptum, constare debeat ex Ecclesiæ declaratione, sive explicita, sive implicita. Porro Ecclesia praxim miscendi aquam in calice consecrando numquam dixit a Domino statutam, immo videtur dixisse ecclesiastica tantum auctoritate fuisse introductam, quia Tridentina Synodus monet: "præceptum esse *ab Ecclesia* sacerdotibus, ut aquam vino in calice offerendo miscerent."

Dices: 1.—S. Cyprianus (ep. 63. ad Cæcilium cap. 13.) scribit: "Sic autem in sanctificando calice Domini offerri aqua sola non potest, quomodo nec vinum solum potest." Ergo S. Cyprianus dicit aquam necessariam esse ad veritatem consecrationis.

Resp. 1.—Juxta S. Thomam aliosque verba S. Cypriani intelligi debent ita ut dicant utrumque, vinum nempe et aquam, esse necessarium, sed non eodem modo; vinum enim necessarium est ex necessitate

sacramenti, aqua est ex necessitate præcepti ecclesiastici. 2.—Juxta alios, S. Cyprianus dicit aquam cum vino mixtam esse necessariam *non ad validam consecrationem*, sed *ad mysticam significationem*, nempe ad significandam unionem populi fidelis cum Christo capite. Hunc autem fuisse sensum illorum verborum apparet ex immediate sequentibus: "Nam si vinum tantum quis offerat," inquit, "sanguis Christi incipit esse sine nobis; si vero aqua sit sola, plebs incipit esse sine Christo." — Præterea adnotetur hæc etiam verba aperte ostendere Cyprianum nullo modo putasse aquam necessariam in calice ad *veritatem* consecrationis: dicit enim sine aqua vinum converti in Christi sanguinem.

Dices: 2.—In eadem epistola S. Cyprianus (cap. 14.) ait: "Si Jesus Christus Dominus et Deus noster ipse est summus sacerdos Dei Patris, et sacrificium Patri se ipsum primus obtulit, et hoc fieri in sui commemorationem præcepit, utique ille sacerdos vice Christi vere fungitur qui id quod fecit Christus imitatur; et sacrificium verum et plenum tunc offert in Ecclesia Deo Patri, si sic incipiat offerre secundum quod ipsum Christum videat obtulisse."

Resp.—S. Cyprianus hæc dicit non de mixtione aquæ, sed de vini oblatione. Sic enim in capite objecto loquitur: "Non est ergo, frater carissime, quod aliquis existimet sequendam esse quorumdam consuetudinem, si quis in præteritum in calice Dominico *aquam solam* offerendam putaverunt. Quærendum est enim ipsi quem sint secuti. Nam si in sacrificio, quod Christus obtulit, nonnisi Christus sequendus est, utique id nos obaudire et facere oportet quod Christus fecit, et quod faciendum esse mandavit."

Dices: 3.—Sacrificium Missæ est representatio mortis Christi. Ergo cum aqua sit symbolum illius, quæ cum sanguine e latere Christi fluxit, necessaria est ad sacrificium.

Resp. *N. Cons.*—Mors Christi sufficienter repræsentatur per consecrationem panis et vini; nec ad sacrificium Missæ necessario requiritur ut singulæ passionis Dominicæ circumstantiæ repræsententur.

NOTA 1.—Quod Volterranus scripsit, lib. 7. Geographiæ, de concessione ab Innocentio VIII. facta Norvegis ut absque vino consecrarent,

communi eruditorum judicio, commentitium est. Etenim nemo alius illius ævi scriptor hujus concessionis meminit, nullum Decretum Pontificis de ea re extat; et Volterranus forte deceptus fuit ex falsariorum quorumdam mendacio. Constat etiam Innocentii VIII. temporibus Dominicum de Viterbio, Franciscum Maldente, et quosdam alios, qui Pontificia quædam Decreta adulterare et alia de novo cudere ausi sunt, pœna capitis crimen suum gravissimum expiasse.

Nota 2.—Aqua vino mixta in calice convertitur per consecrationem in Christi sanguinem; et licet hæc veritas non sit *de fide* tenenda, certa tamen est et opposita assertio communiter a theologis temeritatis nota afficitur.

Probatur 1.—Ex ipsis verbis, quibus institutio Eucharistiæ refertur ab Evangelistis. Nam (Matt. XXVI. 27–28.) legimus: "Et accipiens [Jesus] calicem gratias egit, et dedit illis dicens: bibite ex hoc omnes. Hic est enim sanguis meus." Ex quibus verbis sic arguimus:—Christus omnem liquorem, qui in calice continebatur, in suum sanguinem convertit: dixit enim sine ulla limitatione: "hic est sanguis meus." Atqui in calice erat etiam aqua. Ergo aquam vertit in suum sanguinem.

Probatur 2.—Ex auctoritate Patrum, qui dicunt ante consecrationem in calice esse vinum et aquam; post consecrationem vero esse Christi sanguinem. Ita S. Ambrosius, lib. 4. de sacram. c. 4., scribit: "Ergo didicisti quod ex pane corpus fiat Christi, et quod vinum et aqua in calicem mittitur, sed fit sanguis consecratione verbi cœlestis." Et cap. 5.: "Ante verba Christi calix est vini et aquæ plenus: ubi verba Christi operata fuerint, ibi sanguis efficitur qui plebem redemit." S. Joannes Damascenus, de fide orthodoxa, lib. 4. cap. 13.: "Quemadmodum naturaliter panis per cibum, et vinum et aqua per potum, in comedentis et bibentis corpus et sanguinem immutantur, corpusque alterum fiunt, atque a priori ipsius corpore diversum; sic propositionis panis, ac vinum et aqua, per Sancti Spiritus invocationem et adventum, mirabili modo in Christi corpus et sanguinem vertuntur, nec sunt duo, sed unum et idem." B. Algerus (de sacram. corp. et sang. Domini l. 1. c. 19.): "Licet prius mystice vinum et aqua misceatur, post consecrationem tamen nonnisi sanguis bibitur."

Utrum vero aqua in sanguinem convertatur immediate, an mediate solum, seu utrum prius vertatur in vinum, deinde in vinum jam versa in sanguinem Christi transsubstantietur, disputant recentiores theologi: in Catechismo tamen Concilii Tridentini legitur (p. 2. c. 18.): "Ecclesiasticorum scriptorum sententia et judicio, aqua illa in vinum convertitur."

ARTICULUS QUARTUS

De forma sacramenti Eucharistiæ.

Cum quæstione de forma sacramenti Eucharistiæ connectitur alia quæstio in antecessum solvenda, quæ spectat factum Christi in Eucharistiæ institutione.

Et sane Innocentius III., in opere, ante evectionem suam ad Summum Pontificatum conscripto, de mysteriis Missæ, (c. 6.) probabile censuit Christum potestate sua excellentiæ, absque ulla prolatione formæ, Eucharistiam consecrasse; et deinde verba protulisse, quæ pro aliis forma forent ad sacramentum conficiendum. Hanc opinionem, quæ paucissimos habuit fautores, Ambrosius Catharinus propugnavit.—Quidam vero alii, de quibus loquitur S. Thomas (3. q. 78. art. 1. ad 1.), putaverunt Christum consecrasse verbis nobis ignotis; et alii dixerunt consecrationem a Christo in ultima cœna factam fuisse iisdem verbis, quibus nunc fit, sed bis prolatis; primo enim, juxta ipsos, Dominus illa verba pronuntiavit secreto ad consecrandum, secundo alta voce ad instruendum.

Verum opiniones istæ paucorum communiter a theologicis rejiciuntur: Christus enim, ut probabimus, illa ad Eucharistiam consecrandam in ultima cœna verba adhibuit quæ in Missa adhibentur, et semel protulit ea, prout referuntur ab Evangelistis. Hæc conclusio "ita certa est meo judicio," ait Suarez,[1] "ut contraria defendi non possit absque temeritate."

Hoc autem admisso, ulterius quæritur quænam sit necessaria forma pro panis et vini eucharistici consecratione?

Prætermissis erroribus Buceri, qui nullis verbis ad Eucharistiam conficiendam opus esse contendebat, et aliorum Protestantium, qui

[1] In 3. p. disp. 58. sect. 1. n. 4.

requirunt quidem verba, sed per modum concionis ad fidem excitandam et fovendam, non ad consecrationem elementi; hic commemorari debet sententia eorum qui tenent verba Christi "hoc est corpus meum, hic est sanguis meus," a sacerdote in Missa pronuntiata, non constituere sufficientem formam consecrationis, sed necessario conjungenda esse, ut fiat consecratio, cum precibus quæ, pro diversa Ecclesiarum consuetudine, apud Latinos præcedunt, apud Græcos vero subsequuntur verba Christi: rogat enim Deum, post ea verba, sacerdos græcus: "ut mittat Spiritum Sanctum suum super proposita dona, et panem faciat corpus Christi, vinum vero sanguinem ejus, immutans ea Spiritu Sancto suo."

Opinio hæc inter græcos schismaticos præcipuos habuit patronos Simeonem Thessalonicensem, Gabrielem Philadelphiensem, Marcum Ephesinum; inter catholicos eam defendit Ambrosius Catharinus duobus opusculis, hac de re conscriptis, et missis ad Tridentinos Patres. Catherino accesserunt postea nonnulli ex Gallia theologi, inter quos P. Le Brun, presbyter Oratorianus, in opere cui titulus est gallice: "Explication litterale, historique et dogmatique des prières et des ceremonies de la Messe."

A communi sententia ex motivo diverso recessit Scotus. Quamvis enim docuerit verba Christi formam esse consecrationis, dubius tamen hæsit num etiam illa, quæ in Missa immediate ante Christi verba proferuntur, necessaria essent, non solum de præcepto,—omnes enim hoc concedunt,—sed etiam de necessitate sacramenti. "Hic est dubium," inquit,[1] "utrum prætermissis verbis præcedentibus, per ista sola quatuor verba [hoc est corpus meum] conficeret sacerdos. Dicitur quod sic, quia ista sunt præcise forma, alia sunt propter reverentiam, vel propter orationem præmittenda. Sed contra istud arguitur, quia verba sacramentalia ex vi verborum debent significare illud quod efficitur ex vi sacramenti: sed ex vi consecrationis hujus efficitur ibi esse verum corpus Christi: ergo verba sufficientia ex vi propria debent significare illud ibi contineri. Sed hæc verba: "hoc est corpus meum" prolata sine præcedentibus, ... non significant absolute, quia ly *meum* significat referri ad personam ipsius loquentis: quia licet minister possit intendere ut loquatur in persona Christi, non tamen propter hoc significatum illorum

[1] In 4. sent. dist. 8. q. 2.

verborum esset, quo ly *meum* demonstraret corpus Christi, sed corpus loquentis."—Quamobrem concludit Scotus (dist. 13. q. 2.): "nec forte absolute quis conficeret, ut supra tactum est, dist. 8., nisi præmitteret ad minus verba illa, per quæ significat se proferre verba consecrationis in persona Christi, non in persona sacerdotis."

Inter Thomistas controversia est circa formam calicis: quidam enim volunt solummodo verba "hic est sanguis meus" esse essentialia formæ, alii contendunt his adjungenda esse sequentia: "Novi et æterni testamenti" etc.

His breviter, ut status quæstionis intelligatur, declaratis, ad eam solvendam subjungitur

THESIS X.

Christus Dominus, in ultima cœna, panem et vinum consecravit his verbis: "Hoc est corpus meum, hic est sanguis meus" (vel "hic est calix sanguinis mei"):—et hæc sola requiruntur ac sufficiunt, ut forma, ad Eucharistiæ sacramentum conficiendum.

Prob. 1. pars thesis. 1.—Ex disertis Patrum testimoniis, quorum quædam hic referimus.

Tertullianus (contra Marcionem, l. 4. c. 40.) ait: "Acceptum panem et distributum discipulis, corpus illum suum fecit [Christus], 'Hoc est corpus meum' dicendo."—S. Ambrosius (l. 4. de sacr. c. 5. nn. 22. 23.), perpendens ea quæ evangelicus textus habet de consecratione panis et vini a Christo facta in ultima cœna, inquit: "Verba Evangelistæ sunt usque ad *accipite*, sive corpus, sive sanguinem. Inde verba sunt Christi. . . . Et vide singula. Qui pridie, inquit, quam pateretur, in sanctis manibus suis accepit panem. Antequam consecratur, panis est; ubi autem *verba Christi accesserint*, corpus est Christi. Denique audi dicentem: 'Accipite, et edite ex eo omnes, hoc est enim corpus meum.' Et *ante verba Christi* calix est vini et aqua plenus: ubi *verba Christi operata fuerint*, ibi sanguis Christi efficitur, qui plebem redemit." Et idem S. Doctor in opere de Myst. (c. 9. n. 52.): "Si tantum valuit," ait, "humana benedictio ut naturam converteret; quid dicimus de ipsa *consecratione divina, ubi verba ipsa Domini Salvatoris operantur?*" [1]

[1] Egregium hoc S. Ambrosii testimonium citavimus integrum, cum de transsubstantiatione ageremus. V. p. 102.

S. Joannes Chrysostomus (de proditione Judæ, homil. 1. nn. 5. 6.) præclare dicit: "Illis manducantibus ac bibentibus . . . . . accipiens panem fregit et dixit: 'Hoc est corpus meum, quod pro vobis frangitur in remissionem peccatorum.' Sciunt ii, qui initiati sunt, illa quæ dicuntur. Et rursus calicem dicens: 'Hic est sanguis meus, qui pro multis effunditur in remissionem peccatorum.'. . . . . Adest Christus, et nunc is qui mensam illam apparavit, hic ipse hanc nunc exornat, non enim homo est, qui facit ut proposita efficiantur corpus et sanguis Christi; sed ipse Christus qui pro nobis crucifixus est. . . . . . 'Hoc est corpus meum' inquit. Hoc verbum transformat ea quæ proposita sunt. Ac quemadmodum vox illa 'crescite et multiplicamini et replete terram,' semel quidem prolata est, omni vero tempore naturæ nostræ vim præbet ad filiorum procreationem; ita et vox hæc, semel prolata, in Ecclesiis ad unamquamque mensam, ab illo ad hodiernum usque tempus, et usque ad adventum ejus, sacrificium perfectum efficit."

S. Joannes Damascenus (de fide orth. lib. 4. cap. 13.) similiter ait: "Frangens [Christus] panem, porrexit eis dicens: 'Accipite et comedite: hoc est corpus meum, quod pro vobis frangitur in remissionem peccatorum.' Simili quoque modo calicem, vino et aqua temperatum, accipiens, impertivit eis, dicens: 'bibite ex hoc omnes: hic est sanguis meus.'. . . . Quamobrem si 'sermo Dei vivus est et efficax,'. . . si dixit: 'Fiat lux, et facta fuit; fiat firmamentum, et factum est;' si 'verbo Domini cœli firmati sunt et spiritu oris ejus omnis virtus eorum'. . . cur demum panem corpus, vinum item et aquam, sanguinem suum efficiendi potens non sit? In principio dixit: 'Producat terram herbam virentem,' et ad hanc usque diem, accedente imbre, divino præcepto impulsa et roborata, fetus suos profert: dixit proinde Deus: 'Hoc est corpus meum' et: 'hic est sanguis meus,' et 'hoc facite in meam commemorationem;' idque omnipotenti ejus præcepto, donec veniat, efficitur."

2.—Non immerito arguit Suarez[1] ex Ecclesiæ auctoritate; nam in canone Missæ videtur significatum quod contendimus, nimirum Christum verbis, quæ ab Evangelistis referuntur, panem et vinum consecrasse in ultima cœna. Sic enim in canone legitur: "Qui [Christus] pridie quam pateretur accepit panem in sanctas ac venerabiles manus suas . . . . benedixit, fregit, deditque discipulis suis dicens: accipite et man-

[1] In 3. S. Thomæ, disp. 58. s. 2. n. 4.

ducate ex hoc omnes. Hoc est enim corpus meum. . . . Simili modo postquam cœnatum est, accipiens et hunc præclarum calicem in sanctas ac venerabiles manus suas . . . benedixit, deditque discipulis suis, dicens: accipite et bibite ex eo omnes. Hic est enim calix sanguinis mei. . ."

3.—Ex Concilio Tridentino, quod utique rem non definivit, sed non parum tamen favet communi Theologorum sententiæ, quam propugnamus. "Hoc tam admirabile sacramentum," inquit Concilium (sess. 13. c. 1.), "in ultima cœna Redemptorem nostrum instituisse, *cum,* post panis, vinique benedictionem, *se suum ipsius corpus illis præbere ac suum sanguinem, disertis ac perspicuis verbis testatus est:* quæ verba a Sanctis Evangelistis commemorata, et a D. Paulo postea repetita [sunt]."—Ergo, juxta Concilium, sacramentum Eucharistiæ consecratum fuit a Domino, et institutum, non per solam benedictionem, sed *post benedictionem,* per verba evangelica, quibus testatus est se corpus et sanguinem suum præbere:—hæc autem verba non sunt nisi illa "hoc est corpus meum, hic est sanguis meus."

4.—Ex ratione theologica. Christus exemplum dedit et præceptum ut facerent sacerdotes in Missa quod ipse prior fecerat in ultima cœna. —"Hoc facite," dixit, "in meam commemorationem."—Atqui sacerdotes in Missa panem et vinum his verbis consecrant: "hoc est corpus meum, hic est calix sanguinis mei," seu "hic est sanguis meus," idem enim est sensus.—Ergo Christus his adhibitis verbis, in ultima cœna, panem et vinum consecravit.—Profecto, si Christus sola sua voluntate, vel aliis verbis Eucharistiam consecravit, sacerdos censeri non posset, in persona Christi, eo modo consecrare quo Christus ipse primum consecravit.

His addas, opiniones, quæ asserunt Christum vel absque verbis consecrasse, vel adhibuisse verba quæ ab Evangelistis non commemorantur, vel bis protulisse verba 'hoc est corpus meum, hic est sanguis meus,' nullo prorsus inniti fundamento, sive ex Scripturis desumpto, sive ex Traditione.

Prob. 2. pars thesis. 1.—Ex vi verborum "hoc est corpus meum, hic est sanguis meus." Nam verba essentialia et sufficientia ad Eucharistiæ sacramentum conficiendum ea sunt per quæ realiter præsens fit corpus Christi sub specie panis et præsens sanguis sub specie vini, trans-

substantiatis substantia panis in corpus et substantia vini in sanguinem Christi.—Atqui talia sunt verba "hoc est corpus meum, hic est sanguis meus," ut demonstravimus in prima parte hujus Tractatus, articulo 5. —Ergo.

Confirmatur argumentum istud ex doctrina Concilii Tridentini, ubi (sess. 13. cap. 3.) ait: "Verum Domini nostri corpus verumque ejus sanguinem sub panis et vini specie, una cum ipsius anima et divinitate existere; sed corpus quidem sub specie panis, et sanguinem sub vini specie *ex vi* verborum."—At quorumnam verborum vi? profecto illorum verborum quibus Christus, ut idem Concilium loquitur, "se suum ipsius corpus [discipulis in ultima cœna] præbere, ac suum sanguinem testatus est." Hæc autem verba sunt ea superius commemorata, nempe "hoc est corpus meum, hic est sanguis meus."

Nec quidquam valet exceptio Scoti, qua asseritur verba hæc, nisi conjungantur cum præcedentibus, non significare corpus Christi, sed corpus ipsius sacerdotis. Etenim verba illa, dum a sacerdote proferuntur cum intentione conficiendi sacramentum, intelliguntur nomine et in persona Christi prolata: nam quod minister loquatur in persona Christi non ex verbis præcedentibus pendet, sed ex ministri intentione qua ita profert verba consecrationis ut practice significent, nomine et in persona Christi Domini, corpus et sanguinem ejus poni sub speciebus panis et vini.

Et animadverte, si alia verba præter illa "hoc est corpus meum, hic est sanguis meus" requirerentur, ut intelligi possit sacerdotem ea proferre nomine et auctoritate Christi, non ea quæ de facto præcedunt, sed alia omnino verba, ad consecrationem necessario requisita, dici deberent. Ratio est, quia illis quæ in Missa præcedunt, explicatur quidem sacerdotem postea loqui non de suo, sed de Christi corpore, *nullatenus vero explicatur, sacerdotem, verbis sequentibus, loqui nomine Christi et in persona Christi:* posset enim sacerdos eisdem omnino verbis narrare historiam, et de facto eam narrat legendo epistolam S. Pauli I. ad Cor. XI. 23–25.—Quare, ut recte adnotat P. Coninck, verba præcedentia,—de quibus Scotus dubitabat, num necessaria essent an non, de necessitate sacramenti, ad Eucharistiam conficiendam,—quin juvent ad intelligendum sacerdotem non in persona sua propria sed Christi dicere "hoc est corpus meum, hic est sanguis meus;" potius obesse

videntur, cum videantur indicare sacerdotem proferre *recitative* totam illam historiam, quam verbis præcedentibus recitare incepit.

2.—Ex auctoritate Patrum. Testimoniis, quæ dedimus ad probandam primam partem thesis, hæc alia adjicimus, tum ex Græcis, tum ex Latinis.

S. Justinus Martyr in Apologia 1. pro Christianis, num. 66. inquit: "Quemadmodum per verbum Dei caro factus Jesus Christus Salvator noster et carnem et sanguinem habuit pro nostra salute, sic etiam illam, in qua per precem *ipsius verba continentem*, gratiæ actæ sunt, alimoniam . . . . . . incarnati illius Jesus et carnem et sanguinem esse edocti sumus. Nam Apostoli in commentariis suis, quæ vocantur Evangelia, ita sibi mandasse Jesum tradiderunt: eum scilicet accepto pane, cum gratias egisset, dixisse: hoc facite in meam commemorationem 'hoc est corpus meum;' et poculo similiter accepto, et gratiis actis, dixisse: 'hic est sanguis meus."

S. Irenæus (lib. 5. adv. hæres. cap. 2.) ait: "Quando ergo et mixtus calix, et fractus panis *percipit verbum Dei*, fit Eucharistia sanguinis et corporis Christi."

S. Gregorius Nyssenus (Orat. Catech. c. 37.) scribit: "Hic panis . . . statim *per verbum* in corpus transmutatur, *sicut dictum est a Verbo:* Hoc est corpus meum."

S. Gregorius Nazianzenus (Orat. 45. in sanctum Pascha) dicit: "Sine pudore ac dubitatione corpus ede, sanguinem bibe, si modo vitæ desiderio teneris, nec *sermonibus de carne* fidem abrogans."

S. Ambrosius (l. 4. de sacram. cap. 4.) clarissime docet: "Quomodo potest, qui panis est, corpus esse Christi? Consecratione. Consecratio igitur quibus verbis est, et cujus sermonibus? Domini Jesu. Nam reliqua omnia, quæ dicuntur, laudem Deo offerunt, oratio præmittitur pro populo, pro regibus: ubi autem venitur ut conficiatur venerabile sacramentum, jam non suis sermonibus sacerdos, sed utitur sermonibus Christi. Ergo sermo Christi hoc conficit sacramentum."

S. Augustinus (serm. 227. alias 83. de diversis), inquit: "Panis ille, quem videtis in altari, *sanctificatus per verbum* Dei, corpus est Christi. Calix ille, immo quod habet calix, *sanctificatum per verbum* Dei, sanguis est Christi."

3.—Ex Concilio Florentino. Etenim, in Decreto pro Armenis, de-

clarat: "Forma hujus sacramenti sunt verba Salvatoris, quibus hoc conficit sacramentum; sacerdos enim, in persona Christi loquens, hoc conficit sacramentum. Nam ipsorum verborum virtute substantia panis in corpus Christi, et substantia vini in sanguinem convertuntur." —Jamvero quænam sunt verba Salvatoris, quæ virtute sua convertunt substantiam panis in corpus et substantiam vini in sanguinem, nisi illa "hoc est corpus meum, hic est sanguis meus?"—Ergo hæc verba sunt forma sacramenti Eucharistiæ.

4.—Ex ipsa confessione Græcorum. Nam in Concilio Florentino Græci, interrogati circa formam Eucharistiæ, responderunt (sess. 25.) (apud Labbe, t. 13. p. 491.): "Fateri nos diximus *per hæc verba* [hoc est corpus meum] *transsubstantiari sacrum panem et fieri corpus Christi;* sed postea quemadmodum et ipsi [Latini] dicitis: 'Jube hæc perferri per manus Sancti Angeli tui in sublime altare tuum;' ita nos quoque oramus dicentes, 'ut Spiritus Sanctus descendat super nos, et efficiat *in nobis* panem hunc pretiosum corpus Christi tui, et quod in calice isto est, pretiosum sanguinem Christi tui, transmutetque ipsa, Spiritu Sancto suo, ut *fiant communicantibus in purgationem animæ, in remissionem peccatorum et non fiant in judicium et condemnationem nostram.*"—Quibus verbis declaraverunt se per preces, quas fundunt postquam pronuntiata fuerint verba "hoc est corpus meum," non petere ut *fiat corpus Christi,*—quod jam supponunt præsens vi illorum verborum,—sed petere ut corpus Christi *fiat sumentibus in remissionem peccatorum, non autem in condemnationem.*

Sed præterea extat aliud documentum certissimum de confessione Græcorum in declaratione a Bessarione facta, nomine suo et aliorum præsulum Ecclesiæ græcæ, coram Summo Pontifice Eugenio IV.

Declaratio illa, quæ in archivio Magni Ducis Etruriæ cum authenticis litteris unionis Latinos inter et Græcos conservabatur, ita habet (Migne P. G. t. 161. p. 490.):

"Die Dominica, quinta Julii anno 1439., in generali congregatione, præsidente in eadem sanctissimo Domino nostro Eugenio, divina providentia Papa IV., præsentibus reverendissimis reverendisque Patribus et dominis sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, patriarchis, archiepiscopis, episcopis, abbatibus, doctoribus et magistris, tam Latinis quam Græcis, reverendus Pater dominus archiepiscopus Nicænus, suo

ac aliorum Patrum Ecclesiam Orientalem repræsentantium nomine, publice, alta et intelligibili voce exposuit in hæc verba, vel eis in effectu similia. 'Beatissime Pater, vosque reverendissimi Patres et domini hic præsentes. Quoniam in præcedentibus congregationibus nostris inter alias differentias nostras ortum est dubium de consecratione sacratissimi sacramenti Eucharistiæ; et aliqui suspicati sunt nos et Ecclesiam nostram non credere illud pretiosissimum sacramentum per verba Salvatoris Domini nostri Jesu Christi confici; propter hanc causam adsumus coram vestra beatitudine, omnibusque aliis hic astantibus qui pro parte sanctæ Romanæ Ecclesiæ sunt, ad certificandum vestram beatitudinem et alios Patres et dominos hic præsentes de hac dubitatione, et dicimus breviter: Nos usos fuisse Scripturis et sententiis sanctorum Patrum, cognoscentes et animadvertentes fragilitatem humani sensus, volumus adhærere sententiis sanctorum Patrum et rationibus, spretis humanis inventis; qua quidem de re, Pater beatissime, cum in omnibus aliis auctoritatibus Patrum sanctorum usi sumus, etiam his in præsenti dubitatione utimur. Et quoniam ab omnibus sanctis doctoribus Ecclesiæ, præsertim ab illo beatissimo Joanne Chrysostomo, qui nobis notissimus est, audimus verba Dominica esse illa quæ mutant et transsubstantiant panem et vinum in corpus verum Christi et sanguinem; et quod illa verba divina Salvatoris omnem virtutem transsubstantiationis habent; nos ipsum sanctissimum doctorem, et illius sententiam sequimur de necessitate. De hac quæstione breviter diximus et sufficienter, et vestram beatitudinem de nostra intentione certam reddimus.' Arnoldus notarius."

Idem Bessario opus edidit ad quæstionem de forma Eucharistiæ elucidandam, ubi tria probanda suscipit, quæ ipsissimis Bessarionis verbis referam: "Primum conabimur ostendere," ait (op. cit. p. 499.), "divinissimum corpus Christi et sanguinem, nullis aliis verbis, aut sacerdotum precibus confici, quam iis quæ supra memoravimus Domini verbis: 'Hoc est corpus meum,' et, 'Hic est sanguis meus.' Post hæc, sanctorum Ecclesiæ doctorum ac Patrum, nostrorum unam et eamdem esse sententiam declarabimus. Postremo quæ huic opinioni adversari videntur, duce Domino, cujus res agitur, dissolvemus."—In hac vero tertia demonstrationis suæ parte, Bessario ostendit preces, quas sacerdos græcus fundit postquam dixerit verba Christi "hoc est corpus meum, hic est sanguis

meus," adhiberi non ad sacramentum corporis et sanguinis Christi conficiendum, sed propter tres alias rationes præcipuas (op. cit. p. 516. 519.):

a) Ut "descendens Spiritus Sanctus . . . . fidelem populum *mysticum corpus Christi sanguinemque faciat*, quo membra et partes corpusque ejus effecti, et sibi ipsi caritate et Christo uniti, vivant cum eo vitam æternam, et fiant ipsius cohæredes."

b) Ut "*populo ostendatur communia esse in creatura opera Trinitatis.* Quemadmodum enim beneplacito Patris, et Spiritus Sancti voluntate, unus in Trinitate. . . . . Filius . . . . corpus assumpsit, ita et hoc corpus altaris ipsa Trinitas creat, ipse Spiritus Sanctus potentia sua ex substantia in substantiam, hoc est ex pane in corpus transmutat. *Quæ res ut fideli populo palam fiat*, illius [Spiritus Sancti] nos meminisse necesse est. . . . Quod si rerum natura tale aliquod verbum pati posset, quod mox et sine alicujus temporis intervallo rem omnem exprimeret, profecto nos simul et eodem tempore cum verbis Domini cetera omnia pronuntiaremus, *illa quidem* [verba Domini] *dumtaxat sacramenta efficientia credentes*, et tamen Patris et Spiritus Sancti gratiam non dubitantes adesse, et hoc oratione et precibus manifestantes. . . . . Quoniam natura rerum id vetat, necesseque est unum post aliud verbum pronuntiare . . . . . oportet hæc, aliaque hujusmodi [quibus precatio fit ut elementa in corpus et sanguinem Christi transmutentur] *non tamquam in tempore in quo dicuntur, sed tamquam in tempore pro quo dicuntur*, ita intelligere, ac si tempus illud maneret, minimeque deflueret, sed in uno eodemque nunc illa dicerentur."

c) "His addi tertia quoque ratio nulli fortasse superiorum inferior, posset: hierarcham, totum Deo repletum divinoque amore, juxta Dionysium (*de divinis nominibus*), captum, veluti extasim quamdam et divinum pati zelum: ob hoc sæpenumero extra se positum, et totum rei amatæ hærentem, zelo quodam et timore, ne id quod desiderat non assequatur, *sæpius ex vero ac pene incredibili mentis desiderio petere; nec ignorare quidem se jam quod quærebat adeptum, sed insatiabili quodam amore iterum atque iterum eadem repetere.*"

5.—Demum ex praxi utriusque Eccclesiæ orientalis et occidentalis, quæ hucusque diximus, confirmantur. Atque in Latina quidem Ecclesia, ut omnes norunt, statim ac sacerdos verba illa protulit, "Hoc est corpus meum," hostiam primus adorat, eamque elevat ac populo

adorandam ostendit.—Ergo Latina Ecclesia credit, simul ac prolata sunt a Sacerdote illa Christi verba, panem in corpus Christi et vinum in ejus sanguinem transmutari; alias nec hostiam, nec contentum in calice, adoranda populo statim proponeret.

In Græca vero Ecclesia verba Christi, "hoc est corpus meum" etc. alta voce proferuntur a sacerdote, ac mox Eucharistiæ latriæ cultus exhibetur. Ut enim in Liturgia Sancti Chrysostomi præscribitur, Diaconus accedit ad sacerdotem vicinius, et ambo ter adorant ante sanctam mensam, et orant inter se dicentes, *Deus propitius esto mihi peccatori;* populus vero assistens, sacerdote Christi verba pronuntiante, respondet *Amen*, quasi dicat: vere ita est, ut dicis: certe corpus et sanguis Christi sunt munera ista proposita; ita credimus, ita confitemur.—Ergo censet Ecclesia Græca, preces, quæ consecrationem subsequuntur, non pertinere ad essentiam consecrationis; secus antequam illæ recitentur, non exhiberet Eucharistiæ cultum latriæ.

Adversus primam partem thesis objicitur:—

1.—Christus, antequam proferret illa verba "hoc est corpus meum," dicitur (Matt. XXVI.) panem benedixisse. Ergo per benedictionem illam panem consecravit, quia non minus efficax ad hoc perficiendum erat quam ad panem multiplicandum, quod alias fecit.

Resp. *Conc. Ant. Neg. Cons.*—Ratio est, quia benedictio Christi efficax procul dubio erat, sed relate ad effectum, quem Christus intendebat: porro Christus per benedictionem illam non intendit consecrare panem; sed, omnipotentiam divinam invocando, panem disponere ac præparare voluit ad consecrationem mox futuram, et per verba perficiendam. Quare benedictio illa Christi Domini fuit haud dubie efficax, non quidem immediate, se sola et sine verbis, sicuti sine illis in deserto multiplicati sunt panes; sed mediate, ac per verba, quibus vim et efficaciam impetravit. Exemplum hujus in Lazaro habemus. Quemadmodum enim hic, oratione præmissa, non surrexit nisi ad vocem qua Christus clamavit, *Lazare, veni foras:* sic nec panis mutatus est in corpus Christi, nisi ad illa verba, "hoc est corpus meum."

2.—Consecratio calicis a Christo facta non fuit per verba "hic est sanguis meus," nam S. Marc. (XIV. 23.) narrat omnes ex calice bibisse, et deinde Christum dixisse "hic est sanguis meus."

Resp. *N. assumpt.*—Verba illa "biberunt ex illo omnes" per anticipationem dicta sunt. Id omnibus historicis familiare est: vide S. Aug. de Consensu Evang. l. 2. cc. 30. 31. 34.

3.—Quando Christus Eucharistiam porrexit duobus discipulis in Emmaus, eam solo voluntatis imperio consecravit, nam (Luc. XXIV. 30.) legitur: "Et factum est, dum recumberet cum eis, accepit panem, et benedixit, ac fregit, et porrigebat illis."—Ergo id etiam præstitit in ultima cœna.

Resp. *Trans. Ant. N. Cons.*—Primo negari potest Christum verba non adhibuisse cum Eucharistiam in Emmaus consecravit; nam ex eo quod Evangelista diserte non referat illa verba prolata fuisse concludi non debet Christum ea non protulisse.—Secundo, etsi antecedens argumenti propositi concedatur, jure negatur consequentia; nam, licet Christus mutaverit, in castello Emmaus, panem in corpus suum sine ullis verbis, non exinde deducitur eum ita fecisse in cœna ultima ante passionem.

4.—S. Gaudentius Brixianus (tract. 2. in Ex.) dicit: "Cum panem consecratum et vinum discipulis suis porrigeret Dominus, sic ait: 'hoc est corpus meum.'—Ergo antequam Christus verba proferret, panis, juxta hoc S. Gaudentii testimonium, jam erat consecratus.

Resp. *Dist. Cons.*—Consecratus *dispositive*, ut supra declaratum est *C. Formaliter N.*

Adversus secundam partem thesis objicitur:—

1.—Patres passim aiunt Eucharistiam perfici oratione et invocatione, ut constat ex locis sæpius citatis S. Justini, S. Irenæi, aliorumque.—Ergo preces de essentia formæ sunt.

Resp. *Dist. Ant.*—Dicunt Eucharistiam oratione et invocatione perfici, significando consecrationem non perfici verbis Dominicis "hoc est corpus meum, hic est sanguis meus" *N.*—Aliis de causis *C.*—Ideo enim Patres dicunt Eucharistiam invocatione et oratione perfici, quia 1.—ex instituto Ecclesiæ preces et invocationes verba Christi consecratoria semper antecedunt et sequuntur. 2.—Quia ipsa verba Christi appellant Patres precem et invocationem, cum implicita sint Trinitatis invocatio, ut juxta promissiones Christi, ad illorum verborum

prolationem sub specie panis præsens fiat corpus Domini, et sub specie vini ejus sanguis. 3.—Quia illa eadem verba recte etiam dici possunt preces, ex eo quod omne opus bonum, et maxime sacrificium, quo supremum in omnem creaturam divinæ Majestatis dominium agnoscimus, vere nuncupari possit oratio.

2.—Forma calicis debet perfecte significare naturam Eucharistiæ.—Sed eam non significat sine his verbis "Novi et æterni Testamenti, qui pro multis effundetur" etc.; nam, sine his, non significatur *sanguis effusus*.—Ergo hæc verba etiam sunt de essentia formæ.

Resp. *Trans. M. N. min. et prob.*—Nam eo ipso quod vi verborum ponatur sanguis a corpore separatus, sufficienter *ut effusus* significatur.

3.—Verba illa "Novi et æterni Testamenti" etc. sunt quædam determinationes prædicati, quibus exprimitur virtus sanguinis Christi in passione effusi.—Ergo ad essentiam formæ pertinent.

Resp. *N. Cons.*—Illud tantum essentiale censendum est in forma, quod determinat prædicatum ad aliquod essentiale, non ad aliquod accidentale: essentiale autem est significare transsubstantiationem. Hinc sicut verba "hoc est corpus meum" sufficienter significant conversionem, et essentialia formæ sunt, quin hæc alia adjiciantur "quod pro vobis tradetur;" ita etiam verba "hic est sanguis meus" sine sequentibus.

Scholion 1.—Ex modo dictis perspicuum est verba consecrationis a sacerdote proferri *historice* simul et *assertive*. *Historice* quidem, quia proferuntur ab eo ex intentione narrandi quod Christus fecit in ultima cœna; immediate enim ante panis consecrationem sacerdos, de Christo loquens, ait: "*fregit, deditque discipulis suis dicens;*" et ante vini consecrationem sacerdos addit: "*Simili modo, postquam cœnatum est, accipiens* [Christus] *et hunc præclarum calicem in sanctas ac venerabiles manus suas . . . . . benedixit, deditque discipulis suis, dicens.*"—*Assertive* vero pronuntiat sacerdos verba consecrationis, quia ea profert ex intentione loquendi in persona Christi, et ita efficiendi conversionem totius substantiæ panis in corpus ejus, et totius substantiæ vini in ejus sanguinem, significandique corporis et sanguinis Domini præsentiam sub speciebus panis et vini.

SCHOLION 2.—Quoad sententiam S. Thomæ circa quæstionem de forma necessaria, necessitate sacramenti, ad consecrationem calicis, disputatur.

Probabilius tamen videtur S. Doctorem sententiam, quam defendimus approbasse. Etenim *a*) in 3. parte Summæ Theologicæ, q. 78. art. 1. quærit: "Utrum hæc sit forma hujus sacramenti, 'hoc est corpus meum, et hic est calix sanguinis mei;" et respondit affirmando, et probat hoc argumento: quia "Forma hujus sacramenti importat solam consecrationem materiæ, quæ in transsubstantiatione consistit, puta cum dicitur: 'Hoc est corpus meum,' vel, 'hic est calix sanguinis mei:'"—quasi diceret illa est forma hujus sacramenti, quæ significat et importat consecrationem materiæ, quæ in transsubstantiatione consistit: Atqui ista verba, "hoc est corpus meum, et, hic est calix sanguinis mei," significant et important hanc consecrationem et transsubstantiationem. Ergo.

b) S. Thomas in eodem articulo, ad 4., ait: "Quod quidam dixerunt *hoc sacramentum perfici non posse prædictis verbis prolatis* [nempe "hoc est corpus meum" et "hic est calix sanguinis mei" de quibus solum quærit in titulo articuli], *et aliis prætermissis,* præcipue quæ sunt in canone Missæ." Et respondet "*sed hoc patet esse falsum;*"—ac proinde concludit: "Unde dicendum est quod si sacerdos *sola verba praedicta proferret,* cum intentione conficiendi hoc sacramentum, *perficeretur hoc sacramentum.*"

Reponunt qui in contrariam partem trahunt sententiam Angelici:—hic S. Doctor excludit verba quæ præcedunt, seu illa "*Qui pridie quam pateretur*" etc., non vero sequentia, nimirum "*Novi et æterni Testamenti*" etc.:—idque probant ex objectione cui respondet; nam objecerat sibi, "si illa sola verba prædicta 'hoc est corpus meum, et hic est calix sanguinis mei' sunt forma hujus sacramenti, videtur quod aliquando possit hoc sacramentum perfici his solis verbis prolatis, et omnibus aliis prætermissis quæ in Missa dicuntur; quod tamen videtur esse falsum, quia ubi verba alia prætermitterentur, prædicta verba acciperentur ex persona sacerdotis proferentis, in cujus corpus et sanguinem panis et vinum non convertuntur."—Dum ergo, concludunt adversarii, objectioni huic respondendo, S. Thomas ait, "*sola illa verba perficere sacramentum,*" exclusio fit solum verborum quæ ea præcedunt. Et hoc confirmant ex

eadem responsione S. Doctoris; addit enim "perficeretur hoc sacramentum [illis solis verbis] quia intentio faceret ut hæc verba intelligerentur quasi ex persona Christi prolata, etiamsi verbis præcedentibus hoc non recitaretur."

Sed contra: his quidem verbis, et tota responsione sua excludit utique S. Thomas verba præcedentia, non tamen hæc sola, sed etiam sequentia; et conclusioni positæ in corpore articuli, [scilicet sola verba: 'Hoc est corpus meum' et 'hic est sanguis meus,' esse formam hujus sacramenti] constanter inhæret: quod manifeste patet ex ratione, quam affert in eadem responsione, quæ militat pariter contra sequentia et præcedentia. "Ad quartum, inquit, dicendum quod quidam dixerunt hoc sacramentum perfici non posse prædictis verbis prolatis, et aliis prætermissis, præcipue quæ sunt in canone Missæ. Sed hoc patet esse falsum . . . . . quia canon Missæ non est idem apud omnes, nec secundum omnia tempora, sed diversa sunt a diversis apposita." Atqui verba sequentia, *Novi et æterni,* etc. non sunt eadem apud omnes, nec secundum omnia tempora, sed diversa sunt a diversis apposita. Ergo juxta S. Thomam, solis prædictis verbis prolatis, et sequentibus, sicut et præcedentibus omissis, perficitur sacramentum.

Loca hæc S. Thomæ, satis evidentia ad excludendam necessitatem aliorum verborum, præter ea sola "hic est calix sanguinis mei" ut fiat consecratio calicis, illustrant et explicant quid sibi voluerit S. Doctor cum in eadem quæstione, art. 3. pronuntiaverit: "sunt alii qui melius dicunt quod omnia sequentia sunt *de substantia formæ* usque ad hoc quod postea sequitur: 'Hæc quotiescumque feceritis."—Hic *de substantia formæ,* non dicit ea sola quæ ad *essentiam formæ* pertinent, sed etiam quæ pertinent ad *ejus integritatem:*—et sane non omnia quæ de alicujus *rei substantia* sunt, censeri debent *de ejus essentia;* pes enim aut oculus hominis de substantia hominis sunt, licet non *essentiales partes* hominis sint, sed *integrales.*

Interpretationem, quam damus verbis S. Thomæ, veram esse constat non modo ex necessitate conciliandi articulum 1. quæstionis 78. cum articulo 3.; sed etiam tum ex titulo hujus articuli, tum ex declaratione quam in articulo addit, qua lectori aperit mentem suam.

1.—*Ex titulo articuli* 3., nam in eo quærit "utrum hæc sit *conveniens* forma consecrationis vini: 'hic est calix sanguinis mei'" etc.:—non

ergo agit de illis quæ solum *essentialia* sunt formæ, sed etiam de iis quæ *formam integrant*, et reddunt eam *convenientem*. Et sane non debebat de solis essentialibus formæ in hoc articulo 3. agere, cum de illis egerit in articulo 1. ejusdem quæstionis, et dixerit *hanc esse formam* consecrationis vini, scilicet, "hic est calix sanguinis mei."

2.—*Ex declaratione addita in eod. art.* 3., nam in eo ante omnia refert sententiam eorum qui dicebant "quod de substantia formæ hujus est hoc solum quod dicitur: 'hic est calix sanguinis mei,' non autem ea quæ sequuntur;" et statim addit: "Sed hoc videtur inconveniens, quia ea quæ sequuntur *sunt quædam determinationes prædicati*, id est sanguinis Christi; *unde pertinent ad integritatem ejusdem locutionis.* Et *propter hoc* sunt alii qui melius dicunt quod omnia sequentia sunt de substantia formæ." Deinde concludit: "Dicendum est ergo quod omnia prædicta verba sunt de substantia formæ; *sed per prima verba*, cum dicitur, 'hic est calix sanguinis mei,' *significatur ipsa conversio vini in sanguinem, eo modo quo dictum est*, articulo præcedenti, *in forma consecrationis panis;* per verba autem sequentia designatur virtus sanguinis effusi in passione, quæ operatur in hoc sacramento."—Porro quæ *non significant conversionem* vini in sanguinem, quæ *ad integritatem tantum locutionis pertinent, et designant solum virtutem sanguinis effusi*, sunt certe *de substantia formæ*, seu *ad integritatem omnem formæ* pertinent; at non sunt *de ejus essentia.*

Quæ ex libro 4. sent. (dist. 8. qu. 2.) et ex lect. 6. in I. ad Cor. XI. objiciuntur, vel eodem sensu intelligi debent, vel in Summa Theologica, meliori adhibita consideratione, retractata fuisse censenda sunt.

ARTICULUS QUINTUS

De ministro sacramenti Eucharistiæ.

Minister Eucharistiæ duplex est, unus qui conficit, alter qui dispensat sacramentum. Sacerdotes, seu episcopos et presbyteros, solos esse ministros Eucharistiæ consecrandæ, ita ut nulli alteri mortalium id competat, dogma fidei est, quod jam Concilium Lateranense IV. definivit adversus Albigenses, aliosque hæreticos, his verbis: "Et hoc utique

sacramentum [Eucharistiæ] nemo potest conficere nisi sacerdos, qui rite fuerit ordinatus, secundum claves Ecclesiæ, quas ipse concessit Apostolis, eorumque successoribus Jesus Christus."—Hanc fidei veritatem, adversus Novatores sæculi XVI. Concilium Tridentinum iterum proclamavit sess. 22.

Dispensandæ vero Eucharistiæ ministri alii sunt ordinarii, alii extraordinarii. Ordinarii pariter sunt Episcopi soli et Presbyteri, quibus potestas conficiendæ Eucharistiæ concessa est: extraordinarii autem ministri sunt Diaconi, qui, ut ex Traditione et praxi Ecclesiæ constat, ad munus etiam distribuendi fidelibus Eucharistiam assumuntur.

Sit ergo quoad ministrum Eucharistiæ conficiendæ et dispensandæ

THESIS XI.

Soli sacerdotes Eucharistiæ conficiendæ ministri sunt, ejusdemque dispensandæ ministri jure ordinario: ministri vero extraordinarii in Eucharistiæ dispensatione sunt Diaconi.

Prima pars thesis probatur ex verbis Christi. Nam hi soli potestatem habent Eucharistiam consecrandi, quibus Christus eam contulit: sed Christus his verbis "Hoc facite in meam commemorationem" (Luc. XXII.) solis Apostolis et eorum in sacerdotio successoribus potestatem illam contulit. Ergo.

Minor probatur, quia, ut Concilium Tridentinum loquitur, catholica Eccclesia semper in eo sensu intellexit verba Christi, et intelligenda esse docuit.

Quod patet 1. ex Patribus.—S. Justinus Martyr (ap. 1. n. 65.) scribit *eum qui fratribus præest*, seu episcopum vel presbyterum, Eucharistiam conficere, quæ deinde a Diaconis præsentibus distribuatur, et ad absentes perferatur.

"Deinde," inquit, "ei qui fratribus præest, panis affertur, et poculum aquæ et vini: quibus ille acceptis laudem et gloriam universorum Parenti per nomen Filii et Spiritus Sancti emittit, et Eucharistiam, sive gratiarum actionem, pro his ab illo acceptis donis prolixe exsequitur. Postquam preces et Eucharistiam absolvit, populus omnis accla-

mat 'Amen.'. . Postquam vero is, qui præest, preces absolvit, et populus omnis acclamavit, qui apud nos dicuntur Diaconi, panem et vinum et aquam, in quibus gratiæ actæ sunt, unicuique præsentium participanda distribuunt, et ad absentes perferunt."

Tertullianus (de præscript. cap. 41.) ea de re maxime hæreticos perstringit, quod "laicis sacerdotalia munera injungunt;" et lib. de Corona Militis (c. 3.) testatur Eucharistiæ sacramentum antelucanis cœtibus sumi, "*nec de aliorum manu, quam præsidentium*," seu episcoporum, aut presbyterorum.

S. Cyprianus (epist. 4.) commendat presbyteris, qui in carceribus detentos martyres invisunt, ut hoc non glomeratim faciant, sed caute, "ita ut presbyteri quoque, *qui illic apud confessores offerunt*, singuli cum singulis diaconis per vices alternent, ne ex hoc invidia concitetur, et introeundi aditus denegetur."

Origenes (hom. 4. in Num. n. 3.) loquens de sacrorum mysteriorum ministris, ait: "Ad illa, quæ mystica sunt, et in secretis recondita et solis sacerdotibus patent, non solum nullus animalis homo accedit, sed ne ipsi quidem, qui habere aliquid exercitii et eruditionis habentur, nondum tamen meritis et vita ad sacerdotalem gratiam ascenderunt. . . . Quia igitur hujusmodi dispensatio est mysteriorum Dei et ministerii, quod habetur in sanctis, tales nos exhibere debemus, ut digni efficiamur ordine sacerdotii, ne velut irrationabilibus nobis onera gravia imponantur, sed tanquam rationabiles et sancti sacerdotalibus officiis deputemur."

S. Epiphanius hæresi 79., quæ est Collyridianorum, (n. 4.) ait: "Neque Diaconis quidem ipsis ullum in ecclesiastico ordine sacramentum perficere conceditur, sed hoc dumtaxat, ut eorum quæ perficiuntur ministri sint (*ἀλλά μόνον διακονεῖν τὰ επιτελεύμενα*)." Et in expositione catholicæ fidei (c. 13.) redarguit quemdam Pseudomonachum, Zachæum nomine, quod "cum laicus esset attingere ac sacrificia celebrare nefario ac temerario ausu est aggressus."

S. Hieronymus (dialogo adver. Luciferianos, n. 21.) hoc argumento potissimum ostendit apud ipsos veram Ecclesiam non esse, quod sacerdotes non habeant, qui corpus Christi conficiant, sed diaconum dumtaxat: "Hilarius," ait, "cum diaconus de Ecclesia recesserit neque Eucharistiam conficere potest, Episcopos et presbyteros non habens." Et

Epist. ad Evang. (epist. 146. n. 1.) scribit: "Cum Apostolus perspicue doceat, eosdem esse presbyteros, quos episcopos [quoad potestatem conficiendæ Eucharistiæ], quid patitur mensarum et viduarum minister, ut supra eos se tumidus [diaconus] efferat, ad quorum preces Christi corpus sanguisque conficitur?"

S. Joannes Chrysostomus sæpe hac de re testimonium profert. Sic, ex. gr., in lib. 3. de sacerdotio (n. 4.) ait: "Sacerdotium enim in terra peragitur, sed cælestium ordinum classem obtinet: et jure quidem merito. Non enim homo, non angelus, non archangelus, non alia quæpiam creata potestas, sed ipse Paracletus hoc officium ordinavit, qui manentibus in carne auctor fuit ut angelorum ministerium animo conciperent. . . . . Stat enim sacerdos, non ignem gestans, sed Spiritum Sanctum; preces multo tempore fundit, non ut fax demissa cœlitus apposita consumat, sed ut gratia in sacrificium delapsa per illud omnium animos inflammet, et argento igne purgato splendidiores exhibeat. Hoc itaque terribilissimum mysterium, quis tandem, nisi admodum insaniat, vel mente captus sit, despicere queat? An ignoras humanam animam ignem sacrificii hujusmodi numquam gestare potuisse, sed omnes funditus perituros fuisse, nisi magnum adesset gratiæ Dei auxilium? Si quis enim secum reputet quantum illud sit, nempe hominem carne et sanguine involutum, prope beatam illam et immortalem naturam constitui, tunc probe intelliget quanto honore Spiritus gratia sacerdotes ornaverit."

Testimoniorum, quæ exhibemus, seriem absolvam duobus aliis apertissimis. S. Gaudentius Brixianus in sermone, jam non semel citato, de Exodi lectione secundo (Migne P. L. t. 20. p. 860.), ait: "Voluit enim [Christus] beneficia sua permanere apud nos, voluit animas pretioso sanguine suo sanctificari per imaginem propriæ Passionis; et ideo discipulis fidelibus mandat, *quos primos Ecclesiæ suæ constituit sacerdotes,* ut indesinenter ista vitæ æternæ mysteria exercerent, *quæ necesse est a cunctis sacerdotibus* per singulas totius orbis Ecclesias celebrari, usquequo iterum Christus de cœlo adveniat; quo *et ipsi sacerdotes,* et omnes pariter fidelium populi, exemplar Passionis Christi ante oculos habentes quotidie, et gerentes in manibus, ore etiam sumentes et pectore, redemptionis nostræ indelebilem memoriam teneamus, et contra venena diaboli dulcem medicinam sempiterni tutaminis consequamur."

Egregie vero S. Isidorus Pelusiota, duplex sacrificium distinguens, unum strictioris et propriæ appellationis, quod offertur Deo, cum Eucharistia consecratur, alterum latioris et minus propriæ appellationis, quod omnes immolamus dum carnis concupiscentiis fortes obsistimus, (lib. 3. ep. 75.) inquit: "Quemadmodum in Veteri Testamento sacerdotii munere fungi exceptis sacerdotibus nemini licebat, Paschæ tamen tempore omnes quodammodo sacerdotii honore afficiebantur, quilibet enim pecudem suam immolabat: sic etiam in Novo Testamento, cui nullum alterum successurum est, *peculiari quidem ratione, ac veluti prærogativæ nomine incruentæ victimæ sacrificium ii habent, quibus illud concessum est;* at interim *unusquisque sui corpori sacerdos creatus est,* non ut citra ordinationem et institutionem subditorum imperium arripiat, sed ut vitiis imperans, corpus suum castitatis delubrum, aut templum efficiat."

2. Probatur ex ordinationibus ministrorum Ecclesiæ. Etenim, juxta omnes et antiquissimos libros rituales Ecclesiæ Latinæ et Græcæ, cum sacerdotes ordinantur, potestas eis confertur conficiendi Eucharistiam: hæc vero potestas in nullius inferiorum ordinum collatione communicatur. Soli igitur sacerdotes Eucharistiæ conficiendæ sunt ministri.

3. Probatur ex praxi Ecclesiæ. Constat enim ex ecclesiasticæ historiæ monumentis notissimis sacerdotes, summo cum vitæ periculo, carceres penetrasse, ubi Martyres detinebantur, ut ibi sacra peragerent, et athletas Christi ad extremum certamen roborarent. Constat Anachoretas Ægypti et Thebaidos acceptam a sacerdote Eucharistiam, ne ea privarentur, cautissime, diuturno tempore, custodisse. Constat laicos, qui quandoque infideles ad Christi fidem adduxerant, statim, longis quidem itineribus, ad Antistites accurrisse, ut ab eis sacerdotes obtinerent qui Neophytis sacramenta conferrent. Demum constat eos, qui sacerdotio initiati non erant, numquam Eucharistiam confecisse. Quæ omnia plane ostendunt penes sacerdotes tantum potestatem esse hoc sacramentum conficiendi.

4. Probatur ex Conciliorum definitionibus. Concilii Lateranensis IV. dedimus superius verba: nunc addimus Concilium Nicænum I., quod, can. 18., habet: "Pervenit ad sanctum magnumque Concilium, quod, in quibusdam locis et civitatibus, presbyteris gratiam sacræ communionis

Diaconi porrigant; quod nec regula, nec consuetudo tradit, ut ab his, *qui potestatem non habent offerendi, illi, qui offerunt, corpus Christi accipiant.*"— Concilium Florentinum, in Decreto pro Armenis, docet: "Sacerdos, in persona Christi loquens, hoc conficit sacramentum.— Tridentina Synodus, sess. 22. c. 2. definit: "Si quis dixerit, illis verbis, 'hoc facite in meam commemorationem,' Christum non instituisse Apostolos sacerdotes, aut non ordinasse, ut ipsi, aliique sacerdotes offerrent corpus et sanguinem suum; anathema sit."

Præterea, quoad hanc primam partem thesis, confer etiam quæ diximus in Tractatu de sacramentis in genere, parte secunda, art. 6.

Secunda pars thesis duo complectitur enunciata: primum est, sacerdotes esse ministros ordinarios, quibus jure divino competit Eucharistiæ dispensatio: secundum vero est, Diaconum esse ministrum hujus dispensationis extraordinarium, quatenus vi ordinationis suæ habet ut ei dispensatio Eucharistiæ committi possit.

Ad primum quoad attinet, id certe eruitur ex ipsis verbis Christi: "hoc facite in meam commemorationem." Nam si sacerdotes his verbis potestatem acceperunt faciendi quod Christus in ultima cœna fecit consecrando Eucharistiam; cum Dominus consecratam Eucharistiam singulis distribuerit, patet et ipsos sacerdotes jus accepisse ministrandi fidelibus sacramentum corporis et sanguinis Domini. Quare, ut Conc. Tridentinum docet, sess. 13. cap. 8.: "Semper in Ecclesia Dei mos fuit, ut laici a sacerdotibus communionem acciperent, sacerdotes autem celebrantes seipsos communicarent."

Quoad secundum enunciatum, potestatem Diaconis concessam fuisse ministrandi, ex delegatione, fidelibus Eucharistiam, constat ex praxi Ecclesiæ. Hanc praxim ostendunt testimonia quæ citavimus ad probandam primam partem thesis, et confirmant sequentia. In Constitutionibus Apostolicis (l. 8. c. 28.) legitur: "Oblatione ab Episcopo vel presbytero facta, ipse diaconus [synaxin] dat populo, non tanquam sacerdos, sed tamquam qui ministrat presbyteris."—Concilium Carthaginiense IV., can. 38. inquit: "Diaconus, præsente presbytero, Eucharistiam corporis Christi populo, si necessitas cogat, jussus eroget."— S. Gelasius Papa, in Epistola ad Episcopos Lucaniæ, cap. 8., scribit: "Diaconi . . . sacri corporis Christi prorogationem sub conspectu Pontificis seu presbyteri, nisi his absentibus, jus non habeant exercendi."

Ex dictis constat clericos diaconis minores in cœtu publico et solemniter non posse Eucharistiam dispensare. Diximus *in cœtu publico et solemniter,* quia ex necessitate privatim id factum fuisse apparet in primis Ecclesiæ sæculis, quando acolytos Eucharistiam ad absentes non raro detulisse legimus, et testatur ipse Innocentius I. Papa in Epist. ad Decentium.—Quin etiam, ut superius commemoravimus, laici in necessitate adhibiti quandoque tunc fuerant ad Eucharistiam aliis tradendam, et ipsis concessum fuit ut ex Ecclesia sacras particulas domum defererrent, ad communionem opportuno tempore suscipiendam.

Ad solvendas difficultates adversus primam partem thesis, adnota.

1.—Ex eo quod Paulus in I. ad Cor. XI. 25. 26. postquam retulerit verba Christi "hoc facite in meam commemorationem," addat: "Quotiescumque enim manducabitis pacem hunc, et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis donec veniat;" pessime infertur consecrandi Domini corporis potestatem concessam fuisse a Christo omnibus fidelibus.—Etenim, illis verbis "hoc facite in meam commemorationem," Christus Apostolos instituit sacerdotes, et jussit ut ii, eorumque in sacerdotio successores facerent quod ipse fecit, idest consecrarent aliisque distribuerent corpus Domini.—Secundum vero aliquas tantum actiones illa eadem verba "hoc facite in meam commemorationem" etiam ad ceteros fideles pertinent, quatenus in eis includitur præceptum accipiendi et edendi Eucharistiam, idque in memoriam passionis Dominicæ:—et ideo S. Paulus post verba Christi "hoc facite in meam commemorationem," addit "Quotiescumque enim manducabitis panem hunc et calicem bibetis mortem Domini annuntiabitis."—Hinc merito ex S. Paulo arguitur et reponebat Petavius [1] Grotio: "Utrique et sacerdotes et laici quod faciunt, in Christi memoriam faciunt, ejusque passionis; sed hi sumendo dumtaxat, illi consecrando ac sumendo."

2.—Fideles in Scripturis vocantur sacerdotes lato sensu, quatenus Deo offerunt sacrificium laudis et bonorum operum; non quasi offerant sacrificium stricto sensu acceptum, quod Deo offertur cum Eucharistia consecratur. Vide quæ habentur in Tract. de sacramentis in genere, p. 2. c. 5.

[1] De potestate consecrandi, diatriba c. 2.

3.—Tertullianus, lib. de exhort. castitatis cap. 7., ostendere conatur secundas nuptias fidelibus esse interdictas, eo quod sacerdotes debeant esse monogami; et fideles omnes esse sacerdotes aperte pronuntiat. En ejus verba: "Inde igitur apud nos plenius, atque instructius præscribitur, unius matrimonii esse oportere, qui adleguntur in ordinem sacerdotalem. Usque adeo quosdam memini bigamos loco dejectos. Sed dices; ergo ceteris licet, quos excipit. Vani erimus, si putaverimus, quod sacerdotibus non liceat, laicis licere. Nonne et laici sacerdotes sumus? Scriptum est: Regnum quoque nos et sacerdotes Deo et Patri suo fecit. Differentiam inter ordinem et plebem constituit Ecclesiæ auctoritas, et honor per ordinis consessum sanctificatus. Adeo, ubi ecclesiastici ordinis non est consessus, et offers et tinguis, et sacerdos es tibi solus. Sed ubi tres, Ecclesia est, licet laici. Igitur si habes jus sacerdotis in temetipso, ubi necesse est; habeas oportet etiam disciplinam sacerdotis ubi necesse sit habere jus sacerdotis."

Ut huic difficultati plene respondeatur, postquam animadversum fuerit librum illum conscripsisse Tertullianum in Montani hæresim jam lapsum, notetur:—

a) Tertullianus laicos vocat sacerdotes non *proprie* et *formaliter*, sed solum *remote* et *aptitudinaliter*, quatenus nempe ad sacerdotium admitti possunt, si a se arceant impedimentum bigamiæ. Sic enim ibidem mentem suam ipse declarat: "Omnes nos Deus ita vult dispositos esse, ut ubique sacramentis ejus obeundis apti simus. . . . . Usque adeo nisi et laici ea observent, per quæ presbyteri adleguntur, quomodo erunt presbyteri, qui de laicis adleguntur? Ergo pugnare debemus ante laicum jussum a secundo matrimonio abstinere, dum presbyter esse non alius potest, quam laicus qui semel fuerit maritus."

b) Quum dicit: "differentiam inter ordinem et plebem constituit Ecclesiæ auctoritas," explicari debet de auctoritate Ecclesiæ quæ *inchoatam* facit illam differentiam, non *completam;* Ecclesia enim ideo solum talem differentiam constituit, quia aliquem e plebe *eligit* ad ministerium sacrum, qui tamen rite *ordinandus* est, ut potestatem a Deo accipiat, per sacram ordinationem, ad munus suum fungendum.

c) Verba, quæ in textu sequuntur: "Ubi ecclesiastici ordinis non est consessus, et offers et tinguis, et sacerdos es tibi solus" juxta Pamelium mendosa lectione proponuntur, et corrigi hoc modo debent: "Ubi

ecclesiastici ordinis est consessus, offert et tingit sacerdos, qui est ibi solus."—Sed admisso textu ut profertur ab adversariis, nihil hic eis favet. Verbum enim *offert,* ut solide ostendit Petavius, opere citato, non semper valet *consecrare,* et *perficere sacrificium altaris.* Potest ergo illud *offert* significare vel oblationem latius dictam laudis, aut bonorum operum; vel potius alludere ad *repræsentationem quamdam* oblationis proprie dictæ, quæ quandoque fiebat cum *nullus sacerdos adesset* in conventu fidelium. Etenim Christianis in cryptis simul convenientibus, et secum corpus Christi portantibus, si nemo inter eos esset sacerdos, delectus aliquis e laicorum numero Christi corpus, quod jam prius alias a sacerdote consecratum fuerat, Deo certis precibus offerebat, et sic quamdam oblationis speciem ad commune solatium usurpabat.

4.—Theodoretus (Hist. Eccl. lib. 1. c. 22.) refert Frumentum laicum, cum esset in India, hortatum fuisse mercatores, qui eo commeabant, ut ex more institutoque Romanorum simul convenirent ad divina mysteria celebranda.—At in primis nemo nos cogit tenere nullum inter eos fuisse sacerdotem pereginationis comitem: et insuper Theodoretus, nomine Liturgiæ, intellexit non sacrificii incruenti celebrationem, sed sacrum conventum in quo preces ad Deum funduntur; Theodoretus enim illam historiam a Rufino mutuatus est, qui nonnisi de oratione loquitur. "Admonuit," inquit Rufinus (hist. lib. 1. cap. 9.), "ut conventicula per singula loca facerent, ad quæ, ritu Romano, orationis causa confluerent."

5.—Ex antiquissimis canonibus Conciliorum Arelatensis I. an. 314. et Ancyrani, ejusdem anni, adversarii probare nituntur diaconos olim habuisse potestatem consecrandi Eucharistiam. Concilium enim Arelatense I. (can. 15.) habet: "De Diaconibus, quos cognovimus multis locis offerre, placuit minime fieri debere." Concilium vero Ancyranum (c. 2.): "Diaconus . . . ab omni sacerdotali ministerio cessare, et panem vel calicem offerendi, vel prædicandi."

Porro, etiamsi *consecrationem* Eucharistiæ illi canones spectarent, nihil aliud ex eis erui posset nisi diaconos quosdam olim jus consecrandi sibi usurpasse, et ab Ecclesia mox talem audaciam fuisse repressam: — quod sane confirmat thesim nostram. — Verum illi canones probabilius non de *consecratione* Eucharistiæ intelligi debent, sed de

ejus *dispensatione*, absque licentia Episcopi vel presbyteri: verbum enim *offerre* non semper significat *sacrificare*, sed sæpe *ministrare* tantum et *distribuere.*

6.—In libro 1. de officiis, c. 41., S. Ambrosius inducit S. Laurentium ita episcopum suum Xystum, qui ad martyrium properabat, alloquentem: "Cui commisisti Dominici sanguinis *consecrationem*, cui consummandorum consortium sacramentorum, huic sanguinis tui consortium negas?"—Hanc lectionem admittimus, nec ubi *consecrationem* habet textus substituimus *dispensationem*, cum omnes codices noti habeant *consecrationem:* sed vox ista in textu Sancti Ambrosii minime significat *Dominici sanguinis consecrandi actum*, sed *consecrati sanguinis distributionem.*—Sane in ipso contextu S. Laurentius diaconus non dicit se offerre sacrificium, sed ministrare sacrificio, quod a sacerdote offertur. "Quo sacerdos sancte," ait, "sine diacono properas tuo? Numquam sacrificium sine ministro offerre consueveras. . . . Experire certe utrum idoneum ministrum elegeris."—Deinde in verbis objectis non ait se habere munus conficiendi sacramentum, sed *consortium consummandorum sacramentorum;* id est ministerium ad distribuendum fidelibus sacramentum. Quia igitur proprium diaconorum officium erat plebi dispensare Dominicum sanguinem, qui est consecratio et sanctificatio nostra, et fons omnis sanctificationis, ideo, ait Cardinalis Bona, commissa dicitur diacono Dominici sanguinis *consecratio.*

ARTICULUS SEXTUS

De necessitate sacramenti Eucharistiæ.

Iis absolutis, quæ spectabant naturam, materiam, formam et ministrum sacramenti Eucharistiæ, cum de subjecto et de dispositionibus in eo requisitis dixerimus, quantum ad Theologiam dogmaticam attinet, in Tractatu de sacramentis in genere, p. 3. a. 3.; superest ut de necessitate ac de effectibus ejusdem sacramenti loquamur: de necessitate quidem in præsenti articulo, in sequenti vero de effectibus.

Et de necessitate sacramenti Eucharistiæ agentes, tria quærimus:

primum est, utrum Eucharistia sit omnibus ad salutem necessaria necessitate medii; secundum utrum ex præcepto divino sumi debeat sub utraque specie ab omnibus fidelibus, ac proinde etiam a non sacrificantibus; tertium utrum detur præceptum divinum et ecclesiasticum sumendi Eucharistiam saltem sub una specie.

Quædam ad rectam harum quæstionum intelligentiam præmitti debent.

1.—Ut notum est, duplici modo potest esse aliquid necessarium ad salutem, necessitate nempe medii vel præcepti: et illud de necessitate medii est necessarium, sine quo vel in re, vel in voto saltem percepto, salus obtineri nequit; illud autem de necessitate præcepti est necessarium, quo inculpabiliter deficiente obtineri potest salus; quodque tamen omitti voluntarie non potest quin salus amittatur, quia præceptum grave voluntarie violari non potest sine peccato gravi, quod æternæ beatæque vitæ impedit assecutionem.

2.—Cum res aliqua necessaria dicitur necessitate medii saltem in voto, sermo est non de generali voluntate, qua quis servare intendit omnia mandata, et facere quidquid præceptum est; ac proinde non est sermo de *voto aliquo improprie dicto,* quod in caritate perfecta semper includitur, et ab ea nullatenus sejungi potest: sed sermo est *de voto proprie dicto,* quod directe spectet rem, quæ dicitur in voto haberi, utpote medium ita ad salutem necessarium, ut nonnisi per illud, et cum dependentia saltem ab illo salus obtineri queat. Tale est votum baptismi, quod saltem habere debet quis ut salvus fiat.

3.—Hinc cum de Eucharistia quæritur utrum de necessitate medii necessaria sit ad salutem, saltem in voto, non de voto improprie dicto agitur, sed de *voto proprie dicto,* ut nuper declaravimus. Attamen eum, qui rite baptizatur, semper, aliquo sensu, votum habere Eucharistiæ suscipiendæ certum est, si intelligatur homo habere votum illius rei ad quam obtinendam vult jus acquirere et de facto acquirit; et ille, qui rem aliquam incipit, habere votum censeatur obtinendi ejusdem rei perfectionem, prout ab eo obtineri potest.

4.—A sæculo tertio usque ad undecimum, datam fuisse infantibus Eucharistiæ communionem in Ecclesia etiam Latina constat ex indubiis monumentis historicis: at non ideo data fuit quia necessaria eis existimabatur: "Ut enim," inquit Concilium Tridentinum (sess. 21. cap. 4.),

"sanctissimi illi Patres sui facti probabilem causam pro illius temporis ratione habuerunt; ita certe, eos nulla salutis necessitate id fecisse, sine controversia credendum est."

5.—Idem Concilium (sess. 21. can. 4.) definivit: "Si quis dixerit parvulis, antequam ad annos discretionis pervenerint, necessariam esse Eucharistiæ communionem, anathema sit."—Ex qua definitione patet realem perceptionem Eucharistiæ necessariam non esse necessitate medii ad salutem:—ex hoc autem, quod Eucharistia necessaria non sit in re, facile deducitur eam ne in voto quidem proprio esse necessariam, ut dicemus in probatione thesis. Sanctus Thomas et alii Theologi, qui Eucharistiam aiunt necessariam esse in voto, de eo voto loquuntur quod declaravimus n. 3.—"Ante perceptionem hujus sacramenti," ait S. Thomas (3. quæst. 73. art. 3.), "potest homo habere salutem ex voto percipiendi hoc sacramentum, sicut et ante baptismum ex voto baptismi, ut supra dictum est, q. 68. art. 2. Est tamen differentia quantum ad duo: primo quidem quia baptismus est principium spiritualis vitæ, et janua sacramentorum; Eucharistia vero est quasi consummatio spiritualis vitæ, et omnium sacramentorum finis, ut supra dictum est, q. 65. a. 3.; per sanctificationes enim omnium sacramentorum fit præparatio ad suscipiendam vel consecrandam Eucharistiam. Et ideo perceptio baptismi est necessaria ad inchoandam spiritualem vitam, perceptio autem Eucharistiæ est necessaria ad consummandam ipsam, non ad hoc quod simpliciter habeatur, sed sufficit eam habere in voto, sicut et finis habetur in desiderio et intentione. Alia differentia est, quia per baptismum ordinatur homo ad Eucharistiam, et ideo ex hoc ipso, quod pueri baptizantur, ordinantur per Ecclesiam ad Eucharistiam; et sicut ex fide Ecclesiæ credunt, sic ex intentione Ecclesiæ desiderant Eucharistiam, et per consequens recipiunt rem ipsius. Sed ad baptismum non ordinantur per aliud præcedens sacramentum, et ideo ante susceptionem baptismi non habent pueri aliquo modo baptismum in voto, sed soli adulti; unde rem sacramenti non possunt percipere sine perceptione sacramenti. Et ideo hoc sacramentum non hoc modo est de necessitate salutis, sicut baptismus."

6.—Quod ad aliam quæstionem pertinet, nempe ad Eucharistiam sumendam sub utraque specie, animadvertimus, hic non agi de Eucharistia, ut est sacrificium, et quatenus a sacerdotibus sacrificantibus sub

duplici specie sumi debet, quod omnes fatentur catholici ;—sed de ea agitur prout est sacramentum, et quæritur utrum laicis, et etiam clericis Eucharistiam non conficientibus, a Domino præcepta sit ejus sumptio sub utraque specie.

7.—Licet communio dari antiquitus, et ad sæculum usque duodecimum, in Occidentali etiam Ecclesia soleret laicis sub utraque specie ; id tamen juxta mutabilem illius ætatis disciplinam fiebat, non quasi necessitatis esset ex præcepto Domini. Jam vetusta consuetudo in desuetudinem abierat, et, ubique fere locorum, communicantes unicam speciem sumebant, nemine reclamante ; cum, circa annum 1414., Petrus Dresdensis, ludimagister, opera adjutus Jacobelli Misnensis, qui Pragæ magno auditorum concursu conciones habebat, asserere cœpit necessariam laicis communionem sub utraque specie. Hunc errorem Joannes Huss, aliique Hussitæ, et maxime, qui ex usu calicis vocati sunt *Calixtini*, propugnaverunt. Concilium Constantiense eumdem errorem damnavit sess. 13. decreto a Martino V. confirmato per Bullam "in Eminentis," datam 8. Cal. Mart. 1418.

"Cum in nonnullis," inquit Concilium, "mundi partibus quidam temerarie asserere præsumant populum christianum debere sacrum Eucharistiæ sacramentum sub utraque panis et vini specie suscipere, et non solum sub specie panis, sed etiam sub specie vini populum laicum passim communicent, etiam post cœnam vel alias non jejunum, et communicandum esse pertinaciter asserant contra laudabilem Ecclesiæ consuetudinem rationabiliter approbatam, quam tamquam sacrilegam damnabiliter reprobare conantur : hinc est, quod hoc præsens Concilium . . . declarat, decernit et definit, quod licet Christus post cœnam instituerit et suis discipulis adminstraverit sub utraque specie panis et vini hoc venerabile sacramentum, tamen hoc non obstante sacrorum canonum auctoritas, laudabilis et approbata consuetudo Ecclesiæ, servavit et servat, quod hujusmodi sacramentum non debet confici post cœnam, neque a fidelibus recipi non jejunis, nisi in casu infirmitatis aut alterius necessitatis a jure vel Ecclesia concesso, vel admisso. Et similiter, quod licet in primitiva Ecclesia hujusmodi sacramentum reciperetur a fidelibus sub utraque specie: tamen hæc consuetudo ad evitandum aliqua pericula et scandala est rationabiliter introducta, quod a conficientibus sub utraque specie, et a laicis tantummodo sub specie panis

suscipiatur, cum firmissime credendum sit et nullatenus dubitandum, integrum Christi corpus et sanguinem tam sub specie panis, quam sub specie vini veraciter contineri; etc. Quapropter dicere, quod hanc consuetudinem aut legem observare sit sacrilegum aut illicitum, censeri debet erroneum, et pertinaciter asserentes oppositum præmissorum tamquam hæretici arcendi sunt et graviter puniendi per diœcesanos locorum seu officiales eorum aut inquisitores hæreticæ pravitatis, etc."

8.—Lutherus, minime sibi constans, primo Carlostadium redarguit, quod cum iterum introduceret praxim communionis sub utraque specie, summam Christianismi in rebus parvi, aut nullius momenti, constitueret; deinde calicem nonnisi a Concilio permitti posse opinatus est, et postea, iterum mutans sententiam suam, dixit posse quemlibet Episcopum dare utramque speciem laicis, immo et eis "totum sacramentum panis omnibus dandum esse, si optant."—Calvinus acerbe invehens in Ecclesiam catholicam, hanc proferre blasphemiam non dubitavit (Inst. l. 4. c. 17. n. 47.), nempe, ex officina diaboli Constitutionem prodiisse quæ dimidiam Cœnæ partem populo Dei eripuit.

Ecclesia vero catholica, in Conc. Tridentino adunata, nullis obstantibus petitionibus, quæ tum Imperatoris, tum Galliarum Regis Caroli IX. et aliorum Principum nomine fiebant, ut restitueretur cuique usus calicis, sess. 21. capite 3. docuit: "Quamvis Redemptor noster, ut antea dictum est, in suprema illa cœna hoc sacramentum in duabus speciebus instituerit et Apostolis tradiderit, tamen fatendum esse, etiam sub altera tantum specie totum atque integrum Christum verumque sacramentum sumi; ac propterea, quod ad fructum attinet, nulla gratia, necessaria ad salutem, eos defraudari, qui unam speciem solam accipiunt."—Quapropter definivit can. 1.: "Si quis dixerit, ex Dei præcepto, vel necessitate salutis, omnes et singulos Christi fideles utramque speciem sanctissimi Eucharistiæ sacramenti sumere debere; anathema sit." Et can. 2.: "Si quis dixerit, sanctam Ecclesiam catholicam non justis causis et rationibus adductam fuisse, ut laicos, atque etiam clericos non conficientes, sub panis tantummodo specie communicaret, aut in eo errasse; anathema sit."

In fine autem sessionis 22. Tridentina Synodus declaravit spectare ad prudentiam et auctoritatem Romani Pontificis examinare, an usus

calicis, ob rationes christianæ caritati consentaneas, alicui nationi concedendus sit, et statuere quidquid opportunius judicaverit.

His prænotatis sit

THESIS XII.

Eucharistia non est ad salutem omnibus necessaria, necessitate medii, sive in re, sive in voto proprie dicto; sed fidelibus adultis necessaria est necessitate præcepti divini et ecclesiastici:—nullum tamen extat divinum præceptum ex quo non sacrificantibus sumptio Eucharistiæ necessaria sit sub utraque specie.

Probatur prima pars thesis 1.—Ex Scripturis. Etenim Eucharistia necessaria non est ad salutem necessitate medii, si juxta Scripturas, salus solo baptismo obtineri potest. Atqui ita se res habet. Ergo. Prob. min. ex Marc. XVI. 16.: "Qui crediderit et baptizatus fuerit salvus erit;" ex ep. ad Tit. 3. 5.: "Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis;" ex 1. Pet. 3. 21.: "Quod et vos nunc similis formæ salvos facit baptisma."

2.—Ex perpetua fide Ecclesiæ, quæ semper tenuit et docuit parvulos, qui post baptismum morte corripiuntur, etiamsi Eucharistiam non susceperint, salvos fieri. Hujus fidei testimonium exhibent Patres, et omnium nomine audiantur S. Augustinus et S. Fulgentius.

S. Augustinus, in epistola 98. (alias 23.) ad Bonifacium scribit: "Tantum valebit [baptismus parvulo collatus], ut si ante rationis usum ex hac vita emigraverit, per ipsum sacramentum, commendante Ecclesiæ caritate, ab illa condemnatione, quæ per unum hominem intravit in mundum, christiano adiutorio liberetur. Hoc qui non credit, et fieri non posse arbitratur, profecto infidelis est, etsi habeat fidei sacramentum." Idem (l. 1. de peccat. mer. et remiss. c. 19.) ait: "Verumtamen si [parvulus], percepto baptismate, de hac vita emigraverit, soluto reatu, cui originaliter erat obnoxius, perficietur in illo lumine veritatis, quod incommutabiliter manens in æternum justificatos præsentia Creatoris illuminat."

S. Fulgentius in epist. 12. ad Ferrandum, a quo interrogatus fuerat quid de æterna salute cujusdam Æthiopis sentiendum esset, qui subito

post receptum baptismum e vivis excesserat quin Eucharistiam recepisset, respondit (num. 26.): "Arbitror, sancte frater, disputationem nostram præclari Doctoris Augustini sermone firmatam, nec cuiquam esse aliquatenus ambigendum tunc unumquemque fidelium corporis sanguinisque dominici participem fieri, quando in baptismate membrum corporis Christi efficitur, nec alienari ab eo panis calicisque consortio, etiamsi antequam panem illum comedat et calicem bibat, de hoc sæculo in unitate corporis Christi constitutus abscedat."

Præterea, Ecclesiam semper credidisse Eucharistiam non esse necessitate medii ad salutem necessariam constat, quia secus nec aliquando negavisset lapsis etiam in extremo vitæ communionem sacramentalem, nec morem antiquum administrandi infantibus cum baptismo Eucharistiam immutasset.

3.—Ex ratione theologica; nam, ut Tridentini Patres (sess. 21. c. 4.) argumentabantur, si parvulis necessaria foret Eucharistia, ideo esset quia vel ad primam gratiam obtinendam necessaria foret, vel ad hanc gratiam conservandam; at neutrum dici potest. Non ad gratiam primam obtinendam, quia jam per baptismum eam adepti sunt: non ad gratiam conservandam, quia gratia non amittitur nisi per peccatum, et hujus patrandi sunt incapaces.

Hæc autem argumenta non modo probant, ut facile cuique patet, Eucharistiam non esse in re necessariam, necessitate medii, sed etiam ostendunt eam neque in voto proprie dicto esse necessariam ad salutem.

Probatur secunda pars thesis, quoad *præceptum divinum* sumendi Eucharistiam, 1.—ex Joannis VI. 54.: "Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis." Hæc enim verba, quæ Eucharistiam spectant ut demonstratum est, (p. 1. a. 2.), statuunt eam necessariam ad vitæ æternæ assecutionem:—sed in prima parte thesis probavimus Eucharistiam non esse necessariam necessitate medii;—manet ergo ut necessaria sit necessitate præcepti.

2.—Ex Luc. XXII. 19., et Pauli I. ad Cor. XI.; "Hoc facite in meam commemorationem." Ut enim exposuimus, articulo præcedenti, Christus Dominus, dedit his verbis præceptum non tantum solis sacerdotibus, ut Eucharistiam consecrent, sed etiam fidelibus omnibus, qui possunt hoc præcepto ligari, ut eam recipiant in ejus commemorationem. Præ-

ceptum Domini, de Eucharistia suo tempore sumenda, illis verbis contentum declarat Concilium Tridentinum, sess. 13. cap. 2. dicens: "Salvator noster discessurus ex hoc mundo ad Patrem sacramentum hoc instituit, in quo divitias divini sui erga homines amoris velut effudit, memoriam faciens mirabilium suorum; et in illius sumptione colere nos sui memoriam præcepit suamque annuntiare mortem, donec ipse ad judicandum mundum veniat. Sumi autem voluit Sacramentum hoc tamquam spiritualem animarum cibum, quo alantur et confortentur viventes vita illius, qui dixit: Qui manducat me, et ipse vivet propter me."—Ubi Concilium docet Christum non præcepisse nobis, veluti sub conditione, ut memoriam passionis ejus recolamus in hoc sacramento, si eo uti volumus; sed absolute nobis mandasse ut illud sumamus, in eo passionis Dominicæ memoriam recolentes.

3.—Indicat insuper Concilium, verbis citatis, præceptum divinum de sumptione Eucharistiæ deduci etiam ex hujus mysterii institutione; nam si cibum materialem sumere debemus ad vitæ corporis sustentationem, profecto præceptum nobis datur sumendi Eucharistiam, quam Christus nobis reliquit tamquam cibum animarum nostrarum præstantissimum, quo alamur et roboremur viventes vita supernaturali.

Porro præcepto hoc ligantur omnes baptizati adulti, qui cum ad annos discretionis pervenerint, seipsos probare possunt, juxta monitum Apostoli, ut accedant ad Eucharistiam.—Quandonam obliget illud præceptum exponitur in Theologia Morali.

Præceptum vero *ecclesiasticum* suscipiendi Eucharistiam, constat ex decretis Conciliorum. 1. Lateranensis IV. cap. "Omnis utriusque sexus." De pœnit. et remiss. (ap. Labb. tom. 11. pag. 172.): "Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua peccata, saltem semel in anno, fideliter confiteatur proprio sacerdoti, et injunctam sibi pœnitentiam studeat pro viribus adimplere, suscipiens reverenter ad minus in Pascha Eucharistiæ sacramentum: nisi forte de consilio proprii sacerdotis, ob aliquam rationabilem causam ad tempus ab ejus perceptione duxerit abstinendum: alioqui et vivens ab ingressu Ecclesiæ arceatur; et moriens christiana careat sepultura." 2. Tridentini sess. 13. can. 9., ubi Patres sanciunt, omnes ac singulos Christi fideles utriusque sexus, cum ad annos discretionis pervenerint, teneri singulis annis, *saltem in paschate*, ad communicandum.

Probatur tertia pars thesis. 1.—Ex doctrina Christi. Loquens enim Christus de Eucharistia, in cap. 6. Joannis, promittit gratiam et vitam æternam tum iis, qui Eucharistiam suscipiunt sub utraque specie, tum iis, qui eam sumunt sub una tantum specie, nempe manducantibus carnem Domini sub specie panis. Ergo ex capite sexto Joannis colligi non potest præceptam omnibus ad salutem fuisse speciei utriusque eucharisticæ sumptionem ; immo ex eo contrarium recte deducitur.

Argumentum hoc urget Concilium Tridentinum sess. 21. can. 1. : "Neque ex sermone illo apud Joannem sexto," inquit Concilium, "recte colligitur utriusque speciei communionem a Domino præceptam esse ... namque qui dixit (Joan. 6.) : Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis ; dixit quoque : Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum. Et qui dixit : Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, habet vitam æternam ; dixit etiam : Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. Is denique, qui dixit : Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in illo ; dixit nihilominus : Qui manducat hunc panem, vivet in æternum."

2.—Ex usu et praxi Apostolorum. Nam in Act. (II. 42.) legimus de primis fidelibus "erant autem perseverantes in doctrina Apostolorum et communicatione fractionis panis et orationibus."—Porro hic Eucharistiam designari adversarii non diffitentur ; et contextus aperte ostendit, cum fractio illa panis cum doctrina conjungatur et sacris precibus, et si non ageretur de communione sacramentali, adnotat Bellarminus, "vituperatio potius quam laus fuisset de fidelibus commemorare, perseverantes eos fuisse in prandiis et cœnis corporalibus."—Sed hic nulla calicis mentio fit, et fideles dicuntur in *communicatione panis* perseverantes.—Ergo ex loco citato juste infertur fideles non fuisse divino præcepto adstrictos ad sumendam Eucharistiam sub duplici specie, eosque sanctissimum sacramentum recepisse sub una panis specie.

Nec dicat Chemnitius per *fractionem panis* significari, figura locutionis, etiam calicem, quia secus sequeretur panem solum fuisse ab Apostolis consecratum. Inanis est hæc ratio : non enim Lucas hic describit quid Apostoli, sed quid primi fideles facerent : Apostoli utique in utraque specie Eucharistiam consecrabant, sed eam in una specie populis ministrabant.

"Quod etiam ex eo confirmatur," sapienter idem Bellarminus ani-

madvertit,[1] "quia plurimi in Jerusalem Christiani erant, qui in illis initiis servabant legalia Moysis, Apostolis permittentibus, ut patet ex cap. 21. Actorum; et ex iis nonnulli usque ad certum tempus Nazaræi erant, non bibentes vinum, nec radentes capita, usque ad finem dierum voti sui. Hos autem neque credibile est contra votum suum bibisse de calice Domini; neque probabile est abstinuisse omnino a communione, cum Lucas dicat, omnes perseverantes fuisse, in doctrina et communicatione fractionis panis. Quare probabilissima conjectura est, ideo Lucam solum meminisse fractionis panis, quod ab ea sola specie nulli abstinerent. Unde etiam beatus Paulus I. Cor. x. non sine causa de calice dicit: 'Calix benedictionis, cui benedicimus;' de pane autem: 'Panis quem frangimus.' Calix enim semper benedicebatur, sed non semper distribuebatur. Unde etiam paulo infra dicit: 'Unus panis et unum corpus sumus, qui de uno pane participamus.'"

Ad eumdem usum sumendi Eucharistiam sub una specie primis Ecclesiæ temporibus alludit etiam Paulus I. ad Cor. XI. 27., dicens: "Itaque quicumque manducaverit panem hunc, *vel* biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini;" particula enim disjunctiva *vel* id innuit. Profecto non negamus hanc particulam *vel* apud profanos et sacros auctores usurpatam interdum fuisse pro particula *et* conjunctiva; sed id contendimus, quod sane nemo in dubium revocabit, nimirum *vel* ad disjunctionem, ordinarie loquendo, non ad conjunctionem significandam adhiberi; ac proinde hic, ubi nihil cogit, ut in sensu particulæ copulativæ sumatur, disjunctivum sensum suum obvium retinere, juxta quem Apostolus confirmat, quod ex aliis Scripturarum locis nuper expensis probatum est, sufficientiam nempe communionis sub una specie.

3.—Ex praxi Ecclesiæ. Et revera si præceptum datum omnibus fuisset a Domino sumendi Eucharistiam sub duplici specie, numquam Ecclesia permisisset speciem alterutram populis eripi. Porro vel a prioribus Ecclesiæ sæculis, nemine reclamante, data est communio sub una specie. Ergo.—

Minor constat:—*a*) Ex communionibus infirmorum. Diximus enim antea Serapionem senem moribundum recepisse sacramentum per puerum quemdam missum a presbytero ægrotante, qui ad eum venire non poterat: jam vero Eusebius[2] narrat senem recepisse "exiguam Euchari-

[1] De sacram. Euch. l. 4. c. 24.

[2] Lib. 6. hist. Eccles. c. 44.

stiæ partem [sub specie nempe panis] madefactam," seu aqua intinctam, ut vertit Valesius, et particula paulatim absorpta, continuo animam edidisse.—Paulinus diaconus in Vita S. Ambrosii (n. 47.) refert S. Honoratum Episcopum, cum in superiori tabulato noctu decumberet, cœlesti voce admonitum fuisse, ut cito descenderet et Ambrosio moribundo subveniret; quare "descendens obtulit sancto Domini corpus, quo accepto, ubi glutivit, emisit spiritum."—Aliquando datam fuisse in Hispania infirmis Eucharistiam sub una tantum specie vini, colligitur ex Concilio Toletano XI., anno 675. In cap. 11. ait: "Solet humanæ naturæ infirmitas, in ipso mortis exitu prægravata, tanto siccitatis pondere deprimi, ut nullis ciborum illationibus refici, sed vix tantumdem illati delectetur poculi gratia sustentari. Quod etiam in multorum exitu vidimus, qui, optatum suis votis sacræ communionis expetentes viaticum, collatam sibi a sacerdote Eucharistiam rejecerunt, non quod infidelitate hoc agerent, sed quod præter Dominici calicis haustum traditam non possent Eucharistiam deglutire."

b) Ex communione infantium; eis enim, ut S. Cyprianus,[1] aliique testantur, sola vini species antiquitus dabatur, et etiam hodiedum datur apud Græcos.

c) Ex communione domestica, de qua jam pluries locuti sumus. Fideles enim, tempore præsertim persecutionis, Eucharistiam sub unica panis specie, arca ut plurimum lignea inclusa, domum deferebant ad communionem opportuno tempore sumendam. Hujus consuetudinis testis est Tertullianus, qui (lib. 2. ad uxorem, cap. 5.) ait: "Non sciet maritus quid secreto ante omnem cibum gustes; et si sciverit omnem, non illum esse credet, qui dicitur [scilicet corpus Christi]:"—testis pariter est S. Zeno Veronensis, qui (l. 1. tract. 11. n. 4.) dicit: "Omnibus peræque unus panis cum ligno [arca lignea in qua Eucharistia recondita erat] datur:"—testes S. Cyprianus (lib. de lapsis, n. 18.), S. Basilius (epist. 289. ad Cæsariam Patriciam), S. Ambrosius (de excessu fratris sui Satyri, l. 1. n. 43.), aliique.

d) Ex communione publica, in qua etiam, quando fidelibus utraque Eucharistiæ species dispensabatur, liberum fuit sive unam tantum speciem sumere, sive duas. Id certo deducimus ex verbis S. Leonis Magni in serm. 42., seu 4. de quadragesima. In eo Summus Pontifex docuit la-

[1] Lege miraculum, quod S. Cyprian. narrat in lib. de lapsis, n. 18., et retulimus p. 73.

tentes Manichæos detegi posse ex eo quod ad communionem accedentes abstinebant semper a calice, et semper unam panis speciem in publica communione accipiebant. "Cumque," ait, "ad tegendam infidelitatem suam nostris audeant interesse mysteriis, ita in sacramentorum communione se temperant, ut interdum tutius lateant, ore indigno corpus Christi accipiant, sanguinem autem redemptionis nostræ haurire omnino declinent. Quod ideo vestram volumus scire sanctitatem, ut vobis hujusmodi homines et his manifestentur indiciis, et quorum deprehensa fuerit sacrilega simulatio, sanctorum societate, sacerdotali auctoritate, pellantur." Cum igitur S. Leo ad Manichæos detegendos jubeat observari eos, qui sanguinem haurire semper declinabant, indicat liberum tunc temporis fuisse Romæ sub una, vel sub utraque specie communionem sumere; nam si ex illius Ecclesiæ disciplina Eucharistia semper debuisset sub utraque specie dispensari, non potuissent latere Manichæi, dum a sanguine Domini bibendo abstinuissent.

Quod etiam in Ecclesia Constantinopolitana liberum aliquando fuerit Eucharistiam in publica communione recipere sub una specie, ostendit mirabile factum a Sozomeno relatum (lib. 8. Hist. cap. 5.) de quadam muliere e secta Macedonianorum. Cum enim ipsius conjux audiendo S. Chrysostomum concionantem, quomodo de divinitate sentiendum sit, fidem catholicam amplexus esset, suaderetque uxori ut sibi in fide consors esset, si vitæ consors esse vellet; de fallendo marito consilium suum cum ancilla aperuit, eique dedit panem communem, quem sibi in Ecclesia porrigeret. Itaque cum accepisset a S. Chrysostomo sacra faciente, in manibus panem eucharisticum, quasi paulo post illum manducatura, eum clam dedit ancillæ, et ab ancilla accepit panem communem, hunc vero cum ori admovisset, illico in lapidem mutatus fuit. Ex hac narratione, quam etiam refert Nicephorus l. 13. c. 7., patet ea mente mulierem accessisse ad sacram Synaxim, ut putaret facile sibi esse virum suum fallere, loco communionis fidelium, panem communem subrogando: hæc autem simulatio impossibilis sane fuisset, si ex illius Ecclesiæ disciplina semper una cum pane calix sanguinis fuisset administratus; calix enim cum Diaconi manu communicantium ori admoveretur, illius loco alium sumere mulier non potuisset.

In Anglia vero perantiquum fuisse usum communionem publice recipiendi sub unica specie, colligitur indubie ex historia ecclesiastica

Venerabilis Bedæ. In libro 2. cap. 5.,[1] ad annum 616., narrat Saberti orientalium Saxonum regis filios, qui regenerationis christianæ gratiam non acceperant, post parentis mortem, cum "viderent pontificem, celebratis in Ecclesia missarum solemniis, Eucharistiam populo dare, dicebant, ut vulgo fertur, ad eum, barbara inflati stultitia: 'Quare non et nobis porrigis panem nitidum, quem et patri nostro Saba [Al., Sæba], sic namque eum appellare consueverant, dabas, et populo adhuc dare in Ecclesia non desistis?' Quibus ille respondebat: 'Si vultis ablui fonte illo salutari quo pater vester ablutus est, potestis etiam *panis sancti*, cui ille participabat, esse participes: sin autem lavacrum vitæ contemnitis, nullatenus valetis panem vitæ percipere.' At illi: 'Nolumus, inquiunt, fontem illum intrare, quia nec opus illo nos habere novimus, sed tamen pane illo refici volumus.' Cumque diligenter ac sæpe ab illo essent admoniti, nequaquam fieri posse ut absque purgatione sacrosancta quis oblationi sacrosanctæ communicaret [Al., communicet], ad ultimum furore commoti, aiebant: 'Si non vis adsentire [Al., adsentiri] nobis in tam facili causa quam petimus, non poteris jam in nostra provincia demorari.' Et expulerunt eum, ac de suo regno cum suis abire jusserunt."

e) Ex Missa præsanctificatorum. Solent enim Græci sacerdotes per Quadragesimam, exceptis diebus sabbati ac dominicis et festo Annuntiationis B. M. V., Eucharistiam non consecrare, sed panem præconsecratum in præcedenti sacrificio et reservatum, iterum offerunt cum precibus Missæ; ex quo pane consecrato ipsi sacerdotes, et populus communionem recipiunt, quin Eucharistiam sumant sub specie vini. Patet ergo Græcos, quamvis extra Quadragesimam communionem recipiant sub duplici specie, nullo tamen pacto existimare hunc communicandi modum esse ex Christi præcepto omnino necessarium.

Et hic adnota ritum, quo utuntur Græci recentiores, aliquas nempe sanguinis guttas infundendi in modum crucis pani consecrato, non fuisse adhibitum ab antiquo in Ecclesia græca, cum nullum illius vestigium in ipsorum Liturgiis, aut antiquis auctoribus reperiatur; et Michael Cerularius, auctor schismatis Græcorum, in libro ad defensionem ritus præsantificatorum conscripto, diserte dicat "*nullam in panibus reservatis infundi guttam sanguinis.*"—Ceterum et recentiores Græci, quas sangui-

[1] Migne, P. L. t. 95. p. 90.

nis guttulas infundunt pani consecrato, statim exsiccant, panem igni superponendo; quare nec dici potest eos, qui præsanctificatum panem sumunt juxta hunc ritum infundendi consecrato pani sanguinem Christi, recipere Eucharistiam sub utraque specie.

Missam præsanctificatorum, quam Græci frequentant toto tempore Quadragesimali, Latini celebrant feria sexta Majoris hebdomadæ, in qua sacerdos hostiam, pridie consecratam, sumit absque sumptione sanguinis Domini:—et in antiquo Ordine Romano, (Migne P. L. tom. 78. p. 954.) ubi pro feria sexta Hebdomadæ sanctæ ritus Missæ et communionis describuntur, legimus non solum celebrantem, sed etiam populum ex præconsecrato pane communionem sumpsisse: "Presbyteri . . . . intrant secretarium, vel ubi positum fuerat corpus Domini, quod pridie remansit, ponentes eum in patena; et subdiaconus teneat ante ipsos calicem *cum vino non consecrato*, et alter subdiaconus patenam cum corpore Domini; quibus tenentibus accipit unus presbyter patenam et alter calicem, et deferunt super altare nudatum. Pontifex vero sedet dum persalutet populus crucem. . . . . . Qua salutata et reposita in loco suo, descendit Pontifex ante altare et dicit, *Oremus, Præceptis salutaribus moniti, Pater noster;* sequitur *libera nos, quæsumus Domine.* Cum dixerint *Amen,* sumit de sancta, et ponit in calicem, nihil dicens: et communicant omnes cum silentio et expleta sunt universa."

3.—Ex ratione theologica. Etenim natura sacramenti eucharistici minime requirit ut necessario sumatur sub duplici specie; nam sub una tantum specie et sumitur totus Christus, et ratio sacramenti salvatur, tum quoad significationem, tum quoad efficientiam.—Quod *Christus totus sumatur* ab eo, qui communicat sub una specie, patet ex prima Tractatus parte, articulo 7., ubi demonstravimus Christum in Eucharistiæ sacramento sub unaquaque specie totum contineri, immo sub singulis cujusque speciei partibus.—Quod autem ratio sacramenti in unaquaque specie salvetur, tum *quoad significationem, tum quoad efficientiam,* constat, quia:—

a) Quod *ad significationem attinet,* sacramentum Eucharistiæ significat Christum præsentem, passionem ejus, refectionem animæ per gratiam, et unionem fidelium inter se ac cum Christo capite: quæ omnia salvantur etiam in una specie consecrata. Sane hostia consecrata totum Christum præsentem significat, ut dictum est;—et passionem ejus signi-

ficat, quia corpus solum, *vi verborum* consecrationis, sub specie panis positum fuit;—et ratio convivii spiritualis manet cum unica specie panis consecrata, quia, etsi non adeo expresse ac in duplici specie cibus et potus seorsum repræsentetur, sub una tamen specie panis cum corpore Christi est sanguis, qui non amplius a corpore separatur, sicque cibus habetur et potus;—et tandem significationem mysticam unionis fidelium inter se et cum Christo, species panis consecrati retinet, cum juxta Patrum doctrinam significatio illa exurgat ex eo quod multa grana unum panem efficiunt. Confer quæ, p. 79., ex Sancto Augustino exscripsimus, serm. 272. ad infantes.

b) Quod demum *efficientiam* spectat, effectum sacramenti obtineri sub unica specie, et nulla gratia ad salutem necessaria privari eos, qui unicam tantum consecratam speciem sumunt, ex verbis Christi, evidenter eruitur, ex quibus, ut adnotavimus, argumentabantur Patres Conc. Tridentini. Christus enim, qui dixit (Joan. VI. 55.): "Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem habet vitam æternam," dixit nihilominus (ib. v. 59.): "Qui manducat hunc panem vivet in æternum."—Quare idem Conc. dixit (sess. 21. c. 3.): "Fatendum esse, etiam sub altera tantum specie totum atque integrum Christum, verumque sacramentum sumi; *ac propterea, quoad fructum attinet, nulla gratia necessaria ad salutem eos defraudari, qui unam speciem solam accipiunt.*"

Quod si, ut ex dictis manifestum est, nullo præcepto divino Eucharistia a non sacrificantibus sub duplici specie accipi debet; si nulla salutis necessitas id requirit, ac proinde usus calicis pro eis, qui Eucharistiam non conficiunt, pertinet ad disciplinam ecclesiasticam, et non afficit sacramenti substantiam;—cum, ut loquitur Tridentina Synodus (sessione 21. capite 2.), "potestas in Ecclesia perpetuo fuerit, ut in sacramentorum dispensatione, salva illorum substantia, ea statueret vel mutaret, quæ suscipientium utilitati, seu ipsorum sacramentorum venerationi, pro rerum, temporum et locorum varietate, magis expedire judicaret:"—procul dubio Ecclesia, tali potestate a Christo instructa, omnibus hinc inde mature discussis, prohibere calicis usum potuit, prout reipsa in Concilio Constantiensi et Tridentino prohibuit, vel potius, invectam jam diu consuetudinem communicandi sub una tantum specie, lege data, confirmavit.

Causæ autem et rationes, quibus Ecclesia adducta est, ut consuetudinem sub altera tantum specie communicandi non solum approbaret, sed etiam decreti auctoritate firmaret, sunt præcipue istæ :—Primo periculum sanguinem Domini in terram effundendi, quod quidem in magna populi multitudine evitari haud posse videbatur :—deinde magna difficultas in asservanda specie vini, præcipue in regionibus calidioribus aut nimis frigidis ; nec non in pluribus regionibus vini penuria : et insuper tum multorum naturalis constitutio, qui a vino summopere abhorrent, tum eorum nausea in labiis admovendis ad eumdem calicem :—demum ex una parte, consuetudo jam recepta et approbata communi populorum consensu, et ex alia, protervia, necessario retundenda, hæreticorum, negantium totum Christum sub unaquaque specie præsentem esse in Eucharistia.

Difficultates, quæ moventur ab adversariis, jam ex dictis fere omnes præoccupatæ sunt. Quasdam tantum addimus dilucidationes.

1.—Evinci nequit necessitas Eucharistiæ pro omnibus ad salutem ex comparatione illius sententiæ Christi : "Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto non potest introire in regnum Dei," cum hac alia : "Nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis ejus sanguinem non habebitis vitam in vobis."—Disparitas enim inter utramque est tum in locutionis forma, tum in subjecta materia.—Quoad locutionis formam, hæc verba, "*nisi quis renatus fuerit*," in tertia persona, omnes homines complectuntur, cum universaliter de omnibus dicantur : alia "*nisi manducaveritis*," in secunda persona, ad eos diriguntur, qui præcepti sunt capaces.—Quod subjectam materiam spectat, illa, "*nisi quis renatus fuerit*," ostendunt baptismum conferre homini regenerationem, seu initium vitæ supernaturalis, sine quo vivere profecto homo non potest vita supernaturali, ideoque introire in regnum Dei : alia vero verba, "*nisi manducaveritis*, docent Eucharistiam esse cibum supernaturalem, quo sustentatur et fovetur vita supernaturalis ; qui proinde non est eis necessarius, qui nondum ad vitam supernaturalem regenerati sunt, aut si regenerati, amittere hanc vitam propria culpa nequeunt, ut sunt parvuli.

Præterea, ex hoc textu : "Nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis ejus sanguinem," ut in probationibus thesis ostensum est, erui nequit necessitas suscipiendi Eucharistiam sub duplici specie.

Animadversionibus jam factis, addas Christum hic rem ipsam præcipere, seu ut corpus ejus et sanguis sumatur, quæ etiam sub unica specie continentur: non autem præcipere, ut sacramentum sub utraque specie simul recipiatur, ut scilicet in eadem communione seorsim corpus manducetur, et seorsim sanguis bibatur.—Et insuper verba citata, "*nisi manducaveritis*" etc. *speciem* habere locutionis *copulativæ*, sed *vim* habere *disjunctivæ*, aut certe *copulativæ in sensu negativo*, nimirum, "si *neque* manducaveritis, *neque* biberitis." Quod ex aliis locis Scripturarum constat. Nam, ex. gr. Exodi XXI. 15. in textu hebraico legitur: "*Qui percusserit patrem suum et matrem, morte moriatur;*" quæ procul dubio accipi debent in sensu disjunctivo, cum necesse non sit, ut quis ad comminatam pœnam incurrendam utrumque parentem percutiat; et ideo Vulgata transtulit: "*Qui percusserit patrem suum, vel matrem.*" Similiter, Act. III. 6., Petrus dixit claudo eleemosynam ab eo petenti: "*Argentum et aurum non est mihi;*" et significabat neque argentum habere neque aurum.

2.—Falluntur adversarii dum putant præceptum divinum, obligans laicos ad usum calicis, inveniri (Matt. XXVI. 27.) in verbis Domini: "Bibite ex hoc omnes." Contextus aperte ostendit ea verba ad solos convivas Apostolos dirigi, et S. Marcus id evidenter declarat, dum refert: "Et biberunt ex illo omnes," id est omnes, qui soli aderant, Apostoli.—Quod si quæratur, cur Christus illud de calice dixerit, ratio occurrit obvia, quia unum calicem præbebat, et ideo ne unus vel primi bibentes exhaurirent eum totum, dixit: "Bibite ex eo omnes:"—de pane vero, quem ipse *fregit, deditque discipulis*, necesse non erat dicere, ut patet, "manducate ex hoc omnes." Non defuit tamen inter Patres, qui putavit sic etiam de pane Christum locutum fuisse; et ita legitur in canone Missæ.

3.—Cum Apostolus ait (I. Cor. II. 28.): "Probet autem seipsum homo, et sic de pane illo edat et de calice bibat;" præceptum *probationem* spectat, non *sumptionem utriusque speciei:*—eodem enim modo loquitur, ac si quis diceret: probet seipsum homo, et sic religiosum statum ingredi voveat; qua locutione non diceret votum religionem ingrediendi esse præceptum, sed probationem. Et sane cum Apostolus, versu immediate

præcedenti, disjunctive dixerit: "Itaque quicumque manducaverit panem hunc, *vel* biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini;" in versu sequenti, hunc sensum exprimit: probet seipsum homo, et nonnisi probatus consecratum panem manducet, aut calicem bibat.

4.—Testimonia nonnulla Patrum objiciuntur ad ostendendum eos Eucharistiam æque ac baptismum putavisse necessariam esse omnibus ad salutem. Revera, Innocentius I., Ep. ad Patres Conc. Milev., inter Augustinianas 182. al. 93., sic loquitur refellens Pelag. (n. 5.): "Illud vero quod eos vestra fraternitas asserit prædicare, parvulos æternæ vitæ præmii, etiam sine baptismatis gratia posse donari, perfatuum est. Nisi enim manducaverint carnem Filii hominis, et biberint ejus sanguinem, non habebunt vitam in semetipsis. Qui autem hanc eis sine regeneratione defendunt, videntur ipsum Baptismum velle cassare, cum prædicant hos habere, quod in eos creditur nonnisi baptismate conferendum. Si ergo nihil volunt officere, non renasci fateantur necesse est, nec regenerationis sacra fluenta prodesse."

Hanc Innocentii sententiam sæpius cum laude commemorat S. Augustinus, eamque, tamquam Sedis Apostolicæ definitionem, suscipit. Ita Epistola 186. alias 106., ad Paulinum cap. 8., l. 2., ad Bonifacium contra duas Epistolas Pelagianorum c. 4. l. 1. contra Julianum cap. 4. (t. 10. p. 504.): "Innocentio," inquit, alloquens Julianum, "vide quid respondeas . . . qui parvulos definivit, nisi manducaverint carnem Filii hominis, vitam prorsus habere non posse. Huic responde: immo ipsi Domino, cujus ille Antistes usus est testimonio."—Et ipse Augustinus, pluribus in locis, præsertim, l. 1. de peccatorum meritis et remissione, ex hoc textu: "Nisi manducaveritis" etc., ostendit parvulos non baptizatos excludi ab æterna vita, et commentitiam distinctionem explodit, quam Pelagiani excogitaverant, inter regnum Dei et vitam æternam, ut dicerent parvulos baptismo non regeneratos, vita quidem æterna donari, sed ingredi non posse in regnum Dei. "An vero quisquam," ait S. Augustinus (loc. cit. c. 20.), "et hoc dicere audebit, quod ad parvulos hæc sententia ['Nisi manducaveritis' etc.] non pertineat, possintque sine participatione corporis hujus et sanguinis in se habere vitam?"—In eodem sensu loquitur Sanctus Gelasius Papa, epist. 7. ad Episcopos in Piceno.

Porro ut solvatur difficultas, adnotari debet Summos Pontifices Innocentium et Gelasium, et frequentius S. Augustinum, cum ad illud testimonium appellabant "nisi manducaveritis . . . . non habebitis vitam in vobis," arguere ad hominem contra Pelagianos. Quapropter in hunc modum adversarios perstringebant:—quidne asseritis? in textu evangelico, ubi agitur de baptismo, legi quidem non regeneratos exclusos esse *a regno Dei*, sed non legi exclusos *a vita æterna*; ac proinde parvulos non baptizatos, qui moriuntur ante discretionis ætatem, pervenire ad vitam æternam:—sed legitur in eodem Joan. Evangelio, illos non habere *vitam æternam*, qui non manducant carnem Filii hominis et non bibunt ejus sanguinem: ergo cum nonnisi baptizati manducent illam carnem et bibant illum sanguinem, parvuli qui non sunt baptizati, etiam permissa et non concessa distinctione, quam facitis, inter regnum Dei et vitam æternam, excluduntur indubie a vita æterna.—In hac autem ratiocinatione non assumebant *actualem* perceptionem *sacramenti* Eucharistiæ esse omnibus, non exclusis parvulis, necessariam; sed necessariam esse *aliqualem manducationem carnis et potationem sanguinis Christi Jesu Redemptoris:* quæ spiritualis manducatio non minus ac potatio in baptismo fit, ut fatetur S. Augustinus; nam et Christo capiti per baptismum tamquam membra unimur, et in baptismo jus accipimus ad verum Christi corpus in Sacramento sumendum et ad sanguinem bibendum; et ita Eucharistiam, quæ est consummatio omnium sacramentorum, in voto per baptismum quodammodo manducamus.

Hanc fuisse mentem S. Augustini certissime constat ex declaratione, quam ipse nobis exhibet in eodem opere, de peccatorum meritis et remissione (l. 3. c. 4. n. 8.). Ut sensus verborum ejus genuinus appareat necesse est ut integer textus hic subjiciatur:

"Ac per hoc," inquit, "si ambigui aliquid habent verba apostolica, quibus dicit: 'Per unum hominem peccatum intravit in mundum, et per peccatum mors, et ita in omnes homines pertransiit' (Rom. v. 12.), possuntque in aliam duci transferrique sententiam: numquid et illud ambiguum est, 'nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei' (Joan. III. 5.)? Numquid et illud: 'Vocabis nomen ejus Jesum; ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum' (Matt. I. 21.)? Numquid etiam illud: 'Quia non est opus sanis medicus, sed ægrotantibus' (Id. IX. 12.); hoc est, quia non

est necessarius Jesus eis, qui non habent peccatum, sed eis qui salvandi sunt a peccato? Numquid etiam illud, quia nisi manducaverint homines carnem ejus, hoc est, participes facti fuerint corporis ejus, non habebunt vitam (Joan. VI. 51.)? His atque hujusmodi aliis, quæ nunc prætereo, testimoniis divina luce clarissimis, divina auctoritate certissimis, nonne veritas sine ulla ambiguitate proclamat, non solum in regnum Dei non baptizatos parvulos intrare non posse, sed nec vitam æternam posse habere præter Christi corpus, cui ut incorporentur, sacramento baptismatis imbuuntur? Nonne veritas sine ulla dubitatione testatur, eos non ob aliud ad Jesum, hoc est, ad salvatorem et ad medicum Christum piis gestantium manibus ferri, nisi ut per medicinam sacramentorum ejus possint a peccati peste sanari."

Et S. Fulgentius, Augustini discipulus obsequentissimus, in epist. 12. ad Ferrandum, superius citata, docet hominem rite baptizatum, ac subito post baptismum e vivis raptum salvari; et (cap. 11. num. 24.) prosequitur: "Nullus autem debet moveri fidelium in illis, 'qui etsi legitime sana mente baptizantur, præveniente volocius morte, carnem Domini manducare, et sanguinem bibere non sinuntur;' propter illam videlicet sententiam Salvatoris qua dixit: 'Nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis' (Joan. VI. 54.). Quod quisquis non solum secundum veritatis mysteria, sed secundum mysterii veritatem considerare poterit, in ipso lavacro sanctæ regenerationis hoc fieri providebit. Quid enim agitur sacramento sancti baptismatis, nisi ut credentes membra Domini nostri Jesu Christi fiant, et ad compagem corporis ejus ecclesiastica unitate pertineant? Ipsis enim dicit beatus Apostolus: 'Vos estis corpus Christi, membra de membro' (I. Cor. XII. 27.). . . . . . Quocirca quoniam *unus panis et unum corpus*, tunc incipit unusquisque particeps esse illius unius panis, quando cœperit membrum esse illius unius corporis, quod in singulis membris, quando in baptismo capiti Christo subjungitur, tunc jam Deo viva hostia veraciter immolatur."—Doctrinam, quam exposuit Ferrando, confirmat S. Fulgentius auctoritate Patrum, dicens: "Quod etiam Sanctos Patres indubitanter credidisse ac docuisse cognoscimus:" et quia speciali titulo præ ceteris—hac præsertim in re, quæ peccatum originale et gratiam regenerationis spectat—S. Augustini documenta suspiciebat, confirmat responsum suum transcribendo totum serm. 272.

ad Infantes, in quo S. Doctor eamdem sententiam elucidat;—et epistolam suam Fulgentius sic concludit: "Nec cuiquam esse aliquatenus ambigendum, tunc unumquemque fidelium corporis sanguinisque Dominici participem fieri, quando in baptismate membrum corporis Christi efficitur, nec alienari ab illo panis calicisve consortio, etiamsi antequam panem illum comedat, et calicem bibat, de hoc sæculo in unitate corporis Christi constitutus abscedat."

5.—Interdum adhortatio occurrit apud unum vel alium Patrem ad communionem sub utraque specie, immo hæc dicitur præcepta; sed testimonia illa Patrum optime explicantur, si unum attenditur, nempe, eos loqui juxta disciplinam tunc temporis vigentem, a qua recedere, privata auctoritate, fidelibus fas non erat.

6.—S. Gelasius Papa, in capite, quod apud Gratianum extat (3. part. Decreti, dist. 2. cap. 12.), statuit: "Comperimus autem, quod quidam, sumpta tantummodo corporis sacri portione a calice sacri cruoris abstineant. Qui procul dubio (quoniam nescio qua superstitione docentur obstringi) aut integra sacramenta percipiant, aut ab integris arceantur, quia divisio unius ejusdemque mysterii, sine grandi sacrilegio non potest provenire."—Sed hæc verba vel solos sacerdotes, sacrificium Missæ celebrantes, respiciunt, ut dicit S. Thomas (3. qu. 80. art. 12. ad 1.), et in titulo capiti præfixo legitur; vel, ut communius tenent doctores, decretum illud Manichæos spectabat Romæ latentes, qui a vino et in eucharistica mensa a specie vini, impia superstitione abhorrebant, *et ideo* unum et idem mysterium non sine grandi sacrilegio, ut ait Pontifex, dividebant. Mysterium vero non dividunt Catholici, qui et illud agnoscunt sub duplici specie a sacerdote in Missa consecratum; et sub specie vini, non minus ac sub specie corporis, totum et integrum Christum realiter præsentem confitentur.

SCHOLION.—Concilium Tridentinum decrevit "nulla gratia necessaria ad salutem eos defraudari, qui unam speciem solam accipiunt;" at non docuit, saltem expresse, aliquam novam gratiam non dari per calicem. Et hac de re Theologi disputant. Communis sententia, ut fatetur Cardinalis de Lugo,[1] negat gratiam, licet non necessariam ad salutem,

[1] De sacramento Eucharistiæ, disp. 12. sect. 3. n. 68.

conferri majorem communicanti sub utraque specie. Hanc sententiam tenuerunt Sanctus Thomas,[1] et Sanctus Bonaventura (4. dist. 11. p. 2. art. 1. qu. 2.), eamque defendunt Bellarminus, Suarez et alii multi. —Affirmans vero opinio fuit quorumdam inter antiquiores; citantur enim pro ea Alexander Alensis et Riccardus; in Concilio Tridentino propugnata fuit tum a Melchiore Cano, tum a quibusdam aliis doctoribus; et defenditur a Cardinale de Lugo, qui in præsenti quæstione Vasquesium secutus est.

Declarat autem de Lugo, quo sensu dicat majorem gratiam, ad salutem non necessariam, conferri per sumptionem utriusque speciei: "Aliquis effectus," inquit, "correspondet calici, *nemper potare spiritualiter, qui nullatenus respondet hostiæ,* et e contra cibatio spiritualis, nullatenus provenit a calice, sed ab hostia."—Et ad majorem perspicuitatem, addit: "Licet per utramque speciem Eucharistiæ conferatur gratia ejusdem rationis quoad entitatem, est tamen diversa quoad connotatum: nam gratia, quæ confertur per speciem panis, affert secum de connotato effectus, quos præstat cibus, et e contra.

Petes, in quo differant isti effectus secundarii cibi, et potus spiritualis? Resp. aliquam differentiam agnosci ab ipsa Ecclesia in iis effectibus, licet in speciali non possimus omnes differentias comprehendere; ideo enim singulis speciebus tribuit suos proprios effectus in hymno corporis Christi:

Dedit fragilibus corporis ferculum,
Dedit et tristibus sanguinis poculum.

Quasi dicat effectum cibi esse roborare fragiles: juxta illud Ps. CIII. 15.: 'Et panis cor hominis confirmat;' effectum vero potus esse nutrire quidem, quia vinum etiam deservit ad nutritionem, lætificando tamen animam tristem; juxta illud ejusdem Psalmi: 'Et vinum lætificet cor hominis.' "

At Cardinalis de Lugo, postquam sententiam suam exposuerit, hoc monito eam sollicite communivit. "Admoneo," inquit,[2] "ex hac doctrina non fieri, ullo modo posse aliquos merito conqueri de Ecclesia, quod usum calicis laicis interdixerit: tum quia fructus substantialis et

[1] Eam S. Thomas docet præsertim in op. 51. de Sacramento Altaris, cap. 29., ubi hæc habet: "Unde sicut sumit sacerdos sanguinem Christi sacramentaliter de calice, sic populus sumit eum intellectualiter sub specie panis de ipso corpore Christi, et *est eis tam utilis et tam dulcis* ut sacerdotibus, qui sumunt eum sub specie vini de calice."

[2] De sacram. Euch. loc. cit. n. 81.

præcipuus in singulis speciebus habetur, quia per singulas seorsim accipitur gratia nutrimentalis, qui est potissimus fructus hujus sacramenti, per utramque autem simul solum additur gratia aliqua in ordine ad aliquid accidentale minus principale; tum etiam, quia, ut dixit Tridentinum sess. 21. cap. 2., in hujus sacramenti dispensatione attendendum est, non solum ad suscipientium utilitatem, sed etiam ad ipsius sacramenti reverentiam, propter quam multa videmus omitti, quæ aliquam suscipientium utilitatem impediunt. Ideo hoc sacramentum non potest una die bis sumi, licet majorem fructum afferret duplex communio quam unica: ideo negatur parvulis baptizatis etiam in articulo mortis, quibus procul dubio gratiam augeret, et per consequens gloriam etiam essentialem: item hanc ob causam non datur perpetuis amentibus etiam baptizatis, neque iis ægrotis, in quibus timetur periculum vomitus: quamvis utrique priventur fructu sacramenti; imo propter eamdem reverentiam non permittitur ægrotus sumere de laici manu sacramentum, absente sacerdote, judicante Ecclesia minus inconveniens, quod moriatur sine viatico, quam tangi Eucharistiam manu laica, absente sacerdote. Quid mirum, quod propter reverentiam sanguinis Christi priventur etiam laici illo fructu secundario, et minus principali, quem ex calice perciperent?"

Verumtamen communior sententia est etiam probabilior, et eam amplectimur, juxta quam tenemus, in una eademque communione, sumenti Eucharistiam sub duplici specie, non dari, *per se loquendo*, majorem gratiam, quam sumenti sub una. Dicimus, *per se loquendo*, quia si caritatis fervor augeatur in sumptione secundæ speciei, ratione melioris dispositionis, dabitur major gratia. Confer Tractatum de sacramentis in genere, p. 3. a. 4.

Rationes, quæ nos movent ad præeligendam sententiam propositam, sunt sequentes.

Major gratia in susceptione duplicis speciei conferretur vel ratione signi significantis, vel ratione rei significatæ et realiter contentæ sub signo sensibili. Atqui neutrum dici potest. Ergo.—Probatur minor, nam 1.—nequit dici majorem gratiam dari ratione rei contentæ sub signo sensibili, quia totus Christus æque sub una continetur ac sub duplici specie: 2.—nequit etiam dici majorem gratiam conferri ratione signi significantis; quia quælibet species *totum Christum* significat, et su-

pernaturalem refectionem animæ significat, quia rite suscipiens unam speciem consecratam, *totum Christum suscipit, seipsum præbentem in sacramento ut cibum et potum fidelium animarum ;* et unionem significat, ut superius adnotavimus, membrorum corporis Christi mystici tum inter se, tum cum Christo capite.

Certe, ut ultro concedimus adversariis, *in modo significandi,* expressior et perfectior est significatio in duabus speciebus quam in una ; sed significatio talis non est, *in re significata.* Cum ergo ad perfectionem effectus sacramentalis attendenda sit perfectio significationis ex parte *rei significatæ,* non ex parte *modi quo significatur,* nimirum prout est magis minusve clarus atque distinctus ; et sub una specie, etsi non tam distincte, eadem tamen omnino res sit significata ac sub duplici specie, effectus sacramentalis perfectior non erit in sumente duplicem speciem præ illo, qui unicam speciem tantum sumit.—Tota sacramenti hujus perfectio est in toto et in qualibet ejus parte, et ideo promissio gratiæ a Christo facta rite Eucharistiam suscipientibus, spectat totum sacramentum et quamlibet ejus partem, et tanta virtus est in singulis ejus partibus, quam in toto. Huc spectat, quod in figura factum est in Veteri Testamento : manna enim omnem habebat saporem suavitatis, nec "qui plus collegerat habebat amplius" (Ex. XVI. 18.).

Confirmatur sententia quam defendimus, exemplo desumpto ex sacramento baptismi : nam baptismus per immersionem expressius significat Christi mortem et sepulturam, quam baptismus per aspersionem vel infusionem ; et trina immersio adhuc vividiorem mysterii habet significationem ; sed non conceditur majorem gratiam conferri per baptismum trina immersione collatum, quam per eum, qui confertur infusione, aut aspersione.—Ergo clarior modus significandi in sacramentis non auget effectum sacramentalem, seu sacramenti gratiam.

Dices 1.—Alius est effectus cibi, alius potus. Ergo saltem secundum effectum aliquem secundarium et connotationem specialium auxiliorum, præter gratiam datam per susceptionem unius speciei sacramentalis, seu panis, alia sacramentalis gratia dabitur ei, qui ex consecrato calice hauriet.

Resp.—In hac refectione spirituali eadem est res, Christus nempe sumptus in sacramento, qui omnes effectus cibi et potus spiritualis animæ confert.

2.—Qui communicat sub duplici specie bis Christum recipit. Ergo abundantiorem gratiam.

Resp. *Dist. Ant.*—In ordine ad eamdem refectionem *C.* Ad diversam *N.*, et *Neg. Conseq.* quia sumptio bis repetita Christi in ordine ad eamdem spiritualem refectionem per se non auget gratiam: secus, qui plures sumeret hostias, aut partes hostiæ in eadem communione, aut pluribus haustibus ex calice hauriret, abundantiorem gratiam perciperet, quod certe non est admittendum.

3.—Si statuitur eamdem gratiam conferri in sumptione utriusque speciei, admitti debet eam dari vel in sumptione primæ speciei, vel secundæ: sed neutrum dici potest. Ergo.—Prob. min. Non potest dici gratiam conferri in prima sumptione, quia tunc secunda esset prorsus superflua: nec dici potest dari in secunda sumptione, quia, juxta hanc responsionem, sacerdos, qui moreretur postquam hostiam sumpserit, sacramenti gratia privaretur.

Resp.—Licet certum non sit quando in sumptione duplicis speciei gratia conferatur, communius a Theologis conceditur in sumptione prioris speciei gratiam conferri:—dicunt enim nullam probabilem rationem assignari posse, cur subjecto bene disposito sacramenti effectus differatur, et duas sumptiones unum efficere sacramentum, quod operatur per aliquid sui, cum primum potest.[1] Non otiose tamen sumitur secunda species, quia perfectio sacrificii requirit ut ea sumatur, et per accidens conferri tunc potest major gratia, si subjectum melius sit dispositum.

4.—Quidam Patres videntur tribuere peculiarem effectum sanguini Domini, qui ex calice sumitur. Sic enim S. Ambrosius loquitur l. 5. de sacramentis, c. 3.: "Quotiescumque bibis, remissionem accipis peccatorum, et inebriaris spiritu." Et Cyprianus Ep. 56. n. 1.: "Gravior pugna imminet, ad quam fide incorrupta et virtute robusta parare se debent milites Christi, considerantes idcirco se quotidie calicem sanguinis Christi bibere, ut possint et ipsi propter Christum sanguinem fundere."

Resp.—Patres non tribuunt peculiarem effectum sumptioni sanguinis

[1] F. Sylvius, in 3. D. Thomæ, q. 80. a. 12., quæritur 2. ad. 4.

Domini, ut distinguitur a sumptione corporis ejusdem Domini, sed solum tribuunt effectum quemdam sanguini Domini, quia vere illi convenit, et non negant eundem convenire etiam corpori Domini; quemadmodum sæpe multa tribuuntur Deo Patri, vel Filio, et tamen non negantur ea de Spiritu Sancto, licet non exprimatur tunc Spiritus Sanctus. Hoc autem esse verum patet, quia iidem auctores in aliis locis eosdem effectus tribuunt corpori Domini. Ambrosius enim, qui lib. 5. cap. 3. tribuit sanguini remissionem peccatorum, idem lib. 4. cap. 5., ait: "Qui manducaverit hoc corpus, fiet ei remissio peccatorum." Et Cyprianus in illa ipsa epistola, ubi dicit, martyres futuros confirmari, atque armari debere potu sanguinis Domini; ibidem dicit muniri debere protectione corporis Domini (l. c. n. 9.).—Et animadverte Patres effectum illum, de quo loquuntur, non tribuere *speciebus vini*, sed Christi sanguini: sanguinem vero accipiunt, qui sub una specie communicant, licet vini speciem non accipiant.

5.—Refertur Clementem VI. concessisse Regi Angliæ communionem sub utraque specie *ad gratiæ augmentum.*

Resp.—In dubium a multis revocatur existentia illius Bullæ, tum quia non consentiunt auctores cuinam regi concessa fuerit, Galliæne an Angliæ, tum quia dicitur data anno 1341., et Clemens VI. electus fuit Pontifex anno 1342.:—sed admissa etiam ejus veritate, verba illa, "ad gratiæ augmentum," optime intelligi possunt de gratia non *ex opere operato* collata, sed *ex opere operantis.*

ARTICULUS SEPTIMUS

De effectibus sacramenti Eucharistiæ.

Priusquam, juxta probatissimam Patrum doctrinam, stupendos effectus illius mysterii recenseamus, per quod infinitæ caritatis suæ thesauros Salvator in nos effudit, Lutheri errorem refutare debemus, qui remissionem peccatorum mortalium Eucharistiæ effectum primarium esse dixit. Hunc errorem damnavit Concilium Tridentinum, sess. 13. c. 5. statuens: "Si quis dixerit, vel præcipuum fructum sanctissimæ Eucha-

ristiæ esse remissionem peccatorum, vel ex ea non alios effectus provenire, anathema sit."

Sequens ergo thesis hæresim Lutheri quoad rem præsentem primo confutat, deinde catholicam veritatem circa effectus sacramenti Eucharistiæ adstruit, vindicatque.

THESIS XIII.

Eucharistia per se et directe peccata mortalia non dimittit :—sed dum supernaturalem vitam in nobis auget, unionem nostram cum Christo et cum omnibus membris corporis Christi mystici per caritatem maxime perficit; peccata venialia delet; ad remissionem pœnæ temporalis, quæ peccato remisso adhuc debetur, prodest; contra tentationum impetus roborat; concupiscentiam minuit; copiosas gratias ad peccata vitanda atque virtutum actus exercendos confert; et gloriosæ corporis resurrectionis, ac æternæ beatitudinis pignus tribuit.

In prima thesis parte dicimus Eucharistiam *per se et directe* peccata mortalia non dimittere, quia tenemus Eucharistiam, licet sit sacramentum vivorum, conferre quandoque *per accidens gratiam primam.* Confer quæ hac de re habentur in Tractatu de sacramentis in genere, p. 3. a. 2.

Probatur 1. pars thesis.—*a*) Ex natura hujus sacramenti. Eucharistia enim instituta est ad modum cibi et potus, ut supernaturalis alimonia sit nostrarum animarum.—At cibus potusque non dantur mortuis, sed viventibus; et natura sua ordinantur ad vitam conservandam atque fovendam, non ad eam, postquam amissa fuerit, recuperandam.—Ergo Eucharistia ex institutione sua non ordinatur, saltem *per se et directe*, ad delendum peccatum mortale, per quod homo vitam supernaturalem gratiæ amisit, et ad conferendam iterum ei gratiam sanctificantem per quam ad supernaturalem vitam revocetur.

b) Ex doctrina Apostoli. In I. Cor. XI., cum institutionem Eucharistiæ commemorasset, ut, excellentiam Dominicæ mensæ Corinthii recogitantes, intelligerent quam digne et reverenter, seu quanta animi puritate et humilitate ad eam sit accedendum, Paulus inquit (vv. 27–29.);

"Itaque quicumque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini. Probet autem seipsum homo, et sic de pane illo edat, et de calice bibat. Qui enim manducat, et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit, non dijudicans corpus Domini."

Docet ergo Apostolus eum, qui *panem hunc,* aut *calicem,* indigne sumpserit, obnoxium fieri illi pœnæ, quam meretur is, qui corpus et sanguinem Christi Domini violaverit, ignominia affecerit, tradiderit crucifigendum. Ac proinde, ut prosequitur idem Apostolus, ne tanti criminis fiat reus, probet seipsum homo antequam conviva accedat ad mensam Domini, conscientiam suam ab omni inquinamento peccati, saltem gravis, diligenter emundet. Ergo non ad remissionem peccatorum mortalium obtinendam Eucharistia sumitur, sed post peccatorum remissionem acceptam; et si quis secus faceret, gravissimam culpam adderet iis, quibus inquinatus ausus est accedere ad sacramentum.

Nec valet effugium, quod ad eludendam vim testimonii hujus apertissimi hæretici excogitaverunt, nempe probationem ab Apostolo hic præscriptam esse fidei, scilicet ut homo se probet an sit in fide, juxta illud ejusdem Apostoli II. ad Cor. XIII. 5.: "Vosmetipsos tentate, si estis in fide: ipsi vos probate:"—nam, utcumque intelligenda sit fides, de qua S. Paulus illic agit, et ad rem præsentem non pertinet hic eam declarare, certo constat aliam probationem, præter solam fidem, Apostolum docere, tamquam omnino necessariam ad Eucharistiæ susceptionem, ut quis per eam sibi tremendum judicium et damnationem æternam non accersat. Etenim in eodem capite eos corripit, eosque indigne edere corpus Domini et sanguinem bibere dicebat, qui in cœna Domini ad ebrietatem usque replebantur, et pauperes a suis mensis excludebant: quæ sane peccata non sunt adversus fidem.

Quod si regi terreno injuriam faceret, qui mensæ ejus assideret inimicus, et osculum pacis ei offerret, dum mortali odio illum prosequeretur; quamobrem non benevolentiam regis, aut favorem ejus acquireret, si rex secretas has dispositiones sciret, sed magis justissimam indignationem et pœnam gravissimam expectare sibi deberet; quis unquam comprehendere plene potest gravitatem illius offensæ, qua vilissimus peccator, non adhuc cœlesti regi reconciliatus, audet conviva accedere ad mensam Domini, ac Dominico corpori ac sanguini vim inferre?

c) Ex unanimi doctrina Patrum. Cum de exploratissima re agatur, quædam tantum dabimus testimonia.

S. Justinus (Ap. 1. n. 66.) ait: "Alimentum hoc apud nos appellatur Eucharistia, quod nulli alii participare licitum est quam veram esse doctrinam nostram credenti, et lavacro propter remissionem peccatorum et regenerationem abluto, et secundum Christi mandata viventi."

Origenes (hom. 2. in Ps. XXXVII. num. 6.) inquit: "Cum anima tua ægrotet, et peccatorum languoribus urgeatur, securus es, contemnis gehennam atque ignis æterni supplicia despicis et irrides? Judicium Dei parvipendis, et commonentem te Ecclesiam despicis? Communicare non times corpus Christi accedens ad Eucharistiam, quasi mundus et purus, quasi nihil in te sit indignum, et in his omnibus putas quod effugias judicium Dei? Non recordaris illud quod scriptum est, quia *Propterea in vobis infirmi, et ægri, et dormiunt multi?* Quare multi infirmi? Quoniam non seipsos dijudicant, neque seipsos examinant, nec intelligunt quid est communicare Ecclesiæ, vel quid est accedere ad tanta et tam eximia sacramenta. Patiuntur hoc, quod febricitantes pati solent, cum sanorum cibos præsumunt, sibimetipsis inferentes exitium."

S. Cyprianus (ep. 10. ad Martyres) reprehendit quosdam presbyteros qui lapsis, nondum rite purgatis, Eucharistiam concedebant, et ait: "Nondum pœnitentia acta, nondum exomologesi facta, nondum manu eis ab Episcopo et clero imposita, Eucharistia illis datur, cum scriptum sit: 'Qui ederit panem aut biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini.'"

S. Ambrosius (lib. 6. in Luc. c. 9. n. 71.) ait: "Nemo cibum accipit Christi, nisi fuerit antea sanctus, et illi, qui vocantur ad cœnam, prius vocando sanantur. . . . . Ubique igitur mysterii ordo servatur, ut prius per remissionem peccatorum vulneribus medicina tribuatur, postea alimonia mensæ cœlestis exuberet."

S. Augustinus (Tract. 26. in Joan. n. 11.) inquit: "Aliud est sacramentum, aliud virtus sacramenti. Quam multi de altari accipiunt et moriuntur, et accipiendo moriuntur! Unde dicit Apostolus: '*Judicium sibi manducat et bibit.*' Non enim buccella dominica venenum fuit Judæ? Et tamen accepit, et cum accepit, inimicus in eum intravit, non quia malum accepit, sed quia bonum male malus accepit. Videte ergo,

fratres, panem cælestem spiritualiter manducate, innocentiam ad altare portate: peccata etsi sunt quotidiana, vel non sint mortifera."

Sed pro omnibus audiatur S. Joannes Chrysostomus, qui præ ceteris abundantius et magnificentius de Mysterio altaris locutus est. Unum locum seligam ex multis. In Mattheum (hom. 82. alias 83. n. 5.) ait: "Quamobrem oportet semper vigilare: non parvum enim imminet supplicium iis, qui indigne communicant. Cogita quantum contra proditorem indignaris, et contra eos qui Christum crucifixerunt. Cave ergo, ne tu ipse reus sis corporis et sanguinis Christi. Illi sacrum corpus trucidarunt, tu post tot beneficia cum sordida suscipis anima. Neque enim satis habuit hominem fieri, alapis cædi, immolari, sed seipsum commiscet nobiscum, non fide tantum, sed reipsa nos corpus suum constituit. Quanta ergo puritate oporteret eum esse, qui hoc fruitur sacrificio? quanto radiis solaribus puriorem esse oporteret manum illam, quæ hanc carnem secat, os quod spirituali repletur igne, linguam tremendo sanguine tinctam? Cogita quantum adeptus sis honorem? qua fruaris mensa? Quod angeli tremunt videntes, nec sine metu respicere audent ob fulgorem inde manantem, eo nos alimur, huic commiscemur, factique sumus Christi unum corpus et una caro."

Et postquam necessariam animi puritatem ad communionem accedentibus eloquenter inculcaverit, prosequitur (n. 6.): "Hæc vobis, qui communicatis dico, necnon vobis, qui ministratis. Nam necesse est vos alioqui, ut cum multa diligentia hæc dona distribuatis. Non parvum vobis supplicium deputatum est, si quem improbum vobis notum ad hujus mensæ participationem admittatis. Sanguis ejus exquiretur de manibus vestris. Quamvis dux quispiam sit, quamvis præfectus, sive is ipse, qui diademate redimitur, si indigne accedat, cohibe; majorem tu quam ille potestatem habes. Si tibi fons purus gregi custodiendus commissus esset, ac videres os ovis cujuspiam luto fœdatum, non sineres demisso capite fluentum turbare. Nunc non aquæ, sed sanguinis, et spiritus fonti custodiendo deputatus, si peccatis terra et luto fœdioribus inquinatos accedere videas, nec indigneris, nec cohibeas, quam veniam merearis? Idcirco vos Deus hoc honore decoravit ut hæc discernatis. . . . . Time Deum, non hominem. . . . . Si non audes, mihi adduc; nec permittam hujusmodi ausus. Animam potius amittam, quam indigno

sanguinem dominicum præbeam: et sanguinem potius profundam, quam tremendum sanguinem dem cui non par est."

d) Ex magisterio Ecclesiæ. Illud enim constat tum ex universa antiquitatis christianæ disciplina pœnitentiali, qua pœnitentes ad reconciliationem disponebantur, et nonnisi hac impetrata ad mysteriorum participationem admittebantur; tum ex liturgiis, juxta quas antiquitus, ad arcendos peccatores a cœlesti corporis et sanguinis Christi convivio, inter Missarum solemnia diaconus clamabat: "Exite, catechumeni, pœnitentes, indigni;" et etiam nunc apud Græcos clamat: "sancta sanctis."

Conc. vero Tridentinum (sess. 13. can. 11.) postquam anathema pronuntiaverit eum, "qui dixerit solam fidem esse sufficientem præparationem ad sumendum sanctissimum Eucharistiæ sacramentum," addit sequentem declarationem:

"Et ne tantum sacramentum indigne, atque ideo in mortem et condemnationem sumatur; statuit atque declarat ipsa Sancta Synodus, illis quos conscientia peccati mortalis gravat, quantumcumque etiam se contritos existiment, habita copia confessoris, necessario præmittendam esse confessionem sacramentalem. Si quis autem contrarium docere, prædicare, vel pertinaciter asserere, seu etiam publice disputando defendere præsumpserit, eo ipso excommunicatus existat."

Difficultates, quas adversarii proponunt contra doctrinam mox vindicatam, facillime solvuntur. Verba namque formæ in consecratione calicis adhibita, "Qui pro vobis effundetur in remissionem peccatorum," non significant sanguinem *sumi* ad remissionem peccatorum; sed *effusum fuisse* in remissionem peccatorum, et nunc offerri, ut fructus passionis dominicæ nobis applicetur.—Ecclesia in Missa orat ut hoc mysterium "sit ablutio scelerum, sit vivorum atque mortuorum fidelium remissio omnium delictorum;" sed verba ista intelligenda sunt de Eucharistia prout est sacrificium; et addi potest, juxta S. Th. (3. q. 79. a. 3. ad 1.), nos petere ut "hoc sacramentum sit ablutio scelerum, quorum conscientiam non habemus, secundum illud Psal. XVIII. 13., 'ab occultis meis munda me, Domine'. . . vel etiam ut nobis robur detur ad scelera vitanda."—Patres vero, de Eucharistia prout est sacramentum loquentes,

dicunt eam peccata abluere non *per se* et *directe*, sed *per accidens* et *indirecte.*

Probatur 2. pars thesis. 1.—Eucharistiam *augere in nobis vitam supernaturalem,* seu in iis, qui rite sacramentum suscipiunt gratiam sanctificantem augere, virtutes quoque infusas et dona Spiritus Sancti, perspicuum est ex dogmate catholico, in Tractatu de sacramentis in genere demonstrato, de efficacitate sacramentorum, quæ omnibus non ponentibus obicem *ex opere operato* gratiam conferunt.—Hoc igitur præsupposito, dicimus in primis Eucharistiam *unionem nostram cum Christo et cum omnibus membris corporis Christi mystici per caritatem maxime perficere ;* et his verbis significamus, quod etsi omnia sacramenta vivorum, dum augmentum conferunt gratiæ sanctificantis, augeant in nobis caritatem, et arctiorem unionem nostram cum Christo reddant ; ex propria tamen ratione sua id Eucharistia sibi vindicat, ita ut præ ceteris sacramentis unionem illam magis magisque arctet atque perficiat.—Cetera enim sacramenta vivorum "non ordinantur," ait Suarez,[1] "per se primo et directe ad nutriendam caritatem propter solam majorem perfectionem ejus, majoremque unionem cum Christo ; sed ordinantur ad speciales effectus, propter quos conferunt specialia auxilia, et aliquod augmentum gratiæ : at vero hoc sacramentum per se primo ordinatur ad perficiendam unionem cum Christo et cum corpore ejus."

Hunc præstantissimum Eucharistiæ effectum, non obscure Christus ipse indicavit dicens : "Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem in me manet et ego in illo :"—et ex ipsa natura sacramenti hujus innotescit. Hic enim non per elementum, quod nobis applicatur, Christus nos sanctificat, sibique nos unit ; sed ipse per se sub signis sacramentalibus ad nos venit, ipse nobis se conjungit, et nobiscum veluti commiscet.—Et si Christus sacramentum hoc ad modum cibi et potus instituit, ut in effectibus alimoniæ corporalis adumbratos aliquo modo intelligeremus mirabiles effectus alimoniæ hujus spiritualis in anima ; quis dubitabit quin sicut proprium alimenti est, quod alito tam intime uniatur, ut in ejus substantiam convertatur et unum fiat cum illo, ita, prout fieri potest, alimentum hoc cœleste, quod suscipimus,

[1] In 3. S. Thomæ, disp. 63. sect. 1. n. 3.

nobis arctissime conjungatur, ac proinde per caritatem efficiat ut et nos cum illo in unum veluti coalescamus.

Illustrat S. Cyrillus Alex. (l. 4. in Joan. c. 17.) unionem quæ inter nos et Christum per Eucharistiam perficitur, vulgata sed pulcherrima similitudine: "Sicut si quis," inquit, "ceræ liquefactæ aliam ceram infuderit, alteram cum altera per totum commisceat necesse est, sic qui carnem et sanguinem Domini recipit, cum ipso ita conjungitur, ut Christus in ipso et ipse in Christo inveniatur."

Et egregie S. Chrysostomus (in Joan. homil. 46. al. 45. n. 4.) ejusdem unionis rationem reddens: "Si quis," inquit, "in liquefactum aurum manum vel linguam injiciat, si tamen id fieri possit, statim inauratam reddit; id proposita mysteria longe melius animæ præstant. Fluvius enim igne ferventius ebullit; at non urit, sed abluit tantum. . . . . Qui hujus sanguinis participes sunt, cum Angelis stant et Archangelis et supernis potestatibus, regia Christi stola induti et armis spiritualibus instructi. Sed nihil magnum hactenus dixi: nam ipso sunt induti rege."

Verum enimvero, quum Eucharistia intime Christo nos caritate conjungat, membris corporis ejus mystici pariter nos coagmentet oportet, et ideo hic est etiam sacramenti altaris fructus primarius.

Præterea, Eucharistia apponitur in Ecclesia ut *convivium*, et convivæ ad communem mensam assidere debent amore conjuncti. Quare Apostolus fidelibus caritatem maximopere commendans, ad Eucharistiam appellabat dicens (I. ad Cor. x. 17.): "Quoniam unus panis, unum corpus multi sumus, omnes qui de uno pane participamus."

Ipsa materia, ex qua sacramentum conficitur, hoc vinculum amoris, quod Christifideles vincire debet, insinuat, ut docent Patres.—Sic, ad exemplum, S. Joannes Chrysostomus (hom. 24. in I. ad Cor. num. 2.), ait: "Sicut panis ex multis granis constans unitus est, ita ut grana nusquam appareant, sed sint quidem ipsa, non manifesta autem illorum sit differentia propter conjunctionem: sic nos et mutuo et cum Christo conjungimur. Non enim ex altero corpore hic, ex altero ille nutritur, sed ex eodem ipso omnes. Ideo adjecit: 'Omnes enim ex uno pane participamus.' Si autem ex eodem, et idipsum efficimur omnes, cur non eamdem caritatem exhibemus, et ea ratione unum efficimur? Nam

olim, majorum nostrorum tempore, hoc erat: 'Multitudinis enim credentium,' inquit, 'cor unum et anima una erat.'"

Et S. Augustinus (serm. 272. ad infantes): "Dominus Christus . . . . mysterium pacis et unitatis nostræ in sua mensa consecravit. Qui accipit mysterium unitatis, et non tenet vinculum pacis, non mysterium accipit pro se, sed testimonium contra se." Idem S. Doctor, in admirationem raptus significationis et efficientiæ hujus mysterii, exclamabat (in Joan. Tract. 36. n. 13.): "O sacramentum pietatis, o signum unitatis, o vinculum caritatis!"—Quam doctrinam, Concilium Tridentinum iterum inculcavit, (sess. 13. cap. 1.) docens: "Salvatorem nostrum in Ecclesia sua Eucharistiam tamquam symbolum reliquisse ejus unitatis et caritatis, qua Christianos omnes inter se conjunctos et copulatos esse voluit."

2.—*Peccata venialia dimitti* per susceptionem sacramenti Eucharistiæ indubium est. Id Patres tradunt cum dicunt per communionem *detergi maculas, quæ sunt in anima, eamque splendidissimam fieri, ac totam inflammari*, vel Eucharistiam appellant *cœlestem medicinam;* quæ utique non mortuo vitam tribuit, sed viventi, infirmo tamen et languenti.—Concilium vero Tridentinum eamdem doctrinam confirmat, dum aperte docet sanctissimum sacramentum esse antidotum, quo liberamur a culpis quotidianis; et S. Thomas (3. quæst. 79. art. 4.) sic optime rationem considerat hujus effectus.

"In hoc sacramento," ait, "duo possunt considerari, scilicet ipsum sacramentum, et res sacramenti. Et ex utroque apparet quod hoc sasacramentum habet virtutem ad remissionem venialium peccatorum. Nam hoc sacramentum sumitur sub specie cibi nutrientis. Nutrimentum autem cibi est necessarium corpori ad restaurandum id quod quotidie deperditur per actionem caloris naturalis. Spiritualiter autem quotidie aliquid in nobis deperditur ex calore concupiscentiæ per peccata venialia, quæ diminuunt fervorem caritatis, ut in secunda parte habitum est, 2. 2. q. 24. a. 10. Et ideo competit huic sacramento ut remittat peccata venialia. Unde et Ambrosius dicit in lib. 5. de sacramentis, c. 4. [implic.], quod *iste panis quotidianus sumitur in remedium quotidianæ infirmitatis.* Res autem hujus sacramenti est caritas, non solum quantum ad habitum, sed etiam quantum ad actum, qui excitatur in hoc sacramento, per quem peccata venialia solvuntur. Unde

manifestum est, quod virtute hujus sacramenti remittuntur peccata venialia."

Hic S. Thomas duplicem rationem assignat, cur peccata venialia dimittantur ex susceptione sacramenti:—una est, quia Eucharistia per se, immediate, peccata illa remittit, cum supernaturaliter effectus operetur in anima, quos cibus corporis producit in corpore;—alia ratio est quia sacramentum habet ex se vim excitandi actualem caritatis fervorem, per quem peccata venialia remittuntur. Nequit ergo attribui S. Thomæ sententia, quam ipse non docuit, nempe per hoc sacramentum non remitti peccatum veniale, *nisi mediante* actu caritatis formaliter illi repugnante.

3.—*Eucharistia, ut est sacramentum, prodest ad remissionem pœnæ temporalis,* quæ peccato remisso adhuc debetur, *quamvis ex opere operato remissionem hanc non tribuat.* Id communiter tenent theologi, sequentes doctrinam Angelici, qui ait (3. q. 79. a. 5.): "Ut sacramentum, habet [Eucharistia] effectum dupliciter: uno modo *directe ex vi sacramenti;* alio modo *quasi ex quadam concomitantia.* . . . Ex vi quidem *sacramenti directe* habet illum effectum ad quem est institutum. Non est autem institutum ad satisfaciendum, sed ad spiritualiter nutriendum per unionem ad Christum, et ad membra ejus, sicut et nutrimentum unitur nutrito. Sed quia hæc unitas fit per caritatem, ex cujus fervore aliquis consequitur remissionem non solum culpæ, sed etiam pœnæ; inde est quod *ex consequenti per quamdam concomitantiam* ad principalem effectum homo consequitur remissionem pœnæ, non quidem totius, sed secundum modum suæ devotionis et fervoris."

4.—*Eucharistia contra tentationes nos roborat, concupiscentiam minuit, atque copiosas gratias nobis confert ad vitanda peccata et ad omnium virtutum actus excercendos.*—Eucharisticæ alimoniæ hos esse effectus Christus ipse patefecit. Nam, ut Eucharistiæ præstantiam Christus nobis ostenderet, comparationem (Joan. 6.) inter eam instituit et manna, dicens, antiquos Patres panem quidem de cœlo descendentem manducasse, sed tamen a Deo defecisse et spiritualiter mortuos esse; panem autem vivum a se dandum præstantiorem effectum producturum esse, *ut si quis ex ipso manducaverit, non moriatur,* id est, per peccatum a Deo non deficiat, et spiritualem mortem non incurrat: quibus verbis sat luculenter declaratur, per Eucharistiam homines a peccatis præservari, atque contra

carnis, mundi dæmonisque omnes tentationes ita muniri, ut bonum certamen certantes, ad immarcescibilem gloriæ coronam valeant pervenire.

Nec minus diserte eamdem veritatem Magister divinus docuit cum diceret in eadem mysterii promissione (v. 58.): "Sicut misit me vivens Pater, et ego vivo propter Patrem: et qui manducat me, et ipse vivet propter me."—Si ergo vitam supernaturalem, divinam, quam nobis Filius Dei promittit, per Eucharistiam custodimus, fovemus, perficimus; copiosa auxilia ad supernaturalium virtutum actus exercendos, atque ad pericula spiritualis interitus vitanda per Eucharistiam nobis certo impertiri fatendum est.

Patres suavissimos hos Eucharistiæ fructus commemorant, atque declarant.—S. Ignatius Martyr (Ep. ad Ephes. num. 20.) Eucharistiam nominat, "pharmacum immortalitatis et antidotum, ne moriamur, sed semper vivamus in Jesu Christo." Clemens Alex. (Pædagog. l. 2. p. 2.) dicit: "Eucharistia bona est gratia, cujus qui per fidem sunt participes, sanctificantur et corpore et anima." Tertullianus (lib de resur. n. 8.) ait: "Caro corpore et sanguine Christi vescitur, ut et anima de Deo saginetur." Et ne nimii simus, his addimus tantum S. Jo. Chrysostomum, S. Cyrillum Alexandrinum et S. Bernardum.

Itaque S. Chrysostomus (h. 46. al. 45. in Jo. n. 3.) ait: "Ab illa ergo mensa recedamus tanquam leones ignem spirantes, diabolo terribiles, cogitantes, quod [Christus] sit caput nostrum, et quantam nobis dilectionem exhibuerit. Parentes sæpe liberos suos aliis alendos tradunt, ego e contra carnibus illos meis alo, me ipsum appono: vos omnes nobiles esse volo et bonam de futuris spem adfero. Nam qui in hac vita se vobis tradidit, multo magis in futura favebit. . . . . . Hic sanguis in vobis regiam floridamque exhibet imaginem, pulcritudinem parit incredibilem, animæ nobilitatem marcescere non sinit, dum frequenter irrigat et nutrit. Sanguis enim non statim in nobis fit ex cibo, hic vero sanguis confestim irrigat animam, et magnam vim indit. . . . Hic sanguis salus animarum nostrarum est; hoc abluitur anima, hoc ornatur, hoc incenditur, hic igne splendidiorem mentem nostram reddit. . . . Ex hac mensa fons scaturit fluvios emittens spirituales. Ad hunc fontem eriguntur non salices infructuosæ, sed arbores ad ipsum cœlum pertingentes, quæ fructus semper producunt tempestivos, qui numquam marcescunt. Si quis æstuat, hunc adeat fontem, et ardorem temperet. Nam

æstum fugat, et adusta omnia refrigerat, non quæ e solis ardore æstuant, sed quæ igneis sagittis exusta sunt. Supernum enim habet principium et radicem, unde et irrigatur. Ex hoc fonte multi rivi manant, quos emittit Paracletus, Filiusque mediator est, non bidente viam parat, sed affectum nostrum aperit. Hic fons lucis est, veritatis radios diffundens."

S. Cyrillus Alexandrinus (comm. in Joan. VI. 57.), ait: "Quare pie apud te statuas, recte honesteque degere, atque ita Eulogiæ particeps fias, credens eam non mortis solum, verum etiam morborum nostrorum depellendorum vi pollere. Christus enim existens in nobis sopit sævientem in nostris membris carnis legem, et pietatem in Deum exsuscitat, perturbationes mortificat, delicta, in quibus sumus, nobis non imputans, sed potius ut ægrotos sanans. Confractum enim alligat, erigit lapsum ceu bonus pastor, et qui animam suam ponit pro ovibus suis."

S. Bernardus (serm. de cœna Domini, n. 3.) inquit: "Duo sacramentum [Eucharistiæ] operatur in nobis, ut videlicet et sensum minuat in minimis, et in gravioribus peccatis tollat omnino consensum. Si quis vestrum non tam sæpe modo, non tam acerbos sentit iracundiæ motus, invidiæ, luxuriæ aut ceterorum hujusmodi, gratias agat corpori et sanguini Domini, quoniam virtus sacramenti operatur in eo, et gaudeat, quod pessimum ulcus accedat ad sanitatem."

5.—*Eucharistiam gloriosæ corporis resurrectionis et futuræ gloriæ pignus tribüere* iis, qui eam digne sumpserint in hac terrena peregrinatione, jam patet ex dictis: sed et id dignatus est, immensa benignitate sua, Christus aperte nobis promittere, dicens (Joan. VI. 55.): "Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, habet vitam æternam, et ego resuscitabo eum in novissimo die."—Quibus verbis intelligere debemus resurrectionem gloriosam, et vitam corporis immortalem, non ea tantum ratione huic sacramento attribui, quia, nempe, confert gratiam, quæ semen est gloriæ; id enim commune esset omnibus sacramentis;—sed quia immortalitas et gloria corporis speciales veluti effectus sunt hujus sacramenti, qui digne communicantibus certius et gloriosius conferuntur, propter specialem conjunctionem, quam fideles, ex salutari Eucharistiæ susceptione, cum Christo Jesu acquirunt.

Christus namque, ut merito adnotat Franzelin (de Euch. p. 286.) "ipsam carnem eorum qui digne suscipiunt sacramentum, tamquam contactu suæ sanctissimæ carnis consecratam considerat ut carnem

suam speciali affinitate. Quamvis enim corpora nostra, quamdiu per statum gratiæ templa sunt Spiritus Sancti, sint per hoc ipsum membra Christi, de ossibus ejus et de carne ejus, ex quo tempore ipse naturam nostram per incarnationem fecit suam et participavit carni et sanguini nostro (I. Cor. VI. 15–19.; Ephes. V. 30.; Hebr. II. 14.); hæc tamen mystica unitas carnis nostræ cum carne Christi suam pleniorem consummationem et velut sacramentalem consecrationem accipit per conjunctionem glorificati corporis et sanguinis ejus cum ipsis corporibus nostris, in qua conjunctione celebrantur nuptiæ Agni cum sponsa sua Ecclesia adhuc peregrinante in membris singulis, quæ jucundiores et plenioris unitionis solum celebrabuntur in patria (Cf. Apoc. XXI. 2. 3.)."

Hinc Patres Eucharistiam celebrant ut semen quoddam immortalitatis, quod in carne nostra corruptibili deponitur, et in ea crescit, eamque veluti in incorruptibilem substantiam transmutat et in futura resurrectione "configuratam corpori claritatis Christi" gloria coronat.

Magnifice rem declarat S. Cyr. Alex. (In Jo. l. 4. Migne p. 578.): "Itaque [Christus] non solo verbo mortuos excitari vult, sed ut ostendat vivificum esse suum corpus, ut jam antea diximus, mortuos tangit, et per ipsum vitam jam corruptis immittit. Quod si solo tactu sanctæ carnis id quod corruptum est vivificatur, quomodo vivificam illam eulogiam non uberiorem consequemur, cum eam quoque degustabimus? In suum enim ipsius bonum, hoc est immortalitatem, nos qui participes ejus fuerimus, omnino transformabit. Neque vero eam ob rem mirari velis, aut Judæorum more apud te, *quomodo*, quærere: sed cogita potius, aquam natura sua frigidam esse, sed in lebetem infusam, cum igni admota fuerit, tum suæ propemodum naturæ immemorem, in potioris virtutem migrare: eodem quoque modo nos, licet ob carnis naturam corruptibiles simus, verumtamen, mixtione veræ vitæ, deposita nostra infirmitate, ad id quod proprium illius est, reformari, id est, vitam. Oportebat enim, oportebat non solum per Sanctum Spiritum in vitæ novitatem animam reformari, sed et crassum ac terrenum corpus hoc crassiore et cognata participatione sanctificari, et ad incorruptionem vocari."

PARS TERTIA

DE EUCHARISTIA PROUT EST SACRIFICIUM

ARTICULUS PRIMUS

De sacrificio generatim inspecto.

Tertiam hujus tractatus partem aggredientes, quæ spectat Eucharistiam ut est sacrificium, nonnulla de sacrificio generatim attingere opportunum esse ducimus.

Itaque, sacrificii nomen, a sacro faciendo derivatum, dupliciter usurpari potest, lata nempe et stricte sumpta significatione. *Lato sensu* sacrificium vocatur quodcumque opus, immo quilibet actus sive internus, sive externus elicitus in honorem Dei. Ita S. Aug., in opere de Civitate Dei (l. 10. c. 6.) : "Verum sacrificium," inquit, "est omne opus quod agitur, ut sancta societate inhæreamus Deo ;" et S. Thomas (3. qu. 22. a. 2.) ait : "Omne illud quod Deo exhibetur ad hoc ut Spiritus hominis feratur in Deum potest dici *sacrificium*."

Hoc sensu pluribus in locis Sacræ Litteræ loquuntur. In Ps. XLIX. 14. legitur : "Immola Deo sacrificium laudis." Et Ps. L. 19. : "Sacrificium Deo spiritus contribulatus." In libro Ecclesiastici (XXXV. 2.) : "Sacrificium salutare est attendere mandatis, et discedere ab omni iniquitate ;" et (vers. 4.) : "Qui facit misericordiam offert sacrificium."—Confer Sap. III. 6. ; ad Rom. XII. 1. ; ad Heb. XIII. 16.

Stricto autem *sensu* sacrificium est *specialis et præcipuus religionis actus*, a ceteris aliis plane distinctus :—quare falsa prorsus censenda est definitio sacrificii proprie dicti, quæ a Philippo Melancthone in defensione Confessionis Augustanæ proponebatur, nimirum : "Est cœremonia vel opus quod nos Deo reddimus, ut eum honore afficiamus ;"—falsum est assertum Calvini (lib. 4. Inst. cap. 18.) : "Nos perpetuo Scripturæ usu sacrificium appellari scimus . . . quidquid omnino Deo offertur."

Et re quidem vera, facile ostenditur tum *ex communi hominum consensu, tum ex Sacris Litteris*, præter generalem et latissimam significa-

tionem, qua sacrificium vocamus omne opus bonum in Dei honorem exhibitum ; alteram esse stricte sumptam, specialem et unius boni operis tantum propriam, secundum quam sacrificium nominamus, atque illud ab aliis religionis actibus plane discernimus.

Nam si *communem hominum consensum* attendimus, nulla umquam gens tam barbara inventa est, quæ non habuerit distinctum a ceteris quemdam actum religiosum, præcipuum, publicum, ad placandum Numen ; simulque non habuerit ministros specialiter deputatos, quibus solis potestas tribuebatur illum religionis actum perficiendi. Porro et hi sacerdotes appellati fuerunt, et actus ille religionis præcipuus sacrificium.

Si vero *Sacras Litteras* consulamus clarissime inveniemus *sacrificium* proprie et stricte dictum ab aliis distinctum, quæ late et minus proprie sacrificia vocant.

Etenim 1.—Scripturæ multarum virtutum actus sacrificiis opponunt ; sed quæ opponuntur, procul dubio distinguuntur : ergo Scriptura sacrificium proprie dictum distinguit ab aliis religionis actus, quos etiam, sed minus proprie, sacrificia appellat. Minor est patens, et Major constat ex Scripturis, ubi, ex. gr. Osee. VI. 6. legimus : "Misericordiam volui et non sacrificium ;" et in I. Reg. XV. 22. : "Melior est obedientia quam victimæ."—Dicant adversarii quomodo Deus velle posset misericordiam et non sacrificium, si ipsa misericordia est verum et proprie dictum sacrificium ; quomodo melior sit obedientia quam victimæ, si ipsa obedientia vere ac proprie victima est ?

2. Si omne opus bonum in honorem Dei peractum esset, ut adversarii contendunt, juxta Scripturas, verum et *proprie dictum sacrificium* id in sola operantis actione consistere posset, adeo ut qui voce psallit, aut genua flectit, aut alia hujusmodi operaretur, verum et proprie sumptum sacrificium offerret.—Sed juxta Scripturas verum sacrificium in sola operantis actione consistere non potest ; nam ad illud perficiendum res aliqua requiritur externa ac sensibilis, et quidem aliquo modo, ut inferius declarabitur, immutanda per sacrificium. Ergo.—Minor probatur ex Genesis XXII. 7. "Ecce ignis et ligna," dicebat Isaac Abrahamo patri suo "ubi est *victima* holocausti ?"—Et Paulus Apostolus apertissime in Ep. ad Heb. VIII. 3., ait : "Omnis enim Pontifex ad offerendum munera, et hostias constituitur : unde *necesse est et hunc habere aliquid, quod offerat.*"

3. Insuper, bona opera perficere, actus virtutum elicere, omnes valent et debent; ac proinde si quibuslibet operibus bonis, si quocumque virtutis actu verum et proprium offerretur Deo sacrificium, omnes hoc sacrificium offerre Deo possent, immo et tenerentur.—Atqui ex sacris litteris contrarium evidenter constat. Ergo.

Minor multipliciter comprobatur.—Populo Judaico semel constituto, una sola tribus speciali modo Deo consecratur, et ex hac tribu, una tantum familia, quæ sola sacrificia offerret. Numeri III. 3.: "Hæc nomina filiorum Aaron sacerdotum, qui uncti sunt, et quorum repletæ et consecratæ manus ut sacerdotio fungerentur."—Si alii in hoc ministerium se ingerebant, jam non actus cultus Deo offerrebant, sed iram Dei vindicem super se provocabant. Leviticus XVII. 8. 9.: "Et ad ipsos dices: Homo de domo Israel, et de advenis, qui peregrinantur apud vos, qui obtulerit holocaustum, sive victimam, et ad ostium tabernaculi testimonii non adduxerit eam, ut offeratur Domino, interibit de populo suo."—Quin de Saul dicam, qui eo quod sacrificium Deo obtulerit absente sacerdote, rejectus a Deo fuit et regno privatus (I. Regum XIII. 9–13.); Ozias rex, cum non esset sacerdos et tamen sacrificium offerre voluerit, a Deo lepra, ut omnibus esset ad exemplum, percussus fuit. II. Paralip. XXVI. 16–19.: "Sed cum roboratus esset, elevatum est cor ejus in interitum suum, et neglexit Dominum Deum suum; ingressusque templum Domini, adolere voluit incensum super altare thymiamatis. Statimque ingressus post eum Azarias sacerdos, et cum eo sacerdotes Domini octoginta, viri fortissimi, restiterunt regi, atque dixerunt: Non est tui officii, Ozia, ut adoleas incensum Domino, sed sacerdotum, hoc est, filiorum Aaron, qui consecrati sunt ad hujuscemodi ministerium: egredere de sanctuario, ne contemseris, quia non reputabitur tibi in gloriam hoc a Domino Deo. Iratusque Ozias, tenens in manu thuribulum, ut adoleret incensum, minabatur sacerdotibus. Statimque orta est lepra in fronte ejus coram sacerdotibus in domo Domini super altare thymiamatis."—Quare Apostolus absolute proclamat, (Heb. v. 1–4.): "Omnis namque Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis quæ sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis. . . . Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo, tamquam Aaron."

Maneat igitur certissime demonstratum, *sacrificium*, proprie dictum,

esse a quovis alio religionis actu distinctum, qui nonnisi lato sensu sacrificium appellari potest. Hanc ob causam *verum et proprie dictum sacrificium* sine addito nominatur, dum alii religionis actus, immo virtutum omnium actus, sive externi, sive interni, qui in gloriam Dei perficiuntur, etsi sacrificia etiam vocentur, additum tamen accipiunt ut a *vero sacrificio* distinguantur, et in seipsis determinentur: dicuntur, enim *sacrificia laudis, sacrificia spiritus contribulatus, hostiæ vociferationis, spirituales hostiæ.*

Sed jam ulterius procedentes, inquiramus oportet quid sacrificium proprie dictum essentialiter constituat, ac proinde quomodo definiri debeat?—Hanc autem quæstionem ut rite solvamus, distinguere in primis debemus illud quod est de primaria ratione, seu de essentia omnis sacrificii proprie dicti, ab eo quod de facto in omni vero sacrificio invenitur post lapsum Adæ.

Si primum inquirimus, sacrificium definiri potest: "Oblatio rei sensibilis soli Deo facta, per realem vel æquivalentem destructionem ejusdem rei et in signum legitime institutum ad supremum Dei in nos dominium recognoscendum." Illis verbis "oblatio rei sensibilis Deo soli facta" genus proximum sacrificii significatur;—aliis vero verbis differentia specifica exprimitur, qua sacrificium proprie dictum ab aliis oblationibus Deo factis distingui debet.

Et sane, *quod ad genus proximum attinet*, dum dicimus sacrificium esse "oblationem rei sensibilis soli Deo factam," eo ipso dicimus:—1. illud esse actum religionis, seu pertinentem ad Dei cultum, ac proinde determinamus cujusnam cultus sit actus; significamus, nempe, non *civilis cultus*, non cultus *religiosus inferioris ordinis*, seu *duliæ*, aut *hyperduliæ* propter supernaturalem quidem, at creatam tamen excellentiam; sed actum esse *latriæ*, quæ nonnisi Deo debetur propter increatam, et infinitam ejus excellentiam:—2. sacrificium esse actum cultus erga Deum, non internum tantum, sed externum:—3. sacrificium distinguimus ab omnibus actibus cultus externi erga Deum, qui in sola operantis actione consistunt, ut est, ex. gr., adoratio externa.

Verum hæc verba: "Oblatio rei sensibilis soli Deo facta," non sufficiunt ad sacrificium definiendum, nam per ea non distingueretur sacrificium ab aliis oblationibus, quæ soli Deo utique offerebantur, et tamen sacrificia non erant.

Ratio ergo *specifica* sacrificii in hoc est, quod offeratur ad *agnitionem supremi Dei dominii in nos*, idest, *in vitam et mortem nostram*:—et hac ratione sacrificium proprie dictum ab oblationibus distinguimus, quæ significabant Dei dominium *in res omnes* in potestate nostra positas, non autem formaliter dominium Dei in *nos ipsos* et *in vitam nostram*. Per *simplicem oblationem* agnoscimus dominium Dei universale, et ideo res aliquas Deo offerimus, ut denotemus earum et reliquarum omnium, quas possidemus, ipsum potius quam nos dominum esse:—per *sacrificium* vero, proprie dictum, agnoscimus Deum esse auctorem vitæ et mortis, cujus placitu omnes res sunt, ac in esse conservantur; et ideo, in sacrificio, realiter vel æquivalenter destruimus rem, quam Deo offerimus, ut significemus vitam nostram ab ejus nutu ita pendere, nosque pro nutu voluntatis divinæ ita destrui posse, sicut res oblata in sacrificium immutatur a nobis.

Ab hac significatione sacrificii aliena profecto non est altera, quam Cardinalis de Lugo his verbis proposuit:—"Mihi semper placuit ratio," inquit,[1] "quam insinuavit Eusebius libro 1. de Demonstrat. capite ult. dicens: 'Hominem debere vitam suam Deo in sacrificio; quia tamen hoc non expedit, ideo lege naturæ introductum fuisse, ut in sacrificium animale, vel aliquid ejusmodi commutaretur.' Quasi dicat, sacrificium esse protestationem, qua homo profitetur se habere totum suum esse a Deo, et ideo dignum esse Deum, in cujus honorem et cultum idem esse et eadem vita consumatur et destruatur; quod quia regulariter non licet, offertur, pro vita propria, vita seu entitas alterius rei, protestando eodem modo nostram vitam oblaturos, si liceret et oporteret."

In definitione diximus sacrificium offerri Deo ad agnitionem supremi ejus dominii in nos; addidimus tamen id fieri *per signum legitime institutum*. Ratio est quia sacrificium est *signum ad placitum* ad significandum, per destructionem rei sacrificatæ, supremum in nos dominium Dei; et quamvis destructio ipsa rei *habeat secundum se quamdam congruitatem ad illud* significandum, non est tamen ad hujusmodi dominium Dei profitendum *signum naturale*, sed indifferens ad significandum hoc vel aliud; ac proinde debet a *legitima auctoritate* assumi, ut hujuscemodi protestationis determinatam significationem habeat. "Sicut vox *homo*," merito Card. de Lugo (l. c. n. 11.) animadvertit, "non potest privata alicujus

[1] De Euch. disp. 19. sect. 1. n. 5.

voluntate accipere vim significandi hominem, sed necessaria est ad hoc institutio communis, vel alicujus habentis plusquam privatam auctoritatem: sic occisio ovis, e. g. non videtur posse fieri signum sufficienter significans talem, vel talem reverentiam, ex sola unius vel alterius privata voluntate. Nam si aliquis nunc vellet abscindere arborem, vel putare vites, ut significaret per illam destructionem idem quod significatur per occisionem ovis, nemo diceret illum vere et realiter sacrificare; quia illa abscissio arboris non est assumpta publice ad hoc significandum sicut occisio ovis: non ergo potest reperiri vera . . . ratio sacrificii sine auctoritate publica illud instituentis, quia sacrificium . . . . . . est signum humanum politicum, et in ordine ad commercium humanum, sicut voces, quo homo significet suam protestationem, etc. et per consequens debet uti signo habente ex institutione publicam vim et potestatem significandi."

Hæc autem, quæ clare ostendunt necessitatem legitimæ institutionis ad verum sacrificium constituendum, homines spectant in quadam societate, saltem domestica et patriarchali coadunatos: nam, si supponerentur homines omnino solitariam vitam agentes, et nulli societati politicæ tamquam membra adhærentes, possent, ut videtur, auctoritate privata eligere signum protestativum divini dominii in vitam et in mortem, quodque veri et proprie dicti sacrificii rationem haberet.

Ex hucusque adnotatis facile deducitur:

1.—De essentia sacrificii esse realem, vel æquivalentem destructionem rei, quæ Deo offertur ad agnoscendum supremum ejus dominium in vitam et mortem nostram.

2.—Non esse de essentia sacrificii, quod fiat per destructionem *rei quæ nobis* substituatur; essentia enim sacrificii omnino salvaretur, si *vita nostra* sacrificaretur, supposito quod liceret et expediret.

3.—Sacrificium in genere esse de lege naturæ, quia lumine ipso naturali homines inclinantur ad assumenda signa quædam congrua in recognitionem supremi Dei dominii in nos; quæ tamen signa a publica auctoritate determinari deberent, ut pro hominibus in societate constitutis vera et proprie dicta sacrificia forent. Cf. S. Th. 2. 2. q. 85. a. 1.

4.—Sacrificium oblatum Deo falso veram proprie dicti sacrificii rationem habere. Nec valet, quod objici posset, nempe sacrificium esse signum significans excellentiam Dei cui offertur ergo si hæc excellentia

non inveniatur in eo cui offertur, non erit verum signum, sed falsum. Hanc difficultatem optime solvit Cardinalis de Lugo (loc. cit. nu. 13.) dicens: "Respondeo distinguendo consequens: non erit verum veritate transcendentali et essentiali, nego; non erit verum veritate formali, concedo. Aliud enim est, quod sit verum signum, idest, habens ea quæ vere requiruntur ad significandum; aliud, quod significet vere, id est, ea, quæ significat, ita sint a parte rei; potest enim aliquid esse vere et essentialiter signum, et tamen significare aliquid falsum, sicut hæ voces; *Antichristus existit*, vere significant Antichristum existere: alioquin vere non esset propositio; sed tamen est propositio falsa; quia id quod significant non ita se habet a parte rei. Ita sacrificium vere significat illum, cui offertur, habere excellentiam; si tamen illa excellentia non sit prout significatur, significabitur falso. Habet igitur tunc sacrificium veritatem transcendentalem et essentialem sacrificii; non tamen veritatem formalem, quæ consistit in conformitate cum re significata."

5.—Demum ex principiis antea declaratis deducitur mortem martyrum non fuisse proprie dictum sacrificium; quia etsi, quoad martyrum intentionem attinet, mors illa fuerit in cultum Dei, et ad protestationem divini dominii in vitam ac mortem; attamen in signum ex legitima auctoritate instituta non fuerat.—E contra mors Christi ideo verum potuit esse sacrificium, quia ex institutione divina potuit illam divinam excellentiam atque potestatem significare:—et similiter sacrificium eucharisticum ex publica Christi institutione hanc accepit significationem.

Hucusque declaravimus, quæ essentialiter sacrificium constituunt:—at si sacrificia spectamus, quæ in statu naturæ lapsæ offeruntur, præter ea, quæ dicta sunt, agnitionem involvunt culpæ ex parte hominis, et necessariæ expiationis ad placandum Deum offensum.

Porro, notæ, quas sacrificio proprie dicto competere diximus, quasque aliis religionis actibus non convenire manifestum est, inveniuntur clarissimæ in omnibus proprii nominis sacrificiis, tum apud ethnicos, tum apud populum Dei electum.

Etenim 1. apud ethnicos, constat *a*) sacrificium semper habitum fuisse ut actum supremi cultus oblatum eis, quos gentiles finxerant sibi deos. "Quis sacrificandum censuit," ait S. Aug. (de Civ. Dei, l. 10. c. 4.), "nisi ei, quem Deum aut scivit, aut putavit, aut finxit?"—*b*) Sacrificium semper agnitum fuisse ut publica auctoritate institutum ad significandum,

per destructionem victimæ, dominium Numinis in vitam et mortem hominis, necnon necessitatem placandi numen offensum.[1] Latinus vates id pulchre expressit, dicens :

"Cor pro corde precor, pro fibris sumite fibras
Hanc animam vobis pro meliore damus."
Ov. *Fast.* VI. 161.

2. Apud populum, qui verum Deum colebat, sacrificium fuisse oblatum in agnitionem supremi ejus in nos dominium et ad significandum nos esse peccato obnoxios, mortis reos, ac necessariam indigere delicti expiationem, patet ex tota historia Veteris Testamenti.—Jam inde ab originibus humani generis, cum patriarchæ, ait Eusebius,[2] "divino Spiritu illustrati viderent, magno sibi opus esse obsequio ad suorum humanorum delictorum purgationem, pretium pro salute sua ei, qui vitam atque animam præbuisset, se debere putabant. Sed cum nihil præstantius aut pretiosius anima sua haberent, quod dicarent, pro hac interim brutorum animalium vitam offerebant, pro sua anima sacrificia suæ vitæ vicaria (*ἀντιψυχα*) offerentes."

In lege vero Mosaica, sacrificia primaria, ut erant sacrificia animalium, offerebantur Deo effusione sanguinis, et consumptione per ignem ; sacrificia vero incruenta, quæ subordinata cruentis erant, eisque veluti adjuncta, destructione etiam rei oblatæ offerebantur. Nec a sacrificiis proprie dictis excipi debet, ut concludunt nonnulli doctores, oblatio panum propositionis ; nam et hi etiam in gloriam Dei, et eadem significatione ac cetera proprie dicta sacrificia destruebantur. Etenim quoad illos panes, hic erat ritus oblationis præscriptus a Domino (Lev. XXIV. 5–9.) : "Accipies quoque similam, et coques ex ea duodecim panes, qui singuli habebunt duas decimas, quorum senos altrinsecus super mensam purissimam coram Domino statues : et pones super eos thus lucidissimum, ut sit panis in monimentum oblationis Domini. Per singula sabbata mutabuntur coram Domino suscepti a filiis Israel fœdere sempiterno : eruntque Aaron et filiorum ejus, ut comedant eos in loco sancto : quia Sanctum Sanctorum est de sacrificiis Domini jure perpetuo."—Ex quo

1) Non est opus ut exemplis confirmemus quod hic affirmamus de natura sacrificiorum apud gentiles. Huic rei notissimæ testimonium reddidit ipse Voltaire, inquiens : "De tant de religions différentes, il n'en est aucune qui n'ait pour but principal *les expiations*. L'homme a toujours senti qu'il avait bésoin de clemence.—Voltaire, *essai sur les mœurs* ch. 120.

2) Demonst. evang. l. 1. c. 10.

ritu constat panes propositionis,—qui cum thure superposito sicut unum considerari debent,—non minus quam cetera sacrificia fuisse destructos in honorem Dei, cum singulis sabbatis et thus panibus impositum in altari aureo cremabatur, et panes ipsi *manducatione sacra* ad destructionem rei Deo consecratæ consumebantur,—"eruntque Aaron et filiorum ejus, ut comedant eos, in loco sancto: quia Sanctum sanctorum est de sacrificiis Domini jure perpetuo."

In iisdem sacrificiis Mosaicis, ad significandam pro nobis substitutionem victimæ, ritus impositionis manus super caput ejusdem victimæ adhibebatur.' In libro Lev. I. 3. 4. legimus: "Si holocaustum fuerit ejus oblatio, ac de armento: masculum immaculatum offeret ad ostium tabernaculi testimonii, ad placandum sibi Dominum: ponetque manum super caput hostiæ, et acceptabilis erit, atque in expiationem ejus proficiens." Et eodem modo pro aliis sacrificiis ritus ille describitur Lev. III. 2. 8. 13.; IV. 4. 15. 24. 29. 33. etc.

Apertissime vero hæc ratio substitutionis pro nobis victimæ, quæ Deo offertur, declaratur in ritibus descriptis Lev. XVI. Ibi statuitur quando et quomodo sacerdos potuerit ingredi Sanctuarium, ipsum mundare una cum tabernaculo et altari, et celebrare festum expiationis: et ibi (vv. 20–23.) legitur: "Postquam emundaverit sanctuarium, et tabernaculum, et altare, tunc offerat hircum viventem: et posita utraque manu super caput ejus, confiteatur omnes iniquitates filiorum Israel, et universa delicta atque peccata eorum: quæ imprecans capiti ejus, emittet illum per hominem paratum, in desertum. Cumque portaverit hircus omnes iniquitates eorum in terram solitariam, et dimissus fuerit in deserto, revertetur Aaron in tabernaculum testimonii."

Itaque sacrificia omnia V. L. notas essentiales exhibent, quas pro vero et proprie dicto sacrificio superius descripsimus, nempe oblationes semper fuerunt Deo factæ, juxta legitimam institutionem, ad recognoscendum, per realem aut saltem æquivalentem rei oblatæ destructionem, supremum Dei in nos dominium, debitum a nobis per culpam contractum erga divinam justitiam, et necessariam nobis expiationem.

In hac autem sacrificiorum omnium significatione continetur, ut patet, Dei *adoratio* et quidem perfectissima; ideoque in Scripturis nomine *adorationis* simpliciter, sacrificium designatur. Confer Gen. XXII. 5.; I. Reg. I. 3.; Joan. IV. 20. et seqq.—Præterea in omnibus illis sacri-

ficiis continetur etiam significatio *grati animi* erga Deum, expressio *pœnitentiæ* ad obtinendam peccati commissi remissionem, et protestatio *indigentiæ* nostræ, propter quam divinum imploratur auxilium. Sacrificia ergo illa erant laudis, gratiarum actionis et petitionis, seu in se continebant rationem sacrificii *latreutici, eucharistici, propitiatorii et impetratorii,* modo tamen una, modo altera ex his ratione prævalente, secundum specialem finem propter quem sacrificium offerebatur.

Quare S. Thomas, hunc varium finem spectans sacrificiorum distinguit (1. 2. q. 102. a. 3. ad 8.) in lege veteri,—*holocaustum, sacrificium pro peccato* et *hostiam pacificam.* "Triplex erat," inquit, "sacrificiorum genus : quoddam erat quod totum comburebatur ; et hoc dicebatur *holocaustum,* quasi *totum incensum.* Hujusmodi enim sacrificium offerebatur Deo specialiter ad reverentiam majestatis ipsius et amorem bonitatis ejus ; et conveniebat perfectionis statui in impletione consiliorum ; et ideo totum comburebatur, ut, sicut totum animal resolutum in vaporem sursum ascendebat, ita etiam significaretur totum hominem et omnia, quæ ipsius sunt, Dei dominio esse subjecta, et ei esse offerenda.—Aliud autem erat *sacrificium pro peccato,* quod offerebatur Deo ex necessitate remissionis peccati ; et conveniebat statui pœnitentium in satisfactione peccatorum ; quod dividebatur in duas partes : nam una pars ejus comburebatur, altera vero cedebat in usum sacerdotum, ad significandum quod expiatio peccatorum fit a Deo per ministerium sacerdotum ; nisi quando offerebatur sacrificium pro peccato totius populi, vel specialiter pro peccato sacerdotis ; tunc enim totum comburebatur. Non enim debebant in usum sacerdotum venire ea quæ pro peccato eorum offerebantur, ut nihil peccati in eis remaneret ; et quia hoc non esset satisfactio pro peccato. Si enim cederet in usum eorum pro quorum peccatis offerebatur, idem esse videretur ac si non offerretur.—Tertium vero sacrificium vocabatur *hostia pacifica,* quæ offerebatur Deo vel pro gratiarum actione, vel pro salute et prosperitate offerentium, ex debito beneficii, vel accipiendi, vel accepti ; et convenit statui proficientium in impletione mandatorum. Et ista dividebatur in tres partes : nam una pars incendebatur ad honorem Dei, alia pars cedebat in usum sacerdotum, tertia vero pars in usum offerentium, ad significandum, quod salus hominis procedit a Deo dirigentibus ministris Dei, et cooperantibus ipsis hominibus, qui salvantur. Hoc autem generaliter obser-

vabatur, quod sanguis et adeps non veniebant neque in usum sacerdotum, neque in usum offerentium ; sed sanguis effundebatur ad crepidinem altaris in honorem Dei, adeps vero adurebatur in igne. Cujus ratio una quidem fuit ad excludendam idololatriam. . . . Secunda ratio ad informationem humanæ vitæ. . . . Tertia vero ratio est propter reverentiam divinam. . . . et ideo ut ostenderetur, quod a Deo nobis est et vita, et omnis bonorum sufficientia, ad honorem Dei effundebatur sanguis, et adurebatur adeps. Quarta ratio est, quia per hoc figurabatur effusio sanguinis Christi ; et pinguedo caritatis ejus, per quam se obtulit Deo pro nobis."

ARTICULUS SECUNDUS

De ratione typica sacrificiorum Veteris Testamenti, et de cruento sacrificio Christi in cruce.

Ultima verba S. Thomæ, quæ in fine articuli præcedentis citavimus, declaratione indigent, ut appareat ratio typica sacrificiorum veteris legis, et intelligatur relatio quam habebant ad sacrificium cruentum, quod Dominus noster pro salute mundi obtulit in cruce. Id breviter præstabimus in præsenti articulo.

Sed in primis, ratio hæc typica veterum sacrificiorum jam ex eo apparet, quod tota œconomia Veteris Testamenti, et præsertim totus cultus externus, præfigurabat Novum Testamentum, novumque cultum, idest christianum. Cum ergo sacrificia pars essent et quidem præcipua cultus veteris, eis inesse debebat ratio typica, qua significabant sacrificium illud per quod solum condigna peccati expiatio fieri poterat, et mundus Deo reconciliari.

Hanc veritatem S. Paulus inculcat in Epistola ad Hebræos, in qua, præsertim cap. VIII. IX., et X. magnifice exponit significationes veterum sacrificiorum.—Ipsa constructio tabernaculi, ac templi a Deo præscripta, nec non totus ritus, quo sacrificia offerebantur in veteri lege, significabant, juxta doctrinam Apostoli, futurum sacrificium, quod Christus obtulit in cruce. Etenim sacrificia offerebantur in atrio, et non in interiori tabernaculo, quod erat "sanctum sanctorum :" in eo nonnisi semel in anno pontifex ingrediebatur inferens sanguinem sacrificii, "hoc sig-

nificante," ait Paulus (IX. 8. 9.) "Spiritu Sancto, nondum propalatam esse sanctorum viam, adhuc priori tabernaculo habente statum: quæ parabola [typus] est temporis instantis [præsentis], juxta quam munera et hostia offeruntur, quæ non possunt, juxta conscientiam, perfectum facere servientem." Et illo ritu non modo sacrificiorum Veteris Testamenti insufficientia significabatur, sed necessitas simul et efficacia repræsentabantur illius futuri sacrificii, quo Christus "per amplius et perfectius tabernaculum, non manufactum, id est non hujus creationis; neque per sanguinem hircorum aut vitulorum, sed per proprium sanguinem, introivit semel in Sancta, æterna redemptione inventa" (v. 11. 12.).

Eadem ratio typica in sacrificiis legis mosaicæ apparebat in repetitione incessanti sacrificiorum, quia singula non erant applicatio expiationis jam completæ, sed ostendebant necessariam esse futuram expiationem. "Umbram enim habens lex futurorum bonorum non ipsam imaginem rerum, per singulos annos eisdem ipsis hostiis, quas offerunt indesinenter, numquam potest accedentes perfectos facere; alioquin cessassent offerri, ideo quod nullam haberent ultra conscientiam peccati [pro quo non jam esset præstita satisfactio], cultores semel mundati.... Et omnis quidem sacerdos [Leviticus] præsto est quotidie ministrans et easdem sæpe offerens hostias, quæ numquam possunt auferre peccata: hic autem unam pro peccatis offerens hostiam, in sempiternum sedet in dextera Dei...... Una enim oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos" (ad Heb. x. 1–29.).

Demum antiqua sacrificia cum offerrentur ad sanctitatem legalem conferendam, per hanc præfigurabant sanctificationem internam, obtinendam vi sacrificii Christi; et sicut totum Testamentum Vetus cum hæreditate sua bonorum temporalium initiatum fuit sanguine typico sacrificiorum; et tabernaculum et vasa omnia, quæ Novi Testamenti Ecclesiam figurabant, consecrata fuerunt sanguine typico: ita his respondet, tamquam antitypus, initiatio Novi Testamenti et sanctificatio Ecclesiæ per sanguinem Christi, in sacrificium oblati pro peccatis hominum; ex quo sacrificio, tunc adhuc futuro, derivabatur pro Veteri etiam Testamento omnis gratia ad remissionem peccatorum et animæ sanctificationem. "Si enim sanguis hircorum et taurorum et cinis vitulæ aspersus inquinatos sanctificat ad emundationem carnis: quanto magis sanguis Christi . . . emundabit conscientiam nostram. . . . Et ideo Novi

Testamenti mediator est, ut morte intercedente in redemptionem earum prævaricationum, quæ erant sub priori Testamento, repromissionem accipiant, qui vocati sunt, æternæ hereditatis. Ubi enim testamentum est, mors necesse est intercedat testatoris. . . . . Unde nec primum sine sanguine dedicatum est. Lecto enim omni mandato . . . omnem populum aspersit dicens: Hic sanguis testamenti, quod mandavit ad vos Deus. Etiam tabernaculum et omnia vasa ministerii sanguine similiter aspersit; et omnia pene in sanguine secundum legem mundantur, et sine sanguinis effusione non fit remissio. Necesse est ergo, exemplaria (ὑποδείγματα typi) quidem cœlestium his mundari, ipsa autem cœlestia melioribus hostiis quam istis" (Heb. IX. 13–23.).

Significationem mysticam sacrificiorum V. T., quam S. Paulus clare docet, S. Augustinus in libris suis, præsertim adversus Faustum Manichæum, frequenter evolvit. "Hebræi," inquit (contra Faustum lib. 20. cap. 18.), "in victimis pecorum, quas offerebant Deo, multis et variis modis, sicut re tanta dignum erat, prophetiam celebrabant futuræ victimæ, quam Christus obtulit." Et paulo post in eodem libro (c. 21.) sacrificia Hebræorum, ait, offerebantur "vero uni Deo, ut ei offerretur similitudo promittens veritatem sacrificii, cui erat offerenda ipsa reddita veritas in passione corporis et sanguinis Christi."

Sacrificium enim, quod Christus consummavit in cruce, redemptionem ita perfecit, et pro omnibus omnino hominibus divinæ justitiæ satisfactionem superabundantem obtulit, ut quæcumque gratia collata fuerit post lapsum Adæ, quæcumque fuerit vel est mediorum omnium supernaturalium ad sanctificationem hominum institutorum dignitas et virtus; totum id ex merito in cruce consummato repeti debeat, et ex virtute oblationis Christi in cruce. "Sanctificati sumus," ait Paulus, "per oblationem corporis Jesu Christi semel" (ad Heb. X. 10.); et "una oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos" (ib. X. 14.).

Sed sacrificium crucis in se perfectum pro redemptione ac sanctificatione hominum, obstare non debuit quominus juxta generalem œconomiam ejusdem redemptionis, et juxta naturam cultus publici Deo in nova lege exhibendo, Christus "dilectæ sponsæ suæ Ecclesiæ[1] visibile . . . relinqueret sacrificium, quo cruentum illud semel in cruce peragendum repræsentaretur, ejusque memoria in finem usque sæculi permaneret,

[1] Conc. Trid. sess. 22. c. 1.

atque illius salutaris virtus in remissionem eorum, quæ a nobis quotidie committuntur, peccatorum applicaretur."

Hoc autem sacrificium in ultima cœna Christus instituit cum corpus et sanguinem suum sub speciebus panis et vini Deo Patri obtulit; et est illud quod ubique terrarum in Ecclesia catholica celebratur, quodque communiter apud Latinos vocatur *Missa*, vocabulo derivato vel, ut quibusdam placet, ex hebraico *Missah*, quod oblationem significat, vel ex voce græca *μυέω, sacris initio,* ut contendunt alii, vel melius a latino verbo *mitto*, ita ut Missa nomen acceperit a missione, seu dimissione fidelium, peractis mysteriis.

Inter Protestantes, non tantum sacramentarii, sed etiam ii, qui realem Christi præsentiam in Eucharistia inficiati non sunt, sacrificium Missæ negaverunt.

Concilium Tridentinum, sess. 22., damnans hanc Novatorum hæresim, sequentes statuit canones de fide credendos:

Can. 1. "Si quis dixerit, in Missa non offerri Deo verum et proprium sacrificium, aut quod offerri non sit aliud, quam nobis Christum ad manducandum dari; A. S.

Can. 3. "Si quis dixerit, Missæ sacrificium tantum esse laudis et gratiarum actionis, aut nudam commemorationem sacrificii in cruce peracti, non autem propitiatorium; vel soli prodesse sumenti; neque pro vivis et defunctis, pro peccatis, pœnis, satisfactionibus et aliis necessitatibus offerri debere; A. S."

Can. 4. "Si quis dixerit, blasphemiam irrogari sanctissimo Christi sacrificio, in cruce peracto, per Missæ sacrificium, aut illi per hoc derogari; A. S."

Catholicum dogma de veritate sacrificii Missæ vindicabimus articulis insequentibus.

ARTICULUS TERTIUS

De sacrificio Eucharistiæ, seu Missæ, in V. L. prænuntiato.

Veritas sacrificii Eucharistiæ probatur in primis ex celeberrima prophetia Malachiæ, et ex prænuntiato sacerdotio Christi secundum ordinem Melchisedech; quamobrem subjicitur

THESIS XIV.

Eucharistiam esse verum et proprie dictum sacrificium, quod in Missa offertur, ex prophetia Malachiæ I. 10. 11., *et Ps.* CIX. 4. *clarissime patet.*

I. A Malachiæ vaticinio demonstrationem thesis incipimus, et verba prophetiæ ante omnia damus. In capite 1. vv. 10. 11. legimus: "Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, et munus non suscipiam de manu vestra. Ab ortu enim solis usque ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus, et in omni loco sacrificatur, et offertur nomini meo oblatio munda, quia magnum est nomen meum in gentibus, dicit Dominus exercituum." — Jam vero ex hoc textu ita argumentamur:

In verbis mox citatis continetur prænuntiatio sacrificii novi, ac proprie dicti, repudiatis Judæorum sacrificiis successuri. Atqui illud sacrificium novum, proprie dictum, nequit aliud esse præter sacrificium Eucharistiæ, quod offertur in Missa. Ergo.

Ut Major constet, ostendi tantum debet sermonem esse in verbis citatis de sacrificio proprie dicto, quod a sacrificiis Veteris Testamenti abrogandis distinguatur;—et hoc evincitur:

1. Ex verbis a Propheta adhibitis, quæ sacrificium proprie dictum sonant; et maxime ex voce מנחה (oblatio), quæ in Sacris Litteris et significationem genericam præsefert sacrificii proprie dicti, et determinate communiter adhibetur ad sacrificium incruentum significandum. Confer Bellarminum de Missa, l. 5. c. 10.; Franzelin, de Euch. p. 331.

2. Ex oppositione inter sacrificium, quod vers. 11. prænuntiatur, et ea quæ vers. 10., a Judæis offerebantur, et repudiantur. Oppositio hæc evidenter ostendit vetera sacrificia ita esse abolenda, ut eis substitueretur aliud sacrificium; ac proinde istud esse verum ac proprie dictum, sicut illa, in quorum locum succedere debebat, vera erant et proprie dicta.

3. Ex antithesi sacerdotum: nam amplius nolle sacrificia suscipere e manibus sacerdotum Judæorum protestatur Deus, sed successurum sacrificium suscipere velle dicit ab aliis sacerdotibus, qui assumendi sint ex omnibus gentibus, et nomine Levitarum distinguuntur ratione muneris sacerdotalis proprie dicti, idest ex eo quod electi sint ad offe-

rendum sacrificium proprie et stricte sumptum. Id constat ex eadem prophetia Malachiæ III. 3., ubi legitur: "Et purgabit filios Levi, et colabit eos quasi aurum, et quasi argentum, et erunt offerentes Domino sacrificium in justitia;" et ex loco parallelo apud Isaiam LXVI. 19–21.: "Et annuntiabunt gloriam meam gentibus: et adducent omnes fratres vestros de cunctis gentibus donum Domino in equis, et in quadrigis et in lecticis, et in mulis et in carrucis ad montem sanctum meum Jerusalem, dicit Dominus: quomodo si inferant filii Israel munus in vase mundo in domum Domini. Et assumam ex eis in sacerdotes, et levitas, dicit Dominus."

Quod vero ad probationem attinet Minoris, nonnisi Eucharistiam sacrificium esse illud novum a Malachia prædictum, facile ostenditur ex characteribus, quibus insignitur. Etenim, ex dictis patet, 1. sacrificium illud prænuntiatum fuisse non ut proprium unius populi electi, sed ut commune omnibus gentibus, et quod offerri deberet in omni loco "ab ortu solis usque ad occasum." 2.—Ut offerendum a legitimis et proprie dictis sacerdotibus, ad hoc munus sacerdotale a Deo eligendis ex omnibus gentibus. 3.—Ut sacrificium omnino et semper *mundum*, quod nulla malitia offerentium inquinari potest. 4.—Ut sacrificium incruentum, quale erat *mincha* apud Judæos.—Sed characteres a Propheta indicati Eucharistiæ conveniunt, et nonnisi Eucharistiæ convenire possunt, ut cuique facile patet.—Ergo novum et proprie dictum sacrificium, quod in Prophetia Malachiæ prænuntiatur, est Eucharistia, seu sacrificium Missæ, quod apud omnes gentes Ecclesia celebrat.

Concilium Tridentinum (sess. 22. c. 1.) explicite docuit sacrificium Eucharistiæ esse illam oblationem "quam Dominus per Malachiam nomini suo, quod magnum futurum esset in gentibus, in omni loco mundam offerendam prædixit;" et hanc perpetuo fuisse Patrum sententiam, ex eorum testimoniis, quæ hic adjicimus, plene constabit.

S. Justinus Martyr, dialogo cum Tryphone, n. 41., post citata verba Malachiæ inquit: "De nostris vero gentium sacrificiis, quæ in omni loco offeruntur, hoc est, de pane Eucharistiæ et poculo similiter Eucharistiæ, jam tum locutus prædixit [Malachias], nos quidem glorificare nomen ejus, vos autem profanare."

S. Irenæus (l. 4. adv. hær. c. 17. al. 32. n. 5.) ait: "Eum, qui ex creatura panis est, accepit et gratias egit dicens: 'Hoc est corpus meum.' Et

calicem similiter, qui est ex ea creatura, quæ est secundum nos, suum sanguinem confessus est. Novi Testamenti novam docuit oblationem, quam Ecclesia ab Apostolis accipiens in universo mundo offert Deo." Tum adductis Malachiæ verbis addit: "Manifestissime significans per hæc, quoniam prior quidem populus cessabit offerre Deo: omni autem loco sacrificium offeretur ei, et hoc purum; nomen autem ejus glorificatur in gentibus."

Eusebius Cæsar. (lib. 1. Dem. evang. cap. ult.), citato loco Malachiæ, hæc subjungit: "Sacrificamus igitur Deo altissimo sacrificium laudis, sacrificamus Deo plenum et odorem adferens et sacrosanctum sacrificium; sacrificamus novo more secundum Novum Testamentum hostiam mundam."

S. Chrysostomus, vel alius auctor hom. in Ps. xcv. num. 2., in verba Malachiæ dicit: "Vide, quam luculenter atque dilucide mysticam interpretatus est mensam, quæ est incruenta hostia." Idem argumentum versat S. Doctor in hom. 5. c. Judæos n. 12. ubi probat, verba Malachiæ referenda esse ad sacrificium a Christo institutum, quod ubique offertur, et de hoc dicit: "Si quis hoc ipsum sacrificium cum illo [in V. T. oblato] conferat, ingens immensumque discrimen inveniet, ut juxta comparationem rationis solum hoc purum dici mereatur."

S. Augustinus (l. 1. c. adv. leg. et proph. c. 20.) tractans hunc locum Malachiæ ait: "Ecclesia per successiones Apostolorum immolat in corpore Christi sacrificium laudis." Et lib. 18. de Civ. Dei (c. 35. n. 3.) docet, vaticinium Malachiæ impleri per sacrificium secundum ordinem Melchisedech ubique oblatum. Idem docent S. Hieronymus, et Theodoretus (Comment. in c. 1. Malachiæ).

Denique S. Joan. Damascenus (l. 4. de fide, c. 13.) ait: "Hoc nimirum est purum et incruentum sacrificium, quod ab ortu solis usque ad occasum offerri sibi per Prophetam Dominus dixit: corpus est et sanguis Christi, quod ad animæ nostræ corporisque conservationem conceditur."

II. Argumentum ex Psalmo cix. 4. sic proponitur:—

Christus pronuntiatur sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech: ergo sacrificium offerre debuit simile illi, quod obtulit Melchisedech.—Sed ideo tantum dici potest Christum obtulisse sacrificium Melchisedechi sacrificio simile, quia assumptis pane et vino, iisque in

corpus et sanguinem suum transsubstantiatis, Christianæ Religionis sacrificium instituit, quod ab Ecclesia catholica in Missa celebratur.—Ergo.

Quod Christus Dominus prænuntiatus fuerit sacerdos secundum ordinem Melchisedech, evidens est ex verbis ipsis Psalmi: "Juravit Dominus, et non pœnitebit eum: Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech;"—quæ verba indubie spectare Christum, ipse Dominus docuit, prout colligitur ex ejus responsione relata in Evangelio Matth. xxii. 41–44.: "Congregatis autem Pharisæis, interrogavit eos Jesus, dicens: Quid vobis videtur de Christo? cujus filius est? Dicunt ei: David. Ait illis: Quomodo ergo David in spiritu vocat eum Dominum, dicens: Dixit Dominus Domino meo: Sede a dexteris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum?"

Similiter Christum esse sacerdotem secundum ordinem Melchisedech aperte docet Paulus in Ep. ad Hebræos, ubi tale sacerdotium Christi plúries commemorat, et ex illo arguit.

"Sic," ait Apostolus, "et Christus non semetipsum clarificavit, ut pontifex fieret, sed qui locutus est ad eum: Filius meus es tu, ego hodie genui te. Quemadmodum et in alio loco dicit: Tu es sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedech" (v. 5. 6.); et iterum: "Contestatur enim: Quoniam tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. Reprobatio quidem fit præcedentis mandati, propter infirmitatem ejus et inutilitatem: nihil enim ad perfectum adduxit lex, introductio vero melioris spei, per quam proximamus ad Deum. Et quantum est non sine jurejurando (alii quidem sine jurejurando sacerdotes facti sunt, hic autem cum jurejurando per eum, qui dixit ad illum: Juravit Dominus, et non pœnitebit eum: Tu es sacerdos in æternum): in tantum melioris testamenti sponsor factus est Jesus" (vii. 17–22.).

Quod autem Christus cum sacerdos constitutus fuerit secundum ordinem Melchisedech, sacrificium sacrificio a Melchisedech oblato simile offerre debebat, certum est ex ipsis verbis "secundum ordinem, [seu secundum ritum, vel offerendi modum] Melchisedech;" necnon ex eo quod sacerdotium et sacrificium sibi mutuo respondent, juxta illud S. Pauli, ad Heb. (v. 1.): "Omnis namque pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in iis, quæ sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis."

His vero in tuto positis, Minor in argumento subsumpta, nempe Christum dici non posse sacerdotem in æternum secundum ordinem Melchisedech, nisi quia sacrificium obtulit et instituit in consecratione corporis et sanguinis sui, facili negotio vindicatur.—Nam de Melchisedecho legimus, Gen. XIV. 18. : "At vero Melchisedech, rex Salem, proferens panem et vinum (erat enim sacerdos Dei altissimi) benedixit ei." Cum ergo Melchisedech sacrificium incruentum obtulerit in pane et vino, Christus utpote sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech, debuit sacrificium incruentum sub specie panis et vini offerre et instituere :—quod sane Christum fecisse admitti non potest, nisi confiteamur in consecratione corporis et sanguinis sui sub speciebus panis et vini id eum perfecisse.

Argumentum roboramus ex interpretatione Patrum.

S. Cyprianus, post relata Psaltis verba : "Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech," dicit : "Qui ordo utique hic est de sacrificio illo veniens, et inde descendens, quod Melchisedech sacerdos Dei summi fuit, quod panem et vinum obtulit, quod Abraham benedixit. Nam quis magis sacerdos Dei summi, quam Dominus noster Jesus Christus, qui sacrificium Deo Patri obtulit, et obtulit hoc idem quod Melchisedech obtulerat, id est, panem et vinum, suum scilicet corpus et sanguinem?" (Ep. ad Cæcil. l. 2. ep. 3. al. ep. 63.).

Clemens Alexandrinus : "Melchisedech rex Salem, sacerdos Dei altissimi, qui panem et vinum sanctificatum dedit nutrimentum, in typum Eucharistiæ" (l. 4. Stromatum c. 25.).

Eusebius Cæsareensis : "Quemadmodum Melchisedech, qui sacerdos gentium erat, nusquam videtur sacrificiis corporalibus functus, sed solo vino ac pane ; ita Salvator ac Dominus noster, deinde qui ab eo profecti sunt sacerdotes, in omnibus gentibus . . . . . vino ac pane corporis illius ac salutaris sanguinis mysteria repræsentat : quæ sane mysteria Melchisedech tanto ante Spiritu divino cognoverat, et rerum futurarum imaginibus usus fuerat" (l. 5. dem. Ev. c. 3.).

S. Ambrosius : "Cognovimus sacramentorum istorum figuram Abrahæ temporibus præcessissse, quando obtulit sacrificium sanctus Melchisedech" (l. 5. de Sac. c. 1.).

S. Hieronymus ad Marcellam : "Recurre ad Genesim, et Melchisedech regem Salem hujus principem invenies civitatis, qui jam tunc in

typo Christi panem et vinum obtulit, et mysterium christianum in Salvatoris corpore et sanguine dedicavit" (Ep. 46. ad Marcellam).

S. Augustinus ad Innocentium: "Melchisedech prolato sacramento mensæ Dominicæ, novit æternum ejus sacerdotium figuræ" (Ep. 177. al. 95.). Et alio in loco: "Ibi quippe primum apparuit sacrificium, quod nunc a Christianis offertur Deo, toto orbe terrarum, impleturque illud, quod longe post hoc factum per prophetam dicitur ad Christum, qui fuerat adhuc venturus in carne: "Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech" (l. 16. de Civ. Dei c. 22.). Et iterum de Psaltis verbis agens, animadvertit: "Ibi quippe et hoc dictum est: "Juravit Dominus, et non pœnitebit eum: Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech." Noverunt, qui legunt quid protulerit Melchisedech, quando benedixit Abraham, et jam sunt participes ejus: vident tale sacrificium nunc offerri Deo toto orbe terrarum. Dei autem juratio, incredulorum est increpatio: et quod Deum non pœnitebit, significatio est quia hoc sacrificium non mutabit, mutavit quippe sacerdotium secundum ordinem Aaron" (l. 1. contra adversarium legis et prophetarum c. 20.).

Declarationes nonnullas probationibus thesis addimus.

1.—*Mincha*, ut offerebatur apud Judæos, sane non offertur a Christianis in sacrificium; sed per *mincha* Leviticorum sacerdotum prædici poterat sacrificium legis novæ; quatenus hoc et illud in ratione veri et proprie dicti sacrificii conveniunt. Similiter sacrificium ovium legis veteris significabat sacrificium Christi cruentum, quatenus hoc erat verum et proprii nominis sacrificium, licet aliud esset corpus, quod in cruce offerendum erat.

2.—Patres, perfecta consensione, vaticinium Malachiæ interpretantur de sacrificio Eucharistiæ; et S. Cyrillus Hierosolymitanus, dum, Cat. 18. n. 25., ad probandam reprobationem Synagogæ et Ecclesiæ christianæ catholicitatem, affert inter cetera illud "ab ortu solis usque ad occasum, magnum nomen meum in gentibus," non ideo ab aliis Patribus dissentit quoad intelligentiam prophetiæ Malachiæ; nam eam tunc integram non referebat, et declarabat, sed illud solum, quod ad ejus scopum pertinebat, quodque nullo pacto opponitur communi interpretationi, proferebat.

3.—Quod spectat argumentum desumptum ex sacerdotio Christi secundum ordinem Melchisedech, falsum est Scripturam non referre, eum sacrificasse *in pane et vino.* In Genesis XIV. 18. legitur:

At vero Melchisedech rex Salem, proferens panem et vinum, erat enim sacerdos Dei altissimi	ומלכי־צדק מלך שלם הוציא לחם ויין והוא כהן לאל עליון

Porro illud *proferens*, hic significat idem ac *offerens*, seu denotat sacrificium.

Etenim in hebraico textu legitur *hotsi, produxit,* a *iatsa;* sed cum hæc vox varie accipiatur, vertenda est prout loci sensus et circumstantiæ poscunt. Sic Exod. XII. 51. *hotsi* sumitur pro *eduxit*, scilicet filios Israel ex Ægypto;—Is. XLII. 1. pro *judicium protulit;*—sed Jud. VI. 18. pro *sacrificium offerre;* et ita hic sumitur, ut patet ex citato textu Hebræo: *et erat sacrificans Deo altissimo;*"—vel ex Vulgata nostra, quæ vertit: *erat enim sacerdos Dei altissimi;* quæ causalis alioqui inepte omnino addita esset.

Nec dicas 1. Hæc: "*erat sacerdos Dei,*" non necessario referuntur ad præcedentia, sed potius pertinent ad sequentia: "*benedixit ei.*"—Ergo illa: "*erat sacerdos,*" non adduntur ut causa oblationis panis et vini.

R. *N. Ant.*—Nam in Hebræo post illa verba: "*erat sacerdos,*" ponitur accentus *soph pasuch,* qui indicat periodum ibi terminari; eaque interpunctio est in chaldaico, græco et latino textu: ergo hæc: "*erat sacerdos,*" ad præcedentia adhuc pertinent.

Nec dicas 2. In Hebræo non haberi particulam causalem *ki, enim,* sed copulativam *ve,* quæ *et* vel *autem* significat; nam particula *ve* frequentissime ab Hebræis et in Scriptura pro *causali* adhibetur; cujus rei plurima exempla exhibet Perrerius in illum locum Genesis, ut, ex. gr., Gen. XXX. 27.: "Experimento didici, quia benedixerit mihi Dominus," ubi pro *quia* habetur *ve.* Quod vero et hic ita sumatur, inde patet, quia redditur ratio cur Melchisedech panem et vinum protulerit, *quia erat sacerdos,* ut habet Samaritana editio.

Neque obstare debet Complutensis editio 70., quæ habet ἐξήνεγκεν αὐτῷ ἄρτους καὶ οἶνον, *obtulit ipsi,* scilicet Abrahæ, *panes et vinum;* nam 1. τὸ *ipsi* nec in Hebræo legitur, nec in græca editione Romana 70., ut proinde hinc corrigenda potius sit editio Complutensis; præsertim, quod τὸ *ipsi* non insit versionibus aliis, Chaldaicæ, Samaritanæ, etc. 2.—Hinc

id solum probabile fit, nempe Melchisedechum de pane et vino ante sacrificato dedisse Abrahæ et militibus in victoriæ et lætitiæ signum, more non tantum apud ethnicos, sed etiam Hebræos usitato, ut tum religionis, tum lætitiæ causa, vescerentur omnes de iis quæ fuerant sacrificata. Quoad Hebræos id constat ex I. Reg. IX. ubi legitur: "Ipse benedicit hostiæ, et comedunt, qui vocati sunt." Et ex I. Paral. XVI. 3. Quoad Ethnicos ex Act. XV., ubi prohibentur fideles vesci de idolothytis.

4.—Sacrificia præcipua Aaronici ritus erant cruenta cum immolatione animalium, et sacrificia incruenta nonnisi subordinata eis et adjuncta:—Melchisedech vero sacerdos, ut ex Genesi constat, incruentum sacrificium obtulit, non alteri sacrificio subordinatum et adjunctum, sed in se absolutum. Quare hic fuit ritus sacerdotii Melchisedechi proprius, a ritu sacerdotii aaronici omnino diversus, quod incruentum nempe sacrificium Deo offerret, in pane et vino:—et ideo Christus sacerdos appellatur secundum illum ritum, quia corpus et sanguinem suum in sacrificium obtulit sub specie panis et vini.

Nec dicant adversarii:—si ex eo quod Melchisedech obtulerat *panem et vinum* in sacrificium, deducitur Christum, sacerdotem secundum ordinem Melchisedech constitutum, simile sacrificium obtulisse et instituisse; pari ratione concludi deberet sacrificium a Christo oblatum et institutum consistere non in Eucharistia, sed in *pane et vino*, cum hæc tantum oblata fuerint a Melchisedecho.

Respondemus negando sequelam, nam figuratum figuræ in omnibus æquale esse non debet; secus eodem modo inferri posset, sicut Melchisedech fuit purus homo, ita et Christus, per eum, ut docet Paulus, præfiguratus.—Ut igitur Melchisedech, ratione sacrificii sui, figura fuerit Christi offerentis et instituentis sacrificium Eucharistiæ, sufficit panem et vinum, remanentibus speciebus, converti in corpus et sanguinem Christi, et sacrificium incruentum corporis et sanguinis Christi Deo offerri sub illis remanentibus speciebus panis et vini.

Christus vero, seipsum in cruce offerens, neque secundum ritum Aaronis, neque secundum ritum Melchisedech, obtulit sacrificium; quia nec immolavit typica animalia, nec seipsum sub specie panis et vini, sed in propria humana forma cruente se obtulit.

5.—Apostolus Paulus, in Ep. ad Hebræos, non dicit aperte Melchisedech sacrificium obtulisse in pane et in vino, et in hoc figurasse sacrificium Eucharistiæ institutum a Christo; sed pro scopo ab Apostolo intento, id docere non oportebat.

Etenim scopus, in Epistola ad Hebræos, intentus a Paulo erat ut ostenderet sacrificium Christi longe præstantius esse sacrificio Aaronis, immo Christum longe majorem esse Angelis, Moyse, et sacerdotibus Leviticis. Porro excellentiam sacrificii Christi super aaronicum probat tum ex dignitate personæ offerentis, seu sacerdotis, tum ex dignitate hostiæ oblatæ: et hæc duo ostendit. 1. — Quia Melchisedech, qui Christi typus et figura fuit, major erat Abrahamo, ac consequenter Aarone ejus pronepote. Qui enim Abrahamo benedixit, et ab eo decimas accepit, eo major fuit, nam minor a majori benedicitur: atqui Melchisedech benedixit Abrahamo, et ab eo decimas accepit; ergo major fuit Abrahamo; et Christus, qui est sacerdos secundum ordinem Melchisedech, major est Aarone, ac proinde sacrificium Christi sacrificio Aaronico longe præstantius est et excellentius. 2.—Præstantiam vero victimæ Novi Testamenti supra veteres omnes, probat Paulus tum ex inutilitate, insufficientia, et infirmitate sacrificii Aaronici. "Impossibile quippe est," ait Apost. Heb. x. 4., "sanguine hircorum et taurorum auferri peccata." Tum ex iterata sæpius sacrificii Aaronici oblatione, cum e contra de Christo doceat quod "una oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos." Heb. x. 14. Tum ex duratione seu æternitate sacrificii Christi, qui *sacerdos est in æternum secundum ordinem Melchisedech.* E contra sacrificium Aaronicum ad tempus institutum, adveniente Christo destruendum erat. Hæc vero momenta, ut patet, vim maximam per se habebant, nec ad suum scopum quidquam profecisset Apostolus ex similitudine oblationis panis et vini in sacrificio Melchisedechi.—Excellentiam autem ipsius Christi supra Angelos, Moysen, et sacerdotes omnes Leviticos, Apostolus disertissime probat comparando cum illis Christum. Ipse enim est, ait Apostolus, "quem [Deus] constituit hæredem universorum, per quem fecit et sæcula; qui cum sit splendor gloriæ et figura substantiæ ejus, portansque omnia verbo virtutis suæ, purgationem peccatorum faciens, sedet ad dexteram majestatis in excelsis; tanto melior Angelis effectus, quanto differentius præ illis nomen hereditavit. Cui enim dixit aliquando Angelorum: Filius meus es tu, ego hodie genui

te?" (ad Hebr. I. 2–5.). Et si Moysi comparat Christum "amplioris gloriæ," inquit, "iste præ Moyse dignus est habitus, quanto ampliorem honorem habet domus, qui fabricavit illam. Omnis namque domus fabricatur ab aliquo; qui autem omnia creavit, Deus est. Et Moyses quidem fidelis erat in tota domo ejus tamquam famulus, in testimonium eorum, quæ dicenda erant; Christus vero tamquam filius in domo sua." (ibid. III. 3–6.)

Præterea animadversione dignum est Paulum aperte fateri se multa in Epistola ad Hebræos Melchisedechum spectantia omisisse propter eorum, ad quos scribebat, imbecillitatem:—"de quo [Melchisedecho] nobis grandis sermo, et ininterpretabilis," inquit, "ad dicendum; quoniam imbecilles facti estis ad audiendum" (ad Heb. V. 10.).

ARTICULUS QUARTUS

De sacrificio Eucharistiæ instituto a Christo.

Sacrificium, quod in V. T. prophetæ prænuntiaverant, ac typi expresserant futurum, Christus Dominus obtulit ac instituit. Is enim, ut loquitur Tridentina Synodus (sess. 22. cap. 1.), "sacerdotem secundum ordinem Melchisedech se in æternum constitutum declarans, corpus et sanguinem suum sub speciebus panis et vini Deo Patri obtulit; ac sub earumdem rerum symbolis Apostolis, quos tunc Novi Testamenti sacerdotes constituebat, ut sumerent, tradidit; et eisdem, eorumque in sacerdotio successoribus, ut offerrent, præcepit per hæc verba: 'Hoc facite in meam commemorationem,' uti semper catholica Ecclesia intellexit et docuit."

Veritatem sacrificii Eucharistiæ a Christo Domino instituti demonstrabimus tum ex ipsis verbis Institutionis Eucharistiæ, tum ex doctrina Pauli in 1. Epistola ad Corinthios, tum ex rationibus theologicis; et confirmabimus ex perpetua et apertissima professione Traditionis Christianæ. Sit ergo

THESIS XV.

Veritas sacrificii Eucharistiæ, quod in Missa celebratur, evincitur, 1.—ex verbis ipsis institutionis Eucharistiæ; 2.—ex Ep. I. ad Cor. x. 14–21.; 3.—*ex rationibus theologicis; 4.—ex perpetua ac evidenti Traditione.*

I. Probatur thesis *ex verbis institutionis Eucharistiæ:* et primo de consecratione calicis loquemur, deinde de panis consecratione. Verba consecrationis calicis apud Evangelistas Mattheum, Marcum, et Lucam sic leguntur :

Luc. XXII. 20. *τοῦτο τὸ ποτήριον ἡ καινὴ διαθήκη ἐν τῷ αἵματί μου, το ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνόμενον*

Hic est calix Novum Testamentum in sanguine meo,
qui pro vobis fundetur.

Marc. XIV. 24. *τοῦτό ἐστι τὸ αἷμά μου, τὸ τῆς καινῆς διαθήκης, τὸ περὶ πολλῶν ἐκχυνόμενον*

Hic est sanguis meus Novi Testamenti,
qui pro multis fundetur.

Matth. XXVI. 28. *τοῦτο γάρ ἐστι τὸ αἷμά μου, τὸ τῆς καινῆς διαθήκης, τὸ περὶ πολλῶν ἐκχυνόμενον εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν*

Hic est enim sanguis meus Novi Testamenti,
Qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.

Jam vero ex comparatione horum textuum apparet: 1.—Verba a Christo prolata hæc omnia fuisse: "Hic est enim calix sanguinis mei Novi Testamenti, qui pro vobis et pro multis effundetur in remissionem peccatorum :" quæ verba in canone Missæ posita sunt pro calicis consecratione. 2.—In Vulgata legi *effundetur*, at in græco textu esse *effunditur.*

His in antecessum statutis, ad demonstrandum quod proposuimus, inquirere debemus quænam sit illa effusio de qua Christus loquitur: et textus ipse ostendet *effusionem* enuntiari *de sanguine ut est in calice.* Et sane apud Lucam apertissime dicitur "*hic calix . . . . . . qui effunditur* (τοῦτο τὸ ποτήριον, ἡ καινὴ διαθήκη ἐν τῳ αἵματί μου, τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνόμενον) : quibus verbis, *calix* dicitur, juxta obviam loquendi figuram, pro re in calice contenta, seu pro *sanguine ;* et *sanguis* significatur effusus

prout est in calice:—ac proinde, ex vi illius locutionis non modo significatur, id quod continetur in calice *esse* in cruce *effundendum,* sed idipsum *effundi,* quatenus ponitur in calice, seu in eo statu ut est in calice. Effusio autem hæc sanguinis facta est, ut ait Christus "pro multis, in remissionem peccatorum."

Ex his animadversionibus argumentum pro re nostra clarescit, et sic se habet:—Sanguis Christi, effusus pro nobis in remissionem peccatorum, offertur Deo in verum et proprii nominis sacrificium. Sed sanguis Christi, formaliter ut positus per verba consecrationis in calice, effusus fuit pro nobis in remissionem peccatorum. Ergo sanguis Christi, formaliter ut positus per verba consecrationis in calice, oblatus fuit Deo in verum et proprii nominis sacrificium.—Major patet ex articulis 1. 2. hujus tertiæ partis: Minor constat ex verbis consecrationis calicis mox explicatis. Stat ergo conclusio.

Duo tantum hic declaranda manent: primum nempe, cur in sacrificio incruento, ut est sacrificium Eucharistiæ, sanguis Christi dicatur effundi; alterum quomodo textus græcus cum latino vulgato concilietur.

Ad primum quod attinet, duplex effusio sanguinis Christi attendi debet; *realis* et *mystica. Realis* effusio sanguinis Christi facta est in cruce, in qua consummatum fuit sacrificium Christi cruentum: *mystica* vero effusio sanguinis fit cum idem Christus sub speciebus eucharisticis in statu victimæ constituitur, et *vi verborum* consecrationis sanguis ejus ponitur sub speciebus vini seorsum a corpore, *vi verborum* posito sub speciebus panis: qua mystica effusione repræsentatur sanguinis Christi effusio in sacrificio crucis. "Quotiescumque manducabitis panem hunc et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat" (I. ad Cor. xi. 26.). Hinc in institutione Eucharistiæ, quatenus per consecrationem vini sanguis Christi ponebatur in calice, mystice effundebatur, et per hanc mysticam effusionem, simul repræsentabatur immolatio Christi in cruce.

Hæc vero, quæ diximus, viam sternunt ad declarandum, quod secundo loco proposuimus, nempe quomodo textus græcus cum latino textu vulgato concilietur. Nam, quum in consecratione calicis, ut exposuimus, præsens effusio sanguinis fiat, et relatio hujus effusionis habeatur ad sacrificium consummatum in cruce, dum *in textu græco* dicitur: "hic

est sanguis meus, qui pro multis effunditur," enuntiatur *in recto* præsens effusio mystica, et *in obliquo* effusio in cruce realis, quæ in mystica effusione repræsentatur:—in textu vero vulgatæ latinæ per verba: "Hic est sanguis meus, qui pro multis effundetur," significatur *in recto* realis effusio sanguinis facta in cruce, ad quam præsens effusio mystica in Eucharistia refertur, quæ *in obliquo* etiam significatur. Sic in utraque lectione idem, etsi aliter et aliter, significatur.

Perpendamus nunc verba primæ consecrationis, ex quibus etiam sacrificii Eucharistiæ veritas certo eruitur.

Apud Lucam (XXII. 19.), legimus: "Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur" (*τοῦτό ἐστι τὸ σῶμά μου τὸ ὑπὲρ ὑμῶν διδόμενον*):—et apud Paulum in I. ad Cor. XI. 24.: "Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur," græce, quod pro vobis *frangitur*:—(*τοῦτό μου ἐστὶ τὸ σῶμά τὸ ὑπὲρ ὑμῶν κλώμενον*).—Porro hæc verba incruentam immolationem corporis Christi significant in Eucharistia.

Et re quidem vera, locis citatis, non dicitur corpus Christi "*vobis*" dari, aut tradi, ad significandum, quod detur ad manducandum; sed dicitur, corpus Christi *pro vobis dari*, *pro vobis tradi*, idest *Deo pro vobis in sacrificium*. Modus enim iste loquendi de Christi corpore, juxta communem usum Scripturarum, immolationem Christi significat pro salute nostra. Ita Paulus ad Gal. II. 20.: "Dilexit me et *tradidit* semetipsum *pro me*:" ad Ephes. V. 25.: "Dilexit [Ecclesiam] et *tradidit* semetipsum *pro ea*;" et iterum ad Gal. I. 4.: "*Dedit* semetipsum *pro peccatis nostris*;" ad Titum II. 14.: "*Dedit* semetipsum *pro nobis*, ut nos redimeret;" in I. ad Tim. II. 6.: "Qui *dedit* redemptionem semetipsum pro omnibus."

Confirmatur etiam argumentum ex eo quod verba Christi, "hoc est corpus meum, quod pro vobis datur," non Apostolos solos respiciunt, quasi solum dicerent corpus Christi Apostolis tradi ad manducandum; sed extenduntur ad omnes redemptos, ac significant corpus Christi dari "in remissionem peccatorum," ideoque pro remissione peccatorum libari Deo in sacrificium. Id evidenter colligitur tum ex verbis quæ in consecratione sanguinis pronuntiantur," hic est sanguis meus, qui pro multis effundetur [græce *effusus* *ἐκχυνόμενον*] in remissionem peccatorum" Matt. (XXVI. 28.);—tum ex verbis apud Joannem relatis (VI. 52.) ubi Christus promittit se daturum panem vivificum, seu carnem suam ad man-

ducandum sub specie panis: "panis, quem ego dabo, caro mea est *pro mundi* vita," seu ut distinctius habetur in textu græco; "ipsa caro mea est, *quam* ego dabo pro mundi vita" (*ἡ σάρξ μοῦ ἐστὶν, ἣν ἐγὼ δώσω ὑπὲρ τῆς τοῦ κόσμου ζωῆς*).

Quod ex locutione a Christo adhibita constat, prout legimus apud Lucam et Joannem, roboratur ex verbis consecrationis primæ, sicut referuntur a Paulo "hoc est corpus meum, quod *pro vobis frangitur.*" Verba enim hæc, quæ verum Christi corpus sub specie panis spectant, et synonyma sunt illis "hoc est corpus meum, quod *pro vobis datur,*" nonnisi hunc sensum habent:—hoc est corpus meum, quod *nunc pro vobis* in specie panis *frangitur,* idest pro vobis Deo *datur et immolatur.*—Et hic diligenter etiam animadvertatur, immolationem, quæ *fractio corporis Christi* appellari posset, nonnisi illam esse qua in Eucharistia sub speciebus panis, corpus Christi ratione harum specierum frangitur, et idem corpus immolatum, ac in statu cibi positum, fidelibus distribuitur ad manducandum. Corpus namque Christi in cruce cruento modo immolatum non fuit, proprie et in rigore loquendo, *fractum;* et Evangelista sedulo refert: "Ad Jesum autem cum venissent, ut viderunt eum jam mortuum non fregerunt ejus crura; sed unus militum lancea latus ejus aperuit, et continuo exivit sanguis et aqua. . . . . Facta sunt enim hæc ut Scriptura impleretur: os non comminuetis ex eo." (Joan. XIX. 33–36.).

Ut patet in demonstratione hac, desumpta ex verbis consecrationis primæ, vim non fecimus in eo quod adhibitum fuerit tempus *præsens,* et non *futurum.* Scimus, et libenter fatemur, in Scripturis sæpe accipi præsens, immo et præteritum pro futuro; nos autem non ex forma locutionis in tempore præsenti, sed gravissimis aliis rationibus ostendimus verba consecrationis *sacrificium præsens* significare, *futuri repræsentativum,* non solum sacrificium quod tunc, quando verba consecrationis proferebantur, erat futurum, seu cruentum sacrificium crucis.—Verumtamen id etiam animadversum volumus, locutionem pro mysterio Eucharistiæ expressam tempore præsenti aliud nobis argumentum suppeditare. Nam si in Scriptura *præsens* pro *futuro* adhibetur, communius vero *præsens* in eadem Scriptura pro *præsenti,* juxta communem loquendi morem, et obviam significationem verborum, usurpari nemo inficiabitur: quamobrem ubi nulla ratio cogit, vel saltem suadet, præsens pro futuro esse in-

telligendum, a communi, plena, et obvia significatione præsentis temporis recedere certe non licet.

Quod si nobis opponitur in vulgata lectione Scripturarum verba Pauli sic referri, ut corpus Christi pro futuro tempore tradi dicatur: "Hoc est corpus meum, quod pro vobis *tradetur;*"—respondemus, ut supra pro consecratione sanguinis, lectiones quæ in textu græco et in vulgata latina habentur nullatenus inter se pugnare, sed optime in unum sensum convenire. Verba enim græci textus "quod pro vobis frangitur" significant directe sacrificium corporis Christi in Eucharistia, et indirecte, seu *in obliquo* sacrificium crucis, ad quod Eucharistiæ sacrificium refertur, quodque repræsentat; verba vero ut sunt in Vulgata latina: "quod pro vobis tradetur," significant directe sacrificium crucis, ad quod sacrificium Eucharistiæ refertur, et *in obliquo* sacrificium etiam Eucharistiæ.

II. Eucharistiæ sacrificii demonstratio altera ex doctrina Apostoli eruitur in Ep. I. ad Cor. x. 14–21. Hæc sunt verba Pauli: "Propter quod, carissimi mihi, fugite ab idolorum cultura: ut prudentibus loquor, vos ipsi judicate, quod dico. Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? et panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est? Quoniam unus panis, unum corpus multi sumus, omnes, qui de uno pane participamus. Videte Israel secundum carnem: nonne, qui edunt hostias, participes sunt altaris? Quid ergo? dico, quod idolis immolatum sit aliquid? aut quod idolum sit aliquid? Sed quæ immolant gentes, dæmoniis immolant, et non Deo. Nolo autem vos socios fieri dæmoniorum: non potestis calicem Domini bibere, et calicem dæmoniorum: non potestis mensæ Domini participes esse, et mensæ dæmoniorum."

Ut autem probationis nostræ vis ex hoc Pauli testimonio melius appareat, prænotari debet gentiles solitos fuisse de reliquiis victimarum, quas idolis immolabant, parare convivium: et quæstionem ortam fuisse inter recenter baptizatos in Ecclesia Corinthiorum, utrum Christianis liceret vesci *idolothytis*, seu iis quæ immolata idolis fuerant, et præsertim utrum ea vesci liceret in *idolis*, seu in loco ubi idolum colebatur. Paulus ergo docet, loco citato, illicitam omnino esse illam manducationem, quia per eam comedens participaret sacrificio peracto in

honorem idoli, ac proinde reus fieret peccati idololatriæ. Quare summa doctrinæ, quam Apostolus docet, est hæc: Israelitæ, ut sacrificii fierent participes, comedebant de hostiis Deo oblatis, et idem fieri solet in sacrificiis gentium, qui edentes victimas dæmoniis mactatas, communicant his immolationibus: ideoque vos, qui mensæ Domini participes estis, et communicatis sacrificio Domino Deo oblato, non potestis manducare quod immolatur idolis; nam non potestis communicare sacrificio quod Deo offertur, et oblationibus dæmoniorum.

Jam vero ex hac Pauli doctrina apertissime patet non modo Eucharistiam esse verum sacrificium, seu verum sacrificium Deo offerri cum Eucharistia conficitur; sed id assumi ab Apostolo ut principium suæ argumentationis omnibus notissimum.

III. Ex rationibus theologicis invicte thesis nostra stabilitur.

Earum primam desumimus *ex impletione figuræ Agni paschalis.* Nam immolatio illa agni verum fuisse sacrificium nemini dubium esse potest, contestante Moyse (Num. IX. 13.): "Si quis mundus est, et in itinere non fuit, et tamen non fecit Phase, exterminabitur anima illa de populis suis, quia sacrificium Domino non obtulit tempore suo:"—insuper agni sacrificium figuram fuisse immolationis Christi patet ex Apostolo qui docet (I. Cor. v. 7.): "Pascha nostrum immolatus est Christus; itaque epulemur . . . . in azymis sinceritatis et veritatis:"—et agnum paschalem non modo figuram fuisse immolationis cruentæ Christi in cruce, sed etiam incruentæ in mysterio Eucharistiæ, facili negotio demonstratur.—Etenim agnus immolabatur ut manducaretur, et manducari non poterat nisi a circumcisis et mundis; præterea sumi debebat cum panibus azimis, et ut esset veluti viaticum peregrinorum, quia a Judæis calceatis, baculos in manu gestantibus, accinctis renibus edi præcipiebatur, et in memoriam transitus Domini et liberationis populi a captivitate Ægypti. Hæc autem omnia adamussim conveniunt Eucharistiæ, quam in Ecclesia baptizati et mundi manducant in memoriam transitus Christi ex hoc mundo ad Patrem, et liberationis nostræ a captivitate dæmonis, simulque ut viaticum sumunt ad cœlestem patriam peregrinantes.

Sane, immolatio agni pascalis figura fuit passionis Christi, cum et ipsa Eucharistia repræsentatio sit cruenti sacrificii Christi in cruce; sed

certe principaliter ac immediate cæremonia agni pascalis figura fuit non crucifixionis Christi, sed Eucharistiæ. Christus enim neque crucifixus fuit in memoriam transitus alicujus, aut liberationis, neque crucifigebatur ut manducaretur, neque in domo, aut in Jerusalem, sed extra portam, in monte, immolatus fuit; et præterea, etiamsi, impropria locutione, diceretur Christus in cruce immolatus manducari per fidem, id non solum baptizati et mundi, sed etiam alii facere possunt ac debent, quia fides præcedit baptismum et justificationem.

Sed jam ex eadem figura agni pascalis, quæ impleta fuit in ultima cœna, novum argumentum exurgit ad demonstrationem thesis.—Apostoli enim in illa cœna, implendo typum agni pascalis, Eucharistiam manducaverunt: at non manducabatur agnus nisi prius in sacrificium immolatus fuerit; ergo Agnus verus, quem in Eucharistia manducaverunt, immolatus prius jam fuerat in sacrificium, seu Agnum jam sub speciebus Eucharisticis immolatum manducaverunt.

Nec dicatur:—agnus pascalis a multitudine filiorum Israel immolabatur, et non a solis sacerdotibus; unde figura sacrificii Eucharistiæ esse non potuit, quæ nonnisi a sacerdotibus celebratur. Huic difficultati respondemus animadvertendo sacrificium agni institutum fuisse antequam familia Aaron ad sacerdotale munus eligeretur; ideoque privilegium, quoad hoc sacrificium, mansisse ut patresfamilias omnes illud offerrent, aliis per eos immolantibus, et ex sacrificio participantibus: id autem quoad Eucharistiam etiam impleri, quia Presbyteri, quasi patresfamilias in Ecclesia sacrificant, et reliqui fideles in sacrificio consentiunt et de eo participant.

Argumentum ex figura agni pascalis desumptum communi interpretatione Patrum maxime roboratur. Ne tamen modum excedam, quatuor hic tantum eorum testimonia subjungam speciminis gratia.

S. Joan. Chrys. (hom. I. de proditione Judæ n. 4. 5.): "In ipsa mensa," inquit, "utrumque Pascha, et typi et veritatis celebratum est. . . . . Fuit quidem aliquando Pascha judaicum, sed exemptum et evacuatum est Paschatis spiritualis adventu, quod Christus tradidit. Nam cum manducarent et biberent, accepit panem et fregit, et dixit: "Hoc est corpus meum."

S. Hieronymus (comm. in Matt. lib. 4. c. 26.) in verbis illis Evangelistæ "cœnantibus autem eis, accepit Jesus panem" et sequentibus, ait:

"Postquam typicum Pascha fuerat impletum, et agni carnes cum Apostolis comederat, assumit panem qui confortat cor hominis, et ad verum Paschæ transgreditur Sacramentum, ut quo modo in præfiguratione ejus Melchisedech summi Dei sacerdos, panem et vinum offerens fecerat, ipse quoque in veritate sui corporis et sanguinis repræsentaret."

Ven. Beda (in Lucæ Evang., lib. 6. c. 22.), exponens verba Christi: "Desiderio desiderari hoc Pascha manducare vobiscum antequam patiar," hæc habet: "Desiderat primo typicum Pascha cum discipulis manducare, et sic passionis suæ mundo mysteria declarare, quatenus et antiqui legalisque Paschæ probator existat, et hoc ad suæ dispensationis figuram pertinuisse docendo, carnaliter ultra vetet exhibenti, immo, umbra transeunte, veri jam Paschæ lumen advenisse demonstret." Et paulo post: "Finitis Paschæ veteris solemniis, quæ in commemorationem antiquæ de Ægypto liberationis agebatur, transiit ad novum, quod in suæ redemptionis memoriam Ecclesia frequentare desiderat. Ut videlicet pro carne agni vel sanguine suæ carnis sanguinisque sacramentum in panis ac vini figura substituens, ipsum se esse monstraret, cui *juravit Dominus et non pœnitebit eum, tu es sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedech* (Ps. CIX.)."

Sed præ ceteris omnibus audiendus est S. Cyrillus Alexandrinus, quo nemo abundantius, clarius, aut disertius de mysteriis eucharisticis locutus est. In homilia X., quæ *in mysticam cœnam et pedum lavationem in sancta Quinta* inscripta est, sic pro re nostra loquitur: "Eamus una in celeberrimam Sion, et arcem illam mente contemplemur, quo pacto is qui terræ fines continet, ad mysticam cœnam se præpararet, quomodo qui sedet super Cherubim in cœna recumberet, quomodo is qui typice manducatus est in Ægypto, hic ultro seipsum immolet, comestaque figura ceu typicorum consummator veritatem ostendat, ipse seipsum cibum vitæ statim proponens, ut oraculorum suorum fini eorum quæ sapienter instituit initio conjuncto, in universum genus promanantia hominum statui bonitatis suæ divina munera præbeat. De quibus accipe, quæso, divinorum Evangeliorum narrationem in hunc modum: 'Cœnantibus enim illis, inquit, accepit Jesus panem ac fregit, deditque discipulis suis, et ait: Accipite, comedite: hoc est corpus meum. Et accipiens calicem gratias egit, et dedit illis dicens: "Bibite ex hoc omnes: hic est enim sanguis meus Novi Testamenti qui pro multis effun-

detur in remissionem peccatorum.' O rem stupendam! o sacrum illud mysterium! o divinam illam initiationem! Deduxit per litteram, perfecit per spiritum; instituit per figuras, gratia donavit per opera. In Sion litteræ legem implevit. Ex Sion gratiæ legem promulgavit." [1]

---

[1] Liceat hic quædam alia ex eadem sublimi homilia excepta promere, quæ mentem illustrant, fidem vindicant. et cor suaviter movent:

"Ad mysticam cœnam una properemus. Christus nos excipit hodie convivio, Christus nobis hodie ministrat; Christus ille hominum amans refocillat. Tremendum est quod dicitur; formidabile quod perficitur. Saginatus ille vitulus mactatur; Dei agnus, qui tollit mundi peccatum, mactatur. Pater lætatur: Filius sponte immolatur, non quidem hodie a Dei hostibus, sed a seipso, ut ad hominum salutem voluntarios se cruciatus subiisse significet. Visne tibi demonstrem, eo quod dicitur, maximæ cujusdam rei signum contineri? Ne tu brevitatem sermonis attendas, aut nostram tenuitatem, sed eorum vocem et auctoritatem qui hæc ante prædicarunt. . . . 'Sapientia, inquit, ædificavit sibi domum, et subdidit columnas septem, mactavit hostias suas, miscuit in cratera vinum suum, et paravit mensam suam, misit servos suos convocans cum excelsa prædicatione ad craterem, dicens: Qui est insipiens declinet ad me. Et egentibus sensu dixit: Venite, edite de meis panibus, et bibite vinum quod miscui vobis.'. . . . Hæc tibi, carissime, eorum quæ nunc peraguntur sunt symbola. Hæ tibi convivii hujus omni ciborum genere atque apparatu lautissimi deliciæ. Adest magnificentiæ auctor, divina dona sunt proposita, mystica mensa præparata est, vivificus crater mixtus est. Rex gloriæ arcessit; Filius Dei suscipit; Deus incarnatus Verbum invitat: quæ ædificavit sibi templum non manufactum Dei ac Patris, illa subsistens Sapientia corpus suum ut panem distribuit, et vivificum suum sanguinem tanquam vinum propinat. O tremendum mysterium! o divini consilii rationem ineffabilem! o demissionem quæ cogitatione capi non potest! o bonitatem non vestigabilem! Opifex operi sese fruendum proponit, ipsamet vita mortalibus se edendam bibendamque largitur. Venite, comedite corpus meum, hortatur, et bibite vinum quod miscui vobis. Ego meipsum in cibum præparavi, ego meipsum cupientibus miscui. Sponte caro factus sum cum ipse vita sim; ultro carnis et sanguinis particeps esse volui, cum sim Verbum et character Patris hypostaticus, ut servarem vos. 'Gustate, et videte, quoniam suavis ego Dominus.' Gustastis fructum inobedientiæ, et cognovistis acerbi consultoris quam acerbus sit cibus. Gustate nunc quoque fructum obsequii, qui mala depellit, et cognoscetis melius et utilius esse obedire Deo. . . . . Ego sum vita, et resurrectio; ego sum panis vitæ qui de cœlo descendit, et dat vitam hominibus:' excipite me tanquam fermentum in massa vestra, ut indeficientis vitæ quæ apud me est participes efficiamini. 'Ego sum vera vitis.'—'Gaudium meum bibite, vinum quod miscui vobis.' Calix enim meus inebrians me, potentissimum inebrians antidotum, tristitia quæ est in Adam lætitiam germinante. 'Ecce præparavi vobis mensam adversus eos qui tribulant vos.' Contra Eden collocavi Adamum qui locum celebrem violavit, ut ipso aspectu nondum concessæ voluptatis perpetuo suburentem dolorem acciperet. Ego vero contra eos qui vos premunt, dedi vobis mensam vitæ et gaudii effectricem, quæque osoribus vestris incredibilem dictu dolorem rependat. Comedite panem qui vestram naturam instauret. Bibite vinum immortalitatis delicias. Comedite panem veteris acerbitatis purgativum, et bibite vinum quod vulneris dolorem astringit. Hoc naturæ est medicamentum, hoc eorum qui vulnera infligunt castigatio. Factus sum propter vos vestri similis, idque natura non mutata, ut vos per me naturæ divinæ sitis participes. Mutatione igitur pulchra immutamini, ut decori, a mundo ad Deum, et a carne ad Spiritum convertamini. Factus sum vitis vera in genere vestro, ut vos in me fructus afferatis odore suaves. Sugite ambrosiæ meæ pinguetudinem, et pinguescetis."—Migne, P. G. t. 77. ep. S. Cyrilli, t. 10. p. 1015.

Ex *institutione Eucharistiæ per modum cibi ac potus* aliud argumentum, præcedenti affine, desumit Nyssenus. Sic enim ipse ratiocinatur: Christus, qui seipsum pro nobis dedit victimam Deo, discipulis ad cœnam novissimam congregatis dedit victimæ corpus edendum, et sanguinem bibendum. Sed nequit victima, nisi prius immolata, edi, sugique. Ergo Christus seipsum immolavit in cœna novissima, antequam corpus suum discipulis vescendum, et sanguinem suum traderet hauriendum. En verba S. Greg. Nysseni (in Christi resurrectionem, Orat. 1. Migne, P. G. t. 46. p. 611.):—

"Qui enim potestate sua cuncta disponit, non ex proditione sibi impendentem necessitatem, non Judæorum quasi prædonum impetum, non iniquam Pilati sententiam exspectat, ut eorum malitia sit communis hominum salutis principium et causa; sed consilio suo antevertit, et arcano sacrificii genere, quod ab hominibus cerni non poterat, seipsum pro nobis hostiam offert, et victimam immolat, sacerdos simul exsistens, et agnus Dei, ille qui mundi peccatum tollit. Quando id præstitit? cum corpus suum discipulis congregatis edendum, et sanguinem bibendum præbuit, tunc aperte declaravit agni sacrificium jam esse perfectum. Nam victimæ corpus non est ad edendum idoneum, si animatum sit. Quare cum corpus edendum, et sanguinem bibendum discipulis exhibuit, jam arcana et non aspectabili ratione corpus erat immolatum, ut ipsius mysterium peragentis potestati collibuerat."

Ex *Novi Testamenti constitutione* nova adhuc probatio colligitur, quoad sacrificii Eucharistiæ veritatem. Etenim in ultima cœna Christus Novum Testamentum condens, et dicens: "Hic est sanguis meus Novi Testamenti," alludebat ad Veteris Testamenti institutionem, et ad verba Moysis (Ex. XXIV. 8.), qui, sumpto, aspersoque sanguine in populum, dixit: "Hic est sanguis fœderis, quod pepigit Dominus vobiscum." Opponit ergo se Christus Moysi, sanguinem suum vitulorum sanguini, Apostolos populo Judæorum, aspersionem aspersioni, testamentum testamento: et sicut Moyses extrinsecus aspersit Judæos vitulorum sanguine, et cum eis, effusione sanguinis animalium, testamentum seu pactum Dei firmavit; ita in ultima cœna Christus intrinsecus sanguine suo aspersit Apostolos, et Novum Testamentum, seu novum pactum, non cum solis Judæis, verum cum omnibus omnino gentibus, quæ

Evangelium reciperent, confirmavit.—At Veteris Testamenti institutionem, sanguine *victimæ immolatæ* firmatum fuit; et quidem victimæ quæ Christum ipsum, pro salute mundi et ad novum pactum firmandum, victimam repræsentabat. Ergo institutio Testamenti Novi, in cœna novissima, confirmata fuit sanguine Christi, tamquam victimæ Deo immolatæ in sacrificium.

Ex *perfectione cultus Christianæ Ecclesiæ* non minus efficaciter veritas sacrificii Eucharistiæ demonstratur. Enimvero nulla ratio patitur ut christiana societas careat sacrificio, quo Deum colat; sacrificium enim præcipuus actus est cultus erga Deum, et dici nequit Christum Ecclesiam suam imperfectam reliquisse in eo, quod maxime honorem Dei spectat, nostræque erga eum devotionis significationem. Quamobrem Petrus Venerabilis Abbas Cluniacensis, epistola contra Petrobrusianos (Migne P. L. t. 189. p. 793.) sapienter dicebat: "Mirum valde si præcipuus, ut jam dictum est, deitatis cultus Deo nostro tempore non defertur, qui omni ante nostra tempora tempore, summo studio, sollicita devotione frequentabatur. Mirum si Christiani a sacrificiis uni Deo offerendis arcentur, cum patriarchæ, prophetæ, Judæi, gentiles, fideles ab ipso Deo ipsi Deo sacrificare cogantur. Mirum nunc primum de mundo divina auferri sacrificia, cum numquam mundus in retroactis generationibus suis absque sacrificiorum sacris fuerit. Nam nec in profundis ignorantiæ et nequitiæ suæ tenebris ita a Deo periit, ut non haberet aliquos, etsi paucos, qui et per justitiam Deum colerent, et per sacrificia eum se colere demonstrarent. At nunc si novam vestram doctrinam mundus exaudiat, faciet quod nunquam fecerat. . . . Erit his temporibus gratiæ, quod nunquam fuit nec tempore iræ, ut, Christianis Deo sacrificare cessantibus, cultus qui semper in mundo fuerat, omnino de mundo pereat, et qui Deum ritu suo colens, Deo esse subditus probatur, cultum ejus abjiciens, absque aliquo Deo prorsus esse videatur."

Sed hoc extra controversiæ aleam posito, nimirum, Ecclesiam christianam suum proprium habere sacrificium, a Christo Domino institutum, quo Deum maxime colat; jam facillime ostendi potest Eucharistiam illud esse sacrificium, cum nullum aliud præter sacrificium Eucharistiæ assignari liceat. Et re quidem vera, dubium unice occurrere posset quoad crucis sacrificium; at illico dubium evanescit, dum hæc

attenduntur.—*a*) Sacrificium quod Christus Dominus in cruce obtulit, nequit dici *sacrificium proprium* christianæ religionis, nam illud, utpote sacrificium *redemptionis*, respicit, qua tale, non modo Christianos, sed quotquot fuerunt ab initio mundi a Christo redempti.—*b*) Sacrificium crucis, ut sacrificium *redemptionis*, nequit dici quod a nobis oblatum fuerit; et opus fuit pro redemptione nostra consummatum, non autem opus, quo nos exhibemus cultum Deo.—*c*) Illud sacrificium in cruce oblatum fuit antequam societas christiana cœperit, ac proinde nequit dici fuisse sacrificium in ea et ab ea societate religiosa oblatum Deo.—*d*) Illud cruentum sacrificium quod semel peractum fuit, et iterari non poterat, nequit esse pro Christianis omnibus usque ad consummationem sæculi existentibus sacrificium *externum, visibile* quo colant Deum.

Demum in Eucharistia *omnia quæ ad verum sacrificium requisita sunt reperiuntur*, ideoque in ea verum et proprie dictum sacrificium offertur Deo. Etenim *qui principaliter offert* Christus est; sacerdos vero, sacrificium offert ut *minister proximus* ad hoc munus specialiter consecratus:—*quod offertur*, est ipse Christus sub speciebus eucharisticis:—ille *cui* oblatio fit, solus est Deus;—*pro Ecclesia et pro singulis fidelibus offertur*:—institutio divina constat ex Ps. CIX., illis verbis: "Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech;" et ex verbis Christi prolatis in ultima cœna: "Hoc facite in meam commemorationem:"—nec *actio sacrifica* deest in hoc mysterio, in quo verbis consecrationis, dum separatim vi verborum præsens fit corpus a sanguine, quasi mactatur victima, quæ ponitur sub speciebus alienis, in statu cibi ac potus:—hæc autem abunde sufficiunt ad *æquivalentem* destructionem victimæ. Sed de actione sacrifica dicemus inferius.

IV. Documenta *Traditionis*, quæ veritatem sacrificii Eucharistiæ ostendunt, supervacaneum ducimus singillatim hic afferre, cum hactenus, tum pro aliarum thesium probationibus, tum directe pro præsenti thesi, tot loca attulimus Patrum, tot decreta Conciliorum, tot ecclesiasticæ historiæ facta, ut plenissimæ luci oculos claudere debeat qui absolutam ac superabundantem demonstrationem ex illis pro re nostra exurgere diffiteatur.

Itaque, in summa quasi redigentes quæ sparsim in testimoniis, decursu hujus tractatus citatis, habentur, dicimus:

1. In omnibus liturgiis et a Patribus omnium ætatum celebrationem Eucharistiæ appellari *sacrificium, immolationem, oblationem*, et quidem in talibus adjunctis, ut appareat omnino sermonem esse de vero ac proprii nominis sacrificio.

2. Patres et Liturgias tradere sacrificium hoc ita perenniter celebrari, ut quotidie victima semper eadem offeratur et immoletur et hanc victimam nonnisi Agnum Dei esse, "qui numquam moritur immolatus, et semper vivit occisus; qui postquam super altare in mysterio panis et vini, ore sacerdotum, tamquam spirituali gladio mactatur, fideles reficit atque sanctificat."

3. Sacrificium hoc in nocte cœnæ fuisse institutum a Christo Domino, "cum panem et vinum in sacramentum sui corporis et sanguinis transmutavit:"—et mandavit sacerdotibus ut illud offerrent quod ipse Christus "tum primus obtulit et offerri docuit."

4. Sacrificium perenne Novi Testamenti fuisse in V. T. prænuntiatum, et successisse sacrificiis typicis veteris legis. "Mensam sacerdos ipse Mediator Novi Testamenti exhibet, secundum ordinem Melchisedech, de corpore et sanguine suo; id enim sacrificium successit omnibus illis sacrificiis Veteris Testamenti, quæ immolabantur in umbra futuri . . . quia pro illis omnibus sacrificiis et oblationibus corpus ejus offertur, et participantibus ministratur." S. Aug. de Civ. Dei, l. 17. n. 20.

5. Sacrificium Eucharistiæ a solis sacerdotibus offerri; qui soli possunt, per verba consecrationis Eucharistiæ, divinam victimam immolare. "O cultor Dei sanctissime," scribebat S. Gregorius Nazianzenus in epistola (171. al. 240.) ad S. Amphilochium, "ne cuncteris et orare et legatione fungi pro nobis, quando verbo Verbum attraxeris, quando incruenta sectione secaveris corpus et sanguinem dominicum, vocem adhibens pro gladio."

6. Sacrificium Eucharistiæ a sacrificio semel in cruce oblato ita distingui, ut una quidem numero sit victima, sed diversa actio sacrifica; et incruentum altaris sacrificium repræsentare cruentam Christi mortem in ara crucis. "Quid vero? an non quotidie nos offerimus? offerimus quidem, sed ejus mortem revocamus in memoriam, et ipsa [hostia] una est non multæ. . . . Ut ergo multis in locis oblatum unum est corpus, ita etiam unum sacrificium. Pontifex noster ille est, qui illam obtulit hostiam, quæ nos mundat. Illam nunc quoque offerimus, quæ tunc fuit

oblata, quæ non potest consumi." S. Joan. Chrysostomus Hom. 17. in Ep. ad Heb. n. 3.

Præcipuas adversariorum objectiones commemoramus et solvimus.

1.—Juxta Apostolum, ad Heb. VII., non est in nova lege nisi unus sacerdos, Christus; ait enim Paulus: "Alii quidem plures facti sunt sacerdotes, idcirco quod morte prohiberentur permanere; hic autem, eo quod maneat in æternum, sempiternum habet sacerdotium."—Ergo non sunt in nova lege alii, præter Christum sacerdotes, qui in terris, post ejus mortem, verum et proprii nominis offerant sacrificium.

Resp. *Dist. Ant.* Non est in nova lege, nisi unus sacerdos principalis, *C.* Ministerialis, *N.* In hoc ergo situm est discrimen, quod Apostolus statuit inter sacerdotes antiquæ legis et novæ, quod sacerdotes antiquæ legis, cum morte prohiberentur permanere, haberent successores in eodem gradu dignitatis et potestatis; ideoque Aaroni successit Eleazar, Phinees, et sic de ceteris: in nova autem lege, cum sacerdos Christus maneat in æternum, non habet utique successores in eadem dignitate, excellentia et potestate; habet tamen ministros, sicut etiam summi sacerdotes ministros habebant in lege veteri. "Idem nunc," ait Tridentina Synodus, sess. 22. cap. 2., "offerens [est] sacerdotum ministerio, qui seipsum tunc in cruce obtulit, sola offerendi ratione diversa."

2.—Juxta doctrinam Pauli, ad Hebræos, cap. cit., unicum sacrificium est in nova lege, nempe sacrificium crucis; et si aliud daretur ab hoc sacrificio distinctum, hujus excellentiæ et merito derogaretur. Hæc sunt enim verba Apostoli: "Qui non habet necessitatem quotidie, quemadmodum sacerdotes [veteris legis] prius pro suis delictis hostias offerre, deinde pro populi; hoc enim fecit semel seipsum offerendo:" et c. 10. vv. 11–14.: "Et omnis quidem sacerdos," ait, "præsto est, quotidie ministrans, et easdem sæpe offerens hostias, quæ numquam possunt auferre peccata: hic autem unam pro peccatis offerens hostiam, in sempiternum sedet in dextera Dei, de cetero exspectans, donec ponantur inimici ejus scabellum pedum ejus. Una enim oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos:" unde concludit, v. 18.: "Ubi autem horum [peccatorum] remissio, jam non est oblatio pro peccato."—Ergo.

Resp. *Dist. Ant.* quoad 1^am^ partem. Est unicum in nova lege sa-

crificium quoad substantiam hostiæ *C.* Quoad modum eamdem hostiam offerendi N. Similiter *Dist. Ant.* quoad 2^{am} partem. Si daretur aliud sacrificium a sacrificio crucis distinctum, quod esset ad solutionem pretii pro redemptione et sanctificatione totius generis humani, virtuti atque efficaciæ sacrificii crucis esset derogans *C.* Si aliud sacrificium daretur, a sacrificio crucis quoad modum offerendi distinctum, non ad solutionem pretii pro redemptione et sanctificatione nostra, sed ad applicationem ejusdem pretii, excellentiæ sacrificii crucis derogaretur N.

In locis citatis, manifestum est Apostolum loqui de cruenta Christi oblatione, quam ita docet ad expiationem peccatorum esse sufficientem, ut nulla umquam ejusdem cruentæ oblationis repetitione opus esse possit, quia ad exhibendum pretium peccatis totius mundi necessarium abundantissime suffecit unica illa oblatio. At incruenta oblatione corporis et sanguinis Christi, quæ fit in Missa, non hoc agitur, ut per eam pretium aliud solvatur divinæ justitiæ, quo peccata redimantur; sed ut pretium unicum, illo crucis sacrificio jam Deo solutum et nobis comparatum ad peccatorum remissionem, et ad cetera salutis dona consequenda, nobis applicetur. Quare sicut sacrificium crucis non excludit baptismum, aliaque sacramenta, quibus a peccatis purgamur, renovamur et sanctificamur, ita sacrificium incruentum Eucharistiæ non excludit; neque istud virtuti sacrificii crucis quidquam derogat.

3—In Eucharistiæ celebratione repræsentatio fit sacrificii:—ergo non fit sacrificium.

Resp. *Dist. Ant.*—Repræsentatio sacrificii solum fit *N.* Etiam *C.* et *N. conseq.*—Sicut ad rationem sacrificii non sufficit esse figuram aut repræsentationem sacrificii; ita non est contra rationem sacrificii, quod repræsentatio sit alterius sacrificii, si necessaria ad sacrificium constituendum concurrant, ut concurrere possunt. Et certe sacrificia veteris legis, et agnus paschalis et sacrificium Melchisedech fuerunt vera sacrificia, simulque typicæ repræsentationes alterius futuri sacrificii. Nec mirum id esse debet, quia in signis ad placitum sæpe contingit dari signum et signum signi, et utrumque veram rationem signi participare; ac proinde sacrificium, quod est signum ad placitum, utique dari potest, quod in se conditiones habeat ad verum sacrificium constituendum, et simul institutum sit ad aliud sacrificium significan-

dum. Id autem in Eucharistiæ mysterio contingit, quod verum sacrificium incruentum est, simulque cruentum Christi sacrificium in cruce oblatum repræsentat.

4.—Eucharistia est sacramentum, quod dat nobis Deus: ergo non est sacrificium, quod nos damus Deo.

Resp. *C. Ant. N. conseq.*—Potest enim idem mysterium, diversis rationibus, sacrificium esse et sacramentum; nam eadem res, quæ in Dei honorem, et ad agnitionem supremi ejus in nos dominii consecratur, potest deinde ad sanctificationem nostram ordinari, nobisque tradi.

5.—Eucharistia est testamentum; ergo nequit esse sacrificium; nam per testamentum testator aliquid nobis largitur; et nos aliquid offerre debemus Deo per sacrificium.

Resp. *Neg. Conseq.*, et ad probat. notamus sacrificium non in eo est quod aliquid Deo offeratur, atque sub ejus dominio constituatur quod antea erat nostrum, sed in eo essentialiter consistit quod per destructionem, saltem æquivalentem, alicujus rei, in signum institutæ, profiteamur Deum esse auctorem vitæ et mortis nostræ: ad hoc autem faciendum accipere possumus a Deo ipso victimam, quam ei offeramus. Quare Deus nobis victimam non habentibus idoneam, concedit sacrificare Filium suum, quem simul et a Deo accipimus, et ei offerimus in sacrificium.

Quod ut paulo fusius declaretur, animadvertimus, Eucharistiam dici posse testamentum 1.—quia est id quo Novum Testamentum confirmatum est (vide supra p. 286.). 2.—Quia hæreditas testamento legata testamentum quandoque appellari solet, et id quod præcipue Ecclesiæ suæ in Novo Testamento Christus legavit fuit corpus et sanguis ejus in Eucharistia. 3.—Quia testamentum vocatur instrumentum significans et continens voluntatem testatoris; et Eucharistia hoc etiam modo potest dici testamentum, tamquam signum et instrumentum continens ac significans voluntatem Christi, et liberalem omnium bonorum ejus largitionem nobis factam.—Sed nulla ex his rationibus, juxta quas Eucharistia ut testamentum sumitur, impedit quominus vere sit sacrificium. Idem sanguis, quo Novum Testamentum confirmatum est, poterat consecrari in sacrificium; eadem res quæ nobis a Deo, et a Christo in hære-

ditatem hujus vitæ, et in pignus æternæ hæreditatis donata est, poterat profecto offerri Deo in ejus honorem, in sacrificium; immo nihil convenientius fieri potuit.

6.—Christus in cœna novissima cum consecravit Eucharistiam, non obtulit sacrificium.—Ergo nec sacrificium sacerdotes offerunt cum Missam celebrant. Probatur autem antecedens, quia si Christus in ultima cœna sacrificium obtulisset, illud infiniti valoris esset et redemptionem nostram absolvisset, sicque supervacaneum omnino fuisset sacrificium crucis.

Resp. *N. Ant. et prob.*—Ratio, quam afferunt adversarii, non modo, si valeret, ostenderet, sacrificium in ultima cœna a Christo oblatum crucis sacrificium inutile reddidisse; sed omnes alias, imo et singulas Christi actiones sacrificium crucis reddidisse superfluum; quælibet enim actio Christi, utpote infiniti valoris, sufficiens fuisset ad satisfaciendum pro nobis divinæ justitiæ, et ad redemptionem nostram perficiendam. Verum, juxta catholicam fidem, quamvis admittamus excellentiam hanc actionum Christi et sufficientiam earum ad satisfaciendum, si valor, quem ex dignitate personæ satisfacientis infinita habent, spectetur; tenemus tamen Christum voluisse, ut perfectissimam suam erga Patrem obedientiam et flagrantissimam pro salute nostra charitatem ostenderet, redemptionem nostram et sanctificationem, ut superius declaravimus, in cruce absolvere. Sacrificium ergo a Christo oblatum in ultima cœna fuit per modum applicantis redemptionem, jam inchoatam, sed in cruce per cruentum sacrificium consummandam.

7.—Patres dicunt in Eucharistia Christum non immolari vere et realiter, sed mystice. Ergo docent Eucharistiam non esse veri nominis sacrificium, sed solum sacrificii crucis repræsentationem.

Resp. *Dist. Ant.*—Quidam inter Patres, et post eos S. Thomas, 3. q. 83. a. 1., dixerunt Christum in Eucharistia non immolari realiter, sed mystice, quia nomine immolationis mactationem cruentam victimæ significabant *C.* Quia negabant in Eucharistia verum et proprii nominis sacrificium Deo offerri *N.* et *N. Cons.*

Scholion.—Etsi sacrificium Missæ non differat essentialiter a sacrificio incruento, quod in cœna novissima Christus obtulit, distinguitur

tamen ab eo quibusdam conditionibus accidentalibus, quas hic breviter enumeramus.—1. Ex parte rei oblatæ differentia est in eo quod in cœna oblatus est Christus mortalis : nunc vero in Missa offertur immortalis et gloriosus.—2. Ex parte sacerdotis proxime offerentis, quia tum, in cœna, Christus per se ipsum obtulit sacrificium, nunc vero illud offert per manus sacerdotis.—3. Sacrificium Missæ differt a sacrificio cœnæ, quia hoc sacrificium significabat mortem Christi in cruce tunc futuram, nunc vero sacrificium Missæ significat mortem illam jam præteritam : at differentia hæc non oritur ex parte signorum, sed solum ex parte rei significatæ ; ideoque differentia est solummodo accidentalis, et eo magis quod ex intentione Christi sacrificium Eucharistiæ institutum fuit ut esset permanens pro tempore in quo mors ejus peracta esset. —4. Differentia accidentalis est etiam inter sacrificium Missæ et sacrificium cœnæ, quia sacrificium cœnæ non fuit imago alterius sacrificii incruenti, sed veritas respectu sacrificiorum præteritorum, præsertim Melchisedech, et exemplar respectu nostri; sacrificium vero Missæ, quamvis sit etiam veritas respectu sacrificiorum antiquorum, est tamen imago vera et repræsentatio ipsiusmet sacrificii cœnæ.—5. Differentiæ aliæ sunt accidentales ratione temporis, loci, hujus vel illius numero materiæ panis et vini, apparatus cæremoniarum accidentalium, etc.

ARTICULUS QUINTUS

De essentia sacrificii Eucharistiæ.

Post sacrificii Eucharistiæ vindicationem, nobis inquirendum est quænam sit in Missæ celebratione actio in qua essentia sacrificii hujus consistat : quatuor quippe sunt in Missa, de quibus dubitari potest, et circa quæ disputatio habetur inter Theologos.

Primo igitur *consecratio* est panis et vini, per quam conversio eorum fit in corpus et sanguinem Christi ; secundo est *oblatio*, quæ post consecrationem fit illis verbis : "Unde et memores, Domine, nos servi tui, sed et plebs tua sancta ejusdem Christi Filii tui Domini nostri tam beatæ passionis . . . . offerimus præclaræ Majestati tuæ de tuis donis ac datis, Hostiam puram, hostiam sanctam, hostiam immaculatam ;". . . . tertio

est *fractio* hostiæ consecratæ et *commixtio* partis ejus cum sanguine; demum est *communio* sacerdotis sub utraque specie. Num in his omnibus, an in aliquibus, an in uno eorum Eucharistiæ sacrificii essentia reponenda est?

Ad solutionem hujus quæstionis, adnotamus in primis partes alicujus rei compositæ alias esse *essentiales*, alias *integrantes:* sine partibus essentialibus res non est talis naturæ; essentia vero rei salva consistit sine partibus integrantibus. Hac ergo distinctione in sacrificio Eucharistiæ facta, juxta communem Theologorum sententiam dicimus in sola Eucharistiæ consecratione essentiam sacrificii consistere, et ad integritatem ejus referri utriusque speciei consecratæ sumptionem, quæ a sacerdote fit in Missa.

Sed jam ulterius quæri potest, sub quanam ratione consecratio ipsa formaliter sit actio sacrifica, et verum constituat sacrificium?

Quidam theologi, quorum dux est Vasquez (in 3. D. Th. disp. 220. et 222.), docent sacrificium Missæ consistere in mera repræsentatione mortis Christi. Ut autem id adstruat, distinctionem Vasquez inducit inter sacrificium *absolutum* et sacrificium *relativum:* in absoluto, ait, per aliquam physicam destructionem victimæ fit protestatio divinæ omnipotentiæ; in sacrificio autem relativo circa victimam ipsam repræsentatio fit ejus immolationis. Quapropter Eucharistia, inquit, est verum sacrificium, sed relativum non absolutum; quia etsi nulla in ea immolatio victimæ fiat, victima tamen in cruce immolata præsens sistitur, et circa illam cruenta ejus mors repræsentatur.

Hanc sententiam Concilium Tridentinum proscripsisse affirmare nolumus, quia Œcumenica illa Synodus damnavit hæresim, quæ celebrationem Eucharistiæ nudam commemorationem sacrificii crucis ita esse autumat, ut simul eam non esse verum sacrificium proterve affirmet. Sed negare non possumus in sententia Vasquesii, controversiam inter catholicos et Lutheranos de sacrificio Missæ potius videri esse de nomine, quam de re ipsa: et hoc est omnino falsum.

Refutatur autem opinio Vasquesii optimis argumentis.

Et 1. Sacrificium proprie dictum non quocumque modo est realis protestatio supremi dominii Dei, seu, ut Vasquez loquitur, nota realis supremi dominii Dei in vitam et mortem, sed modo determinato, scilicet per rei immutationem et, saltem morali æstimatione, æquivalentem destru-

ctionem :—quod Vasquez ipse de sacrificio absoluto fatetur et contendit. Sed hoc concesso sequitur per relationem ad sacrificium absolutum ejusdemque repræsentationem posse quidem haberi aliquam supremi dominii protestationem, at nullam protestationem sacrificii propriam. Ergo non potest intelligi ratio sacrificii ex sola repræsentatione sacrificii absoluti. Et sane longe aliud est, quod hic et nunc per rei destructionem fiat professio et protestatio supremi dominii et absolutæ nostræ dependentiæ, in quo propria ratio sacrificii, illud distinguens ab omnibus aliis actibus religionis, sita est; et aliud est, quod solum repræsentetur talis agnitio supremi dominii, alibi per rei destructionem facta.

2. Quando dicitur *sacrificium relativum*, duo dicuntur; esse scilicet illud imprimis in se verum sacrificium, deinde vero referri ad aliud. Quatenus est verum sacrificium non differt a sacrificio absoluto, sed unice in eo differt, quod unum refertur, alterum non refertur ad aliud sacrificium. Utrum ergo sacrificium sit absolutum an relativum, perinde omnino est respectu notarum essentialium ad rationem *veri sacrificii;* quamobrem si istæ notæ desint in relativo, poterit illud esse aliquod aliud signum, alius actus repræsentans sacrificium absolutum, sed non poterit esse *verum sacrificium.*

3. Sacrificia veteris legis repræsentabant etiam Christi mortem, et immolationem futuram; non tamen id satis erat, ut illa essent vera sacrificia, nisi in se ipsis continerent realiter destructionem alicujus rei tunc sacrificatæ: ergo quod in Missa detur commemoratio, seu repræsentatio mortis Christi, non erit satis, si nihil aliud adsit, ut dicatur Missa vere et simpliciter sacrificium, sed solum secundum quid, seu repræsentative.

Nec quidquam valet in re præsenti Vasquesii effugium:—in sacrificiis, antiquis, licet daretur repræsentatio mortis Christi, non tamen intervenisse ipsum Christum præsentem, et ideo non potuisse tunc illum sacrificari; nihil enim potest sacrificari nisi ubi adest: in Eucharistia vero realiter adesse Christum, in qua repræsentatio fit mortis ejus præteritæ; ideoque posse vere ibi sacrificari. Cardinalis de Lugo aperte ostendit repræsentationem mortis Christi factam in Eucharistia, *in qua præsens adest Christus,* per se solam non sufficere ad verum sacrificium constituendum. Etenim, "licet," inquit de Lugo (de Sacramento Eucharistiæ disp. 19. sect. 4. num. 58.), "adsit in tragœdia præsens rex

ipse, qui olim vulneratus est, et repræsentative vulneraretur, non tamen vere et realiter diceretur vulnerari : item licet filia Jephte, quæ olim fuit sacrificata, nunc resurgeret, et adesset in tragœdia qua sua mors repræsentaretur, non diceretur nunc vere et proprie sacrificari."

4. Frustra conatur P. Vasquez sententiam suam confirmare ex Sanctis Patribus; nam ii omnes utique dicunt hoc sacrificium esse commemorativum sacrificii crucis, quod et nos sæpissime declaravimus; sed non dicunt *ideo* convenire ei essentiam sacrificii, *quia* est commemorativum sacrificii crucis; immo contrarium docent, cum aliam rationem assignent, juxta quam docent Eucharistiam esse verum et proprii nominis sacrificium.

Opinione Vasquesii refutata, dicimus essentiam sacrificii Missæ in mystica immolatione, quæ per consecrationem fit, consistere, quatenus *vi verborum* formæ ponitur corpus Christi sub specie panis, et seorsim sanguis sub specie vini; sicque Christus sub speciebus alienis tamquam mortuus constituitur, et in statu in quo edi ac potari possit. Doctrina de Eucharistiæ sacrificii essentia sic proposita defenditur a multis, inter quos accenseri debet Cardinalis Franzelin; et dum communiorem Theologorum opinionem de sacrificii ratione formaliter reponenda in separatione corporis Christi a sanguine vi verborum consecrationis conciliat cum sententia Cardinalis de Lugo, qui contendit rationem formalem sacrificii Missæ inveniri in eo, quod Christus in Eucharistia per consecrationem ponatur "*in statu decliviori*," in eo scilicet statu quo sit tamquam mortuus; præcipuas vitat difficultates, quæ contra unum vel alium modum explicandi sacrificium, si exclusive statuatur, urgeri possent.

His præmissis, subjungitur

THESIS XVI.

Consecratio utriusque speciei Eucharistiæ essentialiter constituit sacrificium ; et communio sacerdotis celebrantis Missam nonnisi ad integritatem sacrificii pertinet. Ratio vero formalis, propter quam in consecratione sacrificium, quantum ad ejus essentiam, perficitur, est quia vi verborum consecrationis ponitur corpus Christi sub specie panis, et seorsim sanguis sub specie vini, sicque Christus sub alienis speciebus constituitur tamquam mortuus, et in statu in quo edi, potarique possit.

Probatur 1ma pars thesis, qua statuimus essentiam sacrificii reponendam esse in consecratione

1. Ex *Doctrina Patrum*, qui communiter tradunt Christum tum in cœna sacrificium obtulisse, cum discipulis suis obtulit corpus suum ad manducandum et sanguinem ad bibendum ; et statuunt nos in sacrificio Missæ, verbis consecrationis, infiniti valoris victimam immolare. Sequentes textus valeant ad exemplum.

S. Irenæus (Contra hæreses, lib. 4. c. 17. n. 5.), ait: "Eum, qui ex creatura panis est, accepit [Christus], et gratias egit, dicens: 'Hoc est corpus meum.' Et calicem similiter, qui est ex ea creatura, quæ est secundum nos, suum sanguinem confessus est, et Novi Testamenti *novam docuit oblationem;* quam Ecclesia ab Apostolis accipiens, in universo mundo offert Deo."

S. Gregorius Nazianzenus (ep. 171. al. 240. ad S. Amphilochium) dicit: "Ne cuncteris et orare et legatione fungi pro nobis, quando verbo [consecrationis] secaveris corpus et sanguinem dominicum, vocem adhibens pro gladio."

S. Joan. Chrys. (hom. 1. de proditione Judæ, n. 6.) inquit: Hæc vox [*hoc est corpus meum*] semel prolata in Ecclesiis ad unamquamque mensam, ab illo usque ad hodiernum tempus et usque ad adventum ejus, sacrificium perfectum efficit."

S. Ambrosius (in Ps. xxxviii. n. 25.) ait: "Sequimur [Principem sacerdotum] ut possumus sacerdotes, ut offeramus pro populo sacrificium, etsi infirmi merito, tamen honorabiles sacrificio ; quia etsi nunc Christus non videtur offerre, tamen ipse offertur in terris, quando

Christi corpus offertur; imo ipse offerre manifestatur in nobis, cujus sermo [consecrationis scilicet] sanctificat sacrificium, quod offertur."

S. Gregorius Nyssenus (Orat. 1. in Christi resurrectionem), præclara hæc habet: "Qui [Christus] . . . . seipsum pro nobis hostiam offert, et victimam immolat, sacerdos simul existens et agnus Dei, ille, qui mundi peccatum tollit. Quando id præstitit? cum corpus suum discipulis congregatis edendum et sanguinem bibendum exhibuit; tunc aperte declaravit, agni sacrificium jam esse perfectum."

S. Cyrillus Hierosol. (Catech. mystag. 5. n. 8.), aperte dicit: "Postquam vero perfectum est spirituale sacrificium, incruentus cultus, super illam propitiationis hostiam obsecramus Deum pro communi Ecclesiarum pace: pro recta mundi compositione: pro imperatoribus; pro militibus et sociis: pro iis, qui infirmitatibus laborant; pro his, qui afflictionibus premuntur: et universim pro omnibus, qui opis indigent, precamur nos omnes et hanc victimam offerimus. Postea recordamur eorum quoque qui obdormierunt: primum patriarcharum, prophetarum, apostolorum, martyrum, ut Deus eorum precibus et legationibus orationem nostram suscipiat. Deinde et pro defunctis sanctis patribus et episcopis, et omnibus generatim, qui inter nos vita functi sunt [oramus]; maximum hoc credentes adjumentum illis animabus fore, pro quibus oratio defertur, dum sancta et per quam tremenda coram jacet victima."

S. Gregorius Magnus (Dialog. l. 4. c. 58.) ait: "Hæc namque singulariter victima [Christus] ab æterno interitu animam salvat; quæ illam nobis mortem Unigeniti per mysterium reparat, qui licet resurgens a mortuis jam non moritur, et mors ei ulta non dominabitur, tamen in semetipso immortaliter atque incorruptibiliter vivens, pro nobis iterum in hoc mysterio sacræ oblationis immolatur. . . . . . Quis enim fidelium habere dubium possit, *in ipsa immolationis hora ad sacerdotis* vocem cœlos aperiri, in illo Jesu Christi mysterio Angelorum choros adesse, summis ima sociari, terrena cœlestibus jungi, unumque ex visibilibus atque invisibilibus fieri?"

Porro immolationis hora, de qua loquitur S. Gregorius, sine dubio est illa in qua sacerdos consecrationis verba pronuntiat, ut Bellarminus ipse fatetur, nam "illa est hora, qua ad sacerdotis vocem Christus vere in altari esse incipit . . . . et id est ima summis conjungi, terrena cœlestibus sociari, et unum quid ex visibilibus et invisibilibus fieri; neque

dubium est, quin ob Christi præsentiam, Angeli de cœlo in terram veniant."[1]

II. Ex *Auctoritate S. Thomæ,* qui clarissime excludit etiam sumptionem sacerdotis, ut partem essentialem sacrificii, et hujus essentiam adæquate docet consistere in consecratione. Etenim in 3. q. 79. a. 5. ait: "Eucharistiam habere rationem sacrificii in quantum offertur, rationem vero sacramenti in quantum sumitur;" et q. 82. art. 4. ad 1. inquit: "Consecratio chrismatis, vel cujuscumque alterius materiæ, non est sacrificium, sicut *consecratio Eucharistiæ.*"—Deinde, q. 83. a. 4., ubi omnes fere cæremonias Missæ declarat, ita habet: "Quarto petit [sacerdos] hoc sacrificium peractum, esse Deo acceptum, cum dicit: *supra quæ propitio ac sereno vultu,*" etc.—Sed hanc orationem sacerdos fundit statim post utriusque speciei consecrationem: ergo juxta S. Thomam tunc peractum est jam sacrificium.—Demum 3. q. 82. a. 10. aperte ait sacerdotem teneri ad Eucharistiam consecrandum "principaliter per comparationem ad Deum, cui *consecratione hujus sacramenti sacrificium offertur:*" et in eodem articulo, in responsione ad 1. dicit: "Hoc sacramentum perficitur in *consecratione Eucharistiæ, in qua sacrificium* Deo offertur."

III. Ex *Ratione Theologica,* quæ hoc modo proponi potest. Actio essentialiter constituens sacrificium est ea, quæ fit a sacerdote in persona Christi. Atqui illa actio nonnisi consecratio est utriusque speciei Eucharisticæ. Ergo.—*Major* videtur per se patens; nam Christus est principaliter offerens sacrificium, ac proinde ipse est principaliter actionem perficiens, quæ essentialiter constituit sacrificium: in ea igitur actione essentia sacrificii absolvitur, in qua Christus principaliter agit, agens per ministrum suum, sacerdotem nempe in terris, qui nomine, et in persona ejus loquitur.—*Minor* constat, nam in consecratione solum sacerdos loquitur verbis Christi, ideoque agit in persona Christi; cetera vero quæ in Missa fiunt a sacerdote peraguntur ut a publico ministro Ecclesiæ, et dicuntur sive nomine totius Ecclesiæ, sive nomine ipsius sacerdotis proprio.

Confirmatur 1. ex exclusione aliarum actionum, quæ essentiam sacrificii Missæ nequeunt continere.

---

[1] Bellarminus, de Missa l. 1. c. 27.

Et re quidem vera, *oblatio consecrationem subsequens* non est de essentia sacrificii; nam *a*) per illam oblationem nihil circa rem oblatam fit, sed solummodo deprecatio quædam, quæ fieri, immo et sæpius iterari potest, peracto sacrificio; *b*) Christus illam non adhibuit in nocte cœnæ, neque a sacerdote fit in persona Christi, neque etiam constat Ecclesiam illam semper adhibuisse.

Præterea *fractio hostiæ, mixtioque particulæ ejus cum speciebus vini consecrati*, nullatenus ad essentiam sacrificii pertinent; quod ex modo dictis perspicuum est. Nulla enim actio est de essentia sacrificii Eucharistiæ, quam non adhibuerit Christus in cœna: ipse vero fractione mystica hostiæ consecratæ et commixtione particulæ ejus in calice non est usus. Item, substantia sacrificii Eucharistiæ eadem est in universa Ecclesia, et pro omni tempore: hæc autem cæremonia fractionis et mixtionis hostiæ, quamvis antiquissima, non fuit tamen universalis, ut constat ex liturgia S. Basilii, in qua nulla extat illius mentio. Insuper, potest aliquando contingere ut cæremonia ista prorsus omittatur, et id etiam inculpabiliter evenire potest, quin sacrificium imperfectum maneat. "Quod fractio hostiæ consecratæ," ait S. Thomas (3. q. 83. a. 6. ad 6.), "et quod una sola pars mittatur in calicem, respicit corpus mysticum,[1] sicut admixtio aquæ significat populum, et ideo horum prætermissio non facit imperfectionem sacrificii."

Demum *ipsam sumptionem utriusque speciei consecratæ a sacerdote celebrante* non esse de sacrificii essentia, ostenditur 1. quia sumens non agit in persona Christi, cum non offerat aliquid, sed sibi et in propriam utilitatem aliquid recipiat. 2. De fide certum est Christum consecrasse; quod vero se communicaverit, quamvis sit probabilius, non est tamen

[1] Cæremoniæ hujus significationem ita Cardinalis Toleto declarat (in 3. controv. 5. de Missa):

"Ista fractio trina significat trinam fractionem corporis Christi: in manibus pedibusque per clavos; in corde per lanceam. Significat etiam tres fidelium status. Beatorum statum significat particula una, quæ in calicem mittitur; quia illi perfecte fruuntur fructu redemptionis. Altera particula, quæ olim servabatur usque in finem Missæ et tunc consumebatur, significat exsistentes in Purgatorio. Tertia, quæ olim statim consumebatur, significat viatores, qui hoc cibo pascuntur in hac peregrinatione. Ita explicat Sergius Papa cap. *Triforme* de consecr. d. 2., ubi dicit particulam immersam sanguini significare Christum in gloria; particulam servatam, Christum in limbo et sepulchro; aliam Christum in via. Jam non est mos servandi particulam; sed simul cum altera sumitur.

Alii aliter explicant. Dicunt enim partem calici immersam significare viatores, qui in hujus mundi laboribus versantur. Vide Gabrielem lect. 80. super Canonem."

fide certum. 3. Cap. *Relatum* de consec. d. 2. redarguuntur Presbyteri sacrificantes et non communicantes. 4. Sumptio supponit victimam jam mactatam, et non est nisi participatio sacrificii oblati. 5. Non est actio immutativa nisi localiter, remanet enim, ea non obstante, corpus Christi sub speciebus;—neque dicas immutationem fieri in stomacho, dum consumuntur species, nam actio sacrificativa debet fieri in altari, et non in hominis stomacho. 6. Tandem sumptio est repræsentativa sepulturæ Christi tantum, non vero mortis ejus nisi mediate, et ex suppositione quod immolatus prius fuerit.

Probatur 2da pars thesis, quatenus in ea statuimus *sumptionem, quæ a sacerdote celebrante in Missa fit, ad sacrificii integritatem pertinere,* quia *a*) per sumptionem fit totalis destructio victimæ jam immolatæ per consecrationem; *b*) quia sacrificium Eucharistiæ habet rationem cibi et potus, ac proinde dicit ordinem ad sumptionem, tamquam ad partem integrantem et completivam; *c*) quia sumptionem integrum reddere sacrificium ostendunt Decreta Ecclesiæ, quæ strictissime injungunt sacerdoti ut utramque ab eo consecratam speciem sumat, et si ipse id perficere non possit, statuunt ut alius in ejus locum substituatur qui sacrificium consummet.—Satis erit hic unum referre decretum Concilii Toletani XII., quod legitur in tertia parte Decreti (de Consecratione dist. 2. c. 11.); et sic se habet:

"Relatum est nobis, quosdam de sacerdotibus non tot vicibus communionis sanctæ gratiam sumere, quot sacrificia in uno die videntur offerre: sed si in uno die plurima per se offerant sacrificia, in omnibus se oblationibus a communione suspendant, et in sola tantum extrema sacrificii oblatione communionis sanctæ gratiam sumant: quasi non sit toties illi vero et singulari sacrificio participandum, quoties corporis et sanguinis Domini nostri Jesu Christi immolatio facta constiterit. Nam ecce Apostolus dicit: 'Nonne qui edunt hostias, participes sunt altaris?' Certum est, quod hi, qui sacrificantes non edunt, rei sunt Dominici sacramenti. Quicunque ergo sacerdotum deinceps divino altario sacrificium oblaturus accesserit, et se a communione suspenderit, ab ipsa, qua se indecenter privavit, gratia communionis anno uno repulsum se noverit. Nam quale erit illud sacrificium cui nec ipse sacrificans particeps esse cognoscitur? Ergo modis omnibus est tenendum,

ut quotiescunque sacrificans corpus et sanguinem Jesu Christi Domini nostri in altario immolat, toties perceptionis corporis et sanguinis Christi participem se præbeat."

Probatur nunc 3tia pars thesis, in qua rationem formalem sacrificii Eucharistiæ in eo dicimus reponendam esse, quod *vi verborum consecrationis corpus Christi ponitur sub specie panis, et seorsim sanguis sub specie vini; sicque Christus sub alienis speciebus constituitur tamquam mortuus, et in statu in quo edi potarique possit.*

Et sane, ex illis quæ hucusque exposita atque probata sunt constat sacrificium Eucharistiæ esse in se *verum* et proprii nominis sacrificium, simulque repræsentationem sacrificii crucis; ac proinde ideo in sua essentia sacrificium incruentum Missæ formaliter perfici, quia dum immolationem Christi in cruce repræsentat, Christum constituit in statu victimæ. Atqui hoc ideo fit quia *vi verborum* sub utraque specie corpus a sanguine Christi separatum constituitur, et in statu in quo Christus edi potarique potest. Ergo.

Ut Minor argumenti hujus evolvatur, simulque vindicetur, adnotamus: 1.—Duplicem formam consecrationis corporis et sanguinis Christi, super duplicem materiam panis et vini, perfectam repræsentationem efficere mortis Christi; nam *quantum est ex vi verborum* separatur corpus a sanguine, et sub specie panis ponitur solum corpus non sanguis, sicut sub specie vini ponitur sanguis non corpus: quare si in hoc sacrificio per consecrationem duplicis speciei panis et vini *reapse* separatio non fit corporis a Christi sanguine, id est *propter concomitantiam partium.*

2. Hanc vero distinctam positionem sub diversis speciebus, per se solum spectatam, seu *si nihil aliud in ea positione consideretur,* præter hoc quod verba *vi sua* solum corpus sub specie panis constituunt et sanguinem sub specie vini, sufficere et quidem perfectissime ad rationem repræsentatationis passionis Christi constituendam, sed non sufficere ad explicandum quomodo vere Christus immoletur et ut victima, per consecrationem mactata, in altari sistatur. Etenim etsi *per concomitantiam,* vere tamen sanguis cum corpore Christi ponitur sub specie panis, et cum sanguine Christi corpus sub specie vini; neque ullo pacto unum ab alio realiter separatum est, et si sola illa positio spectetur corporis seorsim a sanguine vi verborum, nulla immutatio realiter fit in Christo, qui est victima sacrificii. Porro ad verum et reale sacrificium, et con-

sequenter ad actionem formaliter sacrificam requiritur, ut supra demonstravimus, realis immutatio rei oblatæ, quæ vel talis sit oportet ut res totaliter destruatur, vel saltem ut *morali æstimatione* æquivaleat illi destructioni; sicut, ex. gr., immutatio fiebat in sacramento libaminis, in quo vinum physice non destruebatur, sed effundebatur in terram, et hac effusione *moraliter* destructum censebatur. Si ergo actio sit talis, quæ nullam omnino immolationem in Christo realiter inducat, profecto nequit actio illa considerari tamquam sacrifica formaliter, prout nullam in victima realem inducit immutationem.

"Si ictu gladii," non immerito hic de Lugo (de Sacr. Euch. disp. 19. sect. 4. n. 61.) animadvertit, "percuteretur ovis in sacrificio, Deus tamen miraculose penetraret gladium cum gutture ovis, ita ut non consequeretur abscissio nec vulneratio, vere non diceretur ovis sacrificata; quia licet de se ictus sufficeret ad occisionem, re tamen vera non fuit secuta occisio. Sic etiam contingit in præsenti. Adde, hanc concomitantiam non esse miraculosam, sed debitam ad positionem alterius partis, ut supra vidimus: quare neque etiam possumus hic invenire ictum, vel actionem tendentem ex natura sua ad separandum unum ab alio: nam aliud est, quod ex vi verborum non ponatur sanguis cum corpore; aliud vero, quod verba petant, quod non ponatur ibi sanguis: illud primum est verum; hoc secundum falsum: verba enim licet non significent sanguinem, non tamen petunt, non poni ibi sanguinem: imo, si ita fas est dicere, exigendo quod ponatur corpus, exigunt quasi mediate et consequenter quod ponatur etiam sanguis; tantum abest, quod ex se tendant ad separandum unum ab alio, et mactandum, quantum est ex se."

3. Verum, si consideretur actio sacerdotis consecrantis sub ea formali ratione, qua ponendo corpus a sanguine Christi sub specie aliena separatum, et vicissim sanguinem a corpore sub aliena specie, totum Christum vere et realiter ponit in statu in quo edi ac potari possit; evidenter apparebit illam eamdem actionem sacerdotis Christum constituere in statu victimæ, et incruente, sed verissime eum mactare. "Consideretur, quæso, status," inquit Cardinalis Franzelin (de Eucharistia pag. 380.) "in quo Christus Dominus summus sacerdos per consecrationem secundum ss. corpus et sanguinem suum sub speciebus panis et vini sese ut victimam constituit. Primogenitus omnis creaturæ, caput Ecclesiæ, in omnibus primatum tenens (Coloss. I. 15–18.) dat seipsum

Ecclesiæ suæ per suos ministros sacerdotes constituendum, corpore ac sanguine suo in tali modo existendi sub speciebus panis ac vini, ut vere sit in statu cibi ac potus; ut (formaliter quatenus constituitur sub his speciebus) desinat omnis actus connaturalis vitæ corporeæ pendens a sensibus; ut nihil secundum corpus possit agere connaturaliter; ut corpus ejus ac sanguis, in quantum præsentia ejus alligatur speciebus, permittatur quodammodo arbitrio creaturarum non secus, ac si esset res inanimata; in tali vero conditione se constituit, ut ipse summus sacerdos pro tota Ecclesia, cujus ipse est caput, et Ecclesia per ipsum exprimat in corpore et sanguine sacratissimo supremum Dei dominium et absolutam dependentiam omnis creaturæ, cujus ipse homo Jesus Christus est primogenitus, et simul exprimat et exhibeat satisfactionem pro reatibus olim consummatam in cruce hujus ipsius corporis traditione et hujus sanguinis effusione. Atqui talis 'exinanitio' ad exprimendam majestatem absoluti dominii Dei, et satisfactionem pro reatibus nostris, morte completam, non solum satis intelligitur ut vere et proprie sacrificalis; sed etiam, excepto sacrificio cruento in cruce, nullam sublimiorem ac profundiorem rationem veri et proprii sacrificii concipere possumus. Non ergo est dubium, in ipso modo existendi sacramentali corporis et sanguinis Christi, aptitudinem et, supposita institutione, actualem significationem sacrificalem, et proinde rationem intrinsecam veri et proprii sacrificii non solum sufficienter sed etiam insigniter contineri."

Contra thesim vindicatam, objici potest

1.—Ad sacrificium essentialiter oblatio requiritur. Ergo.

Resp. *Dist. Ant.*—Oblatio quæ fiat actu signato *N.* Quæ fiat actu exercito *C.* Non enim requiritur ut sacrificans dicat: *offero tibi, Deus, hoc sacrificium;* sed sufficit ut victimam super altare immolet in gloriam Dei; nam tunc per ipsam immolationem, actu exercito, victima offertur Deo. Oblatio autem hæc invenitur in consecratione.

2.—Concilium Tridentinum, dum dicit, sess. 23. cap. 1., Christum dedisse Apostolis potestatem consecrandi, offerendi et ministrandi, videtur consecrationem reputare distinctam ad oblatione. Ergo oblatio, quæ essentialis est in sacrificio, non videtur fieri ipsa consecratione.

Resp. *N. Ant.*—Lutherani, contra quos Concilium ibi agebat, pre-

sbyteris concedebant potestatem consecrandi, sed non offerendi; Concilium vero dicit collatam eis potestatem esse non solum consecrandi, sed et offerendi, quia consecratio ipsa est oblatio.

3.—Modus quo Christus existit in Eucharistia nihil in eo mutat; in mysterio enim manet cum tota sua perfectione. Ergo Christus in Eucharistia non immolatur.

Resp. *Dist. Ant.*—Nihil in Christo mutat ut est in cœlo, et secundum modum quo in cœlo existit Christus non est victima *C.* Nihil in Christo mutat prout *formaliter* sub speciebus panis et vini constituitur *N.* Et ad *prob. Dist.* Christus in Eucharistia manet cum tota sua perfectione, quæ non pendet a modo existendi *C.* Cum tota sua perfectione quoad actus vitæ corporeæ, qui pendent a modo existendi, *subdist.* illi actus non tolluntur absolute, et juxta modum existendi in cœlo *C.* Non tolluntur secundum modum existendi in Eucharistia, et attenta connaturali exigentia ejusdem modi *N.*

4.—Sacrificium, quod essentialiter perficitur per actionem destructivam rei, quæ sacrificatur, non potest essentialiter constitui in actione ejusdem rei productiva. Atqui consecratio est actio productiva rei, quæ sacrificatur. Ergo.

Resp. *Dist. Maj.*—Non potest constitui in actione productiva, *formaliter sumpta ut est talis C. Sub alio respectu N.* ad *Min. Dist.* Consecratio est actio productiva rei quæ sacrificatur, et simul destructiva *C.* Solum productiva *N.* Productiva enim est, quatenus sub speciebus ponit Christum: destructiva quatenus eum ponit ad modum mortui.

5.—Productio victimæ præsupponi debet immolationi. Ergo consecratio, quæ est productio victimæ, non est ejus immolatio.

Resp. *Dist. Ant.*—Debet præsupponi prioritate temporis vel rationis *C.* Semper temporis *N.*

6.—In die Parasceves apud Latinos, et apud Græcos per Quadragesimam sæpius, dum celebratur Missa *præsanctificatorum*, offertur sacrificium, et tamen nulla in ea fit consecratio. Ergo.

Resp. *N. Ant.*—Usurpatur enim in Missa præsanctificatorum vox

sacrificium latiori sensu, ratione nempe hostiæ, quæ fuerat antea per consecrationem immolata, et ratione precum ac cæremoniarum, quæ in sacrificio Missæ adhiberi solent.

SCHOLION I. — Theologi communiter tenent Christum sacrificium Eucharistiæ instituisse ita, ut *consecratio utriusque speciei* sit de ejus essentia, ac proinde neque ex Summi Pontificis dispensatione unam speciem licite consecrari posse absque alia. Talem fuisse Christi institutionem constat ex facto ipsius instituentis, et ex sensu Ecclesiæ. Christus enim utramque speciem consecravit, et præcepit ut Apostoli, omnesque futuri sacerdotes facerent quod ipse fecit: Ecclesia vero semper verba Christi de consecratione utriusque speciei intellexit, atque servavit.—Aliud argumentum hac in re desumitur ex sacerdotio Christi secundum ordinem Melchisedechi: nam, in sacrificio oblato a Melchisedecho panis et vinum essentialia omnino fuisse recte deducimus ex eo, quod Scriptura utrumque indicet, et copulativa locutione unam et aliam materiam æque comprehendat.—Demum necessaria est consecratio utriusque speciei, quia sacrificium Eucharistiæ essentialiter repræsentat *immolationem* Christi in cruce; et hæc *immolatio* per duplicem consecrationem repræsentatur. Sacrificium enim Christi cruentum "non constitit in hoc," ait Suarez (disp. 75. sect. 6. num. 7.), "quod corpus ejus fuerit mortuum, vel quod sanguis fuerit extra venas, sed in ipsamet actuali passione, et sanguinis effusione, usque ad separationem animæ a corpore. Unde fit, ut, licet demus, per unam speciem corporis significari corpus mortuum, et per sanguinis speciem per se sumptam significari sanguinem effusum; non inde fit, per singulas species per se sumptas repræsentari sacrificium cruentum, nisi fortasse in suo termino. At vero, quando sanguis statim post corpus separatim consecratur, quasi in viva imagine repræsentatur ipsa effusio sanguinis, et consequenter separatio animæ a corpore, quæ ex effusione sanguinis secuta est: nam (ut Scriptura interdum loquitur) vita hominis in sanguine est: et ideo solet anima per sanguinem repræsentari."

SCHOLION II.— Ex institutione Christi consecratio Eucharistiæ et oblatio sacrificii necessario connexa sunt, ac proinde per intentionem ministri separari numquam possunt: si quis ergo consecrare vellet

Eucharistiam, et nullo modo sacrificium offerre, nihil prorsus faceret, cum id facere vellet ad quod non accepit a Christo potestatem.

Scholion III.—Præceptum esse sacerdotibus impositum, ut cum sacrificant, de sacrificio communionem sumendo participent, superius diximus. Utrum vero hoc præceptum juris divini sit, an juris ecclesiastici, non satis constat Suaresio (disp. 75. s. 5. n. 16.). Sane Concilium Tridentinum (sess. 13. c. 8.) solum dicit Ecclesiæ semper morem fuisse ut sacerdotes celebrantes seipsos communicent; "qui mos," inquit, "tamquam ex Traditione apostolica descendens, jure ac merito retineri debet:" sed traditio apostolica non semper et necessario infert jus divinum. Nec antiquiora Conciliorum aut pontificum Decreta præceptum hoc esse ex jure divino disertius statuunt. Attamen constans Ecclesiæ praxis, et sollicitudo maxima, quam Ecclesia ipsa manifestavit, ut post consecrationem sequatur sumptio sacerdotis, probabiliorem saltem reddunt opinionem, quæ tenet communionem jure divino præcipi sacerdoti celebranti.

ARTICULUS SEXTUS

De effectibus sacrificii Eucharistiæ.

Sacrificium Missæ, juxta quadruplicem finem ad quem dirigitur, seu juxta quatuor effectus quos producit, latreuticum, eucharisticum, propitiatorium et impetratorium esse, facile ex præcedentibus colligi potest:—quia tamen ab adversariis præsertim impugnatur ratio sacrificii propitiatorii et impetratorii in celebratione Missæ; hanc ipsam rationem specialiter hoc articulo vindicabimus, postquam nonnulla præmiserimus ad uberiorem naturæ sacrificii hujus et impetrationis, quæ per ipsum fit, declarationem.

Et primo quidem in Missa sacrificium latreuticum et eucharisticum soli Deo offerri manifestum est. Et ideo S. Augustinus (de Civ. Dei, l. 22. c. 10.) aiebat: "Nos martyribus nostris non templa sicut diis, sed memorias sicut hominibus mortuis, quorum apud Deum vivunt spiritus, fabricamus; nec ibi erigimus altaria, in quibus sacrificemus martyribus, sed uni Deo, et martyrum et nostro."

Id tamen non impedit quominus in honorem Sanctorum ex mente Ecclesiæ sacrificia fiant: in his enim de meritis ac victoriis eorum, quos commemoramus, Deo, cui sacrificium offertur, gratias agimus, dum eadem sacrificia in eorum etiam laudem cedunt, qui veluti instrumenta fuerunt, per quæ Deus, virtutum auctor, operatus est. Præterea in iisdem sacrificiis, patrocinium Sanctorum imploramus, ut ipsi "pro nobis intercedere dignentur in cœlis, quorum memoriam agimus in terris."

Antiquissimum esse hunc morem Patres et Liturgiæ testantur. Sic, exempli gratia, Tertullianus (de Corona, n. 3.) dicit: "Oblationes pro natalitiis (martyrum) annua die facimus." S. Cyrillus Hier. (Catech. myst. 5. n. 9.) inquit: "Postea recordamur eorum quoque, qui obdormierunt, primum patriarcharum, prophetarum, apostolorum, martyrum ut Deus eorum precibus et legationibus orationem nostram suscipiat. S. Cyprianus (Epist. 34. n. 3.) scribit: "Laurentius et Ignatius . . . . . palmas a Domino et coronas illustri passione meruerunt. Sacrificia pro eis [in gratiarum actionem] semper, ut meministis, offerimus, quoties martyrum passiones et dies anniversaria commemoratione celebramus." S. Augustinus (tract. 84. in Joan. n. 1.) ait: "Ad ipsam mensam non sic eos [martyres] commemoramus quemadmodum alios, qui in pace requiescunt, ut etiam pro iis oremus, sed magis ut ipsi [orent] pro nobis, ut eorum vestigiis adhæreamus." Et l. 8. de Civ. Dei, (c. 27. n. 1.) rationem, cur apud memorias sanctorum sacra celebrentur, hanc reddit, "ut ea celebritate et Deo vero de illorum victoriis gratias agamus, et nos ad imitationem talium coronarum atque palmarum eodem invocato in auxilium, ex illorum memoriæ renovatione adhortemur."

Similiter in liturgia S. Basilii hæc leguntur: "Nunc, Domine, ex præcepto Filii tui unigeniti communicamus memoriæ Sanctorum tuorum patriarcharum, prophetarum, apostolorum etc., quorum precibus et supplicationibus miserere nostrum omnium et libera nos propter nomen sanctum tuum, quod invocatum est, super nos." In liturgia S. Chrysostomi fit commemoratio "honorandi Prophetæ, Præcursoris et Baptistæ Joannis, sanctorum, gloriosorum et percelebrium Apostolorum, Sancti illius cujus est dies festus et omnium Sanctorum tuorum, quorum precibus protege nos, Deus." Et infra: "Custodi vitam nostram, tutos fac gressus nostros precibus et supplicationibus gloriosæ Deiparæ et semper Virginis Mariæ et omnium Sanctorum."

Jure igitur, juxta perpetuam Ecclesiæ traditionem, Concilium Trid. (sess. 22. can. 5.) definivit: "Si quis dixerit, imposturam esse, Missas celebrare in honorem Sanctorum, et pro illorum intercessione apud Deum obtinenda, sicut Ecclesia intendit; anathema sit."

Sacrificium Missæ non eodem sensu propitiatorium est, quo crucis sacrificium; neque nos eodem modo Deo reconciliat, ut sacramenta baptismi et pœnitentiæ. Nam sacrificium crucis meritorium fuit redemptionis seu remissionis peccatorum et gratiarum omnium, quæ nobis conferuntur, et in eo meritum omne Christi Domini consummatum fuit; Missæ vero sacrificium Christus voluit esse veluti instrumentum, quo meritum passionis suæ nobis applicaretur: "oblationis," enim, "cruentæ fructus per hanc incruentam uberrime percipiuntur." At hic probe animadvertendum est, reatum culpæ per sacramenta baptismi, et pœnitentiæ *immediate* remitti, per sacrificium vero Missæ *mediate* tantum; quatenus intuitu hujus sacrificii Deus peccatori gratias elargitur, quibus ad pœnitentiam movetur et disponitur ad sacramentum sive baptismi sive pœnitentiæ, per quod immediate consequitur remissionem culpæ. Quemadmodum itaque sacrificium crucis *immediate* peccatores non justificavit, sed placavit Deum impetravitque, ut per debita media peccatores ad salutem perducerentur: sic etiam sacrificium Missæ non justificat homines immediate, sed impetrat, ut ex merito sacrificii crucis detur hominibus gratia et donum pœnitentiæ. Imo juxta doctrinam catholicam pii motus fidei, spei, contritionis etc. requiruntur, ut adstantes fructum ex sacrificio capiant.

Præterea, juxta communem theologorum doctrinam, sacrificium Missæ vim et efficaciam habet impetrandi remissionem peccatorum *ex opere operato*, mediate quoad culpam, immediate quoad remissionem pœnæ temporalis, juxta minorem aut majorem devotionem illius, a quo offertur. Ratio est quia in sacrificio Missæ Christus non solum est res oblata, sed etiam principalis offerens. Ergo sacrificium Missæ, independenter a fide, probitate et merito sacerdotis secundarii offerentis, adeoque *ex opere operato*, vim habet movendi Deum ad condonanda peccata, seu ad dandam gratiam, qua homo adiutus peccata sua rite detestetur, et ad remittendam pœnam peccatis debitam. Quamvis autem de fide non sit, per sacrificium Missæ certo semper, seu certa

lege pœnam temporalem ex opere operato remitti; est tamen *certa* theologorum doctrina ex opere operato pœnam ejusmodi remitti per sacrificium. Ideo Card. Bona de sacrif. Missæ (cap. 1. § 3.) scribit: "Constans semper fuit Catholicorum sententia, habere hoc [sacrificium] infallibiles et determinatos effectus ex opere operato, nisi ille, pro quo offertur, obicem ponat, remissionem videlicet alicujus pœnæ peccatis jam remissis debitæ, vel donum alicujus gratiæ prævenientis ad obtinendam commissarum remissionem."

Manet ut de valore sacrificii Missæ, an infinitus vel finitus sit, dicamus: et quia multum circa hanc quæstionem discordes inter se theologi disputant, varios quæstionis respectus distinctim considerabimus, ne incerta cum certis confundantur.

Itaque sacrificium Missæ spectari potest vel ut a summo sacerdote Christo offertur, et a sacerdote celebrante, quatenus Christum repræsentat; vel ut offertur ab Ecclesia, vel demum ut ab aliquo offerente privato celebrari curatur. Porro nulli dubium esse potest sacrificium hoc, si non spectetur ut a Christo oblato, sed consideretur solum ut offertur in persona Ecclesiæ, aut a privato offerente, valorem habere finitum et limitatum; valor enim iste ex opere operantis est et in finita illorum offerentium dignitate fundatur.

Quæstio ergo procedit solum quoad valorem hujus sacrificii, ut est a Christo principali offerente. Sed etiam juxta hunc sensum, distingui debet valor sacrificii *secundum se*, et in *actu primo*, seu *secundum sufficientiam*,—a valore ejusdem sacrificii *in actu secundo*, et prout de facto effectum suum producit, seu *secundum efficaciam*. Jam vero sacrificium Missæ *in actu primo*, seu *secundum sufficientiam*, simpliciter infiniti est valoris, ex infinita dignitate rei oblatæ et personæ offerentis: *in actu* tamen *secundo*, seu *secundum efficaciam*, effectus quem ex opere operato confert, finitus est *intensive;* cum et sacrificium crucis quoad effectum infinitum non fuerit, nec ullus effectus dari possit infinite intensus.

Quid autem dicendum est si effectus consideratur non *intensive*, sed *extensive:* habet ne sacrificium Missæ valorem in actu secundo *extensive* infinitum, an non?—"Quæstio hæc," adnotat Suarez (disp. 79. sect. 12. n. 1.), "confundi solet cum præcedenti; est tamen valde diversa; nam, licet causa aliqua non possit formam producere ultra certum gradum

intensionis, potest tamen interdum totam illam formam et æque intensam in multis subjectis producere: ut si ignis simul efficiat calorem ut octo in tribus, vel quatuor subjectis applicatis, aut si posset idem efficere simul in quacunque multitudine subjectorum sicut potest successive. Sic igitur sacrificium, quamvis solum possit tres vel quatuor gradus satisfactionis applicare uni et eidem personæ, adhuc restat dubitandum, an eosdem seu æquales possit conferre duobus vel tribus, et sic in infinitum, et hanc potestatem vocamus infinitatem extensivam; an vero potius ita sit finitus hic fructus, sicque limitata efficacia sacrificii, ut si pro pluribus offeratur, prout offerri potest, dividendus necessario sit ille fructus inter ipsos, ideoque quo fuerit pro pluribus oblatum, eo minor fructus ad singulos perveniat."

Quoad solutionem quæstionis attinet, prima opinio docet effectum Missæ integre multiplicari in omnibus et singulis, pro quibus sacrificium offertur, quicumque sit eorum numerus, absque termino, nec minui fructum unius ex consortio alterius. Hanc sententiam, quam inter antiquiores theologos Cajetanus defenderat, Vasquez amplectitur et tuetur (in 3. S. Th. disp. 231. c. 3.); eamque S. Alphonsus (theol. moral. l. 6. trac. 3. n. 312.) dicit a recentioribus theologis communissime esse receptam, et *speculative videri probabiliorem.*—Secunda opinio, huic e diametro adversa, tenet fructum Missæ esse etiam *extensive* finitum, et applicatum multis dividi, ac proinde unum sacrificium oblatum pro multis, non tantum valere pro singulis, ac si pro uno illud offerretur. Hanc sententiam, de Lugo appellat "communiorem et veriorem," eamque docuisse videntur S. Thomas et S. Bonaventura. Hæc Scoto etiam placuit (Quodl. 20.) una tantum addita restrictione: fructum enim Missæ distinxit inter primarium et secundarium; et primarium, qui speciali intentione sacerdotis applicatur, dixit esse limitatum, ac dividi inter plures; secundarium vero, quem provenire docuit absque speciali sacerdotis applicatione, putavit esse illimitatum.

Nobis vero magis probatur opinio Suaresii, qui distinctione etiam ad solvendam quæstionem utitur, et doctrinam ejus proinde sequimur.

Distinguit ergo eximius doctor inter offerentes, et eos pro quibus fit oblatio, et ait (disp. 79. sect. 12. num. 4.): "Dico ergo primo;—quando plures offerentes concurrunt cum sacerdote ad idem numero sacrificium, omnes et singuli, quatenus offerentes sunt, accipiunt integrum fructum,

non minorem, quam si unus tantum esset offerens; unde in hoc sensu fructus hujus sacrificii potest quodammodo dici infinitus, vel potius augmentabilis in infinitum extensive. In hac conclusione habet verum prima sententia, quam a nullo auctore existimo negari. Potest quidem inter eos esse controversia, an isti offerentes, ut sic, recipiant aliquem fructum ex opere operato, vel solum ex opere operantis, vel per modum impetrationis. Quod autem hic fructus, qualiscumque ille sit, fiat prædicto modo, nec minuatur in singulis ex aliorum consortio, a nemine, ut arbitror, negari potest. Et hoc imprimis recte probatur a posteriori illo inconveniente supra illato, quod alias audientes Missam minorem fructum reciperent, solum ob multitudinem audientium, quod sine dubio est valde absurdum. Secundo probatur a priori: nam supposita institutione, ut a nobis supra declarata est, hoc videtur necessario consequens, quia quando plures sic offerunt idem sacrificium, non potest in singulis minui fructus ratione rei oblatæ, neque etiam ratione oblationis, aut personæ proxime, vel remote offerentis: ergo nullo modo."

Si autem illi spectentur pro quibus fit oblatio, Suarez sequentem statuit conclusionem: "Dico secundo;—effectus sacrificii respondens oblationi sacerdotis, ut sic, quem ipse potest pro aliis offerre, finitus est, et unus tantum. Unde, si pro multis offeratur, sive diversis intentionibus specialibus, sive una tantum communi, ut pro populo, vel communitate, minuetur fructus in singulis, tantoque magis, quanto illi plures fuerint, supposita uniformi applicatione."

Ut autem sententiam suam probet, ostendit duplici modo intelligi posse Christum statuisse quoad applicationem et fructum sacrificii Missæ: uno modo, quod sacerdoti offerenti data sit a Christo potestas applicandi tot gradus satisfactionis, vel uni personæ tantum, vel pluribus in quovis numero pro sua voluntate, et ita, ut omnes illi gradus singulis donentur. Alter modus institutionis intelligi potest, quod uni oblationi sacerdotali unus respondeat adæquatus effectus, ex. gr. decem graduum satisfactionis, qui omnes possint, vel uni personæ applicari, vel inter multas distribui: non vero, quod omnes possint singulis donari, vel (ut ita dicam) totaliter multiplicari.

Hoc itaque posito, institutionem sacrificii factam fuisse posteriori modo, et non priori, probatur a Suaresio: 1. quia si institutio facta fuisset priori modo, numquam deberent sacerdotes uni tantum applicare

sacrificii fructum, cum nulla ratione privare deberent ceteros tanto beneficio, si absque detrimento unius possent multi alii æqualem fructum percipere. 2. Quia "in hoc effectu satisfactionis non est alia intensio effectus, quam multitudo satisfactionis; sed effectus sacrificii est limitatus intensive . . . satisfactio ergo applicanda per hoc sacrificium simpliciter est limitata quoad intensionem, seu magnitudinem suam; ergo est limitata respectu cujuscumque personæ, vel multitudinis personarum. Patet consequentia, quia quantitas effectus ejusdem rationis est sive uni, sive multis applicetur. . . . Eo vel maxime quod hic effectus respondet oblationi sacrificii; oblatio autem nullo modo in se variatur ex hoc, quod fructus ejus uni vel multis applicetur; nam hoc est quid posterius et extrinsecum oblationi; ergo non est cur multiplicetur effectus propter solam voluntatem sacerdotis volentis uni tantum vel multis effectum tribuere." 3. Nihil contrariæ sententiæ prodest exemplum desumptum ex fructu, qui in sacramentorum usu percipitur, nam diversitas magna, inquit Suarez, inter sacramentum et sacrificium intercedit: sacramentum enim non applicatur multis, nisi per realem multiplicationem; et si multis idem sacramentum Eucharistiæ dari contingit, saltem sumptiones ipsæ multiplicantur, ideoque mirum non est, quod effectus multiplicentur:—at sacrificii oblatio uni vel multis applicata, quoad fructum, eadem omnino est, solumque extrinseca voluntas applicantis est diversa; ergo non potest illa sola efficere ut effectus augeatur.

Nec minoris ponderis pro sententia, quam defendit, est hæc altera Suaresii animadversio.

"Revera est per se incredibile, gratis et sine ulla causa, posuisse Christum in sola libertate sacerdotis, ut multis, vel paucis, vel uni tantum, omnino æqualiter sua oblatione prodesse posset: nec minus incredibile est, dedisse Christum sacerdotibus hanc facultatem, et tanto tempore fuisse, tam ipsis, quam Ecclesiæ incognitam. Vel e converso: incredibile est, illis esse notam, et tamen voluntarie non uti illa; sine causa enim limitarent sacerdotes hunc effectum ad unam, vel paucas personas, si possent omnibus et singulis totum applicare: imo, si Christus voluisset, ut posset hoc modo omnibus applicari, melior institutionis modus fuisset hanc virtutem dare ipsi sacrificio secundum se, independenter a voluntate sacerdotis, quam hoc gratis sine causa ponere in ejus arbitrio."

Et hæc de fructu Missæ *ex opere operato*:—sed præterea sacrificium hoc ex se habet valorem *ad impetrandum*, et quidem valorem infinitum, qui non in speciali promissione innititur, sed oritur *ex intrinseca dignitate et valore ipsius sacrificii*; ideoque, ex sententia ipsius Suaresii, sacrificium Missæ, quantum est ex se, oblatum pro multis non minus prodest singulis, *quoad impetrationem*, quam si pro uno tantum esset oblatum; quamquam alia de causa fieri possit ut non æqualiter prosit singulis. "Advertendum tamen est," addit Suarez, "licet sacrificium hoc ex se sit valens ad impetrandum, tamen non applicari ad impetrandum, nisi, ut orationi conjungitur: quia non impetratur, nisi quod petitur, vel desideratur ab alio: et ideo impetratio per se pertinet ad orationem, quam sacrificium facit exaudiri, et hoc modo impetrat. Oratio autem, ceteris paribus, efficacior est ad impetrandum in particulari et speciatim facta, quam si generatim pro multis fiat." Hinc concludit "efficaciorem fore oblationem, si pro aliquo specialiter fiat, quam si fiat pro eodem, solum ut est pars alicujus multitudinis, pro qua tantum fit immediate oblatio: et hoc est proprium, orationem esse specialem, vel generalem; nam specialis est, quando fit pro aliquo in se ipso, generalis vero, quando fit pro aliquo tantum ut contento in aliquo communi; quod potest contingere, vel ex parte personarum, pro quibus oratur, ut cum oro pro Petro, vel pro Collegio, cujus pars est Petrus; vel ex parte rerum, quæ postulantur, ut si peto humilitatem, in particulari, vel solum petendo virtutem, sub qua humilitas continetur."

Ad praxim vero quod attinet, sacerdotes omnes revocare in memoriam debent Alexandrum VII. Pontificem Maximum hanc damnasse propositionem: "Non est contra justitiam pro pluribus sacrificiis stipendium accipere, et sacrificium unum offerre; neque etiam est contra fidelitatem, etiamsi promittam, promissione etiam juramento firmata, danti stipendium, quod pro nullo alio offeram."

His declaratis sit pro catholica fide sequens

THESIS XVII.

Eucharistiæ sacrificium est non solum latreuticum et eucharisticum, sed etiam propitiatorium et impetratorium pro vivis atque defunctis.

Prob. 1. pars thesis. I.—Ex ipsis verbis in institutione Eucharistiæ adhibitis: dixit enim Christus sacrificium hoc offerri "pro mundi vita, in remissionem peccatorum." Vide argumentnm superius propositum (p. 277.) ad probandam thesim XV.

II. Ex intrinseca natura sacrificii. Etenim de ratione veri et proprie dicti sacrificii est, ut offeratur ad obtinendam peccatorum remissionem.

Sane Apostolus Heb. v. 1.: "Omnis," inquit, "pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis, quæ sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis." Quibus verbis describit Paulus munus sacerdotis in universum, ut inde colligat Christum eodem modo assumptum fuisse, et pro hominibus a Deo constitutum sacerdotem. Cum igitur in Ecclesia sua ipse etiam reliquerit et constituerit sacerdotes, opus fuit, ut ad offerendum munera et sacrificia pro peccatis eos constitueret; et cum nullum aliud ipsis reliquerit sacrificium, nisi sacrificium Missæ, necesse est, ut illud ab eis pro peccatis offeratur.

Præterea, adversariis ipsis fatentibus, sacrificia veteris legis, quatenus figuræ erant sacrificii in cruce a Christo offerendi, vere ac proprie propitiatoria erant pro peccatis, et ad bona a Deo impetranda idonea, quin dici possit per ejusmodi proprietatem illa aliquo modo derogasse sacrificio crucis;—ergo multo magis propitiatorium dicendum est, atque ad beneficia impetranda idoneum sacrificium Missæ, quod non solum figuram præ se fert sacrificii crucis, sed eamdem continet victimam, quæ immolata est in cruce, et ab eodem summo sacerdote Christo offertur.

III. Ex manifesta omnium ætatum traditione. Præter testimonia Patrum, quæ pro aliis thesibus jam attulimus, et hanc præsentem confirmant, hic quædam alia subnectimus ad exemplum.

S. Ambrosius (lib. 1. de offic. cap. 48. n. 248.) scribit: "Ante agnus

offerebatur, offerebatur et vitulus, nunc Christus offertur, sed offertur quasi homo, quasi recipiens passionem, et offert se ipse quasi sacerdos, ut peccata nostra dimittat."

S. Chrysostomus (lib. 6. de sacerd. num. 4.) de Christo in altaribus nostris oblato ait: "Eum, qui pro tota civitate et quid dico civitate? imo pro universa terra oratorem agit Deo supplicans, ut omnium peccatis sit propitius non vivorum tantum, sed et eorum, qui obierunt, qualem, quæso, oportet esse?"

S. Hieronymus (Comment. in Tit. I. 8.) dicit: "Si laicis imperatur, ut propter orationem abstineant se ab uxorum coitu, quid de Episcopo sentiendum est, qui quotidie pro suis populique peccatis illibatas Deo oblaturus est victimas?"

S. Aug. (l. 3. quæst. in Lev. q. 57.): "Illis [V. T.] sacrificiis unum hoc sacrificium [eucharisticum] significabatur, in quo vera fit remissio peccatorum: a cujus tamen sacrificii sanguine in alimentum sumendo non solum nemo prohibetur, sed ad bibendum potius omnes exhortantur, qui volunt habere vitam."

Et in Enchir. (c. 110. n. 29.) ait: "Cum ergo sacrificia altaris sive quarumcumque eleemosynarum pro baptizatis defunctis omnibus offeruntur, pro valde bonis gratiarum actiones sunt, pro non valde malis propitiationes, pro valde malis, etiamsi nulla sunt adiumenta mortuorum, qualescumque vivorum consolationes sunt."

Ex Liturgiis quoque patet, sacrificium Missæ jam antiquissimis temporibus ad placandum Deum, et ad remissionem peccatorum et pœnarum obtinendam oblatum fuisse. Ita in liturgia antiquissima, quæ S. Jacobi Apostoli nomine inscribitur, sacerdos orat: "Offerimus tibi reverendum hoc et incruentum sacrificium pro peccatis nostris et ignorantiis populi." In Liturgia S. Basilii hæc verba recitantur: "Dignos effice nos, qui puro corde . . . offeramus sacrificium hoc reverendum ad abolenda delicta nostra etc." Et in Liturgia S. Chrysostomi dicitur: "Idoneos nos redde ad offerenda tibi dona et sacrificia pro peccatis nostris et populi ignorantiis."

Prob. 2. pars thesis, nempe sacrificium Eucharistiæ impetratorium esse tum *pro vivis*, quibus obtinet ut uberiores gratiæ spirituales concedantur, et bona etiam temporalia tribuantur, si hoc eis utile fuerit; tum

pro defunctis, seu pro animabus in purgatorio detentis, quibus prodest per modum suffragii ad remissionem pœnæ, quam habent adhuc luendam.

Et primo quidem *quoad vivos*, patet per Missæ sacrificium *spiritualia bona* nos impetrare et consequi posse tum quia sacrificium Missæ applicat merita sacrificii crucis, Christus autem in cruce bona quæcumque spiritualia nobis promeritus est; tum quia valet ad peccata remittenda, et ideo multo magis valere debet ad gratias obtinendas pro virtutum augmento.—Nec solum spiritualia, sed temporalia bona, si id expedit nobis, impetrari per Missæ sacrificium manifestum est; tum quia hæc etiam bona ad salutem nostram et ad profectum nostrum in virtutibus ordinantur, tum quia si per vetera sacrificia temporales gratiæ obtineri poterant, multo magis hæc beneficia e sacrificio N. L. profluere debent, quo non in umbra figurarum, sed vere ac realiter ipse bonorum omnium largitor, Christus Jesus, mediator Dei et hominum, immolatur.

Hinc a primis Ecclesiæ sæculis Missæ sacrificium offerri consuevit non solum ad spiritualia, sed etiam ad temporalia beneficia impetranda. Tertullianus (lib. ad Scapulam, c. 2.) inquit: "Sacrificamus pro salute imperatoris." S. Cyrillus Hier. (Catech. myst. 5. n. 8.) ait: "Postquam confectum est illud spirituale sacrificium, et ille cultus incruentus, super illam propitiationis hostiam obsecramus Deum pro communi Ecclesiarum pace, pro tranquilitate mundi, pro regibus, pro militibus, pro sociis, pro ægrotis, pro afflictis, pro omnibus, qui egent auxilio." S. Chrysost. (Hom. 18. et 21. in Acta Apost.) moris meminit sacrificii peragendi "pro fructibus terræ aliisque necessitatibus." S. Augustinus, de Civ. Dei (lib. 22. cap. 8. num. 6.) domum commemorat, quam vix oblatum sacrificium corporis Christi a vexatione dæmonum liberavit. S. Gregorius Magnus (Hom. in Evang. 37.) narrat, captivum in alia regione gementem et nescium quid ab amicis suis alibi fieret, a vinculis ipsa sacrificii hora expeditum fuisse. Similia exempla referuntur a Ven. Beda lib. 4. hist. anglic. cap. 22.—Præterea Liturgiæ omnes, in quibus oratur pro pace, pro infirmorum sanitate recuperanda, pro fructuum ubertate, et pro aliorum bonorum temporalium consecutione, thesi, quam defendimus, testimonium reddunt.

Quod *defunctos* spectat, sacrificium Missæ pie et utiliter offerri pro animabus in purgatorio detentis, demonstratur ex eo quod in Scripturis actum legitur a Juda Machabæo, qui "facta collatione duodecim millia

drachmas argenti misit Ierosolymam, offerri pro peccatis mortuorum sacrificium, bene et religiose de resurrectione cogitans . . . . sancta ergo et salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur. (II. Mach. XII. 43. etc.).—Quod autem pie et religiose in veteri lege fieri potuit, cur æque fieri non poterit in lege evangelica, quæ veteris est perfectio?

Insuper directe idipsum manifestum est ex praxi Ecclesiæ et ex doctrina Patrum.

Etenim ex Christianorum populorum liturgiis scimus sacrificium Missæ in suffragium animarum defunctorum fidelium semper fuisse oblatum. Sic, ex. gr., in Liturgia Alexandrina S. Basilii sacerdos orat his verbis: "Memento, Domine, et omnium ex ordine sacerdotali qui pridem quieverunt, et eorum qui erant in statu sæculari. Præsta omnium animas requiescere in sinibus sanctorum Patrum nostrorum Abraham, Isaac, et Jacob. Induc et congrega eos in locum herbidum, super aquam requietis, in paradiso voluptatis, unde fugit dolor, tristitia, et gemitus, in splendore Sanctorum tuorum. . . . . . Illis quidem, Domine, quorum animas accepisti, illic quietem tribue, eosque in regnum cœlorum tranferre dignare."—Et in Liturgia, qua utuntur Syri, latine reddita ab Andrea Masio, legitur: "Memento Domine ad aram tuam cœlestem eorum omnium qui transierunt de hoc mundo angustiarum plenissimo. Erue ipsos ex tenebris et caligine; appareatque eis facies tua pacifica; neque intres cum ipsis in judicium, etc."—Similia in Liturgiis aliis habentur.

In scriptis vero Patrum, de sacrificiis pro mortuis in Domino offerendis, testimonia pariter occurrunt loculentissima.—Tertullianus (de corona mil. c. 3.) ait: "Oblationes pro defunctis, pro natalitiis, annua die facimus;" et similia habet in lib. 3. *de Monogamia* et lib. 2. *ad uxorem.*—S. Cyprianus scribens (Ep. 66. n. 2.) ab antecessoribus suis Episcopis vetitum fuisse, ne quis clericus ad tutelam adhiberetur et: "Si quis hoc fecisset, non offerretur pro eo, nec sacrificium pro dormitione ejus celebraretur;" addit relate ad Victorem quemdam, qui decretum illud contemserat, "non est quod pro dormitione ejus apud vos fiat oblatio [seu sacrificium] aut deprecatio aliqua nomine ejus in Ecclesia frequentetur."—S. Joannes Chrysostomus (in Ep. ad Phil. c. 1. hom. 3. n. 4.) dicit: "Non frustra hæc ab Apostolis sunt legibus constituta, ut

in venerandis, inquam, atque horrificis mysteriis memoria eorum fiat qui decesserunt: noverant hinc multum ad illos lucri accedere, multum utilitatis."

Sed præ omnibus aliis audiantur S. Cyrillus Hierosolymitanus et S. Augustinus.

S. Cyrillus, postquam in catechesi mystagogica 5., superius citata, dixerit (n. 9.): "Deinde et pro defunctis sanctis patribus et episcopis, et omnibus generatim, qui inter nos vita functi sunt [oramus]; maximum hoc credentes adjumentum illis animabus fore, pro quibus oratio defertur, dum sancta et perquam tremenda coram jacet victima;" ita prosequitur (n. 10.): "Hujus rei fidem vobis ab exemplo facere volo. Novi enim multos ita dicere: Quid juvat animam ex hoc mundo in peccatis seu sine peccatis decedentem, si ejus in oratione mentio fiat? An vero, si rex quispiam viros, a quibus offensus fuerit, relegarit in exilium; posteaque illi, ad quos attinent, coronam plectentes eam regi pro suis pœna ab ipso afflictis obtulerint, nonne ipsis suppliciorum relaxationem gratificaturus sit? Ad eundem modum et nos pro defunctis, etiamsi peccatores sint, preces Deo offerentes, non coronam plectimus, sed Christum mactatum pro peccatis nostris offerimus, clementem Deum cum pro illis tum pro nobis demereri et propitiare satagentes."

Demum S. Augustinus (libro de cura pro mortuis cap. 1. n. 3.) ait: "In Machabæorum libro legimus oblatum pro mortuis sacrificium; sed etsi nusquam in Scripturis veteribus omnino legeretur, non parva est universæ Ecclesiæ, quæ in hac consuetudine claret, auctoritas, ubi in precibus sacerdotis, quæ Domino Deo ad ejus altare funduntur, locum suum etiam habet commendatio mortuorum."—In libro autem 9. Confessionum (c. 11.) parentem suam piissimam, die resolutionis ejus imminente, sic se, fratremque suum allocutam fuisse memorat: 'Ponite,' inquit, 'hoc corpus ubicumque: nihil vos ejus cura conturbet: tantum illud vos rogo, ut ad Domini altare memineritis mei, ibi, ubi fueritis." Et deinde funus matris ejus enarrans (cap. 12.), addit: "Cum ecce corpus elatum est, imus, redimus sine lacrymis. Nam neque in eis precibus quas tibi fudimus, cum offerretur pro ea sacrificium pretii nostri, jam juxta sepulchrum posito cadavere, priusquam deponeretur, sicut illic fieri solet, nec in eis precibus ego flevi."

ARTICULUS SEPTIMUS

De Missis privatis.

Missa, proprie loquendo, numquam privata dicenda esset, cum publicum et commune semper sit sacrificium quod a publico ministro ad communem omnium fidelium utilitatem et salutem offertur; invaluit tamen usus ut Missæ inter *privatas* et *publicas*, seu solemnes, distinguerentur, et *privatæ* illæ appellarentur, quæ vel in privato loco, vel non ad aram templi majorem celebrarentur, nec parochiales essent, aut conventuales, vel in quibus nullus ex assistentibus sacramentaliter communicaret.

Missas privatas, in quibus solus sacerdos communionem suscipit, Novatores proscriptas voluerunt, et Lutherus illas conviciis multis, libro ab eo conscripto *de abroganda Missa privata*, insectatus est.

Adversus Novatorum errores Concilium Tridentinum catholicam veritatem statuit (sess. 22. cap. 6.) his verbis: "Optaret quidem sacrosancta Synodus, ut in singulis Missis fideles adstantes, non solum spirituali affectu, sed sacramentali etiam Eucharistiæ perceptione communicarent, quo ad eos sanctissimi hujus sacrificii fructus uberior proveniret: nec tamen, si id non semper fiat, propterea Missas illas, in quibus solus sacerdos sacramentaliter communicat, ut privatas et illicitas damnat, sed probat, atque adeo commendat, si quidem illæ quoque Missæ vere communes censeri debent; partim quod in eis populus spiritualiter communicet; partim vero, quod a publico Ecclesiæ ministro non pro se tantum, sed pro omnibus fidelibus, qui ad corpus Christi pertinent, celebrentur."—Et in canone ejusdem sessionis 8. definivit: "Si quis dixerit, Missas, in quibus solus sacerdos sacramentaliter communicat, illicitas esse, ideoque abrogandas; anathema sit."

Hac vero non obstante definitione, sub finem sæculi elapsi, Synodus Pistoriensis ausa fuit asserere: "*Victimæ participationem esse partem sacrificio essentialem,*" addens "*non tamen se damnare ut illicitas Missas illas, in quibus adstantes sacramentaliter non communicant, ideo quia isti participant, licet minus perfecte de ipsa victima, spiritu illam recipiendo.*"—

His verbis insinuabant Pistorienses, ut notavit Pius VI. summus Pontifex, in constitutione "Auctorem fidei" data 25. Augusti 1794, "ad sacrificii essentiam deesse aliquid in eo sacrificio, quod peragatur sive nullo adstante, sive adstantibus, qui nec sacramentaliter, nec spiritualiter de Victima participant; et quasi damnandæ essent ut illicitæ Missæ illæ, in quibus, solo sacerdote communicante, nemo adsit qui sive sacramentaliter, sive spiritualiter communicet;" ac proinde propositio illa Synodi, sub numero 28. posita, ab eodem Pontifice damnata fuit ut "falsa, erronea, de hæresi suspecta, eamque sapiens."

Dogma catholicum circa Missas privatas vindicat

THESIS XVIII.

Missæ, in quibus solus sacerdos sacramentaliter communicat, non sunt, ut Novatores impie ac sacrilege asserunt, illicitæ et abrogandæ; sed probandæ prorsus et retinendæ.

Probatur thesis I. Ex antea dictis. Etenim illæ Missæ illicitæ dici nequeunt, in quibus finis præcipuus, propter quem institutum est Eucharistiæ sacrificium, obtinetur. Atqui tales sunt Missæ, in quibus solus sacerdos sacramentaliter communicat. Ergo.—*Prob. min.* Finis præcipuus sacrificii Eucharistiæ est Deo supremum latriæ cultum exhibere, eum propitium nobis reddere, fidelibus vivis atque defunctis veniam, pacem, omniaque bonorum genera impetrare, et pro collatis donis gratias agere.

Atqui hæc omnia fiunt in Missis, in quibus solus sacerdos sacramentaliter communicat. Ergo.

II. Usus semper in Ecclesia a primis usque temporibus receptus ostendit Missas, de quibus loquimur, fuisse licitas, atque laudandas. Et sane, S. Joannes Chrysostomus (hom. 3. in ep. ad Eph. n. 4.) illos increpans, qui tantum in Quadragesima participabant s. mysteria, inquit: "Frustra est quotidianum sacrificium, frustra adstamus altari; nemo est, qui participet." Testatur ergo sacrificium licite offerri, etiamsi nullus sit qui de eo participet, præter sacerdotem celebrantem:—nam

adnotari debet illud "frustra" in verbis Sancti Doctoris non referri ad sacrificium, sed ad communionem adstantium; et Sanctum Antistitem non increpare sacerdotes offerentes, sed laicos, qui ex vecordia sacramentalem communionem negligunt.—S. Ambrosius (serm. 25. nn. 5. 6.) hortatur populum, ut in Quadragesima, die saltem dominica, offerat et communicet: ibidem tamen omnes admonet, ut qui non fuerit legitime impeditus, quotidiano sacrificio intersit. Ergo sine communione populi Missa Mediolani fiebat, et licita habebatur.—S. Augustinus (Ep. 54. ad Januar. n. 3.) docet, non esse ad salutem necessarium ut fideles quotidie ad s. communionem accedant, cum tamen sæpius testetur, quotidie sacrificium offerri, ut Epist. 98. ad Bonif. et de Civ. Dei lib. 22. cap. 8. num. 6.

III. Ne diutius immoremur in re facillima, sufficiat sequentia hic adnotasse 1.—Nullum esse præceptum in verbis Christi "Hoc facite in meam commemorationem," per quod Missæ privatæ improbentur et proscribantur. Illis enim verbis potestatem concessit Christus sacerdotibus conficiendi Eucharistiam, et si eis iisdem verbis præceptum dedit eam distribuendi, huic affirmativo præcepto parendum est pro tempore, loco et circumstantiis; idest Ecclesiæ ministri obligantur ad Eucharistiam distribuendam fidelibus rite dispositis, cum illam poscunt, et ex consequenti fideles obligantur ut quandoque accedant ad sacram mensam. Sed præceptum a Christo latum profecto non obligat sacerdotes, ut necessario coram populo Eucharistiam conficiant, et cum incruentum N. L. offerunt sacrificium, multitudini necessario dare debeant communionem. Quis non videt, in sententia adversariorum hæc patenter absurda admittenda esse, nempe Eucharistiam distribuendam esse præsentibus, licet indignis, et sacrificium omnino esse prætermittendum, si in eo populus nollet de oblatione participare?

2. Multo minus ex eo quod Eucharistia dicatur in Scripturis *fractio panis, et participatio ac communicatio corporis et sanguinis Domini*, inferri potest, in celebratione Missæ necessario Eucharistiam adstantibus esse distribuendam. Etenim per istas denominationes solum declaratur, quid in Eucharistiæ distributione fiat, et quid illa operetur, non autem præceptum proponitur: imo quamvis in Missa solus sacerdos commu-

nicet, vera tamen fractio panis, et vera communicatio et participatio est corporis et sanguinis Domini.

3. Apostolus, dum Corinthios increpat (I. Cor. XI. 20.) dicens: "Convenientibus vobis in unum, jam non est dominicam cœnam manducare; unusquisque enim suam cœnam præsumit ad manducandum," per cœnam dominicam non intelligit sacram Eucharistiæ perceptionem, sed convivia illa, quæ vel præcedebant vel subsequebantur eucharisticam communionem, quæque *agapœ* dicebantur, ut constat tum ex S. Chrysostomi, S. Augustini et Œcumenii expositione, tum etiam ex ipsa orationis serie, in qua S. Paulus divites carpit, qui pauperes excludebant a participatione eorum, quæ ipsi secum afferebant, unde fiebat, ut alii quidem esurirent, alii autem ebrii essent; quare concludebat: "Numquid domos non habetis ad manducandum et bibendum? aut Ecclesiam Dei contemnitis et confunditis eos, qui non habent?"

4. "Missas absque communicantibus non celebrare [Græcos] falsum est" ait Allatius (l. 3. de Eccl. Occid. et Orient. consensu c. 15. n. 3.). "Qui non credit, adeat," idem Allatius prosequitur, "adeat ipsas Græcorum Ecclesias, ubicumque terrarum constitutas; in omnibus sacerdotes, ut plurimum nulla interveniente communione, tum privatim, tum publice celebrant."

"O memoriale mortis Domini,
Panis vivus, vitam præstans homini,
Præsta meæ menti de te vivere
Et te illi semper dulce sapere."

S. Thomas, *Rythmus de SS. Sacramento.*

APPENDIX.

Responsum a S. Congr. Rom. et Univ. Inquisitionis datum, die 7. Julii 1875., circa propositiones quasdam dogma transsubstantiationis spectantes.

(Confer ea quæ in fine articuli 5. primæ partis hujus de Eucharistia tractatus, Scholio I. p. 109., habentur).

Humillime rogat Præpositus generalis Societatis Jesu S. Supremam Congregationem S. Officii, ut declarare dignetur, utrum tolerari possit explicatio transsubstantiationis in SS. Eucharistiæ Sacramento, quæ sequentibus propositionibus comprehenditur.

I. Sicut formalis ratio hypostaseos est *per se esse* seu per se subsistere, ita formalis ratio *substantiæ* est *in se esse* et actualiter non sustentari in alio tamquam primo subjecto; probe enim ista duo discernenda sunt *esse per se* (quæ est formalis ratio hypostaseos) et *esse in se* (quæ est formalis ratio substantiæ).

II. Quare sicut natura humana in Christo non est hypostasis, quia non *per se* subsistit, sed est assumpta ab hypostasi superiori divina; ita *substantia* finita, ex. gr. substantia panis, desinit esse *substantia*, eo solum et absque alia sui mutatione, quod in alio supernaturaliter sustentatur, ita ut jam non *in se* sit sed in alio ut in primo subjecto.

III. Hinc transsubstantiatio, seu conversio totius *substantiæ* panis in substantiam corporis Christi Domini nostri, explicari potest hac ratione, quod corpus Christi, dum fit substantialiter præsens in Eucharistia, sustentat *naturam panis*, quæ hoc ipso et absque alia sui mutatione desinit esse *substantia*, quia jam non est *in se* sed in alio sustentante: adeoque manet quidem *natura panis*, sed in ea cessat formalis ratio *substantiæ*; et ideo non duæ sunt substantiæ, sed una sola, nempe corporis Christi.

IV. Igitur in Eucharistia manent materia et forma elementorum panis; verum jam in alio supernaturaliter existentes rationem substantiæ non habent, sed habent rationem *supernaturalis accidentis*, non quasi ad modum naturalium accidentium afficerent corpus Christi, sed eo dumtaxat quod a corpore Christi, modo, quo dictum est, sustentantur.

Romæ 20. Maii 1875.

FERIA IV. DIE 7. JULII 1875.

In Coñgne Geñli S. Rom. et Univ. Inquisitionis habita coram Emis ac Rmis DD. S. Rom. Ecclesiæ Cardinalibus contra hæreticam pravitatem Inquisitoribus generalibus, lectis ac ponderatis suprascriptis propositionibus, iidem Emi Dñi dixerunt: "Doctrinam transsubstantiationis, prout hic exponitur, tolerari non posse."

PRO DÑO J. PELAMI S. RÑÆ ET UÑLIS IÑQUIS NOT°

JACOBUS VAGAGGINI *Substitutus.*

INDEX ANALYTICUS

PROŒMIUM..5

TRACTATUS I.

DE SACRAMENTIS IN GENERE

NOTIO ET DIVISIO TRACTATUS—Connexio Tractatus de sacramentis cum alio de Verbo Dei incarnato—Sacramenta media salutis—Utilitas ac dignitas præsentis tractatus—Divisio ejusdem in tres partes nempe de sacramentorum—*a*) essentia et existentia—*b*) causis—*c*) efficacia..................9–10

PARS PRIMA

DE ESSENTIA ET EXISTENTIA SACRAMENTORUM

Art. Primus—***De Ratione generica Sacramenti sensu latiori***

Sacramenti nominis multiplex acceptio apud profanos auctores—Exemplis probatur—*Usu Ecclesiastico* sacramentum idem est ac Mysterium—Strictiori sensu denotat rei sacræ signum—Ita passim Patres—Hoc sensu S. Aug. sacrificium et cæremonias cultus externi sacramenta esse dixit......11–14

Art. Secundus—***De Ratione generica Sacramentorum sensu strictiori***

Arctiori adhuc acceptione sacramentum idem est ac signum sanctitatem conferens—Signi multiplex divisio—In eo duo considerantur, res significans, et significatio—ex alterutro vel utroque signum sacrum esse potest—Sanctitas duplex—*essentialis* in Deo—*accidentalis* in creaturis—hæc vel *interior* et *spiritualis* vel *externa* et *legalis*—Ex decretis Eugenii IV. pro Armenis et pro Jacobitis, et ex Conc. Trid. constat—*a*) fuisse quædam sacramenta ante Christum—*b*) hæc ratione generica convenire cum novis—*c*) ratione specifica ab illis distingui—Hæc sequentibus thesibus probantur—Quatuor distinguuntur epochæ ab hominis creatione ad Christum—Innocentiæ status in paradiso—a lapsu Adami ad Abraham—ab Abraham ad Moysen—ā Moyse ad Christum..14–17

De Sacramento in Statu Innocentiæ

THESIS I.—In statu innocentiæ nullum sacramentum extitit...............17

Adversarii quidam theologi ex ordine Erem. S. Aug.—Nos thesim defendimus cum S. Th. uti moraliter certam—*Prob.* Existentia sacramenti in illo statu admitti nequit, nisi ex revelatione ejus institutio ostendatur—pendet enim ex sola Dei libera voluntate—Atqui hæc nec ex Script., nec ex Trad. ostenditur—Ergo—Argumentum roboratur congruentiis desumptis ex—*a*) inutilitate illius institutionis supposita brevitate temporis—*b*) repugnantia ejusdem institutionis cum rectitudine illius status, qui postulabat ut homo non ex sensibilibus sanctificaretur..17–19

Difficultatibus Satisfit—S. Aug. cum dicit: Sacramenta esse necessaria ut religio habeatur, de sacramento lato sensu accepto loquitur—Eodem sensu affirmat *lignum vitæ* fuisse sacramentum—Utrumque ex ipsis locis objectis ostenditur—Verba Pauli, "Sacramentum hoc [Matrimonium] magnum est" si intelliguntur de matrimonio Christianorum, non faciunt ad rem —Si de ipsa institutione, *sacramenti* nomen adhibetur in sensu lato..19–21

Nota —Quæstio "Utrum, si status innocentiæ perseverasset, instituta fuissent sacramenta" non unam habet a theologis solutionem—Nobis nihil certi aut solidæ probabilitatis de illa institutione dici posse videtur.............21

De Sacramento Legis Naturæ

THESIS II.—In statu legis naturæ, ante Circumcisionis mandatum, remedium aliquod contra peccatum originale pro salute infantium extitit, institutum a Deo; illudque probabilius sacramentum fuit...........................22

Status legis naturæ alius est a statu puræ naturæ—Ita vocatur per oppositionem ad statum legis scriptæ—Nomine legis naturæ in thesi intelliguntur omnia præcepta quæ naturaliter consequuntur tum naturam rationalem, tum supernaturalem elevationem hominis—Thesis duas habet partes—prima est theologice certa—altera nobis probabilior................22–23

Probatio—Ex misericordi Dei voluntate reparationis et salutis omnium, quorum ipse est Deus et quorum naturam Dei Verbum assumpsit (Tim. II.), quæ voluntas non existeret si Deus denegavisset illis parvulis remedium sine quo salvari non potuissent—Idem deducitur ex morte Christi pro omnibus, qui in Adam peccaverunt—Difficultas desumpta ex conditione parvulorum decedentium in utero matris, solvitur ex eo quod etiam illis Deus vi ejusdem voluntatis salvificæ providit *modo eis congruo*—Hoc remedium legis naturæ extitisse Patres diserte testantur—Ita S. Aug., Prosper, Gregor. M., Beda...22–27

Natura illius remedii statuitur—Certum est—*a*) illud remedium applicari non potuisse actione ipsorum parvulorum—*b*) applicari debuisse actione humana, maxime parentum—*c*) non fuisse constitutum in sanctitate habituali parentum—*d*) sed in aliqua professione fidei in futurum Redemptorem—non tamen requirebatur fides formata—Utrum mere interna sufficeret disputatur —internam suffecisse affirmat S. Bonav.—negat S. Thomas—Hugo a S. Vict. dixit: illam professionem externam fuisse *devotionis* non *necessitatis*—Nos S. Thomæ sententiam amplectimur..........................27–30

Probatio—*a*) Ex auctoritate S. Aug. qui illud remedium fuisse sacramentum adstruit—*b*) Rationibus theologicis desumptis ex necessitate cultus externi, fidei professionis etc.—*c*) Ex doctrina S. Thomæ.................. 30–31

Difficultatibus Satisfit—Angelicus Doctor, cum (in 4. Sententiarum) dicit interiorem parentum fidem sine ullo signo externo suffecisse, de signo ab ipso Deo determinato loquitur—Eodem modo explicantur testimonia S. Greg., Bedæ, S. Bernardi—Nec ex hoc sequitur meliorem fuisse conditionem parvulorum in lege naturæ quam in lege gratiæ—Remedium enim legis gratiæ—*a*) rem requirit omnibus obviam—*b*) notius est omnibus—Sacramentum legis naturæ ante præceptum circumcisionis necessarium fuit omnibus infantibus—post institutam a Deo circumcisionem necessarium fuit, ut mundarentur a labe originali, masculis non Israelitis, et omnibus feminis; probabiliter etiam pueris Judæorum, qui circumcidi non poterant — Utrum præter hoc alia extiterint sacramenta in illo statu, ignotum est.. 31–34

De Circumcisione et aliis Sacram. V. L.

THESIS III.—Veram sacramenti rationem habuit Circumcisio, quæ ex divina institutione descendentes ex Abrahamo consignabat Dei cultui, Christianorum baptisma præfigurabat, et remedium erat quo originale peccatum masculini sexus infantibus remittebatur. Præter Circumcisionem, extiterunt etiam alia sacramenta in lege veteri, scilicet esus agni paschalis et panum propositionum, figura Eucharistiæ,—purificationes et expiationes, figura Pœnitentiæ,—consecratio Sacerdotum, figura Ordinis sacri.................................. 34

Thesis duas continet partes—In 1. parte affirmatur—*a*) circumcisionem fuisse signum religiosum —*b*) significasse futurum baptismum—*c*) remedium fuisse pro parvulis hebræorum contra originale peccatum—Ad probandum Circumcisionem habuisse veram rationem sacramenti hoc ultimum non requiritur—Circumcisionem fuisse sacramentum *communis* sententia—institutam autem fuisse uti remedium contra originale peccatum negant nonnulli—Suarez ait id negari non posse sine aliqua temeritate—quod in 2. parte statuitur fide certum est.. 34–35

Prob. 1. p.—*Prima assertio* patet ex ipsis verbis quibus circumcisionis institutio proponitur in Gen. (XVII.)—Confirmatur ex doctrina Apost. qui in Epist. ad Rom. (II.) hoc ut notissimum supponit—*Secunda assertio* probatur ex Epist. ad Col. (II.) ubi Apost. comparat circumcisionem V. L. cum circumcisione N. L. nempe cum baptismo—Confirmatur ex doctrina PP. qui figuralem repræsentationem baptismi factam in circumcisione passim docent —*Tertia assertio* constat ex verbis Gen. (XVII. 11.) "*Masculus cujus*" etc. quæ docent Judæorum pueros in Circumcisione tamquam medio necessario mundatos fuisse a culpa originis—Ergo—*prob. ant.* Textus—*a*) parvulos respicit—patet ex verbis quæ generalia sunt—ex contextu—ex versionibus Septuag. et Syriaca.—*b*) eos dicit exclusos a beatitudine si circumcisi non fuerint—patet ex illis verbis "*delebitur anima illius de populo suo*" quæ sensu *saltem mediato* intelligi debent de morte spirituali animæ in qua manet incircumcisus—Puer a labe originis mundari non poterat si Christo Salvatori per fidem non fuisset conjunctus—Atq. puer incircumcisus Christo Salvatori non erat per fidem conjunctus—siquidem non habebat illud signum a Deo

institutum ut talis professio haberetur—Ergo—*c*) hujus exclusionis causam dicit esse peccatum quod commiserat in Adamo—patet ex illis verbis "*quia pactum meum irritum fecit*"—Nemo excludi potest a beatitudine, nisi vel per peccatum originale vel personale—Atqui pueri incircumcisi non possunt dici exclusi a beatitudine propter peccatum personale—Ergo—In puero incircumciso *immediate* et *proxime* violatum fuit fœdus, quod cum Abrahamo Deus inierat; *mediate* vero et *remote* illud aliud, quod Deus statuerat cum Adamo—Hæc fusius explicantur ex S. Aug. ex quo hoc argumentum desumptum est—Probatur ulterius auctoritate Patrum—His accedit auctoritas Ep. Decretalis dogmaticæ Innoc. III.—S. Thomas, S. Bonaventura et alii hoc uti rem extra omne dubium positam affirmant—Rationes convenientiæ cur Deus nonnisi tempore Abrahæ instituerit circumcisionem—cur pro maribus tantum—cur octavam diem indixerit, ex S. Thoma breviter proponuntur.—Circumcisionem ab adulto receptam, positis debitis dispositionibus, delevisse etiam actualia tenet S. Thomas—Objectiones quæ desumuntur ex Apostolo solvuntur ex consideratione scopi et mentis ipsius in locis objectis—Eodem pacto solvuntur objectiones ex Patribus...........35–52

Prob. 2. p.—Scriptura testatur fuisse in Veteri Lege præter circumcisionem cæremonias quasdam, quæ erant—*a*) signa *sacra*,—constat ex Epist. ad Hebr. (IX. 13.): "*sanguis hircorum et taurorum . . . . inquinatos sanctificat ad emundationem carnis*"—*b*) signa *rei sacræ* quam præfigurabant—patet ex Ep. ad Heb. (x. 1.) ubi Lex dicitur umbra futurorum bonorum.—Ergo—Esum agni paschalis et panum propositionum; purificationes et expiationes; consecrationem sacerdotum fuisse veri nominis sacramenta ostenditur ex Script. V. T., ubi sermo est de eorum institutione et usu—Confirmatur auctoritate S. Aug.—Cur cetera sacramenta N. L. correspondentia sibi sacramenta figurativa non habuerint in V. L. ex ejusdem legis natura et conditione ostendit S. Thomas....................................52–54

De Efficacitate Sacramentorum V. L.

THESIS IV.—Sacramenta ante legem Evangelicam instituta non habebant in se virtutem qua operarentur ad conferendam gratiam sanctificantem; sed significando Passionem Christi et effectus ejus, protestationes quædam fidei erant, quas cum in eorum susceptione homines exhiberent, internam ac spiritualem sanctificationem a Deo, propter futura merita Redemptoris, accipiebant.....55

Sacramenta ante legem evangelicam instituta, circumcisione excepta, non habuisse efficacitatem ad internam sanctificationem efficiendam, Doctores communiter videntur admittere, in modo tamen loquendi differunt—Circumcisionem virtutem habuisse ex divina institutione ad collationem gratiæ *ex opere operato* affirmat S. Bonaventura—negat S. Thomas—Hujus sententiam tuemur saltem uti theologice certam...........................55–59

Probatio—Pro sacramento legis naturæ patet ex thesi II.—pro circumcisione —1) ex Script. quia—*a*) *ex operibus legis non justificabatur homo* (Rom. III.) —*ex lege non erat justitia* (Gal. III.)—*b*) Lex V. T. dicitur in Script. lex mortis, infirma, inutilis ad sanctificationem internam—Ergo—2) Ex Patribus—3) ex decretis Conc. Florent. et Trid.—Hæc circumcisionem et sacramentum legis naturæ comprehendere patet—*a*) quoad circumcisionem: quia in ipsa lege præcepta fuit, cujus erat veluti professio ac aliorum sacra-

mentorum quasi janua—*b*) quoad sacramentum legis naturæ: quia ille status erat imperfectior statu legis scriptæ—*c*) quoad utrumque: quia scopus Conc. fuit docere excellentiam sacramentorum N. L. super sacramenta vetera—Confirmatur ex ratione theologica—Nondum erat ejusdem gratiæ pretium solutum per mortem Christi—Ergo 59–66

Difficultatibus Satisfit—Scriptura cæremoniis V. L. promittit remissionem peccatorum; sed quoad legalem et externam immunditiam—Apost. in I. ad Cor. x. comparat Hebræos inter se, qui omnes illud manna comederunt, et aquam biberunt ex eadem petra, non autem comparationem instituit inter nos et Hebræos—Cum Patres comparant Baptismum circumcisioni quoad remissionem culpæ originalis, intelligendi sunt de effectu qui est idem in utroque, non autem de modo remittendi qui diversus est—Si quando dicunt: circumcisionem justificasse, hoc intelligunt de conditione sine qua non, cui ex usu loquendi tribui solet effectus, qui proprius est causæ.........66–68

De Definitione Generica Sacramenti

THESIS V.—Vetera sacramenta divinitus instituta fuerunt ad homines divino cultui consecrandos, et ad significandam gratiam in nova lege conferendam per merita Christi. Sacramenta igitur sive nova, sive vetera, quatenus in generica ratione sacramenti, strictiori sensu accepti, conveniunt, apte definiuntur, signa sensibilia, sacra, a Deo permanenter instituta ad significandam gratiam et ad homines, qui rite ea susciperent, sanctificandos..........................68

Sacramentum non est unum *physice*; sed *moraliter* et *in genere signi*, constans ex re et significatione, per modum actus et potentiæ unitis—ipsa res potest componi ex multis, quæ ordinem dicunt ad unum sacramentum constituendum—Definiri tamen sacramentum potest, sicut definiri potest Ecclesia, exercitus—Sanctitas analogice dicitur de sanctitate *vera* et *interna*, et de *externa* et *legali*—Abstrahi tamen potest a sacramentis utriusque legis conceptus aliquis univocus—hic declaratur nomine *sanctificationis*, prout importat specialem creaturæ cum Deo conjunctionem, et consecrationem—Hæc perfectior est in sacramentis novis, imperfectior in veteribus—in utrisque tamen vera conjunctio et consecratio—Hanc communem rationem supponunt Conc. Flor. et Trid.—Idem Patres docuerunt—Nec dissentit S. Thomas —definitionis verba declarantur—Hac supposita, e sacramentorum censu excluduntur tum in V., tum in N. T. quædam res et actiones, quæ in uno, vel in pluribus a sacramenti ratione deficere reperiuntur............68–72

Art. Tertius—***De Ratione specifica Sacramentorum N. L.***

Notiones Præviæ

Sacramenta N. L. gratiam sanctificantem, quam significant, conferunt—Per id specifice a veteribus differunt—Contra Novatores id inficiantes Trid. Syn. definivit: Sacramenta N. L. *ex opere operato* conferre gratiam—In hac definitione *opus operatum* opponitur *operi operantis*, passive adhibetur pro sacramentali signo effecto—Hac formula significatur—*a*) quid positivum, nempe ipsum sensibile signum valere ad gratiam conferendam—*b*) quid negativum, nempe hanc virtutem non habere ex aliquo actu quatenus *meritorio* sive ministrantis, sive suscipientis; tamen—*c*) requiri tum actus liberos ministrantis—tum suscipientis adulti—Hoc ulterius declaratur ex doctrina Conc. Trid. *de Justificatione*—Sacramenta sunt instrumenta Dei—

instrumenta Christi—In eorum usu duo distinguuntur—*actio externa* ministri illud perficientis, et applicantis subjecto—*actio interna* Dei, qua ipse ob dignitatem illius signi elargitur gratiam, quæ, si adsunt dispositiones requisitæ, suscipientes sanctificat—Hinc facile rejiciuntur falsi quidam sensus illius formulæ *ex opere operato* a Protestantibus invecti—Præscinditur in thesi a quæstione utrum physice vel moraliter gratiam causent......73–77

THESIS VI.—Sacramenta novæ legis non ponentibus obicem, ex opere operato, idest vi et efficacitate sua propria instrumentali, sanctificantem gratiam conferunt, quam significant..........77

Prob.—Scripturæ ipsis sacramentis vim gratiæ effectivam tribuunt "*Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto*" — his verbis Baptismus dicitur esse—*a*) causa—hoc importat particula causalis *ex*—hoc exigit contextus "*ex aqua et Spiritu Sancto*"—*b*) causa nativitatis spiritualis—hoc docent verbum *renatus* ex Spiritu Sancto, et sequentia—hoc contextus confirmat.—Similiter arguitur ex illis Script. locis ubi—peccata dicuntur ablui *baptismo* (Act. XXII.) — nos dicimur salvi fieri *per lavacrum* regenerationis (ad Tit. III.)—baptismus asseritur necessarius in remissionem peccatorum pro illis etiam qui compuncti corde fidem habent (Act. II.)—Conf. ex comparatione testimoniorum de baptismate Joannis cum baptismate Christi —Quod de Baptismo dicitur de aliis sacramentis affirmandum esse, ostenditur ex Script. indicando loca quæ illa respiciunt; quæque in propriis tractatibus evolvuntur—Novatorum effugia in ipso argumentationis decursu præcluduntur—2) Patres constanter et disertis verbis hoc docuerunt—confirmatur ex Symbolis et definitionibus Conciliorum in quibus unum statuitur baptisma in remissionem peccatorum..........77–87

Difficultatibus Satisfit—Scripturæ et Patres tribuentes fidei justificationem nostram, sacramenta, justificationis media, non excludunt—Verba Petri (I. Ep. III.) vel de dispositionibus ad baptismum necessariis—vel de ipso effectu salutari intelligi debent—Scotum et Gabrielem Biel sensu catholico adhibuisse formulam *ex opere operato*, ex eorum scriptis ostenditur.. 87–95

SCHOLION.—Sacramenta N. L. sunt *signa practica*—efficiunt, enim, gratiam quam significant — *a*) *demonstrativa* gratiæ præsentis quam efficiunt — *b*) *rememorativa* meritorum Christi—*c*) *prognostica* futuræ gloriæ—Ex S. Script. et PP. ostenditur triplicem hanc significationem inesse Baptismo et Eucharistiæ — idem dicendum de aliis sacramentis — Hinc ex S. Dionysio ostenditur sacramenta nova media esse inter vetera sacramenta, et futura bona..........95–98

Art. Quartus—***De Numero Sacramentorum***

Notiones Præviæ

Septem esse sacramenta definivit Conc. Trid. contra Novatores sæc. XVI.—Dissentiunt inter se, et secum ipsis in aliquo numero determinando Lutherus, Melanthon, Zwinglius, Calvinus — Posteriores Protestantes et ipsi modo plura, modo pauciora sacramenta admiserunt—Nunc communiter duo admittunt Baptismum et Cœnam..........98–99

THESIS VII.—Sacramenta novæ legis, a Jesu Christo Domino nostro instituta, nec plura sunt, nec pauciora quam septem, videlicet: Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Pœnitentia, Extrema Unctio, Ordo et Matrimonium........100

Prob. *argumento præscriptionis*—Si constat universam Ecclesiam aliquando aliquid uti certum tenuisse, hoc non est erratum sed traditum—Tertul.—Lirinensis—Atqui constat universam Eccles. tempore Novatorum, immo multis sæculis ante eos, uti certum tenuisse septem esse sacramenta—Ergo—Min. demonstrant Conc. Flor.—Constant.—Lugd. II.—Londin.—Professio Fidei præscripta Waldensibus — Latinorum sacramentalia — Græcorum euchologia etc.—Unanimis Scholæ doctrina—Eccles. Græcæ schismaticæ cum Romana consensio—Nestoriani etiam et Monophysitæ hanc de septenario sacramentorum numero fidem profitentur—Septem sacramenta apud Coptos in Ægypto recenseri demonstrat P. Sollerius S. J.........100–107

Difficultatibus Satisfit—Scripturæ tradunt doctrinam, ideo nihil mirum si *nomen* septenarii numeri in ipsis *explicite* non reperiatur—Septem tradunt signa sensibilia, quibus convenit definitio sacramenti—Multa credere debemus ex Traditione—ideoque, etiamsi Scrip. omnino sileret, illa sufficeret—Quod vetusti PP. non enumerent septem sacramenta, sed tantummodo aliqua; explicatur vel ex scopo ipsis peculiari—vel ex eo quod sacramenta dividebant in *perficientia* et *medicinalia*, et de una tantum classe loqui volebant—vel ex arcani disciplina—Lotionem pedum non esse sacramentum constat—*a*) quia non fuit a Christo præcepta ut *perpetuo* in Eccles. maneret—constat ex praxi Ecclesiæ—*b*) quia gratiæ sanctificantis promissionem tamquam signum practicum non habuit—constat ex verbis Christi—S. Bernardum et S. Ambrosium non aliter hac in re sensisse ex eorum scriptis plene evincitur..107–117

Art. Quintus—***De Convenientia Sacramentorum***

THESIS VIII.—Aptissimæ in sacramentorum institutione, pro sanctificatione hominum et salute, convenientiæ splendere cernuntur, sive eorumdem sacramentorum natura spectetur, sive numerus..............................118

Convenientia sacramentorum, spectata eorum natura, ostenditur—1) Ex conditione naturæ humanæ, cujus proprium est ut per corporalia et sensibilia ad spiritualia capienda deveniat—2) Ex statu hominis lapsi qui libentius utitur corporalibus—3) Ex studio actionis humanæ, quæ præcipue circa corporalia versatur, etc.—Convenientiam Sacramentorum, spectato eorum numero, ostendit S. Thomas ex analogia inter corporalem vitam et spiritualem—Convenientias alias prosequitur S. Bonaventura, ostendens Deum ita instituisse sacramenta, ut nihil prorsus desit curationi nostræ, quantum competit statui vitæ præsentis..............................118–124

Art. Sextus—***De Ordine Sacramentorum ad invicem***

Duplex ordo attenditur in sacramentis, numerationis et dignitatis—non omnes eodem semper modo sacramenta recensuerunt.......................124

THESIS IX.—Sacramenta recte numerantur ordine, quem Tridentina Synodus probavit, Sessionis septimæ canone primo. Inter sacramenta vero Eucharistia longe dignitate ceteris antecellit: licet, secundum rationes alias uniuscujusque sacramenti proprias, nullum sacramentorum sit, quod non præstet alicui alteri..125

Prob. 1. p.—Ex respectibus, quos sacramenta habent sive inter se, sive relate ad hominem, quem perficiunt—*Prob. 2. p.*—*a*) quia in Eucharistia substan-

tialiter continetur Christus; in aliis vero sacramentis efficacitas quædam est participata a Christo—*b*) quia cetera ad Eucharistiam ut ad finem ordinantur—*Prob.* 3. *p.*—Ex consideratione effectus uniuscujusque.....125–127

PARS SECUNDA

DE CAUSIS SACRAMENTORUM

Art. Primus—***De Auctore Sacramentorum***

Notiones Præviæ

Sacramentorum duplex causa efficiens: *principalis*—sacramenta instituens—*ministerialis*—sacramenta conficiens—Hic de prima agitur—Hæc vel est principalis potestate *auctoritatis*, Deus—vel principalis potestate *excellentiæ* seu *principalis ministerii*, Christus homo — Quomodo Christus operetur effectum Sacramentorum et in quo hæc potestas consistat ex S. Thoma declaratur—Hanc potestatem potuisse Christum Ecclesiæ ministris communicare communiter concedunt theologi—Christum instituisse omnia et singula sacramenta de fide est—Ita contra Novatores Conc. Trid.—An de facto Christus per se ipsum seu *immediate* omnia sacramenta instituerit, ante Conc. Trid. negaverunt Petrus Lomb. S. Bonav. et alii—post Conc. Trid. theologi omnes affirmant — An immediata hæc institutio *definita* fuerit a Conc. Trid., non consentiunt Doctores..................129–136

THESIS X.—Omnia novæ legis sacramenta instituta fuerunt immediate a Christo Domino: hæc veritas, etsi definita adhuc non sit ut dogma fidei; certo tamen tenenda est, et nonnisi magna temeritate impugnari posset...............136

Prob. 1. p.—1) Si Christus Eccl. ministris communicavisset potestatem sacramenta instituendi, hanc communicavisset Apostolis, Ecclesiæ fundamentis—Atq. eis illam non communicavit—dicuntur enim (I. Cor. IV.) sacramentorum *dispensatores*, *ministri* et numquam institutores—Ergo—Quædam sacramenta indubie a Christo sunt immediate instituta—Ergo ex paritate rationis omnia—Conf. ex Act. Apost. (I. 3.)—2) *Ex Traditione*—Ita inter multos Patres S. Ambrosius et S. Augustinus—hujus insigne testimonium fusius declaratur—3) *Ex Conc. Trid.*—Verba canonis, quo definivit omnia sacram. esse a J. C. instituta, intelligenda esse de immediata institutione constat—*a*) ex communi usu loquendi—*b*) ex modo quo institutiones generales in Eccl. vigentes appellantur—*c*) ex illis, quæ S. Synodus habet de Sacram. Pœnit. et maxime de Extrema Unctione—*d*) ex eo quod secus Eccl. potestatem haberet circa substantiam Sacramentorum—4) *Rationes* desumptæ—*a*) ex utilitate fidelium—*b*) ex ipsa œconomia Christianæ religionis hoc confirmant. *Prob.* 2. *p.*—Institutionem immediatam non esse definitam ut dogma fidei patet: quia hoc negaverunt doctissimi theologi post Conc. Trid.—Ita Suarez, Soto etc.—quia non potest supponi Conc. ex inadvertentia omisisse vocem *immediate*—quia scopus Concilii non ferebat hac de re edere definitionem fidei explicitam.......................................136–144

Art. Secundus—***De Materia et Forma Sacramentorum***

Notiones Præviæ

Agitur de compositione quasi physica sacramentorum—quæ propter similitudinem, quam habent cum composito physico, ex materia et forma constare dicuntur—In sacramento *res* in ratione significandi indeterminata dicitur *materia*—*verba*, quæ rem illam determinant, eique dant esse signum sacramentale dicuntur *forma*: hoc illustratur exemplo baptismi—Ut sacramenta constare dicantur rebus et verbis sufficit, ut aliquid fungatur vice rei, aliud vice formæ—Declaratur exemplo Pœnitentiæ et Matrimonii—Quæ nos nunc materiam et formam vocamus, veteres appellabant *sacramentorum res*—ita Tertullianus—Cum Patres loquuntur de *forma* sacramenti, nomine formæ intelligunt *ritum*, quo sacramentum administratur—Ita S. Aug., Conc. Milev., Innoc. IV.—Primus qui usurpaverit hanc appellationem Materiæ et Formæ videtur esse juxta quosdam Guliel. Antissiodorensis—juxta alios Alanus Magnus.......................................144–148

THESIS XI.—Sacramenta novæ legis conficiuntur et essentialiter constant duplici parte signi sacramentalis, una quæ est res vel actio minus determinatæ significationis, altera quæ est vel proprie et vocaliter, vel saltem virtualiter et æquivalenter verbum, determinans significationem: unde merito confici et constare sacramenta dicuntur rebus tamquam materia et verbis tamquam forma........148

Prob. 1. p.—1) ex Scripturis, uti patet ex verbis, quibus unumquodque sacramentum in ipsis proponitur—2) ex Patribus, qui hoc diserte docent—quædam eorum testimonia ex pluribus selecta afferuntur—3) ex Conc. Flor. et Trid.—4) ex rationibus theologicis quæ desumuntur—*a*) ex parte Christi qui est Verbum sensibili carni unitum—*b*) ex parte hominis—*c*) ex parte significationis—*Prob.* 2. *p.*—In omnibus sacramentis res de se indifferentes ad plura significanda per verba determinantur ad unum—Ergo—Idipsum non conceptis utique verbis, sed re docetur a Patribus — Juxta Concil. Florent. "sacramenta perficiuntur rebus tamquam materia, verbis tamquam forma"—Confirmatur ex Tridentino.............................148–153

Difficultatibus satisfit—Particula "*quasi* materia" adhibita a Conc. Flor. et Trid., cum agerent de sacramento pœnitentiæ solum declarat in hoc sacramento materiam *non eodem modo* se habere ac in aliis—hoc ostenditur ex Catechismo Conc. Trid. et ex S. Thoma, qui eumdem modum loquendi usurpavit, quem postea adhibuit Conc. Flor.—Eucharistia cum conficiatur et permaneat ante usum, permanentibus speciebus, ab aliis sacramentis, quæ transeuntia sunt, differt—Hinc dupliciter consideratur *in fieri*—*in facto esse*—Si consideratur *in fieri*, *materia* sunt panis et vinum; *forma* verba consecratoria—Si consideratur *in facto esse*, species sunt *materia*; consecratio moraliter permanens *forma*—Hæc fusius explicantur........ .154–156

Art. Tertius—***De Verbo Sacramentali consecratorio***

Notiones Præviæ

Verbum sacramentale esse consecratorium, nempe ita rem Deo consecrare, ut hæc simul cum ipso unum efficiat signum practicum gratiæ sanctificantis affirmant catholici—negant protestantes—juxta ipsos verbum sacramentale est solummodo concionale, et promissorium—Hic error intime connectitur

cum fundamentali eorum hæresi—Quid sit verbum concionale et promissorium verbis protestantium declaratur—Utrum verbum fidem excitet per virtutem intrinsecam ipsi verbo, vel per extrinsecam, non conveniunt Lutherani et Calvinistæ—Verus status quæstionis proponitur—Hic juxta ipsum Turrettinum in hoc est: utrum verbum sit ita consecratorium ut sit simul operativum—Hoc statuit Conc. Trid. (sess. 7.) et defenditur in thesi..157–161

THESIS XII.—Verba sacramentorum non sunt promissoria dumtaxat et concionalia ad mentem Protestantium; nec solum consecratoria quatenus res aliquæ sensibiles, juxta Christi institutionem, ab usu profano et communi per ea traducuntur ad usum sacrum et religiosum: sed vere et proprie consecratoria sunt, quia juncta rebus, ut formale elementum, unum cum eis sacramentale signum efficax ad conferendam gratiam rite dispositis constituunt atque absolvunt..161

Prob.—1.—*Ex Scripturis a*) quia verba quibus conficiuntur sacramenta, quæ admittuntur a Protestantibus, nec promissionem directe significant, nec ullam concionem præ se ferunt—*b*) quia secus loco verborum quæ essentialiter ad sacramenta illa conficienda requiruntur, hæc potius adhibenda essent "Nisi quis renatus" etc. "Qui manducat meam carnem" etc.—*c*) quia aliud est ministerium baptizandi aliud evangelizandi—2) *Ex Traditione*—Recoluntur testimonia Patrum allata pro thesi VI.—His præclara alia testimonia, rem apprime conficientia, adduntur—3) Ratio validissima deducitur *ex baptismo infantium*, qui, si verba sacramentalia essent concionatoria, nullius esset efficacitatis, cum in ipsis, utpote usu rationis carentibus, fides excitari nequeat—Confirmatur ex consideratione tentaminum inutilium, quæ experti sunt adversarii ut argumenti hujus vim evaderent—Duo loca Patrum, S. Augustini et S. Ambrosii, quæ nobis ab adversariis opponuntur, ex scopo, et doctrina ipsorum Patrum declarantur................161–169

Art. Quartus—*De Materiæ Formæque Sacramentorum Determinatione*

Notiones Præviæ

Determinatio hæc a Christo dupliciter fieri potuit—*in genere:* statuendo signum aptum eligendum esse ab Ecclesia—*in specie:* eligendo per se illud signum perpetuo in Eccles. servandum—hoc declaratur exemplo sacramenti Ordinis—Signum *idem manere*, vel *specifice mutari*, secundum moralem hominum æstimationem judicari debet—Christum hanc determinationem saltem *in genere* fecisse, concedunt omnes—An etiam *in specie?* pro Baptismo, et Eucharistia indubium est—pro aliis controvertitur; communior tamen sententia affirmat — Immerito citatur Bellarminus pro opposita sententia..169–170

THESIS XIII.—Probabilius Christus in specie determinavit omnium novæ legis sacramentorum materiam et formam................................171

Prob.—1) quia secus Ecclesia potestatem haberet circa substantiam Sacramentorum—2) quia nullum determinationis hujus, et exercitæ potestatis documentum, vel indicium in monumentis Ecclesiasticis invenitur—3) quia præcipua adversariorum ratio, desumpta ex sacramento Ordinis, nullius momenti est: discrepantia enim inter Eccles. Latinam, et Græcam, quoad

collationem hujus sacramenti accidentalis est—item alia ex declaratione invaliditatis matrimonii clandestini cum Ecclesia per illam non mutaverit *formaliter* materiam hujus sacramenti; sed solum *materialiter*—4) quia hoc docuerunt Patres—Idem confirmatur auctoritate S. Thomæ, et variis congruentiis...171–176

SCHOLION—Illa mutatio in forma sacramenti est *substantialis*, quæ variat sensum, *accidentalis* vero est ea, quæ sensum servat integrum—hoc declaratur distinguendo modos varios mutationum, quæ contingere possunt in verbis formæ...176–180

Art. Quintus—***De Sacramentorum ritibus seu cæremoniis***

Notiones Præviæ

Cæremoniæ nomen strictiori sensu accipitur pro actione, vel circumstantia accidentali, quam in sacramentorum administratione Ecclesia observat—Cæremoniæ dividuntur ratione *modi*, *loci*, *temporis*, *originis*, *finis*—Protestantes negant Ecclesiam jus habere alias cæremonias statuendi vel immutandi, præter eas quæ in Script. mandatum, aut exemplum habent—Hanc potestatem esse in Ecclesia Trid. Synod. definivit—Magna commoda oriri ex his cæremoniis patet ex fine, propter quem ab Ecclesia instituuntur...181–183

THESIS XIV.—Ecclesia potestatem habet instituendi cæremonias in sacramentorum administratione; quapropter ritus, quos in sacramentis celebrandis statuit et adhibere consuevit, nequeunt a quocumque ministro omitti sine peccato, aut immutari...183

Prob. 1. p.—1) quia illa verba Pauli (I. Cor. XI. 34.) loquentis de Eucharistiæ celebratione "*cetera* cum venero, disponam" nonnisi accidentia sacramenti respicere possunt—2) quia Patres a primis temporibus cæremonias in administratione sacramentorum ab Ecclesia usurpatas, præter eas quas Protestantes solum admittere volunt, commemorant—3) quia Ecclesia accepit a Christo potestatem legislativam ad ea statuenda, quæ externum Dei cultum promoverent, et in bonum animarum cederent—Confirmatur exemplo societatis civilis—*Prob.* 2. *p.*—1) quia quod Ecclesia severe præcipit esse servandum, omitti, aut immutari sine peccato non potest—2) quia secus magna oriretur confusio in Ecclesia, et unitas in divino cultu destrueretur........183–185

Difficultatibus Satisfit—Vera adoratio, quam Christus (Joan. IV.) dicit esse *in spiritu et veritate*, opponitur cultui Judaico, qui principaliter externus erat, corporalis, et figurativus, non autem excludit omnem cultum externum, cum sine hoc, spiritualis cultus in hac vita haberi non potest—Quæ objiciuntur ex Deut. (IV.) et Matt. (XV.) ad rem non faciunt—S. Augustinus (Ep. 55.) illas cæremonias excludit quæ, privata auctoritate, præter consuetudinem instituuntur...185–187

SCHOLION—Nulla ratio cogit ad deserendum latinum idioma in ritibus Ecclesiæ, et gravissima incommoda orirentur ex sacramentorum ministratione in lingua vernacula...187–188

Art. Sextus—*De Ministro Sacramentorum*

Notiones Præviæ

Sacramentorum minister alius est *primarius:* Christus homo—alius *secundarius:* ille qui nomine Christi valide conficit sacramentum—De hoc ministro procedit præsens quæstio—Minister est vera causa ministerialis relate ad effectum sacramentalem: ipse enim perficit actionem sacramentalem, ex qua effectus ille procedit—Catholica doctrina hac de re contra Novatores proponitur in thesi, cujus prima pars certa est, et tenenda, licet non definita; altera de fide est ex Conc. Trid.—Angelum esse posse *extraordinarium* ministrum sacramentorum DD. communiter concedunt..........188–191

THESIS XV.—Minister sacramentorum homo est, non angelus, sive bonus, sive malus. Attamen, Baptismo et Matrimonio exceptis, non quilibet homo, etiam baptizatus, potestatem habet ut valide sacramenta conficiat, sed is solum qui rite in Ecclesia ordinatus est..........191

Prob. 1. p.—1) quia Scriptura testatur Christum potestatem sacramenta ministrandi dedisse hominibus, non angelis—2) quia Traditio hac de re apertissima est, ad exemplum citatur Chrysostomus—3) quia convenientiæ, desumptæ ex eo quod decet Christum ministros secundarios habere in natura conformes, et proportionem servare inter recipientem, et ministrantem, hoc suadent.—*Prob. 2. p.*—1) ex Script. Christus *non fidelibus omnibus* sed *Apostolis*, eorumque in hac potestate successoribus auctoritatem dedit absolvendi, conficiendi Eucharistiam etc.—2) ex Conc. Nicæno I., et Lateranense IV.—3) ex perpetua praxi Ecclesiæ, quæ innumeris factis apparet.—S. Petrus (I. Ep. II.) vocat christianos sacerdotes non vere et proprie, sed improprie et metaphorice, uti patet ex ipsis verbis Apost. in locis objectis..........191–194

Art. Septimus—*De Fide et Probitate ministri*

Notiones Præviæ

Rebaptizantium erroris primus auctor Agrippinus in Carthaginiensi Sede prædecessor S. Cypriani—hic et Firmilianus ejusdem erroris præcipui fautores—reprehenduntur a Pontifice Stephano, qui eis Ecclesiæ traditionem opponit—Rebaptizantes putaverunt quæstionem illam non esse *dogmatis*, sed *disciplinæ.* Id constat—*a*) ex litteris Stephani et Cypriani—*b*) ex actis Conciliorum, quæ hac de re in Africa habita fuerunt—*c*) ex testimonio Patrum—S. Cyprianum ante martyrium errorem suum retractasse putat Augustinus—Pro aliis Africæ Episcopis hoc uti certum tradit Hieronymus —Hunc errorem renovaverunt sæc. IV. Donatistæ, qui et alium addiderunt, asserentes probitatem ministri requiri ut sacramenta valide confici possint. Damnantur in Conc. Arelatensi I. et Nicæno I.—Errori Donatistarum adhæsere sæc. XII. Waldenses, et sæc. XIV. Wickleff, damnatus in Conc. Constantiensi—Fidem non requiri ad validitatem Baptismi certum est *de fide* ex Conc Trid.—non requiri pro aliis sacramentis, Pœnitentia excepta, communis et tenenda sententia contra paucos affirmat—Valide autem confici sacramenta omnia ab *improbo* ministro Tridentina Synodus definivit..........194–201

THESIS XVI.—Nec gratiæ status in ministro nec fides requiritur ut valide sacramentum conficere possit..201

Prob.—1) Ecclesia ab initio semper tenuit sacramentorum valorem non pendere a fide et sanctitate ministri. Ergo—Hanc Ecclesiæ traditionem affirmant Stephanus in litteris ad Cyprianum; Augustinus passim in libris contra Donatistas; Cyprianus ipse, qui consuetudinem Ecclesiæ immutari cœpisse ab Agrippino fatetur; Patres Concilii Carthaginiensis III. in causa Rebaptizantium; Firmilianus; Dionysius Alexandrinus; Eusebius; Vincentius Lirinensis.—2) Traditioni de validitate sacramenti ab hæretico collati novum exhibent testimonium—*a*) Decreta Summorum Pontificum—*b*) Concilia—*c*) Patres, qui, præsertim Augustinus, multis argumentis et similitudinibus rem illustrant—3) *Ratione* confirmatur—*a*) quia secus perpetua esset hominum incertitudo, et anxietas relate ad salutem æternam—*b*) quia nulla valida ratio assignari potest, vi cujus peccator aut hæreticus privaretur potestate valide conficiendi sacramenta................201–211

Difficultatibus Satisfit—Hæretici *illegitime* quidem, sed *vere* sacramenta possident—Qui in hæresi baptizantur Christum induunt quoad *perceptionem* sacramenti non quoad sanctificationem—Ab immundo virtute propria immundi nemo mundatur; at non ita res se habet in sacramentis—Auctoritas Cann. Apost., quippe qui apocryphi sunt, urgeri non potest, præsertim cum aliis Traditionis documentis adversentur—Pontifices nullas dixerunt ordinationes factas ab hæreticis non quoad *valorem* Ordinis, sed quoad *honorem* et *exercitium*—Patres cum dicunt Baptismum hæreticorum non mundare, sed polluere, loquuntur vel de fructuosa receptione sacramentorum, vel de illis hæreticis, qui circa formam errabant.—Impositio manus præscripta ab hæresi ad Ecclesiam venientibus non erat ad iterandum sacramentum confirmationis, sed ad reconciliandos reduces ad Ecclesiam—S. Basilium errore facti putavit rem non fuisse adhuc definitam cum ipse scribebat...211–217

NOTA—Ut sacramenta *licite* conficiantur statum gratiæ requiri non est dubium, saltem si sermo sit de ministro, qui speciali consecratione ad hoc deputatus sit...217–218

Art. Octavus—***De Intentione ministri***

Notiones Præviæ

Intentio est actus voluntatis ordinantis aliquid in finem—*explicita* et *immediata*, vel *implicita* et *mediata* dici potest, prout minister intendit conficere sacramentum *ut tale*, vel tantum agere quod frequentatur in Ecclesia—utraque esse potest vel *actualis*, vel *virtualis*, vel *habitualis*, vel *interpretativa*—Aliquam intentionem faciendi quod facit Ecclesia requiri in ministro, ut sacramentum conficiat, Trid. Synod. contra Lutherum definivit—Circa id quod Ecclesia facit duplex dari potest intentio, *externa*, si minister velit tantum *externe*, sed serio, actionem peragere quæ in Ecclesia usurpatur; *interna* vero si minister non modo externe, sed intus in animo velit serio illud agere, quod agit Ecclesia—Externam intentionem sufficere docuit Catharinus et quidam alii, quæ opinio longe differt a doctrina Novatorum—Internam præterea requiri communis tenet sententia..............218–222

THESIS XVII.—Ut valide sacramentum conficiat omnino requiritur in ministro intentio, qua velit facere quod facit Ecclesia, quæcumque tandem de Ecclesia, de

sacramento, ejusque effectu sentiat: et non sufficit ut hæc intentio sit habitualis, et multo minus interpretativa; sed necessario debet esse, si non actualis, saltem virtualis, et non modo externa, sed interna..............................222

Prob. 1. p.—*Requiritur* in Ministro *aliqua intentio*—*a*) quia juxta Apost. (I. Cor. IV.) debet agere *ut* Minister Christi: ideoque nomine Christi, et ex potestate ministeriali ab ipso accepta, quod sine *ulla* intentione fieri non potest—*b*) quia ita Christus voluit, ut patet ex verbis, quibus sacramenta instituit—*c*) quia authenticum Ecclesiæ Magisterium hoc docet: ita, ante Trid., Conc. Flor., Martinus I., Innocentius III.—Confirmatur ex Epistola S. Cornelii R. P. ad Fabium in qua nullam declarat ordinationem Novati ex defectu intentionis in Ministro—Idem docuerunt Scholastici; ad exemplum citantur S. Thomas, et S. Bonaventura, qui etiam pro re præsenti theologicas rationes exhibent—*Prob.* 2. *p.*—*Sufficit intentio faciendi quod Ecclesia vera facit, quæcumque ea sit*—quia in Ministro ad valide conficiendum sacramentum non requiritur fides—*Prob.* 3. *p.*—*a*) *Non sufficit intentio interpretativa, aut habitualis:* quia prima nullo modo influit in actum: altera vero non est efficax ad actionem sacramentalem determinandam, cum hæc deliberata esse debeat—*b*) *Non necessario requiritur actualis sed sufficit virtualis:* quia intentio actualis non est semper, moraliter loquendo, in potestate nostra—et virtualis influit in actum, eum reddit humanum, et sufficit in contractibus aliisque maximi momenti actibus—*Prob.* 4. *p.*—*Necessario requiritur intentio interna*—*a*) quia minister sine intentione interna *nullo modo* agit nomine Christi, cum non intendat animo ritum sacrum peragere, quem Christus instituit, immo interne illud irridet—*b*) quia Conc. Florent. præter prolationem formæ exigit intentionem, quæ ab externo ritu sejungi posset; hæc autem est interna—Idem evincitur ex Conc. Trid., et vana esse adversariorum effugia ex ipsius Conc. verbis ostenditur—Confirmatur—*a*) ex prop. quadam damnata ab Alexandro VIII., quæ doctrinam, quam impugnamus, enuntiare videtur—*b*) ex eo quod non sufficit ad sacramentum conficiendum applicare *materialiter* verba formæ, uti vellent adversarii, materiæ sacramenti; sed requiritur ut verba formæ prout *formam* constituunt pronuntientur, seu ut ille actus determinetur ad *esse* sacramenti, quod sine interna intentione fieri non potest....................222–234

Difficultatibus Satisfit—Intentio interna semper præsumitur nisi contrarium evidenter constet—in actionibus, quæ per homines et humano modo exercendæ sunt nonnisi certitudo moralis haberi potest, quæ ad pacem conscientiæ in negotio salutis sufficit—hæc autem intentio nonnisi rarissime et in hominibus perditissimis abesse potest, ac proinde non officit certitudini quæ haberi debet quoad sacramentorum ministrationem—Valet sacramentum jocose collatum, si jocus sit tantum finis extrinsecus, adsit tamen animus illud vere efficiendi—Quid S. Aug. sibi velit in fine librorum contra Donatistas expenditur;—ad rem præsentem quod attinet, constat S. Doctorem supponere baptismum validum esse fallaciter datum *non fallacia intentionis*, sed *fallacia fidei*—S. Thomas in 3. q. 64. excludens necessitatem intentionis internæ non loquitur de veritate sacramenti absolute et in se, sed relate ad nos..234–240

PARS TERTIA

DE EFFICACITATE SACRAMENTORUM

Art. Primus—***De Modo quo Sacramenta conferunt gratiam***

Notiones Præviæ

Causa aliud est a *conditione sine qua non:* hæc in esse causati non influit, illa vero hunc influxum necessario importat—Causa duplex est *physica* et *moralis:* utraque principalis, et instrumentalis—Sacramenta esse saltem causas morales gratiæ a Deo conferendæ, ex hucusque disputatis manifeste constat: sunt enim actiones Christi summi sacerdotis, ob quam dignitatem exigunt sanctificationem eorum quibus applicantur—hæc moralis dignitas non fundatur in acquisitione novi meriti, sed in meritis passionis Christi—Hæc fusius declarantur paucis propositis objectionibus quibus satisfit—Utrum Sacramenta sint etiam causæ, quæ physica efficientia producant gratiam—Affirmative omnes respondent—*a*) si sacramentum sumatur *omnino adæquate*, vel—*b*) si nomine sacramenti intelligatur complexus ex signo sensibili, et ex divina omnipotentia, quæ ei tanquam virtus appropriata inest ad gratiam conferendam—disputant vero inter se theologi si inspicitur solum signum sensibile, et quæritur, et quidem *de facto*, utrum elementa sensibilia ex quibus sacramentum constituitur sic a Deo supernaturaliter eleventur, ut per veram actionem physicam concurrant ad sanctificandos homines—Quid hac in re tenendum nobis videatur in thesi statuitur..............241–251

THESIS XVIII.—In sacramentis, quæ veræ causæ morales sunt collationis gratiæ, potest equidem dici divina virtus, speciali modo, et ratione hujus moralis sacramentorum causalitatis, inexistere operans hominum sanctificationem; sed tamen admitti non posse videtur efficacitas, qua signa ipsa sensibilia physico suo influxu concurrant ad producendum effectum sacramentalem....................252

Prob. — 1.— Influxus physicus—*a*) non evincitur ex Scripturis: particulæ enim *ex*, *per* adhibentur in Script. etiam ad causam moralem designandam —*b*) ex Script. contrarium potius desumi posset: verba enim Script. sumi debent juxta loquendi modum, usitatum, et convenientem naturæ rei de qua agitur—hoc significaretur in sententia causalitatis moralis—non autem juxta physicam causalitatem signorum visibilium, quæ vel prorsus est repugnans, vel saltem non posset sine novis miraculis admitti—2) Influxus physicus—*a*) non docetur a Patribus: dum enim exaltant efficientiam sacramentorum et exemplis eam illustrant, doctrinam fidei tradunt, qua tenemus sacramenta vere et proprie esse causas gratiæ, non disserunt de *modo* quo illam efficiunt—item PP. sacramentum considerant non *materialiter*, sed *formaliter*, non prout visibile *signum* tantum attenditur, sed *signum quod producit gratiam*— Comparationes vero nonnisi inepte urgeri possent—*b*) diserte excluditur a Patribus, ita Ambros., Cyrill. Hier., Aug., Greg. Naz., Basil., et alii, qui universaliter, et nulla distinctione facta

physicam causalitatem negant—item, fatentibus adversariis, moralem causalitatem docent dum dicunt Baptismum cum obice susceptum conferre gratiam obice remoto—at eodem modo loquuntur de baptismo cum debitis dispositionibus suscepto—3) Influxus physicus rationibus impugnatur—*a*) quia sacramenta, excepta Eucharistia, quando producunt gratiam, physice non sunt; ideoque physice operari non possunt—nec dici potest quod existat sonus ultimæ syllabæ formæ: hic enim non est sacramentum—nec quod totum sacramentum per illam ultimam partem gratiam efficiat: sacramentum enim non est unum *physice* sed *moraliter*—*b*) quia in quibusdam saltem casibus sacramenta nullo modo attingere possunt subjectum in quod agunt, ut in casu Matrimonii inter absentes celebrati—at causa physica subjectum in quod agit contactu physico saltem virtutis attingere debet—*c*) quia explicari nequit quomodo sacramentum supernaturaliter elevetur ut physice agat in animam ad efficiendam gratiam—Adversarii ad hoc explicandum vel admittunt aliquam virtutem esse in sacramentis communicatam—vel dicunt elevari per motionem quamdam divinam, qua instrumentaliter producunt gratiam—vel contendunt ipsammet entitatem rei, hoc ipso quod creata est, et subordinata primo agenti, esse in potentia obedientiali activa ad efficiendam gratiam—Triplex hæc sententia rejicitur..........252–266

Scholion I.—Sacramenta N. L. licet physice gratiam non producant in hoc a sacramentis V. L. differunt, quod hæc non erant *veræ causæ*, sed conditiones, illa vero sint *veræ causæ* vim habentes, qua Deus infallibiliter movetur ad gratiam largiendam..........266

Scholion II.—Auctoritas S. Thomæ tum a patronis causalitatis physicæ, tum ab eorum adversariis invocatur; at hoc a primis immerito fieri clarissima testimonia S. Doctoris ostendunt..........266–270

Art. Secundus—*De Gratia quam Sacramenta conferunt*

Notiones Præviæ

Omnia N. L. sacramenta conferre rite ea suscipientibus gratiam sanctificantem constat ex Conc. Trid.—hæc autem gratia in sacramentis Baptismi et Pœnitentiæ (*sacramenta mortuorum*) vitam spiritualem confert: dicitur gratia prima—in reliquis (*sacramenta vivorum*) incremento hanc auget: dicitur gratia secunda—Sacramenta mortuorum per accidens conferre gratiam secundam communis est sententia—Utrum vero sacramenta vivorum possint gratiam primam aliquando conferre, si nempe recipiens sacramentum ad illud bona fide accedat, disputatur—Item disputatur inter theologos utrum gratia sacramentalis consistat in aliquo habitu distincto a gratia sanctificante, vel sit hæc eadem gratia prout ex divina institutione dicit exigentiam quorumdam auxiliorum specialium..........271–272

THESIS XIX.—Quamvis sacramenta mortuorum per se instituta sint ad conferendam primam gratiam sanctificantem, et sacramenta vivorum secundam; per accidens tamen ut sacramenta mortuorum conferre possunt gratiam secundam, ita et sacramenta vivorum primam: virtutes etiam et dona Spiritus Sancti infunduntur vel augentur per sacramenta, modo per se, modo per accidens. Gratia vero sacramentalis a gratia habituali, et a virtutibus et donis infusis non est habitus distinctus; sed pro unoquoque sacramento est ipsa gratia habitualis, connotans auxilia gratiæ actualia promoventia homines ad finem

specialem ejusdem sacramenti; ad quæ auxilia suo tempore accipienda sacramentum ex institutione divina quoddam jus tribuit suscipienti 272

Prob. 1. p.—*a*) quoad *Extremam Unctionem* de qua Jac. (v.) absolute dicitur "et si in peccatis fuerit remittentur ei"—Huic concordat ejusdem sacramenti forma, quæ indefinita est, et nullum facit discrimen inter peccata mortalia et venialia—*b*) quoad *Eucharistiam*, quam Patres simpliciter dicunt tollere peccata, idque pronuntiant nulla omnino adhibita distinctione—confirmatur ex S. Thoma—*c*) quoad *Confirmationem*, *Ordinem et Matrimonium* ex allatis testimoniis, cum sit par ratio, argumentum deducitur—Confirmatur ratione theologica desumpta ex Concil. Tridentin.—*Prob. 2. p.*—*a*) ex Conc. Trid. quod docet per sacramenta cum gratia habituali, qua justificamur, infundi etiam virtutes et dona—*b*) ex ratione, quia virtutes infusæ et dona sunt veluti proprietates connaturales consequentes gratiam—*Prob. 3. p.*—*a*) sacramentalis gratia non est habitus distinctus ab illis, qui in justificatione infunduntur, quia nec esset in essentia animæ ad sanctificationem, nec in potentiis ad operationem supernaturalem: ad hoc enim sufficit gratia habitualis cum virtutibus et donis, quæ eam consequuntur—*b*) Sacramentalis gratia est ipsa gratia habitualis cum connotatione auxiliorum specialium: quia hæc gratia a Deo infunditur ad fines peculiares sacramentorum consequendos; si ergo finis est specialis pro unoquoque sacramento; specialis est gratia: non est autem novus habitus: ergo est ipsa gratia sanctificans connotans diversa auxilia actualia—Hoc idem docet S. Thomas...... 272–277

Difficultatibus Satisfit—Prima pars thesis non proponitur ut conclusio theologice certa, sed ut probabilis: sufficit ergo quod habeat fundamentum aliquod in revelatione—Sacramenta vivorum gratiam primam significant secundario, et per accidens—Eucharistia est cibus spiritualis et vitalis, ideoque spiritualiter mortuos vivificare potest, etc.................. 277–281

Art. Tertius—***De requisitis ad sacramentorum susceptionem***

Solus homo viator sacramenta suscipere potest, non tamen omnes homines omnium sacramentorum sunt capaces—Quænam dispositiones in adultis requirantur ad validam et fructuosam susceptionem sacramentorum in thesi statuitur—quoad infantes et perpetuo amentes, constat nullam in eis requiri dispositionem ad sacramenta quorum sunt capaces.............. 281–282

THESIS XX.—In adultis, ad validam susceptionem sacramenti, Eucharistia et Pœnitentia exceptis, requiritur et sufficit intentio aliqua illud suscipiendi; quæ intentio, non necessario debet esse actualis aut virtualis, sed potest esse habitualis, immo, pro sacramento Extremæ Unctionis, interpretativa: fides autem non requiritur necessario, sacramento Pœnitentiæ excepto.—Ad fructuosam vero susceptionem sacramenti, seu ad gratiam per sacramentum percipiendam, requiritur et sufficit in adultis, pro sacramentis mortuorum, attritio supernaturalis actualis vel virtualis, quin contritio perfecta requiratur; quamvis pro sacramento Pœnitentiæ confessio sit etiam necessaria: pro sacramentis vivorum per se solum requiritur habitualis gratiæ dispositio, seu quod recipiantur in statu gratiæ. 283

Prob. 1. p.—*quoad intentionem*—*a*) ex Conciliis quæ aperte hoc declarant—*b*) ex decreto Innoc. III. cont. Petrob., juxta quod sacramenta invitis collata non valent—*c*) ex auctoritate S. Augustini—*d*) ex Rituali Romano—*e*) ex eo quod religionis professio sine actu voluntatis fieri nequit—Quod sufficiat intentio habitualis, imo et pro Extrema Unctione interpretativa, constat

tum ex Ecclesiæ praxi, tum ex documentis mox citatis.—*Quoad fidem*—eam non necessario requiri—probatur: quia Eccles. admisit baptismum in hæresi susceptum ab hæreticis—immo non rebaptizat paganum aut atheum si cum intentione suscipiendi Baptismum Christianorum eum suscepisset —confirmatur auctoritate S. Aug. et S. Thomæ—Excipitur sacramentum Pœnitentiæ; quia in eo actus pœnitentis, qui fidem includunt, ipsam sacramenti materiam constituunt—*Prob.* 2. *p.*—Ad fructuosam receptionem sacramentorum *mortuorum* requiri saltem attritionem constat ex Conc. Trid. (sess. 6. et 14.) id expresse docente—ratio id confirmat: merito enim ab eo, qui peccando *voluntarie* avertitur a Deo, ut necessaria dispositio exigitur, ut *voluntarie* peccatum deserat, et ad Deum se convertat—Attritus non ponit obicem gratiæ, sed e contra positum removet: attritio ergo sufficit—Pro sacramentis *vivorum* sufficere habitualis gratiæ dispositionem patet: sacramentum enim gratiam confert non ponentibus obicem—qui vero sacramentum suscipit in statu gratiæ obicem non ponit—Quæ præ oculis haberi debent, ut difficultates solvantur, in fine thesis breviter evolvuntur. 283–291

Art. Quartus—*De proportione juxta quam gratia per sacramenta confertur*

Utrum sacramenta *specie* inter se diversa, inæqualem gratiam habitualem conferant, fatentibus omnibus, plane incertum est—Sacramenta *solo numero* diversa inæqualem gratiam conferre, etiamsi eadem sit dispositio, docuit Paludanus—Cajetanus idem tenuit, sed inæqualitatem ex sanctitate ministri deducebat—duplex hæc sententia merito rejicitur a theologis, qui doctrinam in thesi propositam communiter docent................ 292–293

THESIS XXI.—Sacramenta ejusdem speciei conferunt ex opere operato æqualem gratiam æqualiter dispositis; inæqualem dispositis inæqualiter........... 294

Prob.—1) ex Conc. Trid., nam (sess. 6. cap. 7.) docet, justitiam, quæ per Sacramentum confertur, dari secundum propriam suscipientis dispositionem —idem ex toto contextu illius capitis deducitur—2) ex auctor. Patrum—ita ex. gr. Cyrill. H., Joann. Damasc.—Idem docet S. Thomas, uti doctrinam perpetuo in Ecclesia admissam—3) Ex ratione desumpta ex congrua gratiæ retributione—Ex dictis objectiones quædam solvuntur.......... 294–296

Scholion.—Inter dispositiones ad fructum sacramenti percipiendum meliores sunt actuales, quam habituales.................................. 297

Art. Quintus—*De sacramentis ficte susceptis*

Notiones Præviæ

Sacramentum, quod *valide* suscipitur, dicitur *ficte* suscipi, cum in anima adest obex gratiæ—fictio *alia* privativa, seu negativa et inculpabilis—*alia* positiva et imputabilis—Utrum sacramentum valide sed ficte susceptum perpetuo infructuosum maneat, an potius, remoto obice, reviviscat, controvertitur—Baptismum reviviscere communiter docent theologi contra Vasquez—Nonnulli reviviscentiam hanc extendunt ad Confirmationem et Ordinem—imo etiam probabiliter ad Extremam Unctionem et Matrimonium—Conveniunt tamen hoc de Eucharistia dici non posse—an autem Pœnitentia reviviscat necne pendet a quæstione de possibilitate sacramenti pœnitentiæ validi atque informis... 297–298

THESIS XXII.—Baptismus cum fictione susceptus, remoto per subsequentem dispositionem obice, reviviscit, gratiamque ex opere operato confert. Probabilius idem de aliis sacramentis admitti debet; exceptis Eucharistia, quæ cum sacrilege suscepta fuerit non reviviscit, et Pænitentia, de qua in tractatu proprio disputatur.. 298

Prob.—1) *quoad Baptismum*—quia regeneratio debet fieri per baptismum, juxta illud "*nisi quis renatus fuerit*," etc.—sed non potest fieri per novum baptismum cum prior fuerit validus; ergo debet fieri per prioris reviviscentiam.—Hoc fieri non posse vi sacramenti Pœnitentiæ ex eo constat, quod originale peccatum, cum clavibus non subjiciatur, illo numquam remitti potest—Item fieri non potest per contritionem perfectam, sive votum baptismi suscipiendi includat sive non—in primo enim casu sacrilege illud votum haberetur—in secundo vero baptismus *conditio* dici deberet, qua posita, contritio valeret ad primam justificationem conferendam—baptismum vero non esse *conditionem* sed *causam* omnes fateri coguntur—Idem evincitur ex S. Augustino, præsertim in lib. contra Donatistas, et ex S. Thoma —2) quoad *Confirmationem* et *Ordinem*: eadem enim pro his urgeri potest ratio ac pro baptismo; quia cum neque hæc iterari possint, qui ea ficte suscepissent in perpetuum privati manerent gratiis, quæ vi illorum sacramentorum conceduntur—Reviviscentiam sacramenti ordinis S. Aug. diserte docuit—Idem argumentum valet pro *Matrimonio* et *Extrema Unctione*—licet enim talia non sint ut absolute umquam iterari possint, secundum quid tamen iterari nequeunt—Cum autem istæ rationes pro Eucharistia non valeant, et multa aliunde sequerentur incommoda, eam non reviviscere merito statuitur—Difficultatibus in fine thesis satisfit.................... 298–303

SCHOLION 1.—Ad sacramentorum reviviscentiam subinde sola supernaturalis attritio requiritur; subinde vel attritio cum sacramento Pœnitentiæ, vel perfecta contritio.. 303–305

SCHOLION 2.—Sacramenta, ablato obice, conferre semper æqualem gratiam contendit Suarez—inæqualem conferre secundum inæqualem bonitatem actus, quo fictio tollitur, docet De Lugo.......................... 305

Art. Sextus—*De charactere sacramentali*

Characteris nominis multiplex acceptio—hic sumitur pro signaculo spirituali indelebili per sacramentum animæ impressum—Baptismum, Confirmationem et Ordinem imprimere characterem definivit Conc. Trid. cont. Novat. —theologi cum de natura disserunt characteris valde inter se discrepant—scholastici DD. in sacramentis N. L. distinguere solent *sacramentum tantum* (quod significat et non significatur)—*rem* (quod significatur tantum)—*rem et sacramentum* (quod significat et significatur)—hoc nomine aliquando pro charactere utuntur.................................. 306–308

THESIS XXIII.—Datur character sacramentalis; isque per tria dumtaxat sacramenta, Baptismum, Confirmationem et Ordinem, imprimitur........... 308

Prob.—1) *argumento præscriptionis*—quia ante Novatores immo longe ante Wicleffi rebellionem hoc ut certum ab omnibus in Ecclesia admittebatur —hanc fidem ostendunt Conc. Florent., Decretalia Gregorii IX., Decretum Eugenii III. contra Petrobrussianos—immo—2) Ecclesiam a primis sæculis hoc docuisse ostendunt Patres, præsertim S. Aug. in concertatione habita cum Donatistis—Testimonia quædam Sanc. Doctoris referuntur —Nec desunt loca Scripturarum, in quibus, posita constanti Patrum doctrina, videri possit adumbratus character sacramentalis—ita Apost. in II. Corin. I. et ad Eph. cc. I. IV.—Confirmatur: quia nulla alia ratio assignari potest cur inter sacramenta, tantum tria iterari non possint, nisi character —argumentum, Bellarmini verbis, evolvitur—Idem congruentiæ desumptæ ex iis quæ fiunt in exercitu vel familia principis suadent........ 308–321

SCHOLION.—Character constitui non potest, ut contendebat Durandus, in mera rationis relatione—id eruitur ex ipsa doctrina Patrum et Conciliorum—ex eodem capite refutatur Scoti sententia, in qua character esset quidem realis, sed non aliquid absolutum, sed relativum—utrum sit dispositio quædam, seu qualitas permanens, quæ subjectum in suo esse convenienter disponat, sine ullo ordine ad operationem, an potius sit potentia, disputatur: primum defenditur a Suaresio, alterum a S. Thoma—hujus sententiam amplectimur—cum eodem S. Doctore tuemur subjectum immediatum characteris esse "cognoscitivam potentiam animæ, in qua est fides.". . 321–324

TRACTATUS II.

DE BAPTISMO

Art. Primus—*De Baptismo generatim inspecto.*

Baptismi multiplex acceptio—hic sumitur pro ablutione quæ est sacram.—variis nominibus in SS. et a PP. designatur—baptismi definitio breviter evolvitur—circa tempus institutionis baptismi, variæ sunt theologorum sententiæ—institutum fuisse tempore baptismi Christi communior tenet sententia. 325–328

Art. Secundus—*De materia remota Baptismi*

Aquam veram et naturalem esse de necessitate baptismi Trident. Synodus definivit—idque contra quasdam hæreticorum aberrationes...... 328–329

THESIS I.—Materia baptismi remota est omnis et sola aqua naturalis....... 329

Prob.—1) *ex verbis Christi:* "Euntes docete.... *baptizantes:*" ubi hæc vox vi sua, et usu Scripturarum immersionem in aqua significat—argumentum ab adversariorum effugiis vindicatur—2) *ex praxi Apostolorum*, quæ ex Actibus desumitur—3) *ex perpetua traditione*.......................... 329–332

SCHOLION.—Illa ut aqua æstimari debet quæ communiter ut talis habetur—extra casum necessitatis aqua benedicta præscribitur................ 332

Art. Tertius—*De materia proxima Baptismi*

Materia proxima *ablutio* per aquam—hæc triplex: immersio, aspersio, infusio—hac de re diversis temporibus et Ecclesiis varia disciplina—quamlibet trium licere Rituale Romanum testatur....................... 332–333

THESIS II.—Ad valorem baptismi, quin necessaria sit trina vel unica immersio, sufficit exterior corporis ablutio a ministro facta per infusionem aut aspersionem. 333

Prob.—*a*) ex verbo *baptizantes* quod licet ablutionem præseferat, nullum determinatum modum excludit aut præcipit—*b*) ex Apostolorum exemplo—*c*) ex antiquissimis Ecclesiæ documentis—*d*) ex Patrum doctrina—Idem confirmatur ex Orientalium confessione, et congruentiis—ad difficultates solvendas quædam adnotantur................................. 333–340

Art. Quartus—*De forma Baptismi*

De forma baptismi varii hæreticorum errores—ex Catholicis baptismum collatum in nomine Christi valere pauci olim censuere—plures autem id tantum pro brevi tempore et ex dispensatione Christi—forma qua utuntur Græci a forma quem adhibent Latini, nonnisi grammaticaliter differt.... 340–342

THESIS III.—In forma, ad sacramenti validitatem, exprimi est necesse ipsum baptismi actum, ideoque verba te baptizo, aut baptizatur servus (vel serva) Dei, aut æquivalentia de essentia sunt formæ: necessaria pariter est ad sacramenti valorem, Trium SS. Trinitatis Personarum distincta expressio; et ab hac expressione nulla umquam concessa fuit dispensatio, proinde baptismus in solo Christi nomine collatus, numquam in Ecclesia fuit.................... 342

Prob. 1. p.—(Omnino certa) ex Decretali Alexandri III. in qua hæc veritas aperte enunciatur—conf. ex Conc. Flor., ex Alexandro VIII., ex praxi utriusque Ecclesiæ, et ex ratione theol.—*Prob.* 2. *p.*—(certa) ex verbis a Christo adhibitis—hoc enim sensu verba illa accipienda esse constat—*a*) ex praxi Ecclesiæ—*b*) ex PP. doctrina—*c*) ex consensu utriusque Ecclesiæ.—*Prob.* 3. *p.*—(saltem probabilior)—*a*) quia verba Script. *baptizari in nomine Christi* nihil aliud significant nisi baptizari baptismo ab eo instituto, ejusdemque auctoritate—*b*) quia ita Patres verba illa intellexerunt—quæ ex PP. objiciuntur breviter expenduntur.............................. 342–354

Art. Quintus—*De necessitate Baptismi*

Duplex necessitas: *medii* et *præcepti*—baptismum nemini necessarium esse ad salutem præter Pelag. quidam inter Novat. docuerunt—inter Catholicos vero hac in re Cajetanus et nonnulli antiquiores non omnino recte senserunt —Catholica doctrina exponitur et distinctis paragraphis vindicatur 354–357

§ I.—*Omnibus baptismus aquæ necessitate medii est necessarius in re, vel saltem in voto; et adultis est etiam necessarius necessitate præcepti.*—Doctrina Concilii Tridentini hac de re proponitur.............................. 357–358

THESIS IV.—Baptismus, in re vel in voto, necessarius est adultis necessitate medii et præcepti, parvulis vero, extra casum Martyrii, est necessarius necessitate medii ad salutem.. 358

Prob.—1) Quoad *necessitatem medii*—*a*) ex Joan.: "Nisi quis," etc.—conf. ex contextu—*b*) ex Traditione quæ apparet ex Conciliis, ex Patribus et ex praxi totius Ecclesiæ—*c*) ex ratione theol.: per baptismum enim quis incorporatur Christo—quoad *necessitatem præcepti* pro adultis—*a*) ex præcepto quod Christus Apostolis dedit ut omnes gentes baptizarent—*b*) ex ratione theol. desumpta ex dictis in prima parte—ex iis varia adversariorum effugia præcluduntur.............................. 358–368

§ II.—*Baptismus flaminis supplet in adultis baptismum aquæ.*—Baptismus flaminis est perfecta caritas includens saltem implicitum baptismi votum—hujus rei brevis declaratio.............................. 368–369

THESIS V.—Baptismus flaminis, seu perfecta in Deum charitas, vel perfecta contritio, vices baptismi aquæ in adultis supplet ad justificationem ac remissionem originalis peccati et actualium, quæ cum eo conjuncta fuerint, obtinendam. 369

Prob.—*a*) ex Script. in quibus Christus etiam post sancitam necessitatem baptismi, tribuit caritati vim conferendi primam gratiam—*b*) ex Patribus, ex Decretis Rom. Pontificum, et ex Conc. Trident................ 369–372

§ III.—*Baptismus sanguinis supplet baptismum aquæ tum in adultis tum in in-*

fantibus—baptismus sanguinis est martyrium—martyrii definitio traditur et evolvitur—ut martyrium in infantibus locum baptismi teneat sufficit ut mortem patiantur pro Christo—in adultis vero requiritur ut ii habeant quasdam dispositiones, et baptismum aquæ recipere non possint...... 373–375

THESIS VI.—Baptismus sanguinis seu martyrium supplet vices baptismi aquæ in infantibus et in adultis quoad remissionem omnis culpæ et pœnæ......... 375

Prob. 1. p.—*a*) *ex promissione Christi:* "Qui me confessus fuerit," etc.—*b*) *Ex doctrina Patr. et praxi Eccles.*—pueros Bethlemiticos in cæde Innocentium trucidatos salutem consecutos fuisse et gloriam, non quia circumcisi fuerant, sed quia Christum *moriendo* confessi sunt, communiter tradunt Patres—*Prob.* 2. *p.*—iisdem argumentis, quibus alia Patrum testimonia adduntur—confirmatur ex praxi Ecclesiæ colendi eos, qui antequam baptizarentur, martyrium pro Christi nomine passi sunt................ 375–379

Scholion.—Legem baptismi obligare cœpisse die promulgationis evangelii communiter docent PP. contra paucos—utrum vero eodem tempore, seu die Pentecostes, obligaverit tum Judæos tum Gentiles disputatur—Suarez tenet legem novam vim habuisse pro gentilibus a tempore quo revelatio Petro facta fuit (Act. x.).. 379–382

Art. Sextus—***De ministro Baptismi***

Duplex minister: *solemnitatis* et *necessitatis*—mulierem posse solemniter baptizare tenuerunt Marcionitæ—Laicum vero nec in casu necessitatis posse docuit Calvinus.. 383

THESIS VII.—Omnis et solus sacerdos est minister solemnitatis ordinarius pro baptismo, et minister extraordinarius ex delegatione est diaconus :—at quilibet homo ratione utens, sive vir, sive mulier, catholicus sit, hæreticus, aut infidelis, adhibitis essentialibus, nimirum materia, forma et intentione, semper valide, et in necessitate licite, baptizat.. 383

Prob. 1. p.—Quia Christi verba "Docete .... baptizantes" Apostolos eorumque successores respiciunt—quæ verba ad presbyteros etiam extendi constat tum ex eorum ordinatione tum ex usu Ecclesiæ—*Prob.* 2. *p.*—ex PP. doctrina, juxta quam licet ordinaria potestate diaconi non gaudeant, ministri extraordinarii dicendi sunt—idque confirmatur ex praxi Ecclesiæ et ex verbis in eorumdem ordinatione adhibitis.—*Prob.* 3. *p.*—talis est enim et perpetua Traditio et constans Ecclesiæ praxis—idem definierunt Conc. Lat. IV. et Florent.—cf. ex congruentiis—Ex dictis difficultatibus satisfit. 883–389

Art. Septimus—***De subjecto Baptismi***

§ I.—*An baptizandi sint pueri?*—Negarunt inter antiquiores Petrobrussiani, aliique: ex Novatoribus Anabaptistæ et Baptistæ—horum errores Conc. Trid. profligavit.. 390

THESIS VIII.—Infantes non modo capaces sunt baptismi, sed et eos baptizari expedit, et necesse est... 391

Prob.—1) *ex Script.* quibus infantes exhibentur capaces regni cœlorum, quod non baptizati ingredi nequeunt—evolvitur—cf. ex Rom. v. 17. et circumcisione infantium in Vet. Test.—2) *ex perpet. Eccles. Traditione*—3) *ex ratione theol.* quia nihil obstat quominus baptizentur..................... 391–395

Difficultatibus Satisfit—Quæ ex Script. objiciuntur, adultos spectant, qui non *ut valide* sed *ut fructuose* baptizentur pœnitentes et instructi accedere debent—Tertull. et S. Greg. Naz. validitatem baptismi infantibus col-

lati numquam negaverunt—Hieronymus dicens fidem requiri ante receptionem baptismi, nonnisi de adultis loquitur—quum jugum Christi suave sit et omnibus inevitabile, nulla fit injuria parvulis, cum baptizantur—cetera ex dictis solvuntur.................................... 395–398

§ II.—*An baptizandi sint pueri invitis parentibus?*—Duplex distinguenda quæstio: quoad *validitatem* affirmative—quoad *liceitatem* diversa est solutio pro diversitate casuum: licet pro pueris—*a*) fidelium—*b*) hæreticorum absolute loquendo—*c*) infidelium, si usu rationis gaudentes baptismum petant—*d*) imo ante usum rationis, si eorum parentes sint christianorum mancipia—*e*) item pro illis qui ablati sint a parentum custodia—*f*) vel si alteruter parentum ad fidem conversus, baptismo parvuli consentiat—*g*) tandem si in mortis articulo versentur—Non autem licet pro pueris infidelium qui aut suis legibus vivunt aut christianorum nonnisi civiliter sint subjecti—ita ex Decretali Benedicti XIV.—cf. ex praxi et sensu Ecclesiæ......... 398–404

Art. Octavus—*De effectibus Baptismi*

THESIS IX.—Baptismus, secluso obice, 1.—*omnia peccata delet tam originale, quam personalia* 2.—*pœnam peccatis debitam remittit* 3.—*gratiam sanctificantem, virtutes ac dona supernaturalia infundit, simulque imprimit characterem in anima, et baptizato jus ad specialia gratiæ actualis auxilia confert ut assequatur baptismi fidem* 4.—*Christo tamquam capiti baptizatum ut membrum conjungit, et eum potestati Ecclesiæ subjicit*..................................... 405

Prob. 1. p.—*a*) ex Script. in quibus hic effectus explicite enunciatur.—*b*) ex traditione—*Prob.* 2. *p.*—*a*) ex Conc. Trid.—*b*) ex PP.—*c*) ex perpetua praxi Ecclesiæ—*Prob.* 3. *p.*—quoad characterem et jus ad specialia auxilia ex dictis in tract. de Sacrament. in Genere—quoad infusionem vero gratiæ tum ex Trid. tum ex PP.—*Prob.* 4. *p.*—*a*) ex Script. (ep. ad Gal. III.; et alibi) ubi veritas hæc expresse traditur—*b*) conf. ex Greg. Naz........ 405–408

TRACTATUS III.

DE CONFIRMATIONE

Art. Primus—*De sacramenti Confirmationis existentia*

Confirmationis sacrament., pro diversa ratione illud considerandi, diversimode a PP. nuncupatur—confirmationem esse N. L. sacramentum contra Novatores Conc. Trid. definivit.................................... 409–410

THESIS I.—Confirmatio est verum ac proprie dictum N. L. Sacramentum... 410

Prob.—1) *ex Act. Apost.* in quibus sacramenti constitutiva de confirmatione asseruntur—arg. evolvitur—2) *ex Trad. Ecclesiæ* quam ostendunt tum PP. testimonia, tum Conc. definitiones.................................... 410–418

Art. Secundus—*De materia et forma Confirmationis*

Duplex in hoc sacramento conferendo ritus externus adhibetur: impositio

manus et chrismatio—item duplex impositio manus—quænam sit materia essentialis confirmationis inter theologos disputatur—communior sententia, quam amplectimur, in thesi statuitur.......................... 418–419

THESIS II.—Materia essentialis confirmationis est chrismatio et impositio manus, quæ chrismatis unctionem comitatur:—forma vero sunt verba, quæ unctioni respondent; apud Latinos: "Signo te signo crucis et confirmo te chrismate salutis in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti;" apud Græcos: "Signaculum doni Spiritus Sancti.".. 419

Prob. 1. p.— *Quoad chrismationem*—ex traditione PP. et Conciliorum—præsertim ex Florent. et Trident., ex quo apparet quo sensu PP. locutiones intelligendæ sint—ex eadem traditione evidens argumentum desumitur quoad *impositionem manus*—quod *impositio manus*, ad validitatem sacramenti necessaria, sit *illa quæ cum chrismatione conjungitur*, patet—*a*) ex Pontificali Romano—*b*) ex documentis mox citatis—*c*) ex praxi Ecclesiæ Græcæ—*Prob. 2. p.—Relate ad Latinos;—indirecte—a*) quia oratio respondens primæ impositioni manuum, ei non respondet tanquam materiæ—*b*) quia hæc oratio non fuit semper adhibita ab episcopo—*directe—a*) quia verba illa "Signo te," etc. determinant materiam ad significandum et producendum effectum sacramenti confirmationis—*b*) quia hæc forma assignatur a Conc. Flor. et in usu fuit ab initio Ecclesiæ—*Relate ad Græcos—a*) quia hæc forma antiquissima approbata fuit a Conciliis et a Romanis Pontificibus—*b*) quia effectum sacramenti exprimit, et a forma in Ecclesia Latina adhibita nihil in significatione differt....................................... 419–423

Art. Tertius—*De ministro Confirmationis*

Minister confirmationis duplex: *ordinarius* Episc.—*extraordinarius* Presbyter—Hunc esse ministrum ordinarium docuit Photius, quem secuti sunt Waldenses et alii—solum Episcopum esse ministrum ordinarium definivit Conc. Trid.—Presbyterum vero esse ministrum extraordinarium communis tenet sententia... 423–424

THESIS III.—Minister confirmationis ordinarius est solus episcopus; extraordinarius vero potest esse presbyter ex dispensatione Sedis Apostolicæ........ 424

Prob. 1. p.—1) Ex Script. in qua *soli* Apostoli exhibentur hujus sacramenti ministri—2) *Ex Trad.*—confirmatur ex variis factis et decretis Summ. Pontificum et congruentiis—*Prob. 2. p.—a*) Ex Conciliis: ita Trid. et Florent.—*b*) ex praxi et auctoritate Summ. Pontificum—*c*) ex consuetudine apud Græcos vigente—Difficultates, quæ proponuntur, facile solvuntur. 424–427

Scholion 1.—Confirmatio ex delegatione est actus ordinis presbyteralis, quatenus illa potestas inchoata in susceptione Ordinis per delegationem fit completa... 428

Scholion 2.—Presbyterum ut valide et licite confirmet indigere delegatione Rom. Pontificis tradit Benedict. XIV.............................. 428–428

Art. Quartus—*Quibusdam de Confirmatione quæstionibus satisfit*

Subjectum hujus sacramenti est omnis homo baptizatus, nec obstat infantilis ætas—illud non esse necessarium necessitate medii certum est—utrum ad validitatem balsamum admisci debeat oleo controvertitur—requiritur tamen de necessitate saltem præcepti ut chrisma ab episcopo benedicatur—confirmatio imprimit characterem, auget gratiam sanctificantem, et confert jus ad auxilia specialia.. 429–430

LIBER SECUNDUS

TRACTATUS IV.

DE EUCHARISTIA

NOTIO ET DIVISIO TRACTATUS—Eucharistia N. L. sacramentum est et sacrificium—Hoc mysterio nihil sublimius—Non immerito dici posset Incarnationis adumbratio quædam, et continuatio—Ejus excellentiam tum figuræ V. T. prænuntiaverunt, tum nomina quibus in Ecclesia appellatur ostendunt —Dividitur Tractatus in tres partes—*a*) de reali Christi præsentia in Eucharistia—*b*) de eadem prout est sacramentum—*c*) de ea ipsa prout est sacrificium 1–4

PARS PRIMA

DE REALI CHRISTI PRÆSENTIA IN EUCHARISTIA

Art. Primus—*De hæresibus et de Catholica veritate circa hoc mysterium*

Realem Christi præsentiam in Eucharistia impugnaverunt—*a*) *indirecte* quotquot fuerunt hæretici qui veritatem carnis Christi inficiati sunt—*b*) *directe* J. Scotus Erig., Berengarius, qui in variis Conciliis damnantur—Item Petrobrussiani, Albigenses, et Flagellantes—an idem senserit Wicleff a quibusdam in dubium revocatur—Sæc. XVI. Carlostadius, in hoc a doctrina Lutheri recedens, eamdem hæresim propugnavit,—hunc inter alios secutus est Zwinglius, a quo Calvinus in modo loquendi, sed non in re differt—Sociniani et Arminiani asserunt Eucharistiam esse *sterile* et *vacuum* signum; cum his sentiunt Anabaptistæ, Mennonitæ, et alii: Quakeri ipsum ritum eucharisticum rejiciunt—Contra hos omnes Catholica veritas definita fuit in Conc. Trid. (sess. 13.) quod statuit in Eucharistia contineri *vere*, *realiter* et *substantialiter* corpus et sanguinem una cum anima et divinitate D. N. J. C., anathema dicens illis, qui tenent Christum in ea tantummodo esse ut *in signo* vel *figura*, aut *virtute*—Hoc fidei dogma sequentibus articulis vindicatur. 5–8

Art. Secundus—*De Promissione Eucharistiæ*

In Evangelio Joannis VI. 48–60. Christum promisisse Eucharistiam Catholici *fere* omnes tenent—idque contra Protestantes, qui contendunt verba Christi metaphorice accipienda esse, et fidem in seipsum significare. Utrum a vers. 25. ad 47. sermo sit de Euch. inter ipsos Catholicos disputatur—probabilior videtur sententia affirmans—Nexus totius orationis ex brevi Evangelicæ narrationis analysi ostenditur 8–11

THESIS I.—Institutionem Eucharistiæ, in qua vere, realiter et substantialiter caro Christi manducetur, ejusque sanguis bibatur, promissam fuisse verbis Evangelii Joannis, VI. 48–59., *probatur invicte* 11

Prob. 1. p.—Christi verba "*panis quem ego dabo caro mea est pro mundi vita*" non metaphorice, sed vero et proprio sensu intelligi debent—*a*) quia Christus loquitur de cibo futuro, fides autem in eum jam vigebat apud Judæos —*b*) quia declarat illum cibum esse carnem suam, quam daturus erat in cruce pro mundi vita—*c*) quia secus inanis prorsus foret cibi potusque distinctio, cum in metaphorica sumptione Christi per fidem unum omnino sit *manducare* et *bibere*—*d*) quia illæ locutiones ex usu Script. non habent translatum sensum nisi in malam partem—*e*) quia cum auditores intellexissent verba Christi in sensu proprio, et ideo scandalum passi essent, Christus non modo hanc eorum opinionem non correxit, sed magis magisque confirmavit; quod facere non potuisset si male Judæi intellexissent—Confirmatur ex miraculo ascensionis in cœlum, ad quod Christus appellavit.—*Prob. 2. p.* —*Ex Traditione.* Concilia et Patres in verbis Christi agnoverunt veram Eucharistiæ promissionem nobis factam—Ita Conc. Alexand., Ephes., et Nicæn. II., Tertull., Cyprian., Hilarius, Ambros., August., Cyrillus H., J. Chrysostomus 11–22

Difficultatibus Satisfit—Illis quæ objiciuntur ex vv. 25–47. duplex est solutio, prout quis admittit vel negat ibi nonnisi de fide in Christum sermonem esse—in hac secunda hypothesi fides non est *cibus*, qui promittitur, et qui vocatur panis, sed fides proponitur ut *conditio* necessaria ad illum cibum, qui promittitur salutariter capiendum—Christus dum v. 57. loquitur in præsenti non contradicit ei quod dixerat v. 52. in futuro, sed solum mirabilis illius cibi effectus declarat—Christus per Eucharistiam et *corporaliter*, dum species incorruptæ permanent, et *spiritualiter* per gratiam in suscipientibus manet—Item de ea manducatione loquitur, quæ infallibiliter conferat vitam æternam, spectata rei natura, non quæcumque sit subjecti conditio —Illa Christi verba *non habebitis vitam in vobis* non significant *non acquiretis vitam*, sed *non retinebitis vitam*, ac proinde eos respiciunt, qui jam regenerati fuerant—Capharnaitæ mentem Christi non sunt assecuti *quoad modum tantum* illius manducationis: hunc sensum Christum correxisse patet ex v. 64.—S. Augustinus et alii Patres dum verba Christi exponunt sensu metaphorico, sensum proprium, quem alibi diserte asserunt, non excludunt sed supponunt 22–32

NOTA.—Conc. Trid. *noluit* definire verba Christi, de quibus agitur, intelligenda esse sensu proprio, ne *damnaret* opinionem quorumdam catholicorum, qui contrarium sentiebant 32–33

Art. Tertius—*De Institutione Eucharistiæ*

Institutionem Eucharistiæ referunt Matthæus, Marcus, Lucas et Paulus in Ep. ad Cor.: verba institutionis intelligenda esse sensu obvio, et proprio definivit Conc. Trid. contra Sacramentarios Novatores.................... 33–35

THESIS II.—Verba institutionis Eucharistiæ, Matt. XXVI., Marc. XIV., Luc. XXII., I. ad Cor. XI., *intelligenda esse sensu proprio, quo affirmatur corpus et sanguinem Christi vere et realiter constitui sub symbolis visibilibus, apertissime constat tum ex ipsis verbis in se inspectis, tum ex omnibus adjunctis rerum ac personarum*.. 36

Prob.—1) *ex verbis institutionis*—Si Christus sensu metaphorico, et non proprio, dixisset *hoc est corpus meum* etc. inepta simul et fallax fuisset ejus locutio—*a*) quia intelligi non potuisset: cum panis et vinum neque ex sese, neque ex usu recepto, neque ex speciali et nota institutione, ut signum corporis et sanguinis accipi potuissent—*b*) Adhibetur pronomen *hoc*, quod non potest determinate panem significare—Ergo sensus non est: "hic panis significat corpus meum"—*c*) Prædicatum exprimitur emphatice cum articulo repetito; sed emphatica repetitio adhibetur ad excludendum sensum improprium—confirmatur exemplo—*d*) Idem evincit apposita declaratio "corpus meum quod pro vobis tradetur," quod non potest aliter intelligi ac de vero Christi corpore, Patri pro salute nostra oblato—*e*) Si sensu figurato verba Christi accipienda essent, hoc esset, vel quia Christus non potuit, vel quia noluit suum corpus dare realiter ad manducandum: neutrum dici potest—2) *ex adjunctis* nempe—*a*) ex promissione facta—*b*) ex indole Apostolorum—*c*) ex eo quod sacramentum instituebat, et testamentum condebat—*d*) ex modo quo refertur institutio a quatuor Scriptoribus inspiratis, præsertim ab Apostolo.. 36–44

Difficultatibus Satisfit—Quod Christus accepit fuit panis, et corpus suum successive—panis quando illum e mensa accepit: corpus vero absoluta prolatione verborum—Pronomen *hoc* in instanti quo pronuntiatur, non demonstrat *determinate* neque panem, neque species panis, neque corpus Christi, sed *confuse* et *indeterminate* rem aliquam, seu substantiam sine determinatione quoad naturam, videlicet *contentum sub his speciebus*—Quovis modo pronomen *hoc* sumatur substantive vel adjective nihil refert; sensus erit idem—Corpus Christi in Eucharistia frangitur non ratione sui, sed ratione specierum, vel quia distribuitur, vel quia immolatur—Nullum esse argumentum, quod desumitur ex Gen. XVII. et ex Exod. XII. constat—*a*) quia illa loca Christi verbis parallela non sunt—*b*) quia etiamsi in illis verbum *est* æquivaleret verbo *significat*, ratio signi intelligi de se poterat, et in contextu explicatur—*c*) quia revera etiam in locis objectis verbum *est* suam retinet significationem—Falsum est in lingua Aramæa, qua Christus loquebatur, nullum esse vocabulum, quod respondeat verbo latino *significat*—Vox *calix* tropice sumitur, sed tropus hic, quo continens pro contento accipitur, communis est et notus omnibus—Christus jussit ut in sui commemorationem celebraretur Eucharistia; sed in commemorationem sui non visibiliter præsentis—Verba quæ citantur ex Matth.: "Non bibam . . . de hoc genimine vitis" etc. vel prolata fuerunt ante consecrationem, vel si post eam intelliguntur de specie vini, quæ remanet..... 44–54

SCHOLION.—Catholici Doctores non eodem modo omnes explicant significationem pronominis *hoc*, licet omnes realem et substantialem Christi præsentiam in Eucharistia agnoscant.—Sententia S. Bonaventuræ asserentis per pronomen *hoc* significari panem in corpus convertendum, et Maldonati asserentis per pronomen *hoc* designari ipsum Christi corpus, paucis notatis rejicitur 54–56

Art. Quartus—***De perpetua Ecclesiæ fide circa realem Christi præsentiam in Eucharistia.***

THESIS III.—Perpetua Ecclesiæ fides circa veram, realem, ac substantialem corporis ac sanguinis Christi præsentiam in Eucharistia luculenter apparet, 1—*ex testimoniis Patrum trium priorum sæculorum,* 2.—*ex Patribus sequioris ætatis,* 3.—*ex publica fidei professione in omnibus Liturgiis expressa,* 4.—*ex ritu suscipiendi Eucharistiam,* 5.—*ex miraculis in veritatis confirmationem patratis,* 6.—*ex præscriptione* 56

Selecta traditionis documenta afferuntur, et breviter elucidantur 56–78

Difficultatibus satisfit—Si quando Patres vocant Eucharistiam *signum, typum*, hoc dicunt — vel *a*) ratione specierum — vel *b*) ratione corporis Christi in cruce immolati et existentis in cœlo—vel *c*) ratione corporis Christi mystici, seu Ecclesiæ—Item cum dicunt corpus et sanguinem Christi in Euch. esse exemplaria futurorum, id intelligebant de futura gloria, cujus Eucharistia pignus est—Aug. et Origenes, supposita vera interpretatione verborum Christi in sensu proprio, illa interpretantur *etiam* mystice, alter symbolicam significationem ad unitatem fidelium in uno eodemque Christi corpore mystico ; alter vero ad Verbum Dei deflectens—Anastasius Sinaita non erravit in confessione fidei de reali Christi præsentia, sed in ratione arguendi contra Incorrupticolas—Item cum Facundus Herm. dicit panem esse signum corporis Christi, hoc intelligi debet non de mero signo, sed de signo conjuncto cum ipsa re—Rabanus Maurus, Ratramnus, aliiqui impugnantes Paschasium Ratbertum, substantialem Domini præsentiam in Eucharistia cum eodem profitebantur, solum inter se disputantes quoad statum, et modum, quo Christi corpus in mysterio existeret : eosdem nonnisi verbis hac in re dissentire ostendit Lanfrancus 78–85

Art. Quintus—***De Transsubstantiatione***

Notiones Præviæ

Transsubstantiationem esse fidei dogma definivit Trid. contra Impanatores et Consubstantiatores—Juxta dogmaticam Pii VI. Bullam contra Synodum Pistoriensem latam tria ut *de fide* hac in re haberi debent—*a*) substantialis Christi præsentia—*b*) desitio substantiæ panis et vini—*c*) præsentia Christi, et panis vinique desitio per conversionem *totius* substantiæ panis in corpus, et vini in sanguinem D. N. J. C.—hæc conversio ab Eccles. *Transsubstantio* appellatur—hinc ad fidei integritatem non sufficit duo priora profiteri, tertio relicto—Si quis rem per transsubstantiationem significatam admitteret, vocem vero respueret, licet hæreticus, teste Suarez, dici non posset, ut temerarius tamen et scandalosus haberi deberet—Conversio alia est *accidentalis* alia *substantialis*—hæc triplex : formalis, materialis, totalis seu transsubstantiatio—Licet hæc vox adhibita non fuerit ante Berengarium, tamen æquivalentes ei formulæ apud Patres passim reperiuntur—Ut vere unius rei in

aliam conversio fiat requiritur—*a*) duplex terminus positivus (*formalis* et *totalis, a quo* et *ad quem*)—*b*) desitio unius termini cum ordine ad positionem alterius—*c*) quid commune idem permanens in utroque termino 85–92

THESIS IV.—In Augustissimo Sacramento Eucharistiæ Christus fit realiter et substantialiter præsens per conversionem totius substantiæ panis in ejus corpus, et totius substantiæ vini in ejus sanguinem; quæ conversio admirabilis, singularis, et fide credenda, aptissime dicitur transsubstantiatio 92

Prob. 1. p.—Desitio totius substantiæ panis et vini—*Ex verbis institutionis* et quidem ex illis *solis* (contra quosdam theologos catholicos qui vixerunt ante Conc. Tr.)—Si peracta consecratione remaneret adhuc substantia panis, hæc in verbis a Christo prolatis, demonstrari deberet per pronomen *hoc*: siquidem juxta communem et sincerum loquendi modum pronomen *hoc* designat totam substantiam sub speciebus præsentem; atqui falsa tunc essent verba Christi: *quia panis non est corpus*: Ergo—argumentum evolvitur et declaratur—Pronomen *hoc* per se et directe non designat *accidentia* sed *substantiam*, atque id quod fit præsens per verba formæ consecratoriæ, quæ efficiunt quod significant—hinc vera est propositio *hoc est corpus meum*, licet præter corpus sint ibi tum accidentia panis, tum anima et sanguis Christi—Verba institutionis, etiamsi supponeretur hypostatica unio panis cum Verbo Dei incarnato (sive hæc unio dicatur facta mediante corpore, sive immediate in ipsa persona Verbi) essent falsa: non enim datur communicatio idiomatum in *abstracto*, neque in *concreto* inter unam naturam et partem alterius, quod haberetur in illa propositione "hic panis est corpus Christi"—Confirmatur—*a*) ex verbis adjunctis *quod pro vobis tradetur*, cum panis dici non possit pro nobis traditus—*b*) ex variis incommodis, quæ inde consequuntur—*Prob.* 2. *p.* vi verborum fieri transsubstantiatio —quia verba a Christo prolata dum significant corpus Christi constitutum sub speciebus panis, *vi sua* negant esse panem sub illis speciebus; et reapse sic efficiunt corpus Christi esse sub illis speciebus ut, *vi sua*, eadem verba *exigant* desitionem panis sub iisdem speciebus—Atqui hoc importat transsubstantiationem —Ergo—Idem evincitur ex Ecclesiæ Traditione quæ constat ex universali fide, quam Eccles. profitebatur ante tempus Novatorum—præclara quædam testimonia a sæc. XV., retrogrado cursu, ad ipsam Ecclesiæ originem referuntur et elucidantur 92–103

Difficultatibus Satisfit—Quando Christus dicebat "Ego sum panis"—Non loquebatur de pane triticeo, sed de *pane cœlesti*: quare nulla mutatione opus erat ut illa locutio vera esset—item illa locutio "Verbum caro factum est" nullam importat conversionem, quia in Verbo, quod est propositionis subjectum, quæcumque mutatio repugnat: aliter vero res se habet in propositione "hoc est corpus meum"—Patres dicunt Eucharistiam *ideo* non esse panem simplicem, vel communem, *quia* non est in Eucharistia panis triticeus, sed corpus Christi, quod est *panis vitæ*—cum vero asserunt esse in Eucharistia *materiam*, vel remanere *naturam* aut *substantiam* panis, per hæc intelligunt accidentia, quæ remanent seu proprietates, qualitatesque naturales, ut ex eorum scriptis desumitur—Rupertum Abbatem contra dogma transsubstantiationis errasse cum Card. Bellarmino nonnulli putant; alii, inter quos Suarez, ab errore eum vindicant; et quidem, ut videtur, merito.. 103–109

SCHOLION I.—Ex dictis refutantur quorumdam paucorum tum antiquorum tum recentiorum errores in re præsenti: non enim defuerunt, qui assererent in Eucharistia vel manere *materiam panis*, desinente forma panis substantiali—vel manere *formam hanc* panis, desinente panis materia—vel manere totam *naturam* panis, sed non *substantiam;* quia panis in corpore Christi esse incipit, et ab eo sustentatur 109–111

SCHOLION II.—De panis desitione, et de corporis Christi replicatione pauca notantur—Quæstio utrum peracta consecratione panis *annihiletur* est quæstio de nomine: constat enim illum *omnino desinere esse*—melius tamen est ab illa locutione abstinere—Circa naturam transsubstantiationis quidam theologi putaverunt eam in suo conceptu formali consistere in relatione extrinseca, et solius rationis—hæc sententia immerito tribuitur Vasquesio—et videtur damnata per Bullam "Auctorem fidei"—Sententiæ hac de re probabiles enumerantur—Quidam tenent corpus Christi fieri præsens sub speciebus per actionem *adductivam*, alii per actionem *constitutivam*, alii tandem per actionem *reproductivam*, seu per *quasi reproductionem* Christi corporis—hæc probabilior et tenenda videtur 111–118

Art. Sextus—*De objectiva realitate specierum*

In Eucharistia remanere species panis et vini ex sensuum testimonio constat—illas esse aliquid *reale*, quod peracta consecratione maneat ex divina virtute sine subjecto, ut nobis certum vindicamus contra recentiores quosdam theologos 119

THESIS V.—In Eucharistia species sacramentales panis et vini, objectivam habentes realitatem, manent sine subjecto 120

Prob.—1) *Ex Patribus*, qui—*a*) species sensibiles appellant vel *rem materialem*, vel *rem sensibilem*—*b*) distinguunt *sacramentum* vel *signum* corporis Christi, ab eodem corpore *sub illo signo* realiter contento—*c*) ostendebant et declarabant contra Monophysitas *realitatem humanæ naturæ*, quæ absque sui mutatione manet cum divinitate unita in una persona Verbi Dei, ex *realitate quantitatis et qualitatum panis et vini* in Euch., quæ facta conversione substantiarum, manent sine mutatione, tamquam unius sacramenti pars sensibilis cum parte non sensibili—his accedunt perspicua quædam Patrum testimonia, præsertim post exortam hæresim Berengarii—2) Ex unanimi consensu omnium Scholasticorum—3) Ex Decreto Conc. Constantiensis a Martino V. approbati, a quo damnatus fuit hic articulus Wicleffi "accidentia panis non manent sine subjecto in eodem (altaris) sacramento"—Evolvitur hoc argumentum, et quædam historice notantur—Frustra hac in re testimonium Aliacensis invocatur—Idem evincitur—4) Ex can. 2. sess. 13. Conc. Trid., quod definivit in Euch. fieri conversionem totius substantiæ panis et vini in corpus et sanguinem, *manentibus dumtaxat speciebus* panis et vini—Concilium nomine *specierum* intelligere species objective reales patet quia illa vox tempore Concilii, et in contextu canonis, in oppositione ad panis et vini substantiam, nonnisi hoc significabat—Optime Conc. adhibuit vocem *speciei*, quæ designat accidens cum relatione ad nostram perceptionem—Hanc esse mentem Conc. Trident. ex Catechismo ejusdem Conc. evidenter ostenditur—Confirmatur—5) Ex rationibus theologicis desumptis—*a*) ex verbis Christi "hoc est corpus meum" quæ requi-

runt ut pronomen *hoc* individuum sensibile designet—*b)* quia secus Euch. non esset sacramentum, cum non esset signum sensibile—Si qualitates sensibiles (objecta propria sensuum) realiter existunt, sensus non falluntur—Adversarios in re præsenti erronea ratiocinandi methodo procedere, et inniti ad suam sententiam defendendam fundamento pessimo paucis evincitur—Patres, qui non minus philosophi summi fuerunt quam theologi, accidentia realia a substantiis realiter distincta admisisse varia testimonia ex eorum scriptis desumpta ostendunt........................ 120–136

Difficultatibus Satisfit—De natura accidentis est ut *aptitudinem* inhærendi in alio habeat, sed non necessario ut in eo *actu* inhæreat—hoc optime declarat Bellarminus—Si consideratur *subjectum immediatum* inhæsionis, et non *subjectum ultimum* probabilius dici potest solam quantitatem manere sine subjecto, et cetera in ea existere, et ab ea veluti sustentari—Accidentia eucharistica manent supernaturaliter in eo *esse* quod habebant, substantia panis et vini existente; hinc ut concludit S. Thomas remanent in suo *agere* —hinc etiam declaratur quomodo species sacramentales corrumpi possint, et quandonam maneat vel desinat esse Christus sub illis speciebus, quæ corrumpuntur—Quoad modum, quo species sacramentales in substantiam corporis humani convertantur per nutritionem, duæ sunt probabiles solutiones—quidam dicunt in ipso instanti corruptionis specierum *materiam* panis et vini a Deo creari—alii tenent quantitatem dimensivam panis et vini *accipere miraculose vim et proprietatem substantiæ*, et ideo posse transire in substantiam et dimensionem............................ 136–142

NOTA.—Quanti in quæstione præsenti facienda sit doctrina S. Thomæ ostendit stupendum quoddam prodigium, quod in ejus vita ab historicis narratur. 142–144

Art. Septimus—***De modo quo Christus est sub speciebus sacramentalibus***

Ex Conc. Trid. *de fide* est Christum totum esse—*a)* sub unaquaque specie in sacramento—*b)* sub qualibet specierum parte, saltem facta partium separatione—Totum contineri etiam *ante* factam partium separationem ut omnino certum defenditur 144

THESIS VI.—Christus in Eucharistiæ sacramento sub unaquaque specie, et sub singulis cujusque speciei partibus totus continetur, non modo separatione partium facta, sed etiam ante separationem.............................. 144

Prob. 1. p.—*a)* Ex Evang. Joannis "Qui manducat *me* et ipse vivet propter me:" illud *me* totum Christum significat—*b)* ex verbis consecrationis, "hoc est corpus meum" vi quorum efficitur præsens Christi corpus, quod nunc est pars inseparabilis totius Christi—Illud *vi verborum* fit præsens in sacramento sub speciebus, quod per verba consecrationis expresse significatur: alia, quæ Christum constituunt, præsentia sunt *vi naturalis connexionis et concomitantiæ*—hinc terminus *vi verborum* significatus, non est totus ille, qui præsens adest et *demonstratur* peracta consecratione—*c)* confirmatur ex Traditione, quæ hac de re apertissima est—*Prob. 2. p.*—*a)* quia Christus consecratas species divisit Apostolis—hoc *saltem* de calice evidens est—unumquemque vero discipulorum sub illa speciei vini parte sumpsisse totum Christum indubium est—*b)* quia hæc semper fuit Ecclesiæ praxis, juxta quam frangi solet hostia ad communicandos fideles—*c)* quia Christus tamdiu sub speciebus consecratis manet, quamdiu sub iisdem substantia panis

conservari posset, hæc autem, facta divisione, servaretur, si transsubstantiatio non fieret—*Prob.* 3. *p.*—*a*) ex Conc. Trid. quod simpliciter et sine restrictione docet: Christum totum esse sub speciebus panis et vini, et sub quavis speciei parte—hanc fuisse mentem Conc. ostendit Pallavicinus—*b*) quia vi consecrationis ubi est substantia panis ibi est corpus Christi—atqui sub quavis speciei parte continua ante consecrationem est substantia panis —Ergo—*c*) quia si præsens adest Christus sub speciebus sacramentalibus in partibus divisis, debuit adesse sub singulis specierum partibus antequam divisæ fuerint.. 144–149

Modus quo Christus præsens est sub speciebus eucharisticis uberius ac penitius declaratur—1. *Corpus Christi in Eucharistia existit cum quantitate sua* —2 *Quantitas corporis Christi in sacramento altaris est quidem, juxta ea quæ nuper diximus, extensiva partium in ordine ad se, ita ut, ex. gr. caput continuetur collo, et collo mediante pectori; sed non est extensiva partium in ordine ad locum, ac proinde ad dimensiones seu quantitates specierum sub quibus est.* —3. *Corpus Christi sub speciebus sacramentalibus non est eodem prorsus modo, quo sub illis erat substantia panis aut vini ante consecrationem.*—4. *Si Christus comparatur ad locum in quo species sacramentales sunt, potest quodammodo dici esse in loco, idest secundum quod præsens est realiter ubi sunt species consecratæ: sed non potest dici proprie locatus sive circumscriptive, sive definitive; et dici debet esse in Eucharistia sacramentaliter.*—5. *Non datur vera unio et compositio physica corporis et sanguinis Christi cum speciebus sacramentalibus, ex qua resultet unum compositum physicum, tamquam ex duabus partibus componentibus.*—6. *Conjunctio igitur inter species et corpus Christi est appellanda sacramentalis.*—7. *Omnes fatentur, et de se patet, Christum in Eucharistia habere omnes actus immanentes, qui a sensibus non pendent, et in anima ejus omnes esse thesauros beatificæ visionis et scientiæ infusæ:—insuper propter identitatem humanitatis inesse animæ Christi omnes perceptiones, quas habet Christus alibi ex sensuum exercitio*.................................. 149–155

Art. Octavus—*De objectionibus adversus Eucharistiæ mysterium ex ratione petitis*

Implicat idem corpus esse simul in pluribus locis *naturaliter*, non vero *supernaturaliter*, præsertim si in uno loco sit *circumscriptive*, et in aliis *sacramentaliter:* id de corpore Christi in Eucharistia dici debet—neque ideo esset illud corpus a se distans secundum entitatem; sed solum secundum diversum modum existendi in locis inter se distantibus—Nihil potest simul existere in pluribus temporibus, quia diversa tempora simul esse non possunt: hæc autem ratio non valet si agatur de pluribus locis—Species, *simpliciter* manducantur, et desinunt esse corpus vero Christi ratione specierum: hinc nulla contradictio in hoc quod ratione illarum Christus desinat esse sub his, et non sub aliis—Corpus Christi in Eucharistia est sine quantitate quoad *secundarium ejus effectum*, qui est extensio partium in ordine ad locum, non vero quoad *primarium* ejus effectum, qui est coordinatio partium in ordine ad se—hinc Christi corpus in Eucharistia figuram habere negari non potest—Item quia corpus potest privari partibus localiter extensis, potest esse in loco inextensive, et indivisibiliter: contrarium vero esse non potest de spiritu, qui partes nec habet, nec habere potest—Aliis difficultatibus in hujus primæ partis decursu satisfactum est 155–158

PARS SECUNDA

DE EUCHARISTIA PROUT EST SACRAMENTUM

Art. Primus—*De natura sacramenti Eucharistiæ*

Eucharistiam esse *vere* et *proprie* sacramentum ex jam disputatis colligitur—Item esse *unum* sacramentum in *specie atoma* communis sententia contra paucos antiquiores affirmat: idque docet Catechismus Conc. Trid.—Utrum et quomodo *unum* dici possit *numerice* controvertitur—præferenda videtur sententia docens: unitatem numericam hujus sacramenti repetendam esse ex morali conjunctione specierum, et earum ad unam refectionem spiritualem ordinatione—Constitutiva intrinseca, seu essentiam sacramenti Eucharistiæ in *facto esse* in solis speciebus *ut* consecratis consistere, aperte statuit Catechismus Conc. Trid.—hinc *forma* determinativa specierum ad *esse* sacramenti est *consecratio* moraliter permanens; et *species* prout dicunt ordinem ad corpus et sanguinem Christi ut ad significata sunt *materia*—hoc tum ex Patribus, tum ex Conc. Trid. evincitur—Hoc sacramentum non in usu tantum consistere, sed in re permanente, contra Lutheranos, et alios ut fidei dogma Tridentina Synodus definivit 159–163

THESIS VII.—Peracta consecratione, Christus in Eucharistiæ sacramento præsens est non in usu tantum dum sumitur, sed ante et post, donec species consecratæ corrumpantur;—hinc, etiam extra sumptionem, Christus adorari debet in Eucharistia cultu latriæ.. 163

Prob. 1. p.—*a*) ex verbis institutionis, quæ vi sua efficiunt conversionem panis et vini in corpus et sanguinem Christi: Ergo Christus statim ac prolata sunt illa verba præsens adest sub illis speciebus, ideoque ante usum et independenter a sumptione—*b*) ex Patrum testimoniis—*c*) ex praxi Ecclesiæ antiquissima deferendi Eucharistiam ex uno ad alium locum, et illam reverenter servandi—*d*) ex antiquissima, præsertim in Ecclesia Græca, disciplina celebrandi *Missam præsanctificatorum*—*e*) ex rationibus theologicis petitis tum ex natura cibi, tum ex eo quod Eucharistia sit verum sacrificium—*Prob.* 2. *p.*—Præsertim ex Patrum testimoniis: ita hoc aperte docent Cyrillus H., August., Gregorius Naz., Ambrosius, J. Chrysost. et alii—His accedunt Liturgiæ.. 163–169

Difficultatibus Satisfit—Quæ contra primam partem ex auctoritate objiciuntur vel ex spuriis documentis desumuntur, vel potius veritatem, quam tuemur confirmant—Item nihil probant rationes desumptæ—*a*) ex eo quod finis Eucharistiæ sit usus, cum Eucharistia servetur *ut* sumatur, et hic finis sit omnino extrinsecus—*b*) ex eo quod Eucharistia non sit signum gratiæ sanctificantis nisi in usu: cum etiam extra usum sit verus cibus spiritualis, et non sit de essentia sacramentorum ut gratiam, quam significant semper in actu secundo conferant—Objectiones quæ moventur contra cultum Eucharistiæ debitum nullius esse momenti ostenditur.............. 169–173

Scholion.—Adoratio non ad species terminatur, sed ad corpus et sanguinem Christi; in species vero, ex adoratione Christo adhibita, *veneratio* quædam debita derivatur... 173–174

Art. Secundus—*De prima sacramenti Eucharistiæ materia remota*

Materia remota Eucharistiæ duplex est panis nempe et vinum—hic de prima agitur—solum *panem triticeum* esse sufficientem ad *valide* hoc sacramentum conficiendum constat—*a*) ex praxi Ecclesiæ tum Latinæ tum Græcæ—*b*) ex Conc. Florent.—*c*) ex Miss. Romano—Nullum confici sacramentum in pane triticeo *azymo*, sed *fermentatum* requiri tenent Græci—contra hos ut *de fide* certa, sequens thesis statuitur.................................. 174–175

THESIS VIII.—Panis triticeus, sive azymus sit, sive fermentatus, ad conficiendum Eucharistiæ sacramentum est materia valida......................... 175

Prob. —1) Exemplo Christi qui in azymo consecravit: instituit enim Eucharistiam in primo die azymorum, qua die ex legis præcepto, nonnisi azymis uti licebat—Hoc idem argumentum urget S. Leo IX.—2) ex definitione Conc. Florent. ab ipsis Græcis subscripta, in qua corpus Christi veraciter confici in pane azymo statuitur—3) ex confessione fidei a Michaele Pal. Greg. X. oblata—4) ex praxi Ecclesiæ Occidentalis, quæ a tempore remotissimo; immo probabilius ab initio adhibuit panem azymum ad Eucharistiam conficiendam: quod constat —*a*) ex Conc. Constant. III.—*b*) ex testimonio Alcuini, Rabani Mauri, Algeri, qui affirmant: Ecclesiam *a primordio suo ex traditione Principum Ecclesiæ* in azymis celebrasse—Idem confirmatur ex responsione Humberti Cardinalis adversus Nicetam Pectoratum; immo ex ipsa declaratione Nicetæ—præsertim ex eo quod panis azymus dici non possit in Ecclesia Latina fermentato subrogatus vel ex lege Ecclesiastica, —vel ex communi Eccles. consensu—vel ex consuetudine sensim introducta et approbata—tandem—5) ex ratione theologica: etenim non solum fermentatus sed etiam azymus est vere panis..................... 175–180

Difficultatibus Satisfit—Etiamsi Christus celebrationem Paschæ uno die anticipasset, nullum argumentum contra thesim haberetur: ritus enim agnum paschalem manducandi, quem Christum servasse admitti debet, panem azymum requirebat—Evang. Joann. ab aliis Evangelistis non dissentit: hi enim de *die legali* loquuntur, ille vero de *die naturali*—Nomine *Paschæ* non solum agni paschales appellabantur, sed etiam victimæ pacificæ per septem azymorum dies cædi solitæ—Patres panem ex quo Eucharistia conficiebatur *communem* et *usitatum* appellabant non per oppositionem ad panem *azymum*, sed ad panem *consecratum*—Fideles, primis Ecclesiæ sæculis (si de oblatione sermo sit quæ tempore offertorii fiebat) panem fermentatum offerre, non vero azymum nulla ratione ostendi potest—Eucharistia quandoque *fermentum* appellabatur vel mystica significatione, vel quia hoc nomine illa profanis celabatur—Non omnes cæremoniæ in usu tempore legis abolitæ fuerunt; sed illæ, quæ cum christiana professione consistere non poterant—Azyma fuerunt simul doloris et lætitiæ signa; quod optime Eucharistiæ convenit.. 180–185

SCHOLION.—Consuetudo consecrandi in azymis rationabilior et convenientior videtur illa, juxta quam in fermentato consecratur.................. 185

Art. Tertius—*De secunda sacramenti Eucharistiæ materia remota*

Vinum *de vite* esse secundam materiam hujus sacramenti apud omnes constat —Erraverunt hac in re Ebionitæ, Encratitæ, Manichæi, et nonnulli in

Africa catholici, qui in sacrificio aquam offerebant—Item ab Ecclesia damnati fuerunt qui lacte, vel uvis integris utebantur—Vinum purum sine aqua esse consecrandum affirmant Armeni—Protestantes vero tenent hoc esse quid omnino indifferens.................................. 185–186

THESIS IX.—Materia necessaria, in sacramento Eucharistiæ, pro secunda consecratione, est vinum de vite; aqua tamen in modica quantitate vino miscenda est, non de necessitate sacramenti, neque præcepti divini, sed tantum ecclesiastici.. 186

Prob.—Prima pars ex hucusque dictis constat, ideo—*Prob. 2. p.*—*a*) quia Christus dum Eucharistiam instituit, aqua vinum temperavit: ita ex traditione—*b*) quia hæc semper fuit Ecclesiæ praxis, ut modicum aquæ vino in Missa pro secunda consecratione admisceretur; ita testantur Justinus, Iræneus, Cyprianus et alii—*c*) quia id Concilia præscripserunt—*Prob. 3. p.* admixtionem aquæ non esse de necessitate sacramenti constat tum negative, quia nullum fundamentum extat in revelatione; tum positive, quia Missale Rom. expresse contrarium tradit.................................. 186–188

Difficultatibus satisfit—S. Cyprianus in ep. 63. dicens aquam esse necessariam in sacrificio, vel loquitur de *necessitate præcepti*, vel de necessitate ad *mysticam* significationem: in tota autem illa epistola necessitatem vini urget contra quosdam, qui illo non utebantur—Ad sacrificium Missæ non requiri necessario ut singulæ passionis Dominicæ circumstantiæ repræsententur per se patet.. 188–189

Nota 1.—Innocentium VIII. Norvegis concessisse ut absque vino consecrarent commentitium est.. 189–190

Nota 2.—Aquam vino mixtam converti per consecrationem in Christi sanguinem communiter theologi, uti certum tradunt................. 190–191

Art. Quartus—***De forma sacramenti Eucharistiæ***

Christum in ultima cœna verba adhibuisse quæ nunc in Missa adhibentur ita certum est, ut contrarium sine temeritate defendi non possit—Utrum hæc sola verba *hoc est corpus meum, hic est sanguis meus* sufficiant disputatur—*alii* requirunt preces quæ apud Latinos præcedunt, apud Græcos vero subsequuntur verba Christi—*alii* requirunt pro consecratione panis, verba quæ immediate ante Christi verba proferuntur—*alii* contendunt pro consecratione calicis adjungenda esse sequentia "*Novi et æterni*," etc...... 191–193

THESIS X.—Christus Dominus, in ultima cœna, panem et vinum consecravit his verbis: "Hoc est corpus meum, hic est sanguis meus" (vel "hic est calix sanguinis mei"):—et hæc sola requiruntur ac sufficiunt, ut forma, ad Eucharistiæ sacramentum conficiendum.. 193

Prob. 1. p.—*a*) ex disertis Patrum testimoniis, quorum quædam referuntur ex Tertulliano, J. Chrysostomo, etc.—*b*) ex auctoritate Ecclesiæ, ut constat ex canone Missæ—*c*) ex Concilio Trid. quod licet rem non definiverit, eam tamen perspicuis verbis tradit—*d*) ex ratione theologica desumpta ex eo quod Christus exemplum dedit et præceptum ut sacerdotes facerent in Missa quod ipse prior fecerat in ultima cœna—*Prob. 2. p.*—*a*) ex vi verborum, per illa enim solum realiter præsens fit corpus Christi sub speciebus—confirmatur ex doctrina Conc. Trident.—Quod minister loquatur in persona Christi non ex verbis pendet, sed ex ministri intentione—*b*) ex auctoritate Patrum

—*c*) ex Conc. Florentino, juxta quod forma hujus sacramenti sunt verba quæ convertunt substantiam panis et vini in corpus et sanguinem Christi —*d*) ex ipsa confessione Græcorum in eodem Concilio emissa; et ex declaratione a Bessarione facta; demum—*e*) ex praxi utriusque Ecclesiæ quæ hucusque dicta sunt confirmantur.................................. 193–201

Difficultatibus Satisfit—Benedictio panis a Christo facta efficax fuit non quidem immediate, per se solam, et sine verbis; sed mediate ac per verba, quibus vim et efficaciam impetravit—verba illa Marci XIV.: "*Biberunt ex illo omnes*" dicta fuisse per anticipationem ostendit S. Aug.—In Emmaus Christum consecrasse sine verbis gratuito asseritur; atque ex hoc immerito infertur eum ita etiam fecisse in ultima cœna—Ideo PP. aliquando dicunt Euch. *invocatione* et *oratione* perfici—*a*) quia ex instituto Ecclesiæ preces in consecratione semper adhibentur—*b*) quia ipsa Christi verba appellant invocationem, et merito quidem, quia illis perficitur sacrificium—Eo ipso quod vi verborum ponitur sanguis a corpore separatus sufficienter ut *effusus* significatur—nec requiritur illa additio *Novi et æterni testamenti*, cum hoc non sit prædicatum essentiale, sed accidentale: non enim significat transsubstantiationem.. 201–203

Scholion 1.—Verba consecrationis a sacerdote proferri *historice* simul et *assertive* ex dictis facile ostenditur.. 203

Scholion 2.—S. Thomam, sententiam, quam defendimus, approbasse varia ejusdem Doctoris testimonia evincunt................................ 204–206

Art. Quintus—***De ministro sacramenti Eucharistiæ***

Minister Eucharistiæ duplex est: *confectionis*, solus Sacerdos—ita de fide ex Conc. Later. IV.—*dispensationis*, Sacerdos ut minister ordinarius, Diaconus ut minister extraordinarius.. 206–207

THESIS XI.—Soli sacerdotes Eucharistiæ conficiendæ ministri sunt, ejusdemque dispensendæ ministri jure ordinario: ministri vero extraordinarii in Eucharistiæ dispensatione sunt Diaconi...................................... 207

Prob. 1. p.—Christus solis Apostolis, et eorum in sacerdotio successoribus potestatem illam contulit—ita, teste Tridentino, Ecclesia semper intellexit Christi verba "*hoc facite in meam commemorationem:* quod patet—*a*) ex Patribus—*b*) ex ordinationibus ministrorum Ecclesiæ—*c*) ex praxi Ecclesiæ —*d*) ex Conciliorum definitionibus—*Prob.* 2. *p.*—*a*) quoad sacerdotes: hi enim acceperunt potestatem faciendi quod Christus in cœna fecit—Christus autem Eucharistiam distribuit—Quoad *Diaconos* constat ex praxi Ecclesiæ, quam aperta Patrum testimonia ostendunt........................ 207–212

Difficultatibus Satisfit—Illa verba "hoc facite in meam commemorationem" primario sacerdotes respiciunt, ad ceteros vero fideles pertinent, quatenus in eis includitur præceptum accipiendi, et edendi Eucharistiam—hinc Christi memoriam recolunt hi *sumendo* dumtaxat: illi *consecrando* et *sumendo*—Fideles in Script. nonnisi *lato sensu*, nempe prout Deo sacrificium laudis offerunt, sacerdotes vocantur—Tertullianus in libro, quem cum esset hæreticus conscripsit, laicos vocat sacerdotes non *proprie* et *formaliter*, sed solum *remote*, et *aptitudinaliter*, quatenus juxta ipsum ad sacerdotium admitti illi soli possent, qui a se impedimentum bigamiæ arcerent—Canones Conc. Arelatensis I., et Ancyrani vel de Eucharistiæ *consecratione* intelli-

guntur et confirmant thesim, vel de ejus dispensatione, et non faciunt ad rem—S. Ambrosius dicens Xystum commisisse Laurentio Diacono sanguinis Domini *consecrationem* non de actu consecrandi loquitur, sed de consecrati sanguinis distributione.. 212–215

Art. Sextus—***De necessitate sacramenti Eucharistiæ***

Dupliciter aliquid necessarium ad salutem esse potest: necessitate nempe *medii* (id sine quo vel re vel in voto saltem percepto salus obtineri nequit) et necessitate *præcepti* (id, quo inculpabiliter deficiente obtineri potest salus)—Eucharistiam non esse necessariam necessitate medii in re, nec consequenter in voto *proprie* dicto definivit Conc. Trid.—Licet communio dari antiquitus soleret etiam in Ecclesia Occidentali laicis sub utraque specie, id tamen juxta mutabilem Ecclesiæ illius ætatis disciplinam fiebat, non quasi necessitatis causa ex præcepto Domini—Ita contra Hussitas et Calixtinos declaravit Conc. Constant.—Communionem omnibus necessariam esse sub utraque specie docuerunt Lutherus, Calvinus et alii Protestantes, quos Trident. Synodus damnavit.................................. 215–220

THESIS XII.—Eucharistia non est ad salutem omnibus necessaria, necessitate medii, sive in re, sive in voto proprie dicto ; sed fidelibus adultis necessaria est necessitate præcepti divini et ecclesiastici :—nullum tamen extat divinum præceptum ex quo non sacrificantibus sumptio Eucharistiæ necessaria sit sub utraque specie.. 220

Prob. 1. p.—*a*) ex Scriptura, juxta quam salus solo Baptismo obtineri potest —*b*) ex perpetua fide Ecclesiæ, quæ semper tenuit et docuit parvulos, qui post baptismum moriuntur, salvos fieri—*c*) ex ratione theologica : Eucharistia enim parvulis necessaria dici non potest, nec ad primam gratiam obtinendam, nec ad hanc conservandam—*Prob.* 2. *p. quoad præceptum divinum* —*a*) ex Joanne (VI.) *Nisi manducaveritis*, etc.; ex Luc. (XXII.): et Paul. I. Cor. (XI.) *Hoc facile in meam commemorationem*—confirmatur ex Conc. Trid. —*quoad præceptum ecclesiasticum* constat ex decretis Conc. Lat. IV. et Trid. *Prob.* 3. *p.*—*a*) ex doctrina Christi, qui (Joan. VI.) promisit vitam æternam tum suscipientibus Eucharistiam sub duplici specie, tum sub una—*b*) ex usu et praxi Apostolorum, quæ constat ex Act. (II. 42.)—*c*) ex praxi Ecclesiæ, quæ a primis sæculis, nemine reclamante, communionem sub unica specie permisit: id multiplici ex capite ostenditur—*d*) ex ratione theologica : sub una enim specie sumitur totus Christus, et ratio sacramenti salvatur 220–230

Difficultatibus Satisfit—Inter præceptum accipiendi baptismum, et præceptum recipiendi Eucharistiam disparitas est tum in locutionis forma, tum in subjecta materia—Christi verba apud Matthæum *Bibite ex hoc omnes* solos convivas respicere, ostendit contextus, et declarat S. Marcus—Verba Apost. "*Probet seipsum homo*," etc. probationem spectant, non sumptionem utriusque speciei—Quidam inter Patres, arguentes ad hominem contra Pelagianos, dicunt necessariam esse aliqualem manducationem carnis et potationem sanguinis Domini, quæ spiritualis manducatio ac potatio in baptismo fit, ut fatetur S. Aug.—Si quando Patres fideles hortantur ad communionem sub utraque specie, loquuntur juxta disciplinam tunc temporis vigentem—Gelasius vocans sacrilegium sumptionem Eucharistiæ sub unica specie, vel de sacerdotibus loquitur, vel de Manichæis qui a speciei vini, impia superstitione, abhorrebant...................................... 230–235

SCHOLION.—Conc. Trid. decrevit nulla gratia necessaria ad salutem eos defraudari, qui unam speciem accipiunt; et non docuit, saltem expresse, aliquam novam gratiam non dari per calicem—De facto *per se loquendo* non dari communis tenet sententia.. 235–240

Art. Septimus—*De effectibus sacramenti Eucharistiæ*

THESIS XIII.—Eucharistia per se et directe peccata mortalia non dimittit:—sed dum supernaturalem vitam in nobis auget, unionem nostram cum Christo et cum omnibus membris corporis Christi mystici per caritatem maxime perficit; peccata venialia delet; ad remissionem pœnæ temporalis, quæ peccato remisso adhuc debetur, prodest; contra tentationum impetus roborat; concupiscentiam minuit; copiosas gratias ad peccata vitanda atque virtutum actus exercendos confert; et gloriosæ corporis resurrectionis, ac æternæ beatitudinis pignus tribuit. 240

Prob. 1. p.—*a*) ex natura hujus sacramenti: institutum enim est ad modum cibi et potus, ut supernaturalis alimonia animæ—ergo supernaturalem vitam, quam fovet, supponit—*b*) ex doctrina Apostoli, juxta quem nemo ad communionem accedere potest nisi ab omni inquinamento peccati se emundet—*c*) ex unanimi consensu Patrum—*d*) ex magisterio Ecclesiæ, præsertim ex Conc. Trid.—Christi verba: *Qui pro vobis effundetur*, etc. non significant sanguinem *sumi* ad remissionem peccatorum, sed *effusum fuisse* in remissionem peccatorum, et nunc offerri ut fructus passionis nobis applicetur——*Prob.* 2. *p.* ex natura hujus sacramenti, ex Patrum, doctrina ex consensu theologorum.. 241–252

PARS TERTIA

DE EUCHARISTIA PROUT EST SACRIFICIUM

Art. Primus—*De Sacrificio generatim inspecto*

Sacrificii nomen, dupliciter sumitur—*lato sensu:* quilibet actus elicitus in honorem Dei—*stricto sensu:* specialis et præcipuus religionis actus—hanc distinctionem esse admittendam cum ex communi hominum consensu, tum ex Script. ostenditur—sacrificii definitio, quæ convenit *cuicumque* sacrificio proprie dicto, breviter evolvitur—sacrificia, quæ in statu naturæ lapsæ offeruntur, agnitionem involvunt culpæ ex parte hominis, et necessariæ expiationis ad placandum Deum offensum—hujusmodi notæ inveniuntur in omnibus proprii nominis sacrificiis, tum apud ethnicos, tum apud populum Dei electum—hinc S. Thomas finem spectans sacrificiorum V. L. ea distinguit in *holocaustum, sacrificium pro peccatis, et hostiam pacificam*.... 253–263

Art. Secundus—*De ratione typica sacrificiorum V. L. et de cruento sacrificio Christi in Cruce*

Typica ratio veterum sacrificiorum ex eo apparet, quod tota œconomia V. T., et præsertim totus cultus externus præfigurabat N. T. novumque cultum—

hanc veritatem S. Paulus inculcat in ep. ad Heb., in qua significationes veterum sacrificiorum magnifice exponit—idem S. Augustinus in libris suis præsertim adversus Faustum Manichæum, frequenter evolvit—sacrificium crucis in se perfectum fuit pro *redemptione* et *sanctificatione* hominum—hoc non obstat quominus juxta generalem œconomiam ejusdem redemptionis, et naturam cultus publici, Deo in nova lege exhibendi, Christus visibile relinqueret sacrificium, quo—*a*) crucis sacrificium repræsentaretur—*b*) ejus memoria in finem usque sæculi permaneret—*c*) illius salutaris virtus nobis applicaretur—hoc sacrificium, quod in ultima cœna Christus instituit, illud est quod ubique terrarum in Ecclesia Catholica celebratur—idem apud Latinos *Missa* communiter nuncupatur—Catholica doctrina de sacrificio Missæ contra Novatores illud negantes, Trid. Synod. (sess. 22.) definivit. 263–266

Art. Tertius—***De sacrificio Eucharistiæ seu Missæ, in V. L. prænuntiato***

THESIS XIV.—Eucharistiam esse verum et proprie dictum sacrificium, quod in Missa offertur, ex prophetia Malachiæ I. 10. 11., *et Ps.* CIX. 4. *clarissime patet.* 267

Prob.—1) Ex verbis Malachiæ—"non est mihi voluntas in vobis," etc. quibus prænuntiatur sacrificium novum, ac proprie dictum, Judæorum sacrificiis successurum—atqui hoc nequit aliud esse præter sacrificium Euch., quod offertur in Missa: ergo— *prænuntiatur sacrificium proprie dictum*: constat —*a*) ex verbis a Propheta adhibitis, maxime ex hebraica voce *mincha*, quæ in S. L. pro sacrificio proprie dicto adhibetur—*b*) ex opposiione tinter sacrificium novum, et sacrificia Judaica, quæ erant proprie dicta—*c*) ex anthitesi sacerdotum— *hoc sacrificium est illud, quod offertur in Missa*—id ostenditur ex characteribus quibus insignitur, quæque nonnisi Eucharistiæ conveniunt; est enim sacrificium—*a*) omnibus commune, et ubique offerendum—*b*) quod offertur a sacerdotibus ex omnibus gentibus eligendis—*c*) quod nulla malitia inquinari potest — *d*) increuntum quale erat *mincha* apud Judæos—Quod in thesi statuitur Conc. Trid. explicite docuit—Hanc perpetuo fuisse Patrum sententiam, testimonia quæ afferuntur plene evincunt—*Prob.*—2) ex Psal. CIX., in quo *Christus* prænuntiatur Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech—hoc declaravit ipse Christus in Evang. Matth. et aperte docet Paulus in ep. ad Heb.—Ergo sacrificium offerre debuit simile illi quod obtulit Melchisedech—patet tum ex verbis *secundum ordinem* seu ritum et offerendi modum, tum ex eo quod sacerdotium et sacrificium sibi mutuo respondent—Atqui hoc ideo tantum dici potest, quia sacrificium Eucharistiæ obtulit et instituit: Melchisedech enim sacrificium incruentum obtulit in pane et in vino—Ergo—Argumentum roboratur ex interpretatione Patrum.................................... 267–271

Difficultatibus Satisfit—Per *mincha* V. L. designari poterat sacrificium novæ legis; prout hoc, et illud in ratione veri et proprie dicti sacrificii conveniunt.— Sanctus Cyrillus Hierosolymitanus applicans verba Malachiæ ad Ecclesiæ catholicitatem ab aliis Patribus non dissentit, cum communem interpretationem vel supponat vel certe non excludat—Illud *proferens*, in testimonio desumpto ex Psalmo, idem significat ac *offerens*—hoc non ex vi vocis *hotsi*, sed ex contextu "*erat enim sacerdos*," et ex textu hebræo "*erat sacrificans Deo*" deducitur—illa verba "erat enim sacerdos" referri ad præcedentia constat ex interpunctione, quæ eadem est in omnibus, etiam

antiquissimis, versionibus—Quod in Hebræo non habeatur particula causalis *ki*, sed copulativa *ve* non obstat: hæc enim frequentissime in Script. pro *causali* adhibetur—quod hic ita sumatur contextus ostendit: ratio enim redditur cur Melchisedech panem et vinum obtulerit—Complutensis versio *obtulit ipsi*, nempe Abrahæ, quippe quæ versionibus aliis opponatur, merito rejicitur—vel dici posset Melchisedechum de pane et vino antea sacrificato dedisse Abrahæ in lætitiæ signum—Figuratum figuræ in omnibus æquale esse non debet—Pro scopo Apostoli in ep. ad Hebr. non oportuisse ut doceret Melchisedech sacrificium in pane et in vino obtulisse, breviter ex ejusdem epist. contextu ostenditur.................................. 272–276

Art. Quartus—***De sacrificio Eucharistiæ instituto a Christo***

THESIS XV.—Veritas sacrificii Eucharistiæ, quod in Missa celebratur, evincitur, 1.—*ex verbis ipsis institutionis Eucharistiæ ;* 2.—*ex Ep. I. ad Cor.* x. 15–21.; 3.—*ex rationibus theologicis ;* 4.—*ex perpetua ac evidenti Traditione*.. 277

Prob.—1) *ex verbis institutionis*—et primo de consecratione calicis—"hic calix .... *qui pro vobis funditur*" ubi calix stat pro *sanguine*—hinc sanguis est in calice prout effunditur pro nobis in remissionem peccatorum—atqui sanguis Christi, effusus pro nobis in remissionem peccatorum, offertur Deo in verum et proprie dictum sacrificium : Ergo—sermo hic est de effusione *mystica*—hac effusione, quæ habetur *vi verborum*, repræsentatur realis effusio in cruce facta—hinc conciliatur textus Græcus, qui legit *effunditur*, cum Vulgata, quæ legit *effundetur :* hæc enim *in recto* de effusione *reali*, ille de *mystica directe* loquitur — Idem desumitur ex verbis primæ consecrationis "hoc est corpus meum, *quod pro vobis datur*"— illud *pro vobis* non respicere solos Apostolos, colligitur etiam tum ex verbis consecrationis calicis, tum ex promissione facta—Argumenti vis non ponitur in eo quod tempus præsens adhibeatur et non *futurum*—*Prob.* 2) *ex epist. I. ad Cor.* x. ubi Apost. *Mensam Domini*, de qua fideles participabant per sumptionem Eucharistiæ, opponit *Mensæ dæmoniorum*, de qua Gentiles participabant—Atqui nomine *mensæ dæmoniorum* intelligit sacrificium idolis oblatum . Ergo—*Prob.* 3) *ex rationibus theologicis* desumptis—*a*) ex impletione figuræ Agni Paschalis—*d*) ex institutione Eucharistiæ per modum cibi ac potus—*e*) ex N. T. constitutione—*b*) ex perfectione cultus Christianæ Ecclesiæ—*c*) ex eo quod in Euch. omnia ad verum sacrificium requisita reperiantur—Documenta Traditionis eamdem veritatem ostendunt.......................... 277–290

Difficultatibus Satisfit—Juxta Apost. in N. T. nonnisi unus est sacerdos *principalis*, nempe Christus; hoc autem non impedit quominus alii sint sacerdotes *ministeriales*—Item unicum est sacrificium quoad substantiam hostiæ ; non vero quoad modum eamdem hostiam offerendi—Non est contra rationem sacrificii, quod repræsentatio sit alterius sacrificii: secus sacrificia V. L. hujusmodi dici non possent—In Euch. eadem res offertur, et recipitur, sed sub diverso respectu—hoc essentiæ sacrificii non repugnat—Eucharistia testamentum dicitur quatenus—*a*) ea N. T. confirmatur—*b*) hæreditas est—*c*) significat et continet voluntatem testatoris—Sacrificium a Christo oblatum in ultima cœna fuit per modum applicantis redemptionem, jam inchoatam—Patres qui dicunt Christum in Eucharistia non immolari realiter sed mystice, nomine immolationis mactationem cruentam victimæ intelligunt. 290–293

Scholion—Sacrificium Missæ nonnisi accidentaliter differt a sacrificio incruento in ultima cœna oblato.............................. 293–294

Art. Quintus—*De essentia sacrificii Eucharistiæ*

Actiones de quibus dubitari potest, utrum sacrificii essentiam constituant, quatuor in Missa reperiuntur, nempe: *consecratio,—oblatio*, quæ post consecrationem fit,—*fractio* hostiæ, et ejus partis *commixtio* cum sanguine,—*communio* sacerdotis sub utraque specie—Partes alicujus rei compositæ aliæ *essentiales* aliæ *integrantes*—*Consecrationem* sacrificii essentiam constituere: *communionem* vero nonnisi ad ejus integritatem pertinere, communis tenet sententia—Consecrationem prout est mera repræsentatio mortis Christi esse actionem sacrificam, docuit Vasquez, juxta quem Eucharistia verum est sacrificium, licet relativum, non absolutum—Hæc sententia, etsi damnata a Conc. Trid. dici non possit, communiter tamen a theologis rejicitur—Quænam sit sententia tenenda in thesi aperitur...................... 294–297

THESIS XVI.—Consecratio utriusque speciei Eucharistiæ essentialiter constituit sacrificium ; et communio sacerdotis celebrantis Missam nonnisi ad integritatem sacrificii pertinet. Ratio vero formalis, propter quam in consecratione sacrificium, quantum ad ejus essentiam, perficitur, est quia vi verborum consecrationis ponitur corpus Christi sub specie panis, et seorsim sanguis sub specie vini, sicque Christus sub alienis speciebus constituitur tamquam mortuus, et in statu in quo edi, potarique possit.. 298

Prob. 1. p.—1) *ex doctrina Patrum*, qui communiter docent—*a*) Christum tum in Cœna sacrificium obtulisse, cum discipulis suis obtulit Corpus suum ad manducandum, et sanguinem ad bibendum—*b*) nos in sacrificio Missæ, *verbis consecrationis*, infiniti valoris victimam immolare—Quædam eorum testimonia afferuntur—2) *ex auctoritate S. Th.*—3) *ex ratione theologica :* consecratio enim utriusque speciei est sola actio, quæ a sacerdote fit in persona Christi—Confirmatur exclusione aliarum actionum, quæ essentiam sacrificii Missæ nequeunt constituere—*Prob.* 2. *p.*—*a*) quia per sumptionem fit totalis destructio victimæ *jam immolatæ* per consecrationem—*b*) quia hoc sacrificium dicit ordinem ad sumptionem—*c*) quia hoc Ecclesia declaravit—*Prob.* 3. *p.*—Ideo in sua essentia sacrificium incruentum Missæ perficitur, quia dum immolationem Christi in cruce repræsentat, Christum constituit in statu victimæ: constat ex dictis. Hoc autem ideo fit quia *vi verborum* sub utraque specie corpus a sanguine separatum constituitur, et in statu in quo Christus edi potarique potest: ergo—minor propositio, paucis notatis de vi formæ consecratoriæ, evolvitur ac vindicatur—ex supra expositis facile objectiones quædam solvuntur.................................... 298–307

Scholion 1.—Non licere unam speciem consecrari absque alia, neque ex Summi Pontificis dispensatione, theologi communiter docent......... 307

Scholion 2.—Ex Christi institutione constat Eucharistiæ consecrationem, et oblationem sacrificii necessario connexa esse...................... 307–308

Scholion 3.—Communionem jure divino præcipi sacerdoti celebranti probabilior tenet sententia.. 308

Art. Sextus—*De effectibus sacrificii Eucharistiæ.*

Missæ sacrificium juxta finem, ad quem dirigitur, est latreuticum, eucharisticum, propitiatorium et impetratorium—duplex hæc ultima ratio a Novatoribus impugnatur—sacrificium latreuticum et eucharisticum soli Deo offertur—hoc tamen non impedit quominus ex mente Ecclesiæ sacrificia in honorem Sanctorum fiant—Antiquissimum esse hunc morem Patres et Liturgiæ testantur—Missæ sacrificium propitiatorium dicitur, quatenus per ipsum meritum passionis Christi nobis applicatur—Item vim et efficaciam habere impetrandi remissionem peccatorum ex *opere operato*, *mediate* quoad culpam, *immediate* quoad remissionem pœnæ temporalis, theologi communiter docent—Quæstio, an valor sacrificii sit infinitus vel finitus distinctim et accurate perpenditur.................................... 308–315

THESIS XVII.—Eucharistiæ sacrificium est non solum latreuticum et eucharisticum, sed etiam propitiatorium et impetratorium pro vivis atque defunctis. 316

Prob. 1. p.—*a*) quia hoc sacrificium offertur *pro mundi vita*—*b*) quia hoc est de natura sacrificii in præsenti statu—*c*) quia ita tradunt Patres—*Prob. 2. p. quoad vivos:* sacrificium enim Missæ nobis applicat merita sacrificii crucis: Christus autem in cruce bona quæcumque nobis est promeritus—Confirmatur ex antiquissima Ecclesiæ praxi sacrificia offerendi ad bona tum spiritualia tum temporalia impetranda—*quoad defunctos*—præter argumentum desumptum ex lib. 2. Machabæorum directe probatur ex praxi Ecclesiæ, et ex doctrina Patrum.............................. 316–320

Art. Septimus—*De Missis privatis.*

Missas privatas, nempe illas in quibus solus sacerdos communionem suscipit, Novatores proscriptas voluerunt—hunc etiam errorem Conc. Trid. damnavit—hanc damnationem renovavit Pius VI. contra Syn. Pistor.... 321–322

THESIS XVIII.—Missæ, in quibus solus sacerdos sacramentaliter communicat, non sunt, ut Novatores impie ac sacrilege asserunt, illicitæ et abrogandæ; sed probandæ prorsus et retinendæ.. 322

Prob.—*a*) quia in illis finis præcipuus, propter quem Eucharistiæ sacrificium institutum est, obtinetur—*b*) quia hic usus a primis Ecclesiæ temporibus receptus fuit—Confirmatur quibusdam animadversionibus....... 322–324

Appendix.—Responsum a S. Congr. Rom. et Univ. Inquisitionis circa propositiones quasdam dogma transsubstantiationis spectantes.......... 325

		ERRATA	CORRIGE
		(DE SACRAMENTIS IN GENERE)	
PAG. 81	LIN. 3	quem vos nescitis."—(Matth. III. 11.): "Ipse	quem vos nescitis. Ipse
104	8	robur accrescunt solemnia quædam facta	robur accrescit ob solemnia quædam facta
183	13	concludit (v. 24.) his verbis	concludit (XI. 34.) his verbis
		(DE EUCHARISTIA)	
6	35	sic habet	hæc habet
110	8	articulus enim ejus tertius	articulus enim ejus secundus
113	30	Bullam "Auctorem Filii"	Bullam "Auctorem Fidei"
142	8	(Lege 9 lineam ante 8.)	
181	28	est dies decimaquarta	est dies decimaquinta



STACKS BX2200.A75x vol. 1
Augustinis, Aemilius M. de.
De re sacramentaria praelectiones schola
3 5282 00173 7025